BIBLIOTHECA
FF. PRÆDICATORUM
CONVENTUS
CIVIT. BENITIÆ
Lit. F. 4.
Pl. 5.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

COMPENDIUM
THEOLOGIAE MORALIS
S. ALPHONSI M. DE LIGORIO

AUCTORE

D. NEYRAGUET

PRESBYTERO DIOECESIS RUTHENENSIS MISSIONARIO

COMPLECTENS

TUM OPERIS MORALIS, TUM OPERIS CUI TITULUS *HOMO APOSTOLICUS* ETC. SUBSTANTIAM SOLAMQUE AUCTORIS DOCTRINAM, MELIORI ORDINE DIGESTAM, SERVATIS, QUANTUM FIERI POTUIT, IPSIUS TEXTUS VERBIS.



In necessariis unitas,
In dubiis libertas,
In omnibus charitas.

Property of
COSA
Please return to
Graduate Theological
Union Library

Editio prima Romana cum notis

ROMAE

TYPIS S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE

MDCCCXLIX.

PRAEFATIO

Quanti fecerint Theologiam moralem *s. Alphonsi de Ligorio* summi Pontifices, quis ignorat? non enim communi elogio eam celebravit *Benedictus XIV* in Brevi ad auctorem misso, declarans animarum saluti hoc opere egregie provideri, et non dubitandum quin futurum sit ut omnibus placeat. *Pius VII* cum de s. Doctoris beatificatione ageretur atque ejus scriptis diligentissime perpensis, a sacra Congregatione rituum declaratum fuisset *nihil* in eis esse repertum *censura dignum*, hic Pontifex, inquam, hoc non solum comprobavit judicium, sed et in Decreto Beatificationis « sancivit constare de Ven. Servi Dei *Alph. de Ligorio* Virtutibus theologalibus et cardinalibus, earumque adnexis, *in gradu heroico.* » Quo profecto demonstratur s. Auctorem prudentem fuisse *in gradu heroico*, non solum ut Christianum, Pastorem animarum, Confessarium, Episcopum, sed etiam ut *Scriptorem.* Non minoris faciens ejus scripta *S. P. Leo XII*, *s. Alphonsum*, virum *Sanctissimum* et *Doctissimum* appellans, eum inter scriptores pietate et doctrina praestantes et quos Deus ad Religionis *morumque tutelam* perditorum audaciae opponit, annumerat; imo idem Pontifex, ad ejus scripta quam maxime evulganda, typographum quemdam Italiae, omni incitamento est cohortatus. Ecquis non miretur *Pii VIII* dicta? Hic Pontifex olim Poenitentiarius major, ad Massiliensem Episcopum scribens, ait beatum *Alphonsum* non solum virtutum splendore episcopali Ordini illustre decus intulisse, sed et *sana ac secundum Deum doctrina praefulsisse;* tot editis de re sacra voluminibus, in quibus *nihil censura dignum* venerando judicio constare. Postremo tandem emanavit sacrae Poenitentiariae illud solemne Oraculum ad Em. Card. de *Rohan-Chabot*, Vesontionensem Episcopum, posse Confessarium recto pede omnes sequi opiniones *b. Alphonsi*; cum a s. Sede nil in ejus scriptis dignum reprehensione fuerit repertum.

3171

Et sane, nihil censura dignum in doctrina tam convenienti Evangelio regulisque Ecclesiae, quas in Encyclica *Leon. XII* ad omnes Patriarchas commendatas habemus; et quid insuper utilius morali *s. Alphonsi* Theologia ? attendendum ad sequentia : 1. Sanctus Auctor ex his omnibus, qui de re morali scripserunt, recentissimus est; idcirco caeterorum Doctorum praeclare dicta et excogitata prae manibus habens, horum opiniones diu investigatas ponderavit, precibusque et virtutum exercitio, qui lumine caelesti prae caeteris adjuvaretur, meruit. 2. Omnium insignium Doctorum qui de re morali dissertaverunt, opiniones in medium profert, ita ut illius Theologia caeteros auctores supplere possit. 3. Non nisi post multos sacri ministerii annos in missionibus indefesse peractos scripsit, quod jam pluribus auctoribus valde fuit insolitum. 4. Innumeras mirasque conversiones Deo adjuvante obtinuit. « Mi» rum, inquit *Pius VII* in *B*ulla Beatificationis anno 1816, quot » odia extinxerit, quot devios ad rectum tramitem ac etiam ad » christianam perfectionem verbo, exemplo, ac multiplicibus » scriptis adduxerit. » 5. Nulla cupiditate ductus et ab omni singulari doctrina alienus, Ecclesiae Romanae soli doctrinae toto corde adhaerens, Decisiones s. Sedis accurate data occasione profert, quod saepe praetermittunt alii Doctores, hoc praecipuum in animo habens, ut Iansenistas sanae doctrinae hostes infensissimos debellet, eorum errores patefaciat illosque ad antiquas Ecclesiae catholicae Regulas reducat. 6. Ejus doctrinam sectantes innumeri Clerici scientia et pietate conspicui, in ejusque studio maxime versati, cum magno successu sanctum Ministerium exercent. 7. Vix ac ne vix quidem alius Doctor reperitur, qui de re morali tam multa tamque particulatim scripserit. « Intelligent profecto, inquit » *Pius VII* in Decreto Beatificationis anno 1816, Pastores ani» marum et divini Verbi praecones, pii quique et docti viri, » quantum sibi in *Alphonso Maria* imitando ornamenti ac praesi» dii constitutum sit. » 8. Sic agendo et docendo ad caelum evolavit Beatus ; quid tu pluris facis ? Quid tibi felicius optas ? Nullum est ergo errandi periculum, nullus inferni timendi locus, tanti viri vestigia sectando. Non mirum ergo quod hisce temporibus haec Theologia ubique exoptetur et exquiratur, quod ab Ecclesiarum Praesulibus commendetur, ab eximiisque Doctoribus non so-

lum in Italia, sed etiam in Germania, Belgio, Gallia etc. summis laudibus extollatur, quod in universum orbem diffusa, in omnium fere Clericorum manibus versetur. Quid igitur insulsum magis, quam improbare opus adeo eximium, quod innumeri Doctores, totque s. Sedis Oracula tam alte jam commendarunt! (*a*)

Fatendum tamen hanc Theologiam prolixiorem esse pro Pastoribus animarum, qui sacro dediti ministerio, tot occupationibus impediti, vix multa legere possunt. In eo insuper multa ita permixta confunduntur, ut inter tot ambages et confuse dicta, obscurus lateat genuinus Auctoris sensus. Ob oculos ergo ponere doctrinam Sancti claram et inconfusam, lectori gratissimum fore mihi visum est. Utilitati ergo Pastorum animarum consulens, ita doctrinam in compendium redegi, ut in uno volumine tota sancti Auctoris Theologia contineatur, ejusque doctrinae sensus facile et sine magna disquisitione haberi possit. Verum cum aliquando Auctoris sensum perquisitius perpendere juvet, Auctorem per ordinem secutus, quaestiones sibi referentes usquequaque in opere disjectas collegi, numerumque quaestionum in fine cujusque articuli apposui, cujus ope ad textum Auctoris, si juverit, recurrere in promptu erit.

Suam Theologiam sanctus Auctor ipse redegit in compendium, cui titulus *Homo apostolicus:* in hoc opere nonnulla immutavit, novaque adjecit, et haec ad calcem paginae adnotavi. Juxta leges, usuque nostros non semper scripsit sanctus Auctor; ideo in fine paginae aliquando notas usibus Ecclesiae gallicanae, legibusque nostris consentaneas apposui; nonnunquam vero ad articulum ipsum Codicis Civilis consulendum lectorem remisi. Faxit Deus ut hoc opere ad majorem Dei gloriam, ipsiusque immaculatae Virginis Mariae laudem suscepto, Pastores ovesque in recto tramite virtutis tuto incedentes ad suum finem ultimum perducantur: amplam vere tunc ex meo labore mercedem retulisse in Domino gaudebo.

(*a*) Post adscriptum nuper *b. Alphonsum* Sanctorum albo, suppetunt praeterea in eamdem rem verba Gregorii XVI felic. recordationis, qui (in Bulla Canonizat. §. 7.) « Illud vero in primis, inquit, notatu dignum est, quod licet » copiosissime scripserit (s. Alphonsus), ejusdem tamen opera inoffenso pror» sus pede percurri a fidelibus posse, post diligens institutum examen per» spectum sit. »

MONITA

S. DOCTORIS, EX SUA PRAEFATIONE EXCERPTA.

Plurimis abhinc annis excogitavi juventuti Sodalitatis nostrae librum de re morali tractantem tradere, qui mediam inter alios aut nimis rigidos, aut nimis benignos viam teneret . . . . Cum plurimos legerim auctores, alios inveni qui plus aequo indulgentes, consuunt pulvillos sub peccatorum capite, ut in peccatis misere conquiescant. Contra vero reperi alios qui ad reprobanda assueti quaecumque extremam rigiditatem non sapiunt, consilia cum praeceptis confundunt, novisque mandatis conscientias aggravant, humanam imbecillitatem nihil pensi habentes, . . et hoc modo jugum Christi Domini, quod est suave, intolerabile reddunt, viamque salutis sic pluribus praecludunt. Propterea in lucem edere deliberavi hoc novum opus, quod inter opiniones nimis severas medium locum teneret.

Ut vero sententias veritati conformiores seligerem, in quacumque quaestione non parum laboris impendi; per plures enim annos quamplurima auctorum classicorum volumina evolvi tam rigidae, quam benignae sententiae. Praesertim autem sedulam operam navavi in doctrinis annotandis *Divi Thomae*, quas in suis fontibus observare curavi. In delectu autem sententiarum ingens cura mihi fuit semper rationem auctoritati praeponere; et priusquam meum ferrem judicium in eo, ni fallor, totus fui, ut in singulis quaestionibus me indifferenter haberem, et ab omni passionis fuligine expoliarem.

Sategi ergo ut plurimum meam exponere sententiam, justum pondus tribuendo majoris vel aequalis vel minoris probabilitatis cuique sententiae prout meae imbecillitati visum fuit, ne ancipitem relinquerem lectorem, more aliquorum qui sententias aliorum tantum referentes, non parum exosos legentibus se praebent. Ubi vero non inveni rationem pro una parte convenientem, non sum ausus oppositam damnare more aliorum, qui nimis facile reprobant opiniones quas plures et graves auctores tuentur.

Caeterum, benigne lector, te admonitum volo, ne existimes opiniones illas me approbare ex eo quod non reprobem; eas enim quandoque fideliter exponam cum suis rationibus et patronis, ut alii pro sua prudentia, cujus ponderis sint, adjudicent. Deinde advertas, quod cum aliquam opinionem *veriorem voco*, tunc contrariam non habeo ut *probabilem*, etsi non expresse ut *improbabilem* damnem. Insuper, quando unam ex sententiis *probabiliorem* appello, nullo judicio dato de *probabilitate* alterius, aut utor hoc verbo *non audeo damnare*, non propterea intelligo eam *probabilem* dicere, sed judicio prudentiorum remittere. Si autem observare vis quodnam systema tenendum ipse censeam circa moralium opinionum electionem, vide *Tract. De Consc. n.* 53.

CONSULTATIO

Eminentissimo ac Reverendissimo DD. Cardinali Poenitentiario Majori.

Eminentissime

Ludovicus-Franciscus-Augustus, Cardinalis de *Rohan-Chabot*, Archiepiscopus Vesontionensis, doctrinae sapientiam et unitatem fovere nititur apud omnes dioecesis suae qui curam gerunt animarum, quorum nonnullis impugnantibus ac prohibentibus Theologiam moralem Sancti *Alphonsi-Maria a Ligorio*, tamquam laxam nimis, periculosam saluti, et sanae Morali contrariam, Sacrae Poenitentiariae oraculum requirit, ac ipsi unus Thologiae Professoris sequentia dubia proponit solvenda.

1°. Utrum sacrae Theologiae Professor, opiniones, quas in sua Theologia morali profitetur beatus *Alphonsus a Ligorio*, sequi tuto possit ac profiteri?

2°. An sit inquietandus Confessarius, qui omnes beati *Alphonsi a Ligorio* sequitur opiniones in praxi Sacri Poenitentiae tribunalis, ac sola ratione quod a sancta Sede Apostolica *nihil in operibus illius censura dignum repertum fuerit?* Confessarius de quo in dubio non legit opera beati Doctoris nisi ad cognoscendum accurate ejus doctrinam, non perpendens momenta rationesve quibus variae nituntur opiniones; sed existimat se tuto agere, eo ipso quod doctrinam, quae *nihil censura dignum* continent, prudenter judicare queat sanam esse, tutam, nec ullatenus Sanctitati Evangelicae contrariam.

DECISIO.

Sacra Poenitentiaria, perpensis expositis, Reverendissimo in Christo Patri S. R. E. Cardinali Archiepiscopo Vesontionensi respondendum censuit:

Ad *primum quaesitum.* Affirmative, quin tamen inde reprehendendi censeantur qui opiniones ab aliis probatis Auctoribus traditas sequuntur.

Ad *secundum quaesitum:* Negative; habita ratione mentis sanctae Sedis circa approbationem scriptorum servorum Dei ad effectum canonizationis.

Datum Romae, in sacra Poenitentiaria, die 5. Julii 1831.

A. F. DE RETZ, *S. P. regens.*
F. Triga, *S. P. Secretarius.*

LETTRE

DE MONSIGNEUR THOMAS GOUSSET, ÉVÊQUE DE PÉRIGUEUX,

A M. L'ABBÉ NEYRAGUET.

Monsieur l'Abbé

J'ai reçu votre *Compendium Theologiæ moralis sancti Alphonsi Mariæ de Ligorio.*

Il était impossible, à mon avis, de rapporter avec plus de précision et d'exactitude que vous ne l'avez fait, toute la doctrine et toutes les opinions renfermées dans le grand ouvrage de ce saint Docteur, dont vous avez su d'ailleurs conserver, autant que possible, le style et les expressions. Votre ouvrage sera donc utile et grandement utile à tous les Prêtres qui sont chargés de l'instruction des peuples et de la direction des consciences.

Agréez, M. l'Abbé, l'assurance de mes sentiments respecteux.

Le 5. Juin 1839. † THOMAS, *Évêque de Périgueux*

LETTRE

DE M. L'ABBÉ ***, PROFESSEUR DE MORALE

A L'ABBÉ NEYRAGUET.

Monsieur l'Abbé

J'ai l'honneur et la consolation tout à la fois de vous annoncer que la révision de votre ouvrage est finie. Je l'ai vu tout entier et dans tous les détails en le comparant dans tous les points avec la doctrine du saint Auteur.

Je suis enchanté, monsieur l'Abbé, de pouvoir vous exprimer ma satisfaction : j'ai été content, et bien content du *Compendium ;* je puis vous assurer que je n'y ai trouvé aucune dissonnance tant soit peu grave avec la Théologie de saint Ligori.

Je vous félicite, en ami et sans compliment, d'avoir si bien rendu la doctrine de notre grand Auteur, et de l'avoir renfermée presque tout entière dans un cadre aussi resserré. Vous pouvez présenter avec confiance votre travail au public ; je ne doute pas qu'il soit favorablement accueilli lorsqu'il sera connu.

Agréez les sentiments du plus profond respect, avec les quels j'ai l'honneur d'être.

Monsieur l'Abbé,

Votre très-humble serviteur

Le 7. Jun. 1839. ***

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

COMPENDIUM

THEOLOGIAE MORALIS

TRACTATUS I.

DE ACTIBUS HUMANIS IN GENERE.

Mens mihi non est, benevole lector, scribens de Morali Theologia, quae tota ad praxim est dirigenda, tractatum de actibus humanis tibi exhibere scholasticis quaestionibus refertum; sed potius tuae, animarumque saluti consulere cupiens, ea tantum seligere cogito, quae in hac materia magis utilia, quaeque scitu necessaria ad praxim existimantur. Hanc igitur maximam adhibui diligentiam, ut doctrinas seligerem, quibus prodesse, non obesse valeam animarum profectui. Hinc est quod non recedendum puto a sacra doctoris angelici doctrina, ubi haberi potest; ipso enim duce, in rebus theologicis inoffenso pede ambulatur; igitur:

De natura, ac multiplici actuum humanorum divisione. De voluntario et involuntario. De libero. De bonitate et malitia actuum humanorum, ac de principiis moralitatis. De indifferentia actuum humanorum.

CAPUT I.

DE NATURA, AC MULTIPLICI ACTUUM HUMANORUM DIVISIONE.

Actus humanus strictissima acceptione sumptus definiri potest: *Actus deliberate procedens ab hominis voluntate.*

« Etenim illae solae actiones vocantur proprie humanae, *inquit S. Thomas*, quarum homo dominus est: est autem dominus suorum actuum per rationem et voluntatem. Illae ergo actiones proprie humanae dicuntur, quae ex voluntate deliberata procedunt. » Ut enim actio sit humana et moralis, necesse est ut intelligatur, et ut libere agatur: alterum ubi deest vel propter ignorantiam involuntariam, vel propter coactionem, potius mechanica, quam moralis dicenda est. - 1.

Hinc *infertur*, actiones omnes, quae non procedunt a voluntate hominis deliberata, communiter appellari actiones hominis, non humanas. - 2.

Actus humani multipliceter dividuntur. Alii enim dicuntur actus Eliciti, alii Imperati. Ex his quidam dicuntur Boni, quidam vero Mali. Ex Bonis, alii sunt naturales, alii Supernaturales. Ex Supernaturalibus vero, alii sunt Meritorii de condigno, alii de congruo. Tandem, alii actus humani sunt interiores, alii vero Exteriores. De quibus sigillatim. - 3.

Actus humanus dicitur *elicitus*, qui immediate a voluntate procedit: cujusmodi est amor et odium.

Dicitur *imperatus* ille actus, qui ab ipsa voluntate proficiscitur mediate, ut ambulare, loqui, scribere, etc., quae procedunt a voluntate imperante alias potentias nempe motrices, ad hujusmodi actus eliciendos. Hi actus sive eliciti, sive imperati, eo ipso quod libere procedant a voluntate, dicuntur actus morales, seu boni vel mali.

Ii dicuntur *boni*, qui sunt consentanei ad rectam rationem. Qui vero dissentanei, appellantur *mali*.

Actus boni *naturales* sunt, qui solis naturae viribus fieri possunt. *Supernaturales* vero non nisi auxilio gratiae elici possunt; ut actus Fidei, Spei, Amoris etc.

Meritorii de *condigno* sunt, quibus ex justitia merces debetur. De *congruo* vero sunt ii, qui tantum ex decentia mercedem merentur.

Postremo actus *interiores* nullo sensibili signo patefiunt: *Exteriores* vero patent exterius. - 4.

His praenotatis, dicendum nunc est de principiis intrinsecis Actuum humanorum.

Tria sunt haec principia, nempe Intellectus, Voluntas, et Libertas.

Intellectus influit in actionem moralem per conscientiam, sive cognitionem actionis et legis. Ideoque in tractatu de Conscientia, plura de intellectu dicuntur. Nunc dicendum de Voluntario et Involuntario, deinde de Libero, quae sunt Actuum humanorum potiora principia. - 5.

CAPUT II.

DE VOLUNTARIO ET INVOLUNTARIO.

De Natura et Divisione Voluntarii et Involuntarii. - De Oppositis Voluntario, seu de Causis Involuntarii.

ARTICULUS I.

De natura et divisione voluntarii et involuntarii.

§. 1. *De natura et divisione voluntarii.*

Praenotandum, quod hoc vocabulum *Voluntarium*, aliquando accipitur in eodem sensu ac *Spontaneum*, quod nempe fit sponte et ex voluntatis inclinatione, nullo cogente praecepto, vel metu, vi, aut dolo. Sed revera, aliud est Voluntarium, aliud vero Spontaneum. Etenim omne Voluntarium est Spontaneum, sed non e contrario omne Spontaneum est Voluntarium.

Aliquando accipitur Voluntarium pro Libero: quamquam non omne Voluntarium sit Liberum, licet omne Liberum sit Voluntarium.

Tandem accipitur in hoc alio sensu, in quo a nobis definitur et disseritur. - 6.

Voluntarium sic definiri potest: *Actus procedens a principio intrinseco, seu a voluntate cum cognitione finis.* Ita *S. Thom.*

Duo ergo sunt necessaria ad constituendam rationem Voluntarii, nempe quod sit et a principio intrinseco, et cum aliqua cognitione finis. - 7.

Hinc *infertur* 1. Quod illae actiones, quae fiunt a principio tantum extrinseco, ut sunt quae vi et coacte fiunt, non dicuntur voluntariae.

2. Similiter quod omnes actiones, quae quidem procedunt a principio intrinseco, sed sine ulla cognitione intellectus, neque voluntariae dici possunt.

3. Quod ad hoc, ut aliqua actio dicatur tota voluntaria, necesse est, ut cognoscatur secundum omnes sui partes et circumstantias, quarum aliqua si ignoretur, actio non dicitur voluntaria quoad illam circumstantiam ignoratam.

4. Quod ubi nulla est advertentia, nullum est voluntarium et peccatum; ut accidit in actionibus dormientium, quae sunt simpliciter involuntariae. Ubi vero est semiplena advertentia, ibi est semivoluntarium, et dumtaxat veniale peccatum, ut contingit semidormientibus. - 8.

Voluntarium multipliciter dividitur a Theologis. 1. in voluntarium *simpliciter*, et voluntarium *secundum quid*. Illud procedit ex plena voluntatis inclinatione sine ulla repugnantia. Hoc vero procedit quidem ex voluntatis consensu, sed cum repugnantia. Hujusmodi est projectio mercium in mare facta metu naufragii.

Dividitur 2. in *liberum* seu contingens, et in *necessarium*. Prius fit a voluntate quae operatur cum indifferentia ad volendum et nolendum. Talis est amor Viatoris in Deum. Posterius a voluntate determinata ad unum, ut est amor Beatorum in patria.

Gonet. docet, contra *Vasq.*, quod ratio Voluntarii perfectius reperitur in actibus necessariis, quam liberis. Ratio est quia quo major est amor, eo majus est voluntarium, id est, major voluntatis propensio, et major cognitio intellectus. Talis est amor necessarius Dei erga seipsum, vel amor Beatorum, quo toto conatu feruntur in Deum.

Dividitur 3. In Voluntarium *in se* seu expressum, et *in causa*, et implicitum seu virtuale.

Voluntarium *in se*, illud dicitur, quod est volitum in se ipso, et immediate; ut, cum quis aliquid furatur, quia habet in se voluntatem furandi.

Voluntarium vero *in causa*, est volitum non in se, sed in alio, quod apprehenditur saltem confuse, uti causa alicujus effectus. Hoc modo dicitur voluntaria hominis occisio, patrata ab eo, qui se voluntarie inebriavit, praevidens saltem in confuso hujusmodi occisionem.

Dividitur 4. In Voluntarium *directum*, et *indirectum*. Illud directe immediate procedit a voluntate tanquam a causa efficienti. Hoc vero, licet non procedat a voluntate immediate, ab ea tamen mediate dependet. Sed nemo non videt hanc quartam Voluntarii divisionem, facile ad tertiam posse redire. - 9.

Hic advertere oportet, quod, ut aliquis effectus, sequens suam causam jam voluntarie positam, dicatur et ipse voluntarius indirecte *in causa*, ut supra diximus, simulque imputetur ad meritum vel demeritum, tria concurrere debent. 1. Quod agens, ponendo causam, advertat saltem in confuso, hujusmodi effectum fore ex illa causa secuturum. 2. Quod possit impedire talem effectum causam tollendo. 3. Quod teneatur tollere, vel illam non ponere. Ita *S. Thom.* - 10.

Eadem ratione dicendum est, quod nempe omissio, ut sit voluntaria et culpabilis, tria requirantur. 1. Quod quis potuerit agere. 2. Quod debuerit. 3. Quod non egerit. Ita *Sylv.* Ex *S. Thom.* - 11.

§. II. *De natura et divisione involuntarii.*

Ex definitione Voluntarii supra tradita, facile colligitur in quo posita sit natura involuntarii. Si igitur voluntarium exigit 1. Quod sit a principio intrinseco. 2. Quod sit cum cognitione finis, ut diximus n. 7; necesse est, ut oppositum ejus, nempe involuntarium, fiat vel a principio extrinseco contra propensionem voluntatis, ut accidit agenti ex vi vel metu; vel fiat sine cognitione intellectus, quae aut tollitur, aut saltem ligatur, ut accidit operanti ex ignorantia vel passione. Ita communiter DD. - 12.

Multiplex est involuntarium. Aliud dicitur involuntarium *privative*, quando solum deest actus volendi id quod potest velle. Aliud dicitur involuntarium *positive* et *contrarie*, quando, scilicet, aliquid non solum non est volitum, sed positive nolitum, ut repugnans suae voluntati.

Rursum involuntarium *contrarie*, aliud est *simpliciter*, et aliud *secundum quid*.

Prius est illud quod ita displicet voluntati, ut nullo modo, nullaque ratione id velit.

Posterius vero illud dicitur quod licet sub aliquo respectu displiceat voluntati, sub alia tamen ratione ei magis placet, et acceptatur. Talis est projectio mercium in mare facta metu naufragii. - 13.

Ex superius dictis, plura colligimus ad praxim.

1. Qui summo mane diei festi se inebriavit, non praevidens ex eo secuturam Missae omissionem, non peccat propter illam omissionem Sacri, Rationem attulimus n. 10. ubi statuimus quod eventus sequens non imputatur, nisi praevideatur in se vel in causa.

2. Si causa quae ponitur, natura sua inducens talem effectum malum, attamen necessario ponenda est, tunc effectus malus, licet praevisus, non tamen volitus et intentus, nullo modo est imputabilis, si aliquam praecautionem operans adhibuerit. Sic non imputatur chirurgo pollutio, quam praevidit sibi secuturam ex tactu necessario mulieris in partibus verendis, dummodo eam non intenderit. Ratio, quia tunc non tenetur causam illam tollere vel non ponere; et qui utitur jure suo non dicitur causa effectus non intenti et per accidens secuti, imo in tali casu videtur magis pati, quam agere.

3. A fortiori, non imputatur effectus sequens ex causa alias honesta et licita, ut pollutio, quae oritur ex equitatione vel cibo et potu moderato; tunc enim effectus non intentus est per accidens, et secundum *S. Thom.* non est imputabilis. - 14.

ARTICULUS II.

De oppositis voluntario, seu de causis involuntarii, nempe de Violentia, Metu, Concupiscentia et Ignorantia.

§. 1. *De violentia.*

Violentum definitur: *id quod est a principio extrinseco, repugnante eo qui vim patitur.* Ita communiter DD.

Hinc *infertur*, quod ad naturam Violenti duo requirantur: 1. Quod sit a principio extrinseco. 2. Quod patiens resistat pro viribus, etiam positive et contrarie, agenti extrinseco. Non enim sufficit, quod negative se gerat: alioquin justificatio parvulorum esset violenta. - 15.

Violentia, alia est quae dicitur *simpliciter* et *absoluta*, alia *secundum quid*. Prima est quando quis, omni quo potest modo, restitit. Altera est cum pro viribus non resistit. - 16.

Dico 1. Violentia *absoluta* et *simpliciter* dicta causat involuntarium. - 17.

Dico 2. Violentia *secundum quid*, non tollit, sed dumtaxat minuit voluntarium. - 18.

Quaeritur utrum voluntati possit inferri violentia?

R. Breviter, concedendo quoad actus imperatos, negando quoad actus elicitos. Ita *S. Thom.* - 19.

§. II. *De Metu.*

Metus definitur: *instanti vel futuri periculi causa mentis trepidatio.*

Nota. Loquimur hic tantum de metu cadente in virum constantem.

Dividitur metus in gravem et levem.

Dicitur *levis* metus, ille qui leve malum timet, vel timet quidem malum grave, sed ex causa levi et improbabili.

Metus vero *gravis* dicitur ille qui timet malum grave ex causa valde probabili.

Communiter censentur mala gravia, mors, mutilatio membrorum, enormia verbera, durus carcer, exilium, servitus, magna infamia, proscriptio bonorum, oblatio instrumentorum artis suae, sine quibus non potest quis victum sibi laborando acquirere.

In caeteris, pensanda est gravitas vel levitas metus, praesertim ob diversam indolem et personarum qualitatem; pueros enim, et mulieres vehementer concutit, quod viros ne leviter quidem tangit.

Hic loquimur de eo qui agit ex metu tanquam causa unice movente ad agendum, non autem de eo qui agit cum

metu concomitante, qui certe non tollit Voluntarium. - 20.

Dico : metus non causat involuntarium *simpliciter*, sed tantum *secundum quid*. Quod idem est ac dicere, quod quae fiunt per metum, sive levem sive gravem sunt *simpliciter* voluntaria, involuntaria tantum *secundum quid*. - 21.

Ex dictis plura colliguntur ad praxim.

1. Contractus, qui fiunt ex metu gravi, de jure naturali sunt validi, quia sunt *simpliciter* voluntarii.

2. Contractus hujusmodi per metum injuste iucussum, rescindi possunt, et in irritum revocari ab eo qui passus est injuriam.

3. De jure tamen positivo plurimi contractus facti per metum gravem injuste incussum, sunt invalidi et irriti per Ecclesiam, aut per legem civilem, justis de causis. Hujusmodi sunt contractus matrimoniales, facti per metum gravem injuste incussum, etiam juramento firmati. Idem dotis promissiones, et solutiones similiter extortae. Vota, et solemnes votorum professiones per metum factae. Absolutio excommunicationis, suspensionis, aut interdicti, per vim et metum extorta. - 22.

§. III. *De Concupiscentia.*

Nomine *concupiscentiae* in praesenti intelligimus quemdam motum appetitus sensitivi, adversus spiritum rebellantis, qui tendit in bonum delectabile.

Duplex est, antecedens et consequens consensum voluntatis.

Concupiscentia *antecedens* antevertit consensum voluntatis, eamque trahit et inclinat ad agendum, ut, cum quis videns pulcherrimam mulierem, allicitur concupiscentia ad illam desiderandam.

Concupiscentia *consequens* sequitur consensum voluntatis ; imo oritur ex praevio voluntatis consensu alicui rei jam praestito, ut cum v. gr. homo ardenter desiderat aliquid, excitatur in eo vehemens passio concupiscentiae.

Certissimum nunc est concupiscentiam *consequentem* supponere Voluntarium magis intensum ; neque diminuere, sed magis augere Voluntarium et peccatum.

Circa vero *antecedentem* concupiscentiam, has statuimus conclusiones. - 23.

Conclusio 1. Concupiscentia *antecedens* non tollit Voluntarium, sed potius facit aliquid Voluntarium, et auget ratione majoris propensionis. - 24.

Conclusio 2. Concupiscentia *antecedens* minuit Voluntarium ratione cognitionis ; imo aliquando tollit omnino Voluntarium, quia aufert omnem cognitionem.

Probatur *prima pars ;* quia cognitio finis est essentialiter requisita ad naturam Voluntarii, ut pluries dictum est. Contra vero concupiscentia vehemens minuit hanc cognitionem ; impedit enim ne mens illecta ab objecto sensibili consideret turpitudinem actus et offensam Dei. Hac igitur ratione minuit Voluntarium pro immutatione cognitionis finis. Ita *S. Thomas.*

Probatur *secunda pars*, quod aliquando concupiscentia *antecedens* tollat omnino Voluntarium ; quia aliquando omne rationis judicium antevertit, et omnem voluntatis consensum. Ita *S. Thomas.*

Hinc colligimus, quod motus concupiscentiae, qui a Theologis dicuntur *primo primi*, quippe omnes prorsus voluntatis consensum, et libertatem antevertunt, sunt omnino involuntarii et inculpabiles. Motus vero *secundo primi*, qui saltem supponunt semiplenum consensum voluntatis, non tollunt omnino Voluntarium, sed tamen minuunt. - 25.

§. IV. *De Ignorantia.*

Ignorantia multiplex est, et dividi

solet 1. in ignorantiam *simplicis privationis*, et ignorantiam *pravae dispositionis*. Prior est carentia scientiae, cujus quis fuisset capax pro tali tempore et statu; ut si adultus ignoret ea quae noscere potuisset. Posterior est positiva deceptio, et error contrarius veritati.

2. Dividitur in ignorantiam *juris*, et *facti*. Ignorantia *juris* est, cum quis legem seu aliquid esse praeceptum aut prohibitum ignorat; v. g. si quis ignorat in vigilia Pentecostes esse praeceptum jejunium ex consuetudine. Ignorantia *facti* est, si quis nesciat factum ipsum esse prohibitum, quod revera non licet; ut si quis ignoret esse carnem quam comedit die jejunii.

5. Dividitur in *antecedentem*, *concomitantem* et *consequentem*.

Ignorantia *antecedens* est illa, quae omnino antecedit consensum voluntatis, ita ut nullo modo sit voluntaria, et tamen est causa volendi id, quod alias quis non vellet si sciret; puta cum aliquis, adhibita diligentia, interficit hominem, quem credit esse feram. Haec ignorantia appellatur etiam *invincibilis*.

De hac tamen ignorantia *invincibili*, sicut de ignorantia *vincibili* hic non loquimur, quia de his sermonem faciemus in *Tract. de conscientia* n.7. - 26.

Ignorantia *concomitans* est illa, quae quis ignorat id quod agit, sed adhuc ageret, si non ignoraret. Talis est ignorantia illius qui ignorans occidit hostem, putans occidere cervum; attamen, si sciret, etiam occideret. Haec ignorantia non est causa actionis, sed tantum per accidens actionem comitatur.

Ignorantia *consequens* dicitur illa, quae sequitur determinationem voluntatis, in quantum ipsa ignorantia est voluntaria, et procedit a libera voluntate.

Haec ignorantia *consequens* dividitur in voluntariam *directe*, seu *affectatam*, in voluntariam *indirecte* seu *crassam*, et ignorantiam *malae electionis*.

Prima est illa, qua voluntas indirecte vult ipsam ignorantiam; ut cum aliquis vult ignorare, vel ut excusationem peccati jam commissi habeat, vel ut non retrahatur a peccato committendo; juxta illud Job. 21. *Scientiam viarum tuarum nolumus*, et Psal. 35. *Noluit intelligere, ut bene ageret*. Hac ignorantia laborant ii qui, data opera, nec consilium petunt in dubiis, nec conciones et catecheses adeunt, ne in malam fidem incidant, et a suo proposito deterreantur.

Ignorantia *indirecte voluntaria* seu *crassa* est, quando quis non affectat ignorare, sed negligit addiscere ea quae scire potest et debet. Et secundum hunc modum, ignorantia universalium juris, quae quis scire tenetur, dicitur *voluntaria*, quasi proveniens a negligentia.

Tandem ignorantia *malae electionis* est illa, quae actu non considerat, quod hic et nunc considerare potest et debet, et provenit ex passione vel ex habitu.

Dico 1. Ignorantia *antecedens* causat *simpliciter* invaluntarium, quia nullo modo est volita, et est vere *invincibilis*, quod nulla morali diligentia superari potest, ideoque est inculpabilis Ita DD. communiter. - 26.

Utrum vero dari possit ignorantia hujus modi *invincibilis* de praeceptis juris naturalis, saltem de conclusionibus mediatis, vide *Tract. de conscientia*, n. 8. - 27.

Dico 2. Ignorantia *concomitans* neque facit voluntarium, neque involuntarium; quia haec ignorantia, neque inducit ad volendum, neque ad non volendum, neque est causa, neque effectus voluntatis operantis; sed per accidens se habet sive ad actum voluntatis, sive ad opus quod agitur. So-

lum dici potest quod facit *non voluntarium*; non enim esse potest actu volitum quod ignoratum est. - 28.

Dico 3. Ignorantia *consequens* non causat involuntarium *simpliciter;* quia haec ignorantia est voluntaria, et habet voluntatem pro causa; non igitur dici potest involuntaria *simpliciter*, sed saltem causat involuntarium *secundum quid*. Nam, si operans sciret esse malum actum illum, ad quem ex passione inducitur, certe non vellet illum facere. - 29.

CAPUT III.

DE LIBERO, SEU DE LIBERTATE ACTUUM HUMANORUM.

Actum liberum vocamus eum vel qui nullo cogente fit, vel qui omitti potest ad libitum.

Duplicem enim libertatem distinguere solent Theologi in actibus humanis, nempe libertatem a *coactione*, seu *spontaneitatis*, et libertatem *a necessitate intrinseca* seu *naturali*, quae vocatur etiam *electionis, indifferentiae* et *arbitrii*.

Libertas *a coactione* est immunitas ab omni violentia contra voluntatis inclinationem illata. Hac libertate beati Deum amant, et nos bonum in communi. Hinc est quod omnis actus voluntatis est liber a coactione.

Libertas vero a *necessitate*, est ea quae omnem necessitatem excludit, sive interiorem et naturae, sive exteriorem et coactionis. Hoc modo dicitur liber, qui potest agere et non agere, eligere vel non eligere. Hinc definitur liberum arbitrium: *vis electiva seu facultas eligendi unum prae alio*.

Libertas a *necessitate* subdividitur in libertatem *contradictionis*, qua quis potest agere vel non agere: in libertatem *contrarietatis*, qua nempe potest agere, vel oppositum agere, v. g. amare et odio habere: et in libertatem *disparitatis*, qua agere potest hoc vel aliud, sed non oppositum, v. gr. scribere vel ambulare. - 30.

Libertati opponitur Necessitas, quae multiplex est. Alia dicitur necessitas *coactionis*, quae idem est ac violentia. Alia necessitas *naturae* seu *naturalis inclinationis*, quae consistit in quadam propensione insita voluntati ab ipsa natura, ad aliquid necessario prosequendum vel fugiendum.

Coactio est a principio extrinseco, et tollit voluntarium, ac liberum. *Necessitas* vero *naturalis* est a principio intrinseco, et aufert liberum, non autem voluntarium.

Rursus alia est necessitas *absoluta* et *antecedens*, quae vel antecedit usum rationis et voluntatis, vel ita consensum exprimit, ut voluntas non possit illum denegare.

Alia est necessitas *congruens* et *hypothetica*, quae sequitur consensum liberum, et determinationem voluntatis, et minime laedit liberum arbitrium, v. g. necesse est me loqui, si jam ad loquendum me determinaverim.

Sunt et aliae necessitatis divisiones, nempe, *specificationis* et *exercitii*, *physicae et moralis*, quarum subtilem inquisitionem ad Theologos scholasticos amandamus. - 31.

Tres tantummodo hic subnectimus propositiones ad libertatis materiam pertinentes, quas ignorare Religio christiana vetat.

Prima est, quod homo, etiam post Adae lapsum, gaudeat libero arbitrio, seu libertate *indifferentiae* et *electionis*. Ita *Tridentinum* contra *Novatores*.

Secunda est contra *Jansenium*, definita ab *Innoc. X.* et *Alex. VII.* quod ad meritum vel demeritum in statu naturae lapsae non sufficiat libertas a *coactione*, sed requiratur libertas a *necessitate*, seu *indifferentiae*, ut supra.

Tertia est, quod essentia libertatis in genere, non consistat in solo Voluntario, sed requiritur de essentia illius indifferentia contradictionis, seu potestas ad agendum vel non agendum. *S. Thom.* Non requiritur autem de essentia libertatis indifferentia *contrarietatis*, id est, potestas faciendi bonum vel malum. *S. Augst.* - 33.

CAPUT IV.

DE BONITATE ET MALITIA ACTUUM HUMANORUM, AC DE PRINCIPIIS MORALITATIS.

ARTICULUS I.

De bonitate et malitia actuum humanorum.

Bonitas moralis actus humani consistit in quadam conformitate et convenientia actus liberi cum recta ratione et lege, ita ut ille actus dicatur bonus qui est conformis legi et rationi. Ita communiter DD.

Ex adverso, malitia moralis actus humani consistit in discrepantia seu difformitate a recta ratione. Dicitur malus actus ille qui non est secundum dictamen rectae rationis sive increatae, quae est lex aeterna, sive creatae, quod est lumen naturale hominis, seu participatio legis aeternae. *S. Thom.*

Utraque haec ratio est regula actuum homanorum, ex qua mensura bonitatis, vel malitiae actus humani desumitur. - 34.

Hinc *infertur* 1. quod nullum bonum morale, nullum malum intelligi potest, sine respectu ad legem saltem naturalem.

2. Quod libertas est necessario requisita ad moralitatem actus; nam actus humanus ut moralis debet procedere a ratione deliberata, proindeque debet esse liber. Ita *S. Thom.*

Sed errant qui constituunt totam moralitatem actus humani in sola libertate. Verum est quod praeexigitur libertas uti fundamentum moralitatis, sed falsum est solam libertatem formaliter constituere bonitatem vel malitiam actus humani sine relatione convenientiae vel disconvenientiae actus cum recta ratione et lege. - 35.

ARTICULUS II.

De principiis moralitatis.

Theologi vocant principia Moralitatis ea, ex quibus fit, ut aliqua actio sit bona, vel mala, vel indifferens.

Tria recensentur hujusmodi principia, nempe *Objectum*, *Finis et Circumstantiae*.

Ut enim actio dicatur bona ex integra causa, oportet ut sit consentanea legi et rectae rationi, tum ex parte *objecti*, tum ex parte *finis extrinseci* operantis, tum etiam ex parte *circumstantiarum*.

Objectum a quo actus accipit essentialem et primariam moralitatem, est illud circa quod versatur actus moralis, et primo et per se attingitur ab ipso actu: sic res aliena est objectum furti; Deus est objectum actus amoris.

Tale objectum non consideratur physice et secundum suam entitatem, secundum quam est semper bonum bonitate entis, sed consideratur moraliter, quatenus convenit vel disconvenit rectae rationi.

Si objectum est intrinsece, et natura sua conforme rectae rationi, ut est amor Dei, erit immutabiliter bonum. Sin extrinsece tantum, et vi legis positivae est rationi conforme, uti jejunium, tunc potest esse aliquando bonum, aliquando vero malum ex circumstantiis. - 36.

Primum ergo principium Moralitatis est *objectum*, quod si est bonum, vel malum moraliter, dat actui bonitatem vel malitiam essentialem. Ita *S. Thom.* Ratio, quia sicut in naturalibus prima bonitas rei attenditur ex

sua forma, quae dat ipsi rei speciem, seu essentiale et specificum, ita prima bonitas actus humani attenditur ex objecto convenienti, in quod primario fertur. Si objectum sit indecens et inconveniens naturae rationali, ex eo consurgit malitia essentialis actus.

Alii volentes strictiori loquendi formula uti, dicunt actum humanum desumere suam moralitatem non ab ipso objecto, sed a modo tendendi in objectum, sive rationi consono, sive dissono. Et hoc modo explicant odium Dei, quod habet objectum optimum, et tamen est moraliter pessimum, quia voluntas fertur in Deum omni amore prosequendum, modo rationi maxime dissono, scilicet odio habendo. - 37.

Secundum principium moralitatis est *finis* non intrinsecus operis, quod coincidit cum objecto, sed extrinsecus operantis, qui quatenus conveniat vel disconveniat cum regulis morum dicitur bonus vel malus moraliter.

Hinc si objectum sit bonum, finis vero operantis sit malus, actus humanus est totus malus ex malitia finis, quae destruit omnem bonitatem. Ratio est, quia talis actus est simpliciter malus: improbat enim recta ratio, ut eligatur bonum ob finem pravum. Ita *S. Thom.*

Si vero objectum est bonum, et finis etiam bonus, tunc actus humanus habet duplicem speciem bonitatis moralis, ut est dare eleemosynam in satisfactionem peccatorum. *S. Thom.* cum *communi.*

Si vero objectum sit indifferens, tunc finis bonus facit actum moraliter bonum, ut est ambulare ex obedientia: finis malus facit malum, ut ambulare ad ostentationem luxus. Finis malus facit actum ex malo pejorem, ut furari ad concubinam alendam; et facit ex bono malum, ut eleemosynam dare ad vanam gloriam. - 38.

Tertium moralitatis principium sunt *circumstantiae*, quae dare solent actui aliam bonitatem vel malitiam accidentalem, quia hujusmodi bonitas vel malitia supervenit actui jam constituto in suo esse in genere moris Ita *S. Thomas* cum *communi.*

Circumstantiae autem sunt, vel *personae* quae saepe addit novam speciem malitiae, ut si conjugatus vel voto castitatis obstrictus fornicetur; et aliquando solum auget malitiam intra eamdem speciem. Hoc intelligitur tam de persona agente, quam de patiente, ut si percuntiantur benefactores.

Vel circumstantia est *loci*, ut furari in loco sacro, quae speciem mutat; et sic de aliis circumstantiis, *temporis, modi, auxiliorum*, seu instrumentorum quibus actus exequitur, quae ut de aliis diximus, possunt vel mutare, vel augere malitiam rei notabiliter vel leviter intra eamdem speciem.

Nota. Quod circumstantia leviter mala adveniens actui non aufert totam ejus bonitatem, nec delet omne meritum; ita *communiter etc.* - 39.

Quaeritur an actus externus addat aliquam bonitatem vel malitiam moralem actui interno?

R. *S. Thomas, etc.* docent quod actus exterior non addit bonitatem vel malitiam moralem intrinsecam et per se supra actum interiorem, sed gaudet tantum bonitate vel malitia intrinseca desumpta ab actu voluntatis imperante. Adjungit tamen, ait *S. Thom.*, aliquod praemium accidentale. Ut martyres qui revera pro Christo patiuntur, habent praemium accidentale, seu laureolam supra illos qui aequalis charitatis fervore mortem solummodo appetunt pro Christo.

Dixi, quod actus externus non addit bonitatem vel malitiam moralem *intrinsecam et per se* supra interiorem; *per accidens* enim addit, regulariter loquendo, aliquam bonita-

tem vel malitiam accidentalem. Nam actus externus saepe causa est et occasio ut actus internus fiat pejor, vel quia multiplicantur actus interiores, donec exequantur actus extrinsece; vel quia actus interior habet majorem durationem quousque perficiat opus quod statim perfici non potest; vel quia fit interior per actum externum.

Praeterea per actum externum magis hebetantur sensus, et potentiae exteriores proniores redduntur ad malum, scandala pariuntur; aliquando excommunicatio incurritur, vel irregularitas, vel obligatio ad restitutionem, quae per actum interiorem non incurruntur. - 40.

CAPUT V.

DE INDIFFERENTIA ACTUUM HUMANORUM.

Actus humanus de quo solo hic loquimur, dicitur indifferens vel in *specie* vel in *individuo*.

Actus indifferens in *specie*, est actus spectatus in genere, abstrahendo a fine et circumstantiis individualibus, comparate tantum ad objectum suum, quod neque est in se bonum scilicet rationi consonum, neque malum, id est, dissonum rationi, sed indifferens ad utrumque, ut ambulare, festucam levare, etc., quae ex sua specie seu objecto, neque bona sunt, neque mala, sed ratione finis, aliarumque circumstantiarum honestari possunt vel vitiari.

Actus vero indifferens *in individuo*, est actus consideratus prout est a parte rei secundum suum objectum, finem, et omnes circumstantias individuales, qui tamen neque bonus sit neque malus, sed indifferens. - 41.

His positis, *dico* 1. De fide certum est, non omnes actus humanos esse secundum suam speciem, seu objectum indifferens: sed quosdam esse de se bonos, ut actus Fidei, Spei et Charitatis, etc.; quosdam vero de se malos, ut fornicatio, occisio innocentis etc., sunt enim quaedam objecta de se rationi consona; sunt etiam alia de se rationi dissona. - 42.

Dico 2. Certum quoque est dari quosdam actus, qui secundum suam speciem sunt indifferentes, quia secundum se, neque sunt boni, neque mali. - 43.

Dico 3. Non dantur actus indifferentes in individuo. Ita *S. Thom., Bellarm., Suar. etc.* Nam homo tenetur omnes actus suos ad Deum referre, quando agit cum deliberatione, et propter aliquem finem. Inquit enim Apostolus. 1. *ad Cor.* 10. *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliquid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Si ergo homo ad Deum refert saltem per intentionem virtualem, actus erit bonus; si non refert, erit malus: nullus igitur indifferens.

Scio adversarios dicere, in verbis Apostoli contineri consilium, non praeceptum; sed falso. Patres enim agnoverunt praeceptum non consilium. Ita *Augustinus, etc. etc.*

Hinc pro praxi colligimus: oportet saepius in die, saltem mane, generaliter offerre Deo omnes actus suos, ut sic adimpleatur praeceptum Apostoli, saltem intentione virtuali omnia faciendi in gloriam Dei.

Hoc modo omnis actus etiam indifferens in specie fit bonus et virtuosus in individuo. Non requiritur quippe actualis relatio omnium sive verborum sive operum in bonum honestum; quod esset importabile pondus, et res innumeris scrupulis implexa; sed sufficit virtualis, ut diximus - 44.

Hactenus de actibus humanis, de eorumque principiis et moralitate.

TRACTATUS II.

DE CONSCIENTIA

Seu de proxima et interna regula actuum humanorum.

Conscientia definitur *judicium* seu *dictamen practicum rationis, quo judicamus quod hinc et nunc est agendum ut bonum, aut vitandum ut malum.* - 2.

Dividitur autem conscientia in rectam, erroneam, perplexam, scrupulosam, dubiam et probabilem.

CAPUT I.

DE CONSCIENTIA RECTA ET ERRONEA.

I. Conscentia *recta* est ea quae dictat verum; peccat ideo qui contra eam operatur, cum dicat Apostolus, *Rom.* 4. *Omne quod non est ex fide* (nempe ex dictamine Conscientiae) *peccatum est.*

II. Conscientia *erronea* est ea quae dictat *falsum*, tamquam verum.

Haec autem alia est vincibilis, alia invincibilis. *Vincibilis* est ea, quae, cum debeat et possit vinci ab operante, vel quia errorem jam advertit, vel saltem dubitat de errore, advertitque simul ad obligationem illum vincendi, attamen negligit illum vincere. Ita *S. Anton., Suares., Sylv.* et alii *communissime* ex *S. Thoma.*

Notant autem *Salmaticenses* non esse opus, ut diligentia adhibenda ad vincendum errorem sit maxima, sed sufficere ut sit communis et ordinaria.

Ignorantia *invincibilis* est, quae moraliter vinci nequit, cum nulla cogitatio, nec dubium erroris veniat in mentem operantis, nec etiam in confuso, dum operatur, vel cum actionis causam ponit, prout latius explicabitur in *Tract. de Peccatis*, ubi agitur de Advertentia ad peccatum requisita. - 3.

Hinc *dicimus* 1. Qui conscientiam vincibiliter erroneam habet, semper peccat, sive juxta eam, sive contra eam operatur. Peccat enim agendo contra eam, eligendo malum quod judicat esse malum: peccat vero juxta eam agendo, quia, cum errorem debeat et vincere possit, illum non deponendo, temere operatur. - 4.

2. Qui conscientiam invincibiliter erroneam habet, non solum non peccat juxta eam operando, sed etiam aliquando tenetur illam sequi. Ratio utriusque est: Non peccat, quia licet in se actio recta non sit, recta est, tamen juxta conscientiam operantis; tenetur autem juxta eam aliquando operari, si conscientia quae est regula proxima, sic ei suggerit agendum. - 5.

3. Non solum autem qui operatur cum conscientia invincibiliter erronea, non peccat, sed etiam *probabilius* acquirit meritum. Ita *communissime* - 5.

Quaeritur 1. An dari possit conscientia invincibiliter erronea circa praecepta juris naturae?

R. Hic breviter, quod potest dari circa conclusiones mediatas et remotas a primis principiis, non vero circa conclusiones immediatas et proximas (*a*). Est *communis sententia*, quae fuse probatur auctoritate praesertim *S. Tho.* Vide in Oper. *Tract de Legibus*, n. 170. - 8.

Quaeritur 2. An dari possit conscientia invincibiliter erronea in eo, qui putat opera tantum esse peccatum, non autem peccandi desiderium?

R. *Affirmant* id ut *probabilius Sanchez* et *Cardenas*. Hanc tamen opi-

(*a*) *Nisi in rudibus, et ad Breve tempus, vel nisi addita aliqua circumstantia apparenter cohonestante. - II. n.* 5.

nionem nunquam *probabilem* censere potui ; nunquam enim intelligere valui, quomodo qui vult deliberate actionem exercere, qua scit Deum offendi, possit inculpabiliter credere Deum non offendere ; dum efficaciter cupit illam exequi, qua certe agnoscit averti a Deo. - 9.

CAPUT II.

DE CONSCIENTIA PERPLEXA ET SCRUPULOSA.

I. Conscientia *perplexa* ea est, qua quis in medio duorum praeceptorum constitutus peccare credit, quamcumque partem eligat.

Qui hujusmodi conscientia laborat, si potest actionem suspendere, tenetur illam differre, donec consulat Sapientes : si vero suspendere nequit, tenetur eligere minus malum, vitando potius transgressionem juris naturalis quam humani, aut positivi divini. Si autem non potest discernere quidnam sit minus malum, quamlibet partem eligat, non peccat, quia in hujusmodi casu deest libertas necessaria ad peccatum formale. - 10.

II. Conscientia scrupulosa ea est, quae ob levia motiva absque rationabili fundamento (scrupulus est enim inanis apprehensio) saepe formidat de peccato, ubi revera non adest.

Signa conscientiae scrupolosae haec sunt : 1. pertinacia judicii, qua scrupulosus Sapientium consiliis parere renuit, varios consulit, sed nullius judicio acquiescit ; imo quanto magis plures audit, eo plus perplexus evadit. 2. Frequens judicii mutatio ex levibus motivis ; unde oritur inconstantia in agendo, mentisque pertubatio, praesertim in operationibus externis, puta in celebratione Missae, in horarum recitatione, aut Sacramentorum administratione vel perceptione. 3. Habere reflexiones impertinentes plurium circumstantiarum, quae in actione adfuerunt, vel adesse potuerunt. 4. In omnibus formidare de peccato, et mente haerere contra Sapientium, ac etiam proprium judicium, et ideo nunquam contentum esse una Confessarii assertione, sed saepius eodem actu eumdem exquirere an in agendo juxta consilium datum, conscientia esse possit immunis a culpa. - 11.

Postquam Confessarius ex signis supra allatis jam perceperit poenitentem esse scrupulosum, praescribat ei haec remedia : 1. Ut valde humilitatem colat ; saepe enim scrupuli ex superbia vitio ortum habent. 2. Ut caveat a lectione librorum scrupulos excitantium, et scrupulosorum conversationem evitet. 3. Ne diu moretur in examine conscientiae, praesertim circa ea in quibus magis vexatur. 4. Ut fugiat otium, ex quo saepe mens inanibus apprehensionibus impletur. 5. Ut instanter Deo se commendet, ad opem obtinendam parendi praeceptis sui Directoris ; hoc enim super omnia praecipuum, imo unicum potest dici remedium hujusmodi infirmorum esse omnino acquiescere judicio sui Superioris, sive Confessarii, ut omnes docent Patres, Theologi et spirituales magistri. - 12.

Quapropter Confessarius enixe curet poenitentibus scrupulis vexatis suadere ; quod omnino tutus incedit qui sui Directoris consiliis acquiescit et obtemperat in omnibus, in quibus evidens peccatum non apparet ; tunc enim non homini obedit, sed ipsi Deo dicenti, Lucae 1, 16. *Qui vos audit me audit, et qui vos spernit me spernit.*

Contra vero inculcet magno suae salutis discrimini se committere, qui praeceptis sui Confessarii renuit obedientiam praestare ; tunc enim periculo se exponit amittendi non tantum cordis pacem, devotionem et in vir-

tute progressum, verum etiam mentem : quot enim scrupulosi obedientiae non acquiescentes, in amentiam ceciderunt ! item, se exponit periculo corporis valetudinem amittendi, et quod deterius est, etiam animae jacturam faciendi; nam eo possent scrupuli devenire, ut ad tantam eum redigerent desperationem, qua vel sibimet mortem inferret, ut pluribus contigit, vel ut sic de sua salute desperans habenas ad omnia vitia amplectanda laxaret. - 13.

Praeterea satagat prudens confessarius hujusmodi poenitentibus regulas potius generales, quam particulares praescribere ; regulis enim particularibus scrupulosi fere nunquam se resolvere valent ad operandum ; quia semper dubitant an regula illa praescripta possit valere pro casu occurrenti, qui saepe videbitur et differens a casu praeterito cum Confessario collato. - 14.

Tripliciter autem Scrupulosi, ut plurimum, scrupulis vexantur. Alii anguntur pravis cogitationibus, quibus assentiri saepe timent. Alii propter confessiones praeteritas, quibus dubitant an unquam satisfecerint. Alii propter timorem peccandi in qualibet operatione quam acturi sunt.

Hinc 1. poenitenti qui pavet cuilibet malae cogitationi assensum praebere, imponat Confessarius, ut hujusmodi scrupulos omnino despiciat, affirmans non pravas cogitationes, sed tantum pravos consensus esse peccata. Et in hac materia non omittat semper uti regula illa a Doctoribus sapienter tradita, nempe, eos qui sunt timoratae conscientiae, nisi moraliter certo sciant se in grave peccatum consensisse, immunes a peccato esse judicandos ; nam, ut ait Pater *Alvarez*, impossibile est ut peccatum in animam ab illo abhorrentem ingrediatur, quin ab ea clare agnoscatur. Qua de re saepe expediet scrupulosis expresse imponere, ut a confessione hujusmodi cogitationum se abstineant, nisi tam certo sciant, se in illas consensisse, ut id jurare possint. - 15.

2. Poenitenti qui semper anxius est de praeteritis confessionibus, quia formidat defecisse in integritate vel in dolore, si ipse generalem confessionem jam alias expleverit, aut per aliquod notabile tempus confessiones suas diligenter peregerit, huic imponat ut non amplius cogitet de culpis praeteritis, nec de iis verbum faciat in confessione, nisi jurare possit certo peccata illa mortalia perpatrasse, et insuper nunquam de illis confessum esse. Imo aliquando, docent *Azor.*, *Bonac.*, *Layman.*, et alii, potest quis taliter scrupulis angi, quod licet ei videatur certo aliqua non dixisse adhuc ad ea confitenda non teneatur (*a*).

In hoc autem vehementer instet Confessarius, ut ei poenitens obediat : quod si obedire recuset, eum objurget, communione privet, et quantum potest, duritiem ejus retundat. Cum scrupulosis obedientibus blande agendum est, cum iis autem qui in obedientia delinquunt, maximus exercendus est rigor : hac enim obedientiae anchora destituti, nunquam sanari possunt. - 16.

3. Illis denique scrupulosis qui in omni actione peccare formidant, imponat, ut libere agant, scrupulosque despiciant, et contra illos operentur, ubi evidens peccatum non apparet ; quia ordinarie ipsi ob rationem perturbatam ex nimio timore timent adesse peccatum ubi non est. Ideo oportet eis praecepto injungere, ut scrupulos vincant, ne amentes aut omnino inutiles ad operandum evadant : et postea de talibus actionibus abstineant in con-

(*a*) *Saltem certi non sunt.* - *II. n.* 19.

fessione se accusare; licet enim aliquando errent sic agendo, attamen non peccant ratione obedientiae quam praestare Confessario debent. Imo, sapienter docent *Sanch.*, *S. Anton.*, *Gersen.*, *Salm.*, *Caj.*, etc. scrupulosum teneri aliquando obligatione gravi adversus scrupulos operari, cum ex scrupulorum anxietate possit grave damnum timere in profectu spirituali, aut in valetudine corporis vel mentis. - 17.

Nec refert, quod ipse cum conscientia scrupulosa seu cum actuali timore peccandi operetur; nam ex *communi* et *vera sententia* quam docent *Conc.*, *Ronc.*, *Salm.*, *S Anton.*, *Caj.*, *Bonac.* et alii plurimi, Scrupulosus ita agens minime peccat. Ratio, quia Conscientia scrupulosa seu dictamen mentis ex scrupulis ortum non potest auferre assensum de actionis honestate prius efformatum ex Confessarii judicio vel alio modo. Idque praesertim valet, si urget obedientia Confessarii agendi contra scrupulos, ubi evidenter culpa non cernitur. - 18.

CAPUT III.

DE CONSCIENTIA DUBIA.

Conscientia dubia ea est, quae suspendit assensum pro utraque parte dubii, remanetque anceps et haesitans.

Dividitur autem Conscientia dubia in *practice* dubiam, et *speculative* dubiam.

Dubium vero dividitur: 1. In negativum et positivum. *Negativum* est, quando ex neutra parte occurrunt rationes probabiles, sed tantum leves. *Positivum* est, quando pro utraque parte, vel saltem pro una adest grave motivum sufficiens ad formandam conscientiam probabilem, licet cum formidine de opposito. - 20.

2. Dividitur dubium in speculativum et practicum. *Speculativum* est, quo quis dubitat de rei veritate; v. g. an bellum aliquod sit justum vel injustum. *Practicum* autem dubium est, quo dubitatur de rei honestate; v. gr. an licet mihi in tali bello dubie justo, militare. Semper itaque distinguendum *verum a licito*. Dubium speculativum respicit *verum*, practicum autem respicit *licitum*. - 21.

His positis, *dicimus* 1. Nunquam esse licitum cum conscientia *practice* dubia operari; et casu quo aliquis operatur, peccat, et quidem peccato ejusdem speciei et gravitatis, de quo dubitat. - 22.

Quid, si sciat quis aliquid esse malum, sed dubitet an sit mortale, aut veniale, et cum tali dubio operetur?

R. Alii censent hunc peccare graviter vel leviter, prout in specie objectum peccati est grave aut leve. Ita *Vasquez*, *Sanch.*, etc. Alii censent semper peccare graviter. Alii tandem cum *Navar.*, *Granad.*, et aliis plurimis *satis probabiliter* tenent (*a*) tantum venialiter peccare, si homo ille minime advertit nec etiam in confuso ad periculum graviter peccandi, neque ad obligationem rem examinandi, et modo objectum non sit certe per se peccatum grave: *adderem*, modo etiam homo sit timoratae conscientiae. - 23.

Qui igitur est *practice* dubius circa aliquam actionem, debet utique prius dubium deponere per principium certum vel reflexum de honestate actionis illius, modo homo ille sit sufficiens ad formandam sibi conscientiam *practice* certam, et deinde potest operari. Si vero insufficiens sit, quia rudis est, tenetur Parochum, Confes-

(*a*) Probabilius *tenent*, *etc.* - *II. n.* 3.

sarium, vel alium pium ac doctum consulere, et juxta consilium agere.

Qui vere dubius esset, sed omnibus ponderatis adverteret, dubium esse inane, hic bene potest dubium suum deponere sine alia reflexione, et sic actionem exequi; tunc enim si malitia illius ignoratur, ignorantia illa est omnino involuntaria, utpote quae studio superari non potest, prout docet *Angelicus*. - 24.

Dicimus 2. Licitum esse operari cum conscientia *speculative* dubia, semper ac operans per alias rationes, sive principia reflexa judicat *practice* actionem suam esse certe moraliter honestam. - 25.

Horum principiorum principalissimum est illud, quod *lex dubia non potest certam inducere obligationem*. Veritas hujus principii evidenter mox infra probabitur in dissertatione opinionis probabilis. Ex hoc autem primo efformatur secundum illud principium: *melior est conditio possidentis*. Quoties enim lex dubia minime ligat hominem, homo utique remanet solutus et liber ab obligatione legis, eoque casu licite potest uti sua libertate quam vere possidet, cum lex est dubia.

Casu igitur quo possidet lex, pro ea standum est; si vero possidet libertas, standum pro libertate. Ad dignoscendum autem pro qua parte in dubiis stet possessio, videndum pro qua stet praesumptio. Praesumptio vero stat pro ea parte, quae non tenetur ipsa factum probare, sed onus probandi illud transfert in alteram: *factum enim non praesumitur nisi probetur;* quod est aliud principium approbatum. In dubio igitur factum non praesumitur, sed est probandum.

Si vero factum est certum, puta si Matrimonium certe est initum, et dubitatur, an rite initum sit, aliud principium servari debet: *in dubio, omne factum praesumitur recte factum:* sive *in dubio praesumitur factum quod de jure faciendum erat:* sive *standum pro valore actus*. - 26.

Ex praefatis *infertur* 1. Quod si lex est dubie condita, vel dubie promulgata, non obligat, quia possessio non stat pro ipsa, sed pro libertate. Idem dicendum, si dubitatur, an in lege promulgata comprehendatur vel non aliquod onus: tunc enim non tenemur illud implere; quia pro alia parte de qua lex est dubia, lex non possidet.

Contra vero, si lex est certe condita et certe promulgata, et inde oritur dubium an sit abrogata, vel revocata aut dispensata, est observanda, quia tunc ipsa possidet. Sic etiam in dubio an lex per se justa fuerit acceptata, etiam observari debet, quia praesumendum est eam fuisse receptam ex illo alio principio: *in dubio praesumitur factum, quod de jure faciendum erat*. - 27.

Infertur 2. Id quod de lege dictum est, dicendum esse etiam de voto. Votum enim est instar legis particularis, quam homo sibi imponit. Hinc, si quis dubitat an emiserit votum, non tenetur illud implere, ut *communiter* docent *Cabas. Suar., etc.*

Sic pariter, qui dubitat an in voto emisso comprehendatur aliquid vel non, non tenetur ad votum, quoad partem de qua dubitat: pro illa enim parte votum non possidet. Contra vero, si quis est certus de voto, et dubitat de satisfactione, tenetur quidem ad votum, quia tunc votum possidet. - 28.

Nisi probabilitas sit talis, quod praesumere faciat quadam certitudine morali, voto jam fuisse satisfactum. Quod autem dicimus de voto, intelligendum est etiam de satisfactione poenitentiae sacramentalis. - 29.

Si quis autem votum emisisset, et postea opus promissum jam praestitisset, immemor tamen obligationis ex voto contractae, *valde probabiliter* non tenetur opus illud iterum praestare, ut

docent *Suar.*, *Laym.*, *Sanch.*, *Bonac.* cum *Less.* et aliis *communiter*. Hoc tamen procedit semper ac vovens certe judicare potest, quod si memor voti fuisset, pro illius satisfactione applicasset opus illud; quod utique communiter praesumendum est; quisque enim generalem voluntatem habet prius oneri ex obligatione debito faciendi satis, proinde opera supererogationis addendi. - 30.

Infertur. 3. Quod subditus, quamvis non teneatur obedientiam praestare Superiori praecipienti in iis quae sunt certe illicita, tenetur vero in iis de quibus dubium est an sint licita vel non; quia in dubiis standum est pro Superiore possidente jubendi potestatem, qua in dubio expoliari nequit. Ita *communiter Cajet.* et alii plures cum *S. Anton.*, *S. Bonavent.*, *etc.*

Limitant vero *Sotus*, *Tournely*, *Lessius*, *Sanch.*, etc. *Communissime* quoties res praecepta esset valde difficilis et molesta, nempe, si subditus obediendo, deberet se vel alterum exponere periculo gravis damni spiritualis vel temporalis. Haec fusius exponemus tractando de *praeceptis particularibus*, *N*. 47. - 31.

Infertur. 4. Quod adolescens dubitans an vigesimum primum annum expleverit, non tenetur ad jejunium. Dubitans vero an pervenerit ad annum sexagesimum, quo completo, *probabiliter* homo solvitur jejunio, ut dicemus tractando de *praeceptis Ecclesiae*, n. 1036, tenetur ad jejunium, quia tunc possidet jejunii praeceptum.

Idem dicendum de eo qui est in Sabbato, et dubitat an transierit hora mediae noctis; tunc enim nequit vesci carnibus, cum adhuc possideat praeceptum abstinentiae. Secus vero, si quis dubitat de hoc in feria quinta, quia tunc, post adhibitam diligentiam, licite potest edere carnes cum adhuc possideat libertas. Ita *Laym.*, *Sanch.*, *etc.* - 32.

Infertur 5. Quod si post matri[...] nium bona fide contractum, super[...] nit dubium de valore illius, ante [...] quisitionem veritatis dubitans non [...] test petere, sed tenetur reddere, q[...] conjux dubium ignorans adhuc possi[...] jus petendi. Post vero inquisitione[...] dubitans potest etiam petere, ut *p[...] babilius* tenent *Sotus*, *Habert*, *R[...] caglia*, *etc*. Vide *tract. de matrim[...] nio*, *num*. 903 et 904. - 33.

Quaeritur 1. quid dicendum in [...] bio si aliquid cibi vel potus decluti[...] ris, an possis tunc Eucharistiam [...] cipere?

R. *Negant Sanch.*, *Ronch.*, *Sal[...]* cum aliis: tum quia, ut ajunt, l[...] certae non communicandi sine jeju[...] non satisfacis per dubiam satisfact[...] nem; tum quia id videtur gravi ir[...] verentia non carere.

Alii tamen, ut *de Luco*, *Castrop[...]* *Layman.*, *Lacroix*, *Sa*, *etc.* dic[...] in tali dubio bene te posse commu[...] care. Ratio horum est, quia lex je[...] nii non est positiva, ita ut praecip[...] tur jejunium tamquam requisitum [...] absolute necessarium ad communica[...] dum; sed est prohibitiva, qua prohibe[...] quisque accedere ad communioner[...] si aliquid cibi aut potus sumpserit, [...] conjugantur terrenus cibus cum divi[...]

Posito igitur, quod lex jejunii [...] prohibitiva, probandum est factum [...] junii fracti, ut quis communicare p[...] hibeatur. In dubio autem an factus [...] casus, quo vigeat prohibitio legis, r[...] tenetur is abstinere a communione, d[...] adhuc tunc possidet sua libertas.

Ratio haec non videtur contemner[...] ut futilis: saltem eo casu, lex pro[...] bens communionem non videtur cer[...] et tamquam dubia non obligat, ju[...] dicta n. 25 *et seq*. - 38.

Quaeritur 2. an etiam idem dic[...] dum, quod possit communicare, [...] dubitat utrum post mediam nocte[...] cibum aut potum sumpserit?

R. *Negat Lugo*. Sed, pace tanti viri, dicimus quod ratio supra adducta, quo lex sit prohibitiva, non positiva, si valet pro primo casu, valet etiam pro secundo; prohibitio enim est non communicandi illis qui aliquid sumpserint post mediam noctem; si ergo, ne ipsi communicare possint, probandum est factum quod aliquid sumpserint; probandum est etiam factum quod aliquid sumpserint post mediam noctem. - 39.

CAPUT IV.

DE CONSCIENTIA PROBABILI.

Conscientia probabilis ea est, qua quis innixus aliqua opinione probabili, format sibi practicum dictamen rationis, ex certis principiis reflexis, sive concomitantibus ad licite operandum.

Diversae dantur probabilitatum species : alia enim est opinio tenuiter probabilior, alia probabilissima, alia certa moraliter, alia tuta, alia tutior.

Opinio *tenuiter probabilis* ea est, quae aliquo fundamento nititur, sed non tali, ut valeat assensum viri prudentis ad se trahere.

Opinio *probabilis* ea est, quae gravi fundamento nititur, vel intrinseco rationis, vel extrinseco auctoritatis, quod valet ad se trahere assensum viri prudentis, etsi cum formidine oppositi.

Opinio *probabilior* ea est, quae nititur fundamento graviori, sed etiam cum prudenti formidine oppositi, ita ut contraria etiam probabilis censeatur.

Opinio *probabilissima* ea est, quae nititur fundamento gravissimo, quapropter opposita censetur vel tenuiter vel dubie probabilis.

Opinio sive sententia *moraliter certa*, ea est quae omnem prudentem formidinem falsitatis excludit, ita ut opposita reputetur omnino improbabilis.

Opinio demum *tuta* est ea quae recedit ab omni peccati periculo.

Opinio *tutior* ea est, quae magis a tali periculo recedit, tametsi rationibus firmioribus non nitatur. - 40.

Insuper alia est probabilitas *facti*, alia *juris*.

Probabilitas *facti* ea est, quae versatur circa rei veritatem, sive rei substantiam, nempe an Sacramentum cum tali materia collatum sit validum aut nullum.

Probabilitas autem *juris* versatur circa honestatem actionis, id est, an liceat Sacramentum cum tali materia conferre. - 41.

His positis, *dicimus* 1. Illicitum esse uti opinione tenuiter probabili, ex propositione 3. proscripta ab *Innocentio* XI, quae dicebat: « Generatim dum » probabilitate sive intrinseca sive ex- » trinseca quantumvis tenui, modo a » probabilitatis finibus non exeatur, » confisi, aliquid agimus, semper pru- » denter agimus. »

2. Semper licitum esse uti opinione probabilissima, ut constat ex prop. damnata ab *Alexandro VIII*, quae dicebat: « Non licet sequi opinionem vel » inter probabiles probabilissimam. »

3. Numquam esse licitum uti opinione probabili probabilitate *facti* cum periculo damni alterius, aut sui ipsius: quia hujusmodi probabilitas minime aufert periculum damni : si enim opinio illa est falsa, non evitabitur proximi aut operantis damnum : nam si v. g. Baptismus cum saliva collatus, revera est nullus, ita ut infans sine Baptismo remaneat, probabilitas in oppositum non potest utique efficere ut sit validus. - 42.

4. Secus tamen esse de opinione quae est probabilis probabilitate *juris* : tunc enim quisque licite uti potest opinione illa, formans sibi conscientiam moraliter certam de honestate suae actionis. - 53.

Hinc *infertur* 1. non esse licitum in materia Fidei et in omnibus ad ae-

ternam salutem necessitate medii spectantibus, sequi opinionem nec minus probabilem, neque probabiliorem; sed tenemur sequi sententiam tutiorem, ac consequenter amplecti debemus Religionem magis tutam, qualis est procul dubio nostra Catholica. - 43.

2. Medicum teneri adhibere medicamenta tutiora infirmis profutura, nec posse uti remediis minus probabilibus, relicto probabiliori sive tutiori. Vide *Tract. de praecept. part.* n. 291. - 44.

3. Judicem teneri judicare juxta sententiam probabiliorem; ipse enim tenetur ex praecepto divino et humano jus suum cuique tribuere pro majori pondere rationum quae cuique favent. Sed vide *Tract. de praecept. part.* n. 210. - 47.

4. In collatione Sacramentorum nequire Ministrum nisi adsit necessitas, uti opinione nec probabili, nec probabiliori circa eorum valorem, sed teneri sequi sententiam tutam quae est illa quae vel est tutior, vel moraliter certa. - 48.

Dico, nisi *adsit necessitas;* etenim in extrema necessitate bene uti possumus qualibet opinione non solum probabili, sed etiam tenuiter probabili pro valore sacramenti, ut recte dicunt *Holzman, Antoine*, et alii *communiter*, modo Sacramentum conferatur sub conditione, quia conditio satis reparat Sacramenti injuriam, si forte invalide conferatur; et contra necessitas sufficiens et justa est causa Sacramenti conditionate conferendi. Vide dicenda *de Bapt. n.* 103, *et de Poenit. n.* 482. - 49.

Dicunt autem plures Doctores non licite uti posse opinione probabili, ubi praesumitur Ecclesia supplere; ut evenire potest in Sacramento matrimonii ad convalidandum contractum probabiliter tantum validum, si forte contractus ille est nullus ob impedimentum, quod Ecclesia supplendo aufert; et in Sacramento Poenitentiae ad supplendam jurisdictionem Confessarii, si forte illa desit. Sed vide de hoc, *in sacramento Poenit. n.* 573. - 50.

5. Eum qui dubitat an id quod videt in sylva, sit fera vel homo, non posse illud ferire, etiamsi *probabiliter* aut *probabilius* existimet, illam esse feram. - 52.

Quaeritur 3. An quod dictum est de administratione Sacramentorum, dicendum etiam sit de susceptione, ita ut nullus possit suscipere Sacramentum cum opinione probabili?

R. *Prima sententia affirmat*, et hanc tenent *Carden., La Croix, Viva.* Ratio, quia specialis reverentia debita Sacramentis exposcit, ut ea non exponantur periculo frustrationis.

Secunda vero *sententia* quam tenent *Pontius, Sanch., Vasq.* et alii *negat.* Ratio, quia nullam censetur Sacramento injuriam irrogare, qui utitur opinione probabili; nec videntur Sacramenta exposcere majorem reverentiam quam probabilem, quam exposcunt alia praecepta divina.

Ego tamen censeo non esse recedendum a prima sententia, saltem quia secunda fere nunquam poterit deduci in praxim a suscipientibus sine proprio animae detrimento. - 51. (*a*).

MORALE SYSTEMA

PRO DELECTU OPINIONUM QUAS LICITE SECTARI POSSUMUS.

1. Si opinio quae stat pro lege videatur *certe* probabilior, ipsam omnino sectari tenemur; nec possumus tunc oppositam quae stat pro libertate, amplecti. Ratio, quia ad licite operandum, debemus in rebus dubiis verita-

(*a*) *Vide notam* b *positam in* tract. de Virt. theol. *n.* 2.

tem inquirere et sequi : at ubi veritas clare inveniri nequit, tenemur amplecti saltem opinionem illam quae proprius ad veritatem accedit, qualis est opinio probabilior.

2. Si opinio quae stat pro libertate, est tantum probabilis vel aeque probabilis, ac altera quae stat pro lege, nec etiam ipsam quis sequi potest, eo quod sit probabilis : nam ad licite operandum, sola non sufficit probabilitas, sed requiritur moralis certitudo de honestate actionis. Propterea falsum reputo effatum illud commune inter probabilistas, nimirum : *Qui probabiliter agit, prudenter agit.*

3. Duabus aeque probabilibus opinionibus concurrentibus, quamvis opinio minus tuta teneri non possit, quoniam, ut diximus, sola probabilitas (*nota*, sola probabilitas) haud firmum praebet fundamentum ad licite operandum; attamen opinio illa quae stat pro libertate, cum aequali potiatur probabilitate ac apposita quae stat pro lege, grave quidem immittit dubium an existat lex, quae actionem prohibeat, ac proinde sufficienter promulgata minime dici potest ; ideoque, dum eo casu promulgata non est, nequit obligare; tanto magis quod lex *incerta non potest certam obligationem inducere* (*a*). Et haec est sententia *D. Thomae* quam ego sequor, et quae *certa* mihi apparet, tum ob auctoritatem Theologorum atque Patrum ; tum ob rationes intrinsecas, quae non jam fucatae sunt, sed certae ac evidentes.

Theologorum princeps *D. Thomas* sic docet : « Lex quaedam regula est » et mensura actuum, secundum quam » inducitur aliquis ad agendum, vel ab » agendo retrahitur ; dicitur enim lex » a ligando, quia obligat ad agendum. » Hinc, prosequitur S. Doctor ad docendum quod haec regula et mensura, ut hominibus applicetur, et ipsi ad eam servandam teneantur, debet ei promulgatione manifestari. « Lex imponi- » tur aliis per modum regulae et men- » surae : regula autem et mensura im- » ponitur per hoc, quod applicatur » his quae regulantur et mensurantur. » Unde ad hoc quod lex virtutem obli- » gandi obtineat, quod est proprium » legis, oportet quod applicetur homi- » nibus qui secundum eam regulari » debent. Talis autem applicatio fit » per hoc, quod in notitiam eorum » deducitur ex ipsa promulgatione. » Unde promulgatio ipsa necessaria est » ad hoc, quod lex habeat suam vir- » tutem. »

Quod autem lex nequeat subditos obstringere, nisi eis sit promulgata, est axioma apud omnes compertum. « Leges tunc instituuntur, cum pro- » mulgantur, » scribit *Gratianus.*

(*a*) *Hic opus est ut ego quid circa meum systema moneam, quod est omnino monendum ; et est, quod cum dubitatur an opinio legi favens sit aeque probabilis, aut parum probabilior, tum locum habet idem principium, quod* lex dubia non obligat ; *tali enim casu ipsa lex non desinit esse stricte dubia ; nam tunc quamvis aliqua pro lege major adesset probabilitas, cum dubitatur an haec major probabilitas adsit vel ne, praeponderantia erit tam levis et minima, ut nihili facienda sit prae illo effato communiter ab ipsis adversariis admisso, quod* parum pro nihilo reputatur. *Secus autem esset, quando excessus esset evidens, atque certus, quia tunc opinio legi favens erit certe et multum probabilior : et statuatur quod cum opinio legi favens est certe probabilior, tunc est quoque multum probabilior ; ideoque tunc, uti a principio dictum fuit, lex est jam moraliter promulgata, ideoque obligat, et est procul dubio observanda.* - II. 77.

*

Lex vero ut obliget, non tantum promulganda est, sed etiam promulganda ut certa. Et ex hujusmodi fundamento firmitatem haurit nostra sententia, nempe *non posse legem incertam certam obligationem imponere.*

Dicimus igitur neminem ad aliquam legem servandam teneri, nisi illa ut *certa* alicui manifestetur. Omnes enim ad asserendum conveniunt, quod lex, ut obliget, debet esse certa ac manifesta, debetque uti certa manifestari sive innotescere homini cui promulgatur.

Audiamus de hoc quod *communiter* tradunt Doctores, et maxime inter alios, 1. *S. Thomas*, praeter relata superius, sic dicit: « Nullus ligatur per » praeceptum aliquod, nisi mediante » scientia illius praecepti. » 2. « Ne» cesse est, ait *Gerson*, dari manife» stationem ordinationis ac voluntatis » Dei; nam per solam suam voluntа» tem nondum potest Deus absolute » creaturae imponere obligationem. » 3. S. Isidorus loquens de conditionibus legis dicit: « Erit autem lex manife» sta, etc. »

Hanc sententiam secuti sunt *communiter* Auctores tam antiqui quam recentes. Inter tot alios, sint 1. *S. Raymundus* qui sic scripsit: « Non sis » pronus judicare mortalia peccata, » ubi tibi non constat per certam scri» pturam. » 2. *Lactantius* sic: « Stul» tissimi hominis est praeceptis eorum » velle parere, quae utrum vera aut » falsa sint, dubitatur. » 3. *Dominicus Soto* sic: « Quando sunt opiniones pro» babiles inter graves Doctores, utram» que sequaris, in tuto habes conscien» tiam. »

Nostram sententiam sic brevibus confirmat *S. Augustinus:* « Quod enim » neque contra fidem, neque contra » bonos mores esse convincitur (*nota* » convincitur), indifferenter esse ha» bendum. » *S. Gregorius Nazian.* sic: « Aut rem ita se habere proba, aut si » id nequis, ne condemnes; quod si » res dubia est, vincat humanitas et » facilitas. » Item, *S. Bernardus*, sic: » Sane tibi unusquisque in suo sensu » securus abundat, ubi aut certae ra» tioni, aut non contemnendae aucto» ritati quod sentitur, non obviat. »

Posito igitur principio a *D. Thoma* tradito, ac satis superque probato, nempe quod *nullus ligatur per praeceptum aliquod, nisi mediante scientia illius praecepti,* quod idem est ac dicere *non posse legem incertam, certam obligationem inducere;* necessario eruitur esse moraliter certum, quod ubi duae opiniones aequalis ponderis concurrunt, non est obligatio sequendi tutiorem.

Si quis autem de hujus sententiae certitudinis rationem exposcat, breviter ei ex omnibus in hoc monito probatis respondebitur, quia *lex dubia non obligat.* Et si quaerere pergat cur lex dubia non obliget, respondebimus hoc succincto argumento: *lex non sufficienter promulgata non obligat;* lex dubia non est sufficienter promulgata, quia dum lex est dubia, promulgatur sufficienter dubium sive quaestio, sed non promulgatur lex; ergo lex dubia non obligat.

Qui argumentum hoc inficiari vellet, probare deberet, vel quod lex etiam non promulgata obligat, vel quod lex dubia est vere promulgata; contra id quod expresse docet S. Thomas et alii *communiter;* sed nunquam harum propositionum ullam probabit in aeternum.

Haec tandem sit conclusio hujus sententiae: spectato pondere aequali utriusque opinionis, homo dubius maneret, neque operari posset; spectata autem vi legis, cum ipsa eo casu non sit sufficienter promulgata, non obligat, nec ligat. Et ideo homo, utpote ab hujusmodi lege dubia non ligatus, redditur certus de sua libertate, et sic licite operari potest.

Sed *objicies* 1. Aliam esse promulgationem legis, aliam legis divulgationem, sive notitiam privatam quam subditi de lege recipiunt; et legem, cum jam promulgata fuit, sine hac notitia a subditis accepta, eos obstringendi virtutem habere; ergo, etc.

R. Concedimus quod, ut lex humana vim habeat obligandi, sat est ut Communitati promulgetur, nec ut notitia ad quemcumque perveniat subditum, requiritur; sed advertendum, quod id valet tantum quoad materiale legis objectum, quod a lege praeceptum aut vetitum fuerit, non tamen quoad conscientiae obligationem legem servandi; ergo, etc.

Objicies 2. Ab aeterno promulgatas fuisse leges divinas, habuisseque perfectam virtutem obligandi; ergo, etc.

R. Lex aeterna, respectu hominum non est propria lex; propria enim lex quoad ipsos est lex naturalis, quae licet sit participatio legis aeternae, ipsa tamen est ea quae proprie homines ligat, cum lex naturalis tantum hominibus promulgetur, et rationis lumine applicetur. Saltem dico, prout alii Theologi loquuntur, quod lex aeterna, quamvis in se vim habuerit obligandi in actu primo, attamen non fuit lex obligans actualiter, et in actu secundo, donec fuerit proposita, et per ejus cognitionem creaturis applicata.

Objicies 3. Sed si lex aeterna fuit vera lex, antequam homines eam cognoscerent, vere priusquam lex ipsis innotesceret, homines obligavit, cum sit essentialis proprietas cujuscumque legis obligare; ergo, etc.

R. Distinguo: alia est proprietas legis promulgatae, alia legis non promulgatae. Proprietas legis promulgatae est perfecte obligandi actualiter, et in actu secundo. Proprietas autem legis non promulgatae est obligandi imperfecte tantum in actu primo; lex enim non promulgata habet siquidem in se vim intrinsecam obligandi, sed dumtaxat in futuro, pro tempore quo ipsa intimata et per notitiam applicata fuerit; quamdiu vero non fuerit applicata, ipsa non obligat, nec virtutem habet actualiter obligandi; ergo, etc.

Objicies 4. Lex naturalis promulgatur in habitu, cum Deus animam creat, eamque in corpus infundit, quia tunc in ea lumen imprimit; ergo, etc.

R. Lex, juxta *S. Thomam*, tunc homines ligat cum eis applicatur per ejus notitiam sive cognitionem. Tunc igitur lex naturalis promulgatur, cum creatura legem audit per vocem Ecclesiae, aut inspicit per lumen rationis. Hoc autem lumen quo discernimus bonum et malum, et in quo lex naturalis consistit, inquit *S. Antoninus*, non prius ostendit homini bona et mala, quam homo usum rationis habet. Ergo lex naturalis non promulgatur homini, nisi cum ipse ad rationis usum pervenit.

Unde concludendum quod proprie et stricte loquendo, in infusione animae non jam inseritur lex, sed inseritur lumen quo lex cognoscenda erit ab homine, cum pervenerit ad usum rationis, sive inseritur potentia, capacitas sive habilitas ad legem cognoscendam tempore usus rationis. Et tunc, cum homo legem cognoscet, lex ei perfecte et vere promulgabitur, eumque ligabit, alioquin usque dum lex non deducitur in hominis notitiam ex promulgatione, docet *S. Thom.* legem virtutem obligandi non obtinere.

Objicies 5. Legis aeternae possessio nostrae libertatis possessionem antecedit, ideoque in dubiis opinio quae stat pro lege praeferri debet. Ergo, etc.

R. Jam supra vidimus quod Theologi dicunt legem aeternam respectu hominum non esse vere et proprie legem. Sed, concesso quod sit, nequaquam dici potest legis aeternae obliga-

tionem possidere antecedenter ad libertatem a Domino homini donatam. Quamvis enim nulla sit in Deo cognitionis et consilii successio, quia omnia Deo ab aeterno praesentia fuerunt, nihilominus *proprietate rationis* sive *naturae*, homo in mente divina ante legem contemplatus est; prius enim a legislatore considerantur subditi juxta propriam naturam et eorum statum, et posterius consideratur lex conveniens eis imponenda. Dico *conveniens;* siquidem Deus aliam legem statuit pro Angelis, aliam pro hominibus; et pro his, aliam pro sacerdotibus, aliam pro laicis; aliamque pro conjugatis, aliam pro caelibibus. Ita *D. Thomas.* Ergo, etc.

Objicies 6. Ergo homo nascitur liber et independens?

R. Neutiquam : nascitur potestati divinae subjectus, et consequenter obligatus omnibus parendi praeceptis quae Deus illi imposuerit; sed ut homo hujusmodi praeceptis ligetur, requiritur ut illa ipsi promulgentur et innotescant per rationis lumen; sed donec praeceptum non est homini manifestatum, possidet ipse libertatem illi a Deo donatam, quae cum sit certa, non nisi a praecepto certo ligatur; et cum lex sit regula et mensura qua homo suas actiones regulare et mensurare debet, oportet quidem ut haec regula et mensura incerta non sit.

Objicies 7. Regulam sacrorum Canonum illam : *in dubiis tutior via est eligenda;* dicesque canones generaliter loqui de omnibus dubiis, generaliterque esse accipiendos?

R. *Concedo* quod generaliter accipiendi sunt quoad omnia dubia practica et facti, sed non quoad omnia dubia speculativa et juris, ut dicunt *S. Antoninus, Soto, Suar., S. Bonav., Gerson,* et alli *communiter* docentes regulam illam canonum quoad dubia speculativa esse de consilio non de praecepto.

Sed quid per illa verba canones praecipiunt? praecipiunt in dubiis tutiorem viam esse eligendam. Dicitur itaque in *dubiis;* sed si non simus in dubiis? quid obstat regula illa, si homo alicui principio certo innititur? Tunc sibi jam format conscientiam moraliter certam de honestate actionis, et a finibus dubietatis egreditur, nec amplius dici potest eum esse in dubiis.

Praeterea ipsimet adversarii concedunt, praefatam regulam sequendi partem tutiorem locum non habere in materia justitiae; at si regula canonum sequendi quod est totius esset universalis pro omnibus dubiis, etiam qui legitime non possidet, in dubio an res sit aliena, de illa expoliari teneretur; sed *D. Augustinus* contrarium docet, inquiens: « in jure praediorum tamdiu » quisque bonae fidei possessor rectis- » sime dicitur, quamdiu se possidere » ignorat alienum. »

Objicies 8. Textum Ecclesiastici 3.27: *Qui amat periculum, in illo peribit;* ergo qui in periculum se immittit transgrediendi legem, jam peccat.

R. Qui opinione aeque probabili utitur, principio certo innixus, est quidem in periculo transgrediendi legem, sed non peccandi. Hoc sequitur ex dictis.

Sed *Dices:* qui se immittit in periculum eam transgrediendi, certe peccat ex scriptura allata : *Qui amat perulum, in illo peribit.*

R. Ergo *resumo,* ad hoc periculum vitandum semper opus erit strictum amplecti Tutiorismum, non aliter operando, quam cum morali certitudine absoluta et immuni ab omni formidine, quod opinio illa quam quis sequi vult, sit vera.

Minime, ipse respondebis, satis est, quod illa opinio sit probabilissima, cum proscripta jam fuerit ab Alex. VIII. opposita prop.

Et ego *repeto* ex hoc deduci veram

non esse sententiam quod, cum lex est dubia, peccat qui se exponit periculo eam transgrediendi; cum operans adhuc cum probabilissima opinione, incurrit periculum, quamvis remotius, legem transgrediendi. Et praeterea dico, quod ille qui credit non posse teneri in praxi aliquam opinionem minus tutam, nisi probabilissima sit, cum magna difficultate poterit sibi formare dictamen certum ad operandum, nisi strictum amplexetur Tutiorismum, quod solummodo ab omni periculo legem trasgrediendi immune atque liberum est.

Objicies 9. Qui tutiores opiniones amplectitur, tutius incedit.

R. Nefas quidem est divinarum legum observantiam relaxare plus quam licet, sed non minus est malum, divinum jugum plus quam oportet durum aliis reddere. Audi de hoc *Cabbassutium:* « Nimia severitas dum homines » ad nimis ardua compellit, viam sa- » lutis aeternae praecludit; salvandos, » ut ait D. Bonaventura, damnat, et » conscios propriae infirmitatis ad de- » sperationem adigit. Accidit enim ut » miseri homines, hac audita rigidio- » re doctrina, credant vel dubitent » inesse mortalem culpam, ubi nulla » est; sed tamen rei difficultate victi » ex erronea conscientia moraliter pec- » cent et damnentur. Recte ergo dicit » *D. Bonaventura:* Cavenda est con- » scientia nimis larga et nimis stricta; » nam prima generat praesumptionem, » secunda desperationem; item prima » saepe dicit malum bonum, secunda » e contra bonum malum: item prima » saepe salvat damnandum, secunda » e contra damnat salvandum. »

Hinc sapienter scribit *Jo. Gerson.:* « Doctores theologi non debent esse » faciles ad asserendum aliqua esse » peccata mortalia, ubi non sunt cer- » tissimi de re: nam per ejusmodi » assertiones rigidas et nimis strictas, » in rebus universis nequaquam eri- » guntur homines a luto peccatorum, » sed in illud profundius, quia despe- » ratius demerguntur. »

Tandem, pro complemento, sic *S. Antonin.*, p. 2. tit. 1. « Quaestio in » qua agitur utrum sit peccatum mor- » tale, nisi ad hoc habeatur aucto- » ritas expressa scripturae aut canonis » Ecclesiae, vel evidens ratio, peri- » culosissime determinatur. » Et idem, par. 2. tit. 4. sic: « Si non potest clare » percipere utrum sit mortale, non » videtur tunc praecipitanda senten- » tia, ut dicit *Guillelmus*, ut dene- » get propter hoc absolutionem, vel » illi faciat conscientiam de mortali. » Et cum promptiora sint jura ad sol- » vendum quam ligandum ..... potius » videtur absolvendus. »

Ego, ut sincere veritatem fatear, cum Theologiae moralis scientiae vacare coepi, quia rigidioris sententiae magistrum mihi audire contigit, pro hac strenue cum aliis tunc temporis contendebam; sed postea melius rationes hujus controversiae discutiens, opposita sententia quae pro opinione aeque probabili stat, moraliter certa mihi visa fuit: et quidem inductus ab illo pluries hic repetito principio, quod *lex dubia non potest obligare*. Hinc persuasus remansi, nefas esse conscientias, cum opiniones sunt aeque probabiles, ad tutiorem sequendam adstringere cum periculo in plurimas formales culpas incurrendi; et quo diligentius rationes nostrae sententiae perpendere sategi, eo magis certae mihi visae sunt.

Caeterum protestor, quod sic Confessarios illos non approbo, qui nimiae austeritati adhaerentes facile damnant usum plurimarum opinionum, quae gravi fundamento nituntur; ita contra neque approbare possum eos, qui de facili opiniones, sine certo fundamento, tanquam probabiles acclamant. Confessarius, antequam aliquam

opinionem amplexetur, tenetur utique intrinsecas rationes perpendere, et cum ei occurrit ratio aliqua convincens pro tutiori opinione cui adaequatam responsionem suppetere non aspicit, tunc oppositam minus tutam amplecti non potest, quamvis plurimorum Doctorum auctoritas ipsi faveat; modo auctoritas non sit tanti ponderis, ut videatur ei magis quam rationi apparenti deferendum. -

Hoc pro *theoria;* sed quantum ad *praxim* spectat deligendi opiniones, quaeri solet an expediat rigidas, an benignas praeferre?

R. Ubi agitur de removendo poenitente a periculo peccati formalis, Confessarius debet, generaliter loquendo, et in quantum prudentia christiana suggerit, benignis opinionibus uti; ubi vero opiniones benignae proximius reddunt periculum formalis peccati, prout sunt nonnullae Auctorum opiniones, v. g. quoad vitandas occasiones proximas, et aliae hujus generis; tunc semper expedit, ut Confessarius utatur, imo dico, quod ipse ut Medicus animarum tenetur uti opinionibus tutioribus, quae poenitentes ad se servandos in statu gratiae conducunt.

Nescio autem, quomodo possit cum bona conscientia doceri, generice loquendo, quod poenitenti qui ob confessionem culparum suarum peractam, jus certum ad absolutionem jam fuerit adeptus, possit ipsa ei negari, eo quod poenitens inter duas aequalis ponderis opiniones nolit tutiorem sequi. Hic est rigor ille quem immoderatum et injustum procul dubio reputo et reprobo, cum austeritas haec causa esse potest, quod plures animae damnentur; dum alias plures Auctores invenio etiam probabilioristas tam modernos quam antiquos, qui oppositum docent.

His perspectis, oportet ut sint animi valde audentis Confessarii illi, qui poenitenti opinionem tutiorem, dum opposita minus tuta est aequalis ponderis, amplecti nolenti, post suorum reatuum confessionem, absolutionem denegare non dubitant. - 53.

TRACTATUS III.

DE LEGIBUS

Seu de regula remota et externa actuum humanorum.

De natura et Divisione legis. De Auctore legis, seu de potestate leges condendi. De obligatione legis. De subjecto legis. De modo leges adimplendi. De causis excusantibus ab obligatione legis. De dispensatione legis. De cessatione et Interpretatione legis. De consuetudine.

CAPUT I.

DE NATURA ET DIVISIONE LEGIS.

Lex vel praeceptum, prout hic indistincte accipitur, *est recta agendorum aut omittendorum ratio.* Attamen, cum a superiore non communitati, sed alicui tantum aut aliquibus in particulari, aliquid praecipitur, non appellatur lex, sed praeceptum tantum. *Suar., Laym., etc.* - 90.

Dividitur praeceptum 1. in *affirmativum* et *negativum.* Illud est quod bonum praecipit, hoc quod malum prohibet. Differunt inter se, quod *affirmativum* obligat quidem semper, sed non ad semper seu non pro omni tempore; *negativum* obligat et semper et ad semper. - 101.

2. in *naturale* et *positivum.* Praeceptum naturale seu juris naturae, est dictamen seu judicium nostrae rationis, quo per lumen nobis ab auctore naturae impressum statuimus quid agendum et quid vitandum sit. Praeceptum positivum seu juris positivi

est, quod libera Dei vel hominum voluntate positum est, et ex eadem dependet. - 102.

3. Praeceptum positivum dividitur in praeceptum *juris divini*, quod scilicet a Deo traditum est, et in *juris humani*, quod ab homine.

4. Positivum divinum dividitur in praecepta *veteris* et *novae legis*. Lex vetus continebat praecepta moralia, caeremonialia et judicialia. Lex nova continet praecepta supernaturalia Fidei et Sacramentorum.

5. Positivum humanum dividitur in praeceptum *Juris ecclesiastici*, sive canonici, quod auctoritate Ecclesiae, scilicet summi Pontificis, aut Concilii statutum est; et *Juris civilis*, seu politici, quod fundatur in potestate saeculari. - 103.

6. Lex civilis dividitur in leges *Imperiales*, quae dicuntur *Jus commune*, divisum in *Digestos, Codicem* et *Instituta;* et in *Leges regias particulares Regnorum*, quae dicuntur *Jus municipale*.

7. Lex autem Canonica comprehenditur in quinque voluminibus, quorum primum est *Decretum Gratiani*, quod *verius* vim legis non habere, praeter illam quam ex se habent decreta in ea contenta, dicunt *Salm.* Secundum, *Decretales*. Tertium, *Sextus decretalium*. Quartum, *Clementina*, et *Extravagantes*. Quintum, *Bullarium*. Hi libri constant sancitis Pontificum et Conciliorum statutis, et sine dubio vim legis habent. - 105.

CAPUT II.

DE AUCTORE LEGIS, SEU DE POTESTATE LEGES CONDENDI.

Certum est 1. dari hominibus potestatem ferendi leges; sed potestas haec quoad leges civiles a natura nemini competit nisi communitati hominum, et ab hac transfertur in unum vel in plures a quibus communitas regitur.

Unde:

1. Summus Pontifex nequit leges civiles ferre nisi in populos qui ejus temporali ditioni subduntur. Poterit tamen abrogare vel corrigere leges civiles aliorum Principum si opponantur aequitati.

2. Reges et Principes Supremi, qui Superiorem non agnoscunt, leges civiles ferre possunt in suis ditionibus.

3. Circa Reginas regni haeredes, de hoc dubitatur inter DD. Nam, si conjugatae non sint, certum est ferre posse leges; si vero sint conjugatae, etiam constante matrimonio, ad ipsas pertinere potestatem gubernandi, et inde ferendi leges, *probabilius* putant *Salm., Suar., Pal.*

4. Eamdem potestatem habent Respublicae

5. Aliae vero Civitates non exemptae nequeunt ferre leges nisi ex consuetudine, aut concessione Principis. Possunt tamen aliqua statuta condere quibus vi contractus obligentur cives, vel alia praecepta statuere temporalia, non perpetua, revocabilia tamen a Principe, quibus subditi teneantur. - 104.

Certum est 2. adesse in Ecclesia potestatem ferendi leges, immediate a Christo Domino Ecclesiae institutore communicatum.

Unde:

1. Hanc potestatem certissime habet summus Pontifex, tanquam Caput universale, Christi Vicarius, successor sancti Petri, cui totum Ecclesiae regimen a Christo fuit commissum, independenter a Conciliis. Ita *Salm., Bellar., Caj., Laym., etc.*

2. Concilia generalia etiam possunt ferre leges pro tota Ecclesia, modo sint congregata de licentia summi Pontificis, et pro loco ac tempore ab ipso assignatis. Sed ut leges seu definitio-

nes ab oecumenicis Conciliis editae robur habeant, necessario requiritur ut expresse a *Papa* confirmentur, quando ipse non est Concilio personaliter praesens. Ita *S. Thom.* et *communiter* nostri DD. ut *Card., Suar., Laym., Pal., Salm.*, etc. Et confirmatur exemplo tot Conciliorum generalium, quae post confectas definitiones necessarium duxerunt confirmationem Pontificis petere et obtinere.

Hinc merito ab *Alex. VIII.* proscripta fuit prop. 29. quae dicebat: « fu- » tilis et toties convulsa est assertio » de Pontificis Romani supra Conci- » lium oecumenicum auctoritate, at- » que in Fidei quaestionibus decernen- » dis infallibilitate.»

Hanc falsissimam propositionem plene et ex principiis confutari valde prodest ad firmanda tam Fidei quam morum dogmata: omnes enim propositiones a Pontificibus damnatae, licet non omnes sint haereticae, sed aliae temerariae, aliae scandalosae; etc. tamen, accedente Pontificis definitione, tenendum est de Fide quod illae propositiones vere sint temerariae, vel alia inficiantur nota quam ipsa pati Pontifex declaravit; et ideo quidem esset haereticus, qui easdem tanquam veras et licitas sequeretur aut propugnaret. Qua de re, vide dissertationem in Auctore n. 110.

Verum est quod caeteris Apostolis etiam fuit collata potestas universalis Ecclesiam gubernandi, diverso tamen modo ac fuit concessa *S. Petro*, qui poterat eos obligare, et ipsorum leges abrogare. Ita *Salm., Suar., Caj.*, etc.

3. Episcopi qui successores sunt Apostolorum, bene ferre possunt leges pro suis dioecesibus sine consensu Capituli; exceptis rebus quae cedere possunt in praejudicium Capituli, vel Cleri. Et hanc potestatem a Pontifice illos recipere, dicunt *S. Thom., S. Antonin. Sot, Salm.*, etc.: sed alii asserunt illos eam immediate a Christo Domino recipere.

Caeterum haec quaestio est tantum de nomine; nam ex una parte certum est quod Episcopi licet immediate recipiunt hanc potestatem a Christo, semper tamen suscipiunt cum subordinatione ad Papam; et ex alia, licet Episcopi recipiant a Pontifice, possunt tamen leges ferre absque ejus licentia; modo non opponantur legibus Pontificis, et modo potestas circa aliqua non sit Pontifici reservata.

Archiepiscopi autem non possunt ferre leges in dioecesibus suffraganeis nisi ex consuetudine id habeant.

4. Concilia provincialia sive nationalia alicujus Nationis, sive provincialia alicujus Metropolis, nempe Episcoporum cum suo Archiepiscopo, sive synodalia, in quo Episcopus cum suis Parochis, etc., conveniunt, ferre etiam possunt leges perpetuas pro suo territorio.

5. Capitula autem nequeunt condere leges sine consensu Episcopi, nisi tantum circa suos capitulares. Ita *Salm., Sylv.*, etc.; sed *recte affirmant Salm.* cum *Laym., Bon., Suar.*, etc. posse Capitulum, mortuo Episcopo, ferre legem pro tota dioecesi, usquedum revocetur ab Episcopo successore.

6. Abbatissae possunt etiam ferre praecepta pro recta gubernatione domus et adhuc sub culpa gravi obligare, ut dicunt *Sanch. Mazzot.* etc. - 104.

Quaeritur 1. An Decretalia, sive Epistolae, Responsa aut Declarationes Pontificiae non insertae in corpore juris vim obligandi habeant?

R. Affirmative, et constat ex jure canonico. Advertit tamen *Suar.* eas non obligare nisi post promulgationem. Et hic sapienter advertit *Ronc.* quod non solum Constitutiones pontificiae quae solemniter sunt promulgatae, obligationem legis inducant, sed etiam omnes aliae quae ex usu et consensu

Ecclesiae universalis jam a pluribus saeculis habentur pro sufficienter promulgatis et authenticis.

Quaeritur 2. An Declarationes sacrae Congregationis Cardinalium, Decisiones Rotae, Regulae Cancellariae vim legis habeant?

R. 1. Quoad Declarationes sacrae Congregationis nulli dubium quod pro casibus particularibus pro quibus fiunt obligent ut leges, pro ut est *commune* apud *Salm.* Pro casibus autem similibus, duplex est sententia. *Prima* asserit quod tales declarationes, si sint munitae sigillo et subscriptione Eminentissimi Cardinalis Praefecti, robur habent obligandi omnes.

Secunda vero *Sententia* dicit quod licet tales declarationes magni sint ponderis, non obligant tamen universe, nisi sint, non solum Papa consulto et mandante editae, sed etiam sint ejus mandato speciali solemniter promulgatae pro tota Ecclesia, ita ut praecipiat Pontifex ab omnibus illas observari. Tunc enim tantum ipse loquitur ut Ecclesiae Caput, et Doctor, alioquin videtur loqui solum ut Praeses illius Congregationis, cui non videtur tunc communicare totam suam auctoritatem et infallibilitatem (*a*).

2. Decisiones autem Rotae minorem utique quam declarationes S. C. auctoritatem habent. Ita *Croix*, etc.

3. Regulas Cancellariae obligare ubique *negat Less.* Sed *affirmat Mazzot.* - 106.

CAPUT III.

DE OBLIGATIONE LEGIS.

Cum Deus sit Dominus noster, atque etiam Superioribus parere nos jusserit, non solum ipse, sed et illi nobis praecipere possunt et praecipiunt, tum sub poena, tum etiam sub culpa sive peccato; eoque gravi aut levi, prout et rei praeceptae ad intentum finem necessitas et materiae quantitas, et eorum voluntas sese habent; quae ex eorum verbis, circumstantiis, aut prudentium aestimatione solet colligi. Ita Theologi *cammuniter S. Thom., Suar., Salas,* etc.

Quaeritur 1. Quae conditiones requirantur ut lex obliget?

R. Sequentes quatuor requiruntur :

1. Ut lex sit pro tota communitate.

2. Ut legislator habeat publicam potestatem.

3. Ut lex sit perpetua.

4. Ut sit ad bonum commune: deinde sit honesta, justa et possibilis. - 140.

Unde:

1. Ad Legem seu Praeceptum quis tenetur, non ad consilium, cum hoc tantum dirigat, illud vero obliget. - 91.

2. Cum iniqua Lex est et contra rationem, non obligat. - 93.

3. Leges et sententiae latae a Tyrannis obligant, si ii pacifice regna possideant, et a Republica tolerentur. Nam Respublica sic tacite confert iis potestatem gubernandi, eorumque leges et acta ratificat. *Less., Salm., Pal., etc.* - 94.

4. Leges civiles obligant in conscientia, modo non fuerint a jure canonico expresse correctae. - 106.

5. Graviter peccat, qui deliberate et in materia magna violat praeceptum aliquod Decalogi vel Ecclesiae. - 140.

6. Cum res levis est, non peccat mortaliter transgrediens, etsi Superior sub mortali praeceperit; quia id

(a) Addendum tamen est quod hujusmodi declarationes, quae jam in Ecclesia universaliter divulgatae fuerunt usu plurium annorum, vel relatione auctorum communiter ipsius referentium, hae satis omnes fideles obstringunt. Vide inter quaest. Recenter reformatas, quaer. 2.

eum posse *negant Suar., Laym.*, et alii *communiter*. - 141.

7. Aliud esset, si materia alias levis fieret gravis ratione circumstantiarum ; ut v. g. contemptus, scandali, magni boni communis, vel finis a Legislatore intenti. Sic abstinentia a pomo in Paradiso, in se quidem parva, gravissima tamen erat ex circumstantia finis. *Suar., etc.*

Sic pariter in quacumque materia contemptus formalis legis aut Legislatoris, quod est contemnere legem vel Legislatorem, seu Superiorem qua Superior est, semper est peccatum mortale. *Salm.* cum *S. Thom., Suar. et communi.*

Secus, si contemnatur res praecepta, quia parvi aestimatur, vel ex indignatione particulari contra Superiorem. *Salm.* cum *Sanch., Caj, etc.* Contemptus enim non qua Superioris, sed qua singularis personae v. g. quia indocti, imprudentis, etc. de se non est culpa mortalis, nisi forsan judicium sit graviter temerarium. *Salm., Pal., Sanch., Less., Bon.* Hinc dicunt raro contingere peccatum mortale ratione contemptus. - 142.

Quaeritur 2. An Legislator in materia gravi possit obligare tantum sub levi ?

R. Prima sententia negat, quia gravitas obligationis non dependet ex voluntate Superioris, sed ex gravitate materiae. Ita *Soto* etc.

Secunda tamen sententia probabilior affirmat cum *Suar., Less.*, etc.: quia sicut potest nullo modo obligare non praecipiendo, ita etiam potest obligare sub veniali tantum. - 143.

Quaeritur 3. Quae sint signa ex quibus colligi potest legem obligare sub gravi culpa ?

R. Potissima signa sunt haec : 1. Si materia sit gravis, et non constet in contrarium de voluntate praecipientis. 2. Si verba magnam vim habeant, ut *jubemus, interdicimus, in virtute sanctae obedientiae*, vel *vi voti aut juramenti*, vel *graviter mandamus, etc.* 3. Si poena magna adjiciatur, ut excommonicationis, depositionis, maledictionis aeternae, exilii perpetui, mortis, etc. 4. Si ita ferat usus et consuetudo inter peritos et timoratos ; quia consuetudo est optima legum interpres, ut patet in lege jejunii ecclesiastici et abstinentiae a carnibus ; item in lege communionis annuae, quas graviter obligare probant hic *Tol., Laym., Bon.* - 144.

Hinc omnes leges sub poena excommunicationis *latae sententiae* obligant graviter. Est *commune*.

Quaeritur 4. An obliget sub gravi lex quae praecipit sub poena suspen. sionis, interdicti, vel irregularitatis ?

R. Legem praecipientem sub poena suspensionis, interdicti vel irregularitatis, obligare sub gravi, *negant Caj., Val., Salon.. etc. Contradicunt* tamen *Salm.* tam quoad irregularitatem, quam quoad interdictum et suspensionem, si sint majores, prout suspensio ab officio vel beneficio ad longum tempus, et interdictum ad omnem usum, quae dicunt non posse incurri sine peccato gravi. Ita *Salm., Suar., Bon, Conc.* et idem dicunt de aliis poenis spiritualibus gravissimis. Attamen, si tales poenae sint *ferendae sententiae, probabilius negatur* eas obligare sub gravi. Ita *Salm., Caj, Pal., Suar., Sanch. Vasq.; etc.* nisi dicatur quod censura incurratur *sine alia monitione*, vel nisi de se materia sit gravis. - 146.

Quaeritur 5. An lex pure poenalis obliget in conscientia ?

R. Si lex est *pure poenalis*, id est, nullum dans praeceptum, sed imponens tantum poenam transgressori, haec non obligat in conscientia, etiamsi poena sit gravissima. Ita *Salm. Nav., Pal.*

Hinc, leges Oppidorum prohibentes sub poena caesionem lignorum, sive herbarum, piscationem, venationem, non obligant sub culpa, sic enim habet consuetudo. Ita *Salm.*, *Nav.*, *Val.* - 145.

Quaeritur 6. An leges assignantes poenam temporalem, et simul praecipientes, obligent ad culpam vel solum ad poenam?

R. Prima sententia negat, nisi lex exprimat velle obligare ad culpam; quia licet Principes bene possint obligare, tam ad poenam quam ad culpam; attamen, cum non sint imponenda onera sine necessitate, non praesumuntur ipsi velle ad culpam obstringere, quando sufficit poena ad eos coercendos: et ita hujusmodi leges dicunt consuetudine interpretari.

Verius tamen absolute contradicunt *Salm.*; Ratio, quia haec est differentia inter legem *pure poenalem*, quae obligat ad solam poenam, et haec est, quando in ea tantum poena assignatur, et legem *mixtam* quae obligat etiam ad culpam, et haec est quando ultra poenam praeceptum adjungitur; ipso enim praecepto tunc creditur Superior velle ad culpam obligare, ne frustra videatur praecipere. - 147.

Quaeritur 7. An incurratur poena ante judicis sententiam?

R. Poenae spirituales, ut excommunicatio, irregularitas, etc., quando ponuntur *ipso facto*, non indigent sententia; est *certum* apud omnes. Idem dicitur de poenis privativis, modo reus subire eas possit sine infamia, sicut esset privatio vocis activae et passivae, ut *Suar.*, *etc.*, et modo alicubi non habeat aliter consuetudo particularis.

Adde, nisi poena consistat in privatione alicujus juris acquisiti, puta in beneficio, electione, etc., tunc enim semper requiritur declaratio juridica vel poenae, vel saltem criminis etiamsi poena imponatur, *ipso facto incurrenda, nulla expectata declaratione.* Ita *Less.*, *Soto*, *Sanch.*; *etc.* - 148.

Quod dictum est de poenis privativis, a fortiori dicendum de positivis quae consistunt in actione positiva, v. g. aliquid restituendi, aut patiendi, ut *communiter*, cum *S. Thom.*, *Sanch.*, *Soto, etc.*

Et sic igitur dicendum de legibus privantibus beneficiis jam obtentis, ratione simoniae vel alienationis bonorum, beneficii, etc., ubi semper requiritur declaratio Judicis. Ratio omnium horum est, quia nimis ardua et inobservabilis esset lex illa humana, quod reus ipsemet in seipsum deberet poenam exequi.

Poenae autem inhabilitantes ei conditionales *sine quibus non*, obligant ante judicis sententiam. - 149.

Quaeritur 8. An poena conventionalis in contractibus debeat solvi ante sententiam?

R. Prima sententia affirmat; quia quisque tenetur ante sententiam pactum observare. Ita *Bon.*, *Suar.*, *Mol.*, *etc.*

Secunda sententia quam tenent *Nav.*, *Less.*, *Sanch.*, *Vasq.*, *etc. negat;* quia sentiendum est contrahentes non aliter velle sibi imponere poenam quam juxta dispositionem juris circa leges poenarum, quae nonnisi post sententiam contrahuntur.

Profecto tenetur reus post sententiam ad poenam; sed notandum est non teneri eum ad solvendam pecuniam, nisi petatur a parte. Et si poena sit nimis dura, ultra sententiam requiritur praeceptum judicis et Ministrorum executio. - 150.

Quaeritur 9. An, quando lex requirit aliquam conditionem, sine qua irritet actum, uti lex irritans testamentum sine solemnitatibus etc., obliget in conscientia?

R. Prima sententia negat, ut *Nav. Covarr.* Ratio, quia tales leges fundantur in praesumptione fraudis quae tunc non adest.

Secunda sententia affirmat; quia tales leges non solum fundantur in praesumptione fraudis, sed etiam in periculo illius, quod semper adest. Ita *Salm.* cum *Sanc., Pal.* Utraque est *probabilis;* sed secunda *probabilior.* - 151.

Quaeritur 10. Quando teneamur tollere impedimenta vel ea non apponere quae obstant impletioni Legis ?

R. Praenotandum est 1. ad quaestionis solutionem, aliud esse, quod quis non obligetur a lege, sive ab illius obligatione extrahatur : aliud, quod excusetur a transgressione Legis, manendo tamen sub ejus obligatione.

Unde fit, ut dùpliciter possis te impedire ab observatione legis ; vel apponendo causam qua extraharis a legis observatione, scilicet si ab hoc loco ubi est praeceptum audiendi sacrum, discedas ad alium ubi tale praeceptum non viget : vel efficiendo opus, quod licet impediat te ab observatione legis, non te extrahit tamen a legis obligatione ; nempe si die dominico discedas a loco Sacri ad sylvam, ubi etsi Sacrum audire nequeas, ab illius obligatione tamen non extraheris.

Praenotamdum est 2. quod contra leges naturales nunquam licet apponere impedimentum, ut ab illius obligatione extraharis : secus autem dicendum de legibus humanis, quae non obligant cum tanto rigore. Quibus praenotatis.

Dico 1. Licitum est apponere aliquam causam, qua subtraharis a legis obligatione.

Dico 2. Illicitum autem apponere causam non extrahentem, sed tantum excusantem aliquem a lege - 152.

Quaeritur 11. An leges quascumque justas teneatur Communitas acceptare ?

R. Affirmative, et peccant certe non acceptantes legem juxtam, ex prop. 28 *ab Alex. VIII.* damnata quae dicebat: « populus non peccat etiamsi absque » ulla causa non recipiat legem a Prin» cipe promulgatam. » Quia Princeps jus habet ut subditi suas justas leges recipiant.

Quaeritur 12. An essentia legis pendeat ab acceptatione populi, ita ut ipsa non liget donec populus acceptet ?

R. Quaod leges Ecclesiasticas certum est quod summus Pontifex possit obligare ad leges populum christianum independenter ab illius acceptatione: quia certum est *Papam* non recipere potestatem legislativam a populo, sed a Christo Domino. Et idem dicitur de Episcopis qui vel immediate per Christi Vicarium ab eodem Domino potestatem habent. Quoad leges civiles, vide infra.

Quaeritur 13. An lex ubi non exprimitur, velle Principem obligare independenter ab acceptatione populi, de se obliget sine populi consensu ?

R. Circa leges Pontificum vel aliorum Praelatorum, *prima sententia negat.* Ratio quia hoc spectat ad suave regimen Ecclesiae, ut perturbatio populi evitetur. Ideoque multa decreta pontificia de facto non obligant, quia non sunt acceptata. Ita *Cabass., Bon., Cov. etc.*

Secunda sententia contraria, cui subscribimus, affirmat; quia Praelati Ecclesiastici non habent potestatem a populo, uti praenotatum est a principio.

Quaeritur 14. An idem censendum sit de legibus civilibus ac de legibus ecclesiasticis ?

R. Idem censendum esse asserunt *Bus., Pal., Suar., Laym.,* Ratio, quia obligatio legis oritur non ex acceptatione populi, sed ex ipsa potestate Principis, quam habet condendi leges in-

dependenter a populo (*a*). Alii tamen *negant cum Croix.* - 183.

Notandum quod aliquid Doctores limitant, sive lex sit civilis sive ecclesiastica, in sequentibus casibus.

1. Si lex sit difficilis observantiae, vel contraria consuetudini, quod judicatur ex arbitrio prudentum : vel si plures ab ea appellent. Ita *Pal., Suar., Salas.* Et huic sententiae adhaerent *Salm.* Quando lex est adeo dura, ut per Epikeiam judicatur quod si Legislator illas circumstantias advertisset, legem minime emanasset. *Contrarium* tamen sentiunt *Tap.* et *Gorgon.*

2. Si lex fuerit abrogata per desuetudinem a majori parte populi.

3. Si major et sanior pars populi, legem non receperit ; quamvis enim primi non acceptantes peccent, si desuetudo nondum sit praescripta, caeteri tamen non tenentur ad legem: nam praesumitur Princeps nolle obligare ad observandum quod non est a majori parte receptum. Ita *Salm., Pal., Les., Busemb.*

4. Si populus supplicet Principem ut revocet legem, et Princeps audiat supplicationem populi et taceat, nec instet pro observantia, tunc enim Princeps censetur legem abrogare, nisi aliud conjiciatur ex circumstantiis.

Quaeritur 15. An praescriptio per decennium sufficiat ad abolendas leges Ecclesiae ?

R. Negant Sal., Bon., Dian., Laym., quia ad praescribendum adversus Ecclesiam requiruntur quadraginta anni.

Sed *Less., Pal., Sa, Nav., Azor, etc. probabiliter* dicunt sufficere decem annos, sive leges sint receptae sive non. Quando vero lex nunquam fuit recepta, certe sufficit decennium pro utraque lege, sive civili sive ecclesiastica. Et tunc licet primi non observantes peccarint, praesentes tamen non peccant. Ita *Salm., Suar., Bon., Pal. communiter* cum *Busemb.* - 139.

Quaeritur 16. An promulganda sit lex, sive denuntianda ut obliget ?

R. *Affirmandum* cum *S. Th., Mol., Sal.* et aliis *communiter.* - 95.

S. Th. sic docet : « Leges tunc constitui, cum promulgantur. » Ratio, quia lex nequit obligare, nisi perveniat per promulgationem ad notitiam communitatis. Ergo, lex non obligat, si denuntietur tantum personis particularibus.

Hinc *infertur* quod si quis sciret aliquam legem esse conditam, non teneretur eam servare nisi postquam esset promulgata. Sufficit autem ad obligandum, quod lex communiter et solemniter publicetur in locis, ita ut possit pervenire ad notitiam majoris partis communitatis, licet a singulis ignoretur.

Notandum est circa modum promulgationis, quod leges Caesareae, sive Principum subjectorum Imperatori, debent promulgari in singulis provinciis, seu civitatibus metropolitanis; et non obligant nisi post duos menses a promulgatione.

Quaeritur 17. An leges pontificiae et aliorum Principum non subjectorum, ut obligent, promulgari debeant, non solum Romae sive in Curia, sed etiam in singulis provinciis ?

R. Prima sententia affirmat, et hanc tenent plures graves Auctores, ut *Becanus, Cabasut.*, etc.

Secunda vero *sententia* valde *communis* et *probabilior* id *negat*, tenetque leges pontificias et aliorum Principium non subjectorum obligare sola promulgatione Romae, vel in Principis Metropoli peracta; ita *Suar., Bon., Azor., Card., Vasq.* etc. Ratio *haec* est : Nulli dubium quod lex, ut vim habeat obligandi, debet esse promulgata, alias ad notitiam subditorum

(*a*) *Hoc est* probabilius - *II.* 9.

pervenire non posset; sed quod ad promulgationis modum pertinet, hoc ab arbitrio et intentione Legislatoris pendet.

Porro leges, seu Bullae pontificiae, ut plurimum, juxta usum jam receptum, tantum Romae promulgantur locis ibi ad id assignatis; et vigore hujusmodi constitutionum deinde omnes causae ecclesiasticae judicantur. Contra autem Sedes apostolica, cum vult aliquam legem non obligare, nisi post publicationem factam in provinciis, id exprimit.

Unde cum Pontifex statuit suas Bullas tantum Romae publicari, minime verisimile est, quod ipse non alias provincias, sed solam romanam obligare intendat. Cum *Papa* tantum Romanos obstringere vult, solet peculiaria edicta emanare, et haec italico idiomate efformat; sed statuta per totam Ecclesiam condens, eaque solemniter promulgans cum clausulis obligatoriis, procul dubio praesumitur omnes fideles obligare velle, statim ac ipsis notitia pervenerit.

Quae notitia facile est, ut e Roma ad Provincias perveniat; Romae enim conveniunt omnes fere nationes, et omnes Praelati habent ibi suos procuratores, qui ordinarie satagunt suos Principales de novis bullis quae promulgantur, certiores facere.

Nota tamen quod *probabile* sit leges pontificias, quae infirmant aliquem contractum suapte natura validum, vel quae jurisdictionem auferunt, v. g. in Sacramento poenitentiae, circa has benigne interpretari posse mentem esse pontificis, quod nolit eas effectum habere, nisi postquam fuerint in dioecesibus promulgatae, alioquin ipsae redundarent in detrimentum plurimorum qui illas invincibiliter ignorarent. Secus autem est respectu poenarum quae statuuntur adversus clericos male ordinatos, et Episcopos male ordinantes. Sicut etiam secus proceditur in legibus irritantibus actum aliquem ob defectum solemnitatis, quae leges postquam obligandi jus habuerunt, etiam respectu ignorantium valent.

Quaeritur 18. An ut lex obliget, requiratur spatium duorum mensium a promulgatione?

R. Tres sunt sententiae. *Prima* dicit statim obligare. Ita *Salas., Vasq.*, etc.

Secunda dicit obligare statim, vel quasi saltem existentes in Curia; alios autem non obligare, nisi post sufficiens tempus, plus minus juxta distantiam locorum. Ita *Palaus, Suar., etc.*

Tertia sententia probabilior dicit, quando in lege non determinatur tempus ad obligationem, nullos obligare, neque in Curia existentes, nisi post duos menses a promulgatione, sed transactis duobus mensibus, jam arbitrio prudentum taxatis, omnes obligare. Ita *Soto, Bon., Sylv. Salm., etc.* Ratio, quia lex non obligat, nisi ejus notitia moraliter ad omnes subditos pervenire possit. - 96. (*a*).

Quaeritur 19. An in dubio, si lex existat, lex obliget?

R. Minime obligare post adhibitam sufficientem diligentiam ad inquirendam veritatem, praeciso tamen scandalo, vel alio notabili inconvenienti; quia tunc possidet libertas. Ita *Communiter Suarez., Sanch., etc.* Vid. *Tract. de Conscientia*, n. 53.

Unde:

1. Idem dicendum, si dubitatur an aliquid comprehendatur sub lege: vel an lex extendatur ad aliquid.

(*a*) *Ex Cod. noviss. nostri Regni Neapolit. p.* 1. *a.* 1. 2. *lex civilis obligat post diem promulgationis in loco, in quo est promulgata: in aliis locis adduntur totidem dies pro singulis viginti milliaris distantiae nisi aliud sit in lege expressum* (E. N.)

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

2. Idem in dubio, an incoeperit legis obligatio: secus autem in dubio, an finierit. *Salm., Laim., etc.*

3. Sed, si dubitas an causa, quam habes, sit sufficiens ad te excusandum a lege, *verius* est te teneri ad legem: quia tunc possidet lex antecedenter ad tuam libertatem. *Salm., Pal., etc.*

4. Si dubitas, an lex sit promulgata, ad legem te non obligari docent *Salm., etc.* Excipit tamen *Croix*, si lex fuerit jam usu recepta.

5. In dubio, an lex praecipiat vel suadeat; aut non obliget sub gravi vel levi: lex tunc aut non obligat, aut non obligat sub gravi.

6. Contra, in dubio an lex sit abrogata, aut dispensata; vel an adsit causa excusans a lege; ad eam tenemur ex *communi*.

7. Non teneris in dubio inceptionis legis, quia possidet libertas. Secus, in dubio praeteritionis; tunc enim possidet lex.

8. Si dubitas an legem impleveris, teneris in dubio negativo; secus, in positivo. - 99.

Quaeritur 20. Si dubitas an lex sit recepta, tenearis-ne ad legem?

R. Adsunt tres sententiae. *Prima* tenet tunc legem non obligare, saltem si sit poenalis; sic *Azor., Salar., etc. Secunda sententia* quam tenet *Croix*, dicit legem obligare, si sit Ecclesiastica, secus vero si sit civilis. *Tertia* tamen *sententia sequenda affirmat* legem obligare. Et hanc tenent *Pal., Sanch., etc.* Ratio, quia cum constet de lege, pro ea stat possessio. - 97.

Quaeritur 21. An in dubio si legislator sit legitimus superior, tenearis ad legem?

R. Negant Vasq., etc., te teneri ad ejus legem implendam, sed *affirmandum* cum *Sanch., Croix, etc.* semper ac superior est in pacifica possessione suae potestatis, tunc enim melior est ejus conditio jam possidentis jus praecipiendi.

Quaeritur 22. Quid in dubio an Superior suam potestatem excedat?

R. Non teneri subditum obedire censent *Vasq., Salm., etc.*, sed *recte contradicunt Navar., Pal., Tol., Mol., Sa, communiter* cum *Sanch.*; quia possessio stat pro potestate Superioris.

Limitat tamen *Sanch., Sot., etc.* si res praecepta sit nociva subdito vel tertio, aut valde difficilis vel molesta. - 98.

Quaeritur 23. Quid in dubio de justitia legis?

R. Negant Discart., etc. subditum teneri obedire. Sed *omnino affirmandum* cum *Bon.*, quia revera in dubio Superior possidet jus praecipiendi.

Excipiunt tamen Doctores si lex sit nimus ardua, vel si grave damnum subdito afferat. Vide dicenda in *Tract. de Restitutione*, n. 617 - 99.

Quaeritur 24. Utrum in dubio, an res sit licita, teneatur subditus obedire?

R. Negant Sylvest,, etc. Sed *verius affirmant Sanch, Nav.* ex divo *Th.*, qui docet non pertinere ad subditos, sed tantum ad Superiores inquirere de honestate rei praeceptae; ideoque bene potest et tenetur subditus obedire semper ac ei non constat rem esse malam.

Caeterum, praecisa quaestione, an subditus de honestate rei praeceptae teneatur vel non prius inquirere ab aliis rei veritatem, *communis* est *sententia* omnium Theologorum tam recentium quam antiquorum, qui docent in obscuris esse obediendum Superioribus, ubi non est certum peccatum. Ita *S. Bonaventura, Gerson, etc.* Ita etiam omnes mysticae Theologiae Magistri, ut *S. Ignatius Loyola, etc.* Audiatur praecipue *D. Bernardus*: « Quidquid vice Dei praecipit homo » quod non sit certum displicere Deo, » haud secus omnino accipiendum est » quam si praecipiat Deus. »

Quaeritur 25. An lex humana possit directe praecipere actus internos?

R. Probabilius negant Salm. cum *S. Th., Caj., Suar., Bon.;* quia Legislator humanus nequit judicare de internis.

Quaeritur 26. An possit lex humana praecipere indirecte actus internos ob connexionem cum actibus externis?

R. Distinguitur: Potest, si actus interior per *se* cum exteriore conjungatur. Et duplici modo potest conjungi vel tanquam forma constituens actum externum in esse morali actus virtutis: Sic requiritur consensus internus ad matrimonium contrahendum; ad contractum ineundum, etc. Vel tamquam causa cum effectu: Et sic qui prohibit homicidium, prohibet etiam voluntatem occidendi.

Si vero actus interior per accidens conjungatur cum exteriore, tunc non potest praecipi a lege humana; puta, si praecipiatur dari eleemosynam ex vera devotione, etc. Ita *Salm., Suar., Pal. etc.*

Quaeritur 27. An actus exteriores occulti possint a lege humana prohiberi?

R. Affirmative. Et sic prohibetur sub excommunicatione haeresis externa, licet, occulta.

Quaeritur 28. An tenearis parere legi fundatae in falsa praesumptione?

R. Universe negat Rebel, sed *Mol.* et alii *melius affirmant* teneri ad legem, puta reficiendi damnum ex tuo animali causatum etiam sine tua culpa: quia finis legis est, non solum punire culpam, sed etiam reddere homines cautiores. Hoc tamen, non ante sententiam Judicis.

Si vero tuum animal non intulit damnum, sed juridice probetur intulisse, tunc non teneris solvere etiam post sententiam, praeciso scandalo, et poteris compensari si solvisti; quia tunc lex esset certe injusta, falsum praesumendo, et in foro interno praesumptio debet cedere veritati. Ita *communiter Suar., Pal., Sot., etc.*

Nec valet dicere quod irritantur Testamenta solemnitatibus carentia, ut fraudes vitentur; et nihilominus licet fraus aliquando cesset, nec testamentum subsistit: sed in hoc casu et similibus distinguenda est praesumptio juris, qua lex quacrit avertere pericula, quae facile evenire solent, et tunc lex locum habet, etiam in casibus qui fraude carent, a praesumptione facti, quod si deest, lex merito cessat. - 100.

CAPUT IV.

DE SUBJECTO LEGIS.

Soli subditi ratione utentes tenentur legibus parere.

Sed *Nota*, aliud esse ad legem non teneri, sicut non tenentur ad leges ecclesiasticas infideles, pueri, amentes. Aliud a lege excusari, sicut excusantur ebrii, ignorantes, dormientes. - 153.

Unde:

1. Infideles non baptizati etiam catechumeni non obligantur praeceptis Ecclesiae; obligantur tamen haeretici et alii, qui per baptismum Ecclesiae sunt subjecti. - 154.

2. Etsi pueri ratione utentes legibus his Ecclesiae, quarum materia eorum aetati est conveniens v. g. confessionis annuae, item abstinentiae a carnibus, auditionis Sacri obligentur quoad culpam; non tamen quoad poenas ordinarias, nisi sint puberes, quales sunt masculi anno quarto decimo; puellae duodecimo anno absoluto. *Sot., Vasq. Sa, etc.*

Porro infantes censentur pervenisse ad usum rationis, expleto septennio. Siante septennium pervenerunt ad usum rationis, putant *Sanch., etc.* eos non teneri, quia leges positivae attendunt tantum ad ea quae communiter contingunt: sed *probabilius Bosco*

affirmat teneri. Si vero dubium est post septennium, an usum rationis attigerint, certe tenentur ad omnes leges, quia praesumptio ex communiter contingentibus stat pro obligatione; secus, si ante septennium usum rationis non attigerint, vel dubitetur an attigerint. Vide *tract. de tertio praecept.* n.270.

3. Infantibus non baptizatis, et perpetue amentibus licite dantur carnes diebus vetitis, et imponuntur opera servilia festis; non autem ebriis, cum legi maneant subjecti; uti nec licite irritantur amentes ad blasphemandum etc., eo quod talis actus tribueretur principali agenti, qui alterius opera uteretur quasi instrumento. *Laym.*, *Bon.*, *Sanch.* etc. - 155.

Quaeritur 1. An legislator teneatur suis legibus?

R. 1. Legislator non tenetur suis legibus, ut sic, quoad vim coactivam et poenam, sive directe: indirecte tamen, et quoad vim indirectivam, et ex aequitate quadam tenetur se, tanquam caput, membris conformare. Ita *S. T.*, *Sylv.*, *Suar.*, *Bona.*, *etc.* contra *Azor.*

2. *Probabile* est, praeciso scandalo, tantum teneri sub levi legislatorem suis parere legibus; qui tantum ex honestate obligatur ad legem. Ita *Salm.*, *Less.*, *Bona.*, *etc.* Limitatur tamen, si lex lata sit de taxatione pretii, vel de irritatiane contractus; tali legi tenetur stare Princeps ad servandam aequitatem; tunc tenetur sub gravi.

Quaeritur 2. An Peregrini teneantur legibus sui domicilii, dum ab eo absunt?

R Ante omnia *Notandum* 1. praeceptum aliud esse *locale;* quod scilicet certo tantum in loco obligat; aliud *universale,* seu *juris communis,* quod totam fere Ecclesiam obligat.

2. *Peregrinos* proprie dici eos qui aliquo veniunt animo non manendi, sed tantum subsistendi per aliquot dies, vel ad summum, per minorem anni partem, ut mercatores, viatores, non autem studiosi, neque ancillae, quae veniunt ad serviendum. Quibus praenotatis:

Nunc ad quaest.; *Dico* Peregrinos non obligari legibus sui domicilii, dum ab eo absunt; quia praecepta *localia* per se et directe respiciunt territorium eique sunt affixa; atque ideo non obligant nisi existentes intra illud.

Quaeritur 3. An Peregrini teneantur praeceptis locorum in quibus morantur?

R. Prima sententia affirmat; et hanc tenent *Pontius*, *Suar.*, *Salas.*, *Tapia.*, *etc.* Probant 1. ex *S. Ambrosio* dicente: « Cum Romam venio, sabbatum jejuno: cum Mediolani sum, non jejuno; sic et tu ad quamcumque Ecclesiam veneris, ejus morem serva, si cuiquam non vis esse scandalo, nec quemquam tibi. » Probant 2. ratione, tum quia qui sentit commodum, debet sentire et incommodum; sicut enim talis advena solvitur legibus patriae a qua abest, ita aequum est eum obligari legibus loci ubi moratur; tum quia expedit ad pacem publicam servandam et scandalum vitandum, ut omnes servent leges loci ubi reperiuntur. Haec sententia est *satis probabilis.*

Sed *probabilior* videtur *secunda sententia* quae dicit advenam non teneri legibus loci ubi non moratur, nec intendit morari per majorem anni partem. Hanc tenent *Sanch.*, *Bon.*, *S. Antonin.*, *Azor.*, *Tolet.*, *Layman*, *etc.* Ratio, quia leges non obligant nisi subditos, quales non sunt Peregrini, cum ipsi ob brevem illam moram minime subjiciuntur jurisdictioni Superiori loci.

Limitatur tamen haec secunda sententia 1. in legibus de jure communi, vel circa solemnitates contractuum, aut circa commoda illius loci v. g. de non extrahendis triticum, arma, etc.

2. Si eaedem leges vigeant in Patria Peregrini.

3. Si Peregrinus ibi delinquat contra jus commune, tunc enim fit subditus ratione delicti.

Quaeritur 4. An, ut quis teneatur legibus loci ubi est, requiratur ut ibi verum domicilium contraxerit?

R. Ante omnia, hic refert distinguere domicilium a quasi-domicilio. Verum domicilium acquirit qui habitat alicubi animo ibi perpetuo manendi, ut *communiter* docent *Bonac., Roncag., etc.*: censetur autem hujusmodi animum habere qui habitat alicubi per decennium non significata voluntate recedendi; vel qui majorem partem bonorum ibi asportaverit, aut domum aedificaverit; vel qui saltem, expressis verbis, voluntatem ibi perpetuo manendi expresse significaverit.

Ille autem acquirit quasi-domicilium qui manet in aliquo loco per majorem anni partem; vel qui ibi moratur per aliquod notabile tempus, cum animo ibi manendi majori parte anni. His positis:

Nunc ad quaest. dico sententiam *communem* et tenendam docere sufficere quod, ut quis teneatur legibus loci ubi est, ibi contraxerit quasi-domicilium. Ita *Suar., Sanch., Salm., Laym., S. Antonin., etc.* Ratio, quia tales Peregrini jam subjiciuntur jurisdictioni Superiorum illius loci, ergo etiam legibus tenentur, et tenentur a prima die qua illuc perveniunt animo habitandi per majorem anni partem, ut recte notat *Sanct.*, cum *Sylvest. Pal., etc.* - 156. (*a*).

Quaeritur 5. an Peregrini teneantur legibus patriae, dum absunt, si istae sint de jure communi, sed sint abrogatae in loco ubi sunt?

R. Negative cum *Salm., Pol., Less.*, Et hoc etiamsi discederent a patria ad eximendum se a lege. Ita *Salm., Pal., Bon., Sanch., etc.* Vel manerent in sua patria, sed in loco exempto, ut tenent *Salm., Laym. Bon., etc.*

Nota quod pro locis exemptis intelliguntur etiam conventus regularium; ut *valde probabiliter* tenent *Salm., etc.*, ex Tridentino. - 157.

Quaeritur 6. An Peregrini possint dispensari ab Episcopo loci ubi sunt, tam in legibus communibus, puta jejunii, etc., quam in votis et juramentis?

R. Adsunt quatuor sententiae. *Prima* quam tenent *Tanner, etc.* et merito *probabilem* vocat *Palaus affirmat universe* tam pro legibus, quam pro votis. Ratio, quia Peregrinus per illum accessum, quamvis unius diei, fit vere subditus Superiori loci ubi reperitur.

Secunda sententia prorsus opposita quam tenent *Sylvest. Palud. etc.* dicit quod Peregrinus quousque acquirat alicubi verum domicilium, id est, per animum perpetuo ibi manendi, nunquam subditus est censendus, et ideo nec tenetur ad leges loci, nec potest dispensari a legibus communibus, neque in votis aut juramentis ab illius Episcopo.

Tertia sententia quam tenent *Nav., etc.* censet Peregrinum adhuc transeuntem bene posse dispensari ab Ordinario loci in legibus etiam communibus, quia ipse quoad leges bene subditur jurisdictioni illius Superioris; non autem quoad vota et juramenta, quia haec jurisdictio pendet a consuetudine et a conniventia Episcoporum quae non habentur pro hujusmodi dispensationibus, prout alias habentur pro absolutione peccatorum, et censurarum.

Quarta sententia communissima et communiter recepta, cui subscribi-

(*a*) *Ex Cod. nostro noviss. p.* 1. *a.* 5. *tenentur ad leges Civiles omnes morantes in regno Neapolit. sive sint subditi, sive exteri, advenae, aut peregrini, quamvis per modum transitus* (E. N.).

mus, tenet posse Peregrinum dispensari ab Episcopo loci, non solum in legibus, sed etiam in votis et juramentis, modo ibi sit animo manendi per majorem anni partem. Ratio, quia ex illa diuturna habitatione contrahitur quasi-domicilium. Ita *Sanch., Less., Croix Laym., Salm., Suar., Spor., etc.* n. 158. (*a*).

CAPUT V.

DE MODO LEGEM ADIMPLENDI.

I. Lex potest impleri sine charitate, nisi hanc in substantia includat, v. g. praeceptum dilectionis Dei. Ratio, quia tantum praecipitur substantia actus inclusi in praecepto v. g. ut honorentur parentes, non autem finis, aut modus praecepti. Ita *S. Thom.*

Attamen certum est requiri charitatem in operante, ut impletio praecepti sit meritoria; juxta illud 1. *Cor.*,13: *Si linguis hominum loquar, etc. S. Thom., Suar., Sanch.*

Unde:

Si quis jejunet vel intersit Sacro ob vanam gloriam, potest nihilominus implere praeceptum, etiam per actum circumstantiis peccaminosum, quia implet substantiam illius praecepti, licet peccet contra aliud cui finis ille malus opponitur. *Sanch., Laym., Lugo, etc.* - 162.

II. Ad impletionem legis non requiritur intentio ei satisfaciendi. Ratio, quia lex tantum praecipit liberam operis externi executionem, v. g. auditionem Sacri, non autem ut alio peculiari actu quis velit, vel intendat praecepto satisfacere; sive, ut alii loquuntur, praecepta non obligant ad obedientiam formalem, hoc est, ut illud fiat quia praecipitur, sed tantum ad materialem, sive ut fiat quod praecipitur. *Sanch., Vasq.* et alii *communiter.*

Unde:

1. Qui alicujus praecepti immemor illud implevit, v. g. ignorans esse diem festum, libere tamen interfuit Sacro, is satisfecit; quia implevit substantiam actus praecepti *S. Thom., etc.*

2. Is votum, juramentum et poenitentiam sacramentalem vere implet, qui opera promissa vel injuncta exequitur, etsi non habeat intentionem implendi; modo tamen non applicet ea pro alia re. Ratio, quia vota, etc. sunt leges quasi peculiares, quas homo sibi vel alteri imponit, unde tantum obligant ad substantiam actus. *Suar., Azor., Less., Laym.* - 163.

III. Satisfecit praecepto qui faciens opus, expresse intendit per illud non satisfacere. Ita *Suar., Val., Vasq.* contra *Nov., Azor., etc.* Ratio, quia praecepta tantum obligant ad substantiam operis injuncti. Ergo, illa posita, non est in potestate operantis ut non satisfaciat.

Nec refert quod voto obligatus ad recitandum rosarium, si recitet animo non implendi, non satisfaciat. Ratio, quia hae similes obligationes proveniunt ex voluntate promittentis, qui sicut ab initio libere debitorem se constituit, sic in debito libere permanere potest: obligatio autem parendi legi provenit ex voluntate Legislatoris, ideoque non extenditur ultra ejus intentionem et voluntatem, nempe ultra substantiam operis praecepti; et sic tenet sententia *communissima* cum *Tournely, Pontas, Suar., Vasq., Less., Laym., etc.*

Unde:

Audiens Sacrum die festo, quod scit esse ultimum, vel si non sit ultimum,

(*a*) *Quae, leges civiles, sive pro civibus absentibus a regno, sive pro extraneis in eo commorantibus, statuant, vide* Cod. civ., art. 3, 14 - Et Cod. vulg. d' intsrutione criminale art. 5. etc.

intendens non audire aliud, licet intenderit non satisfacere, vere tamen satisfecit praecepto de audienda Missa; etsi peccarit contra aliud praeceptum, quo quis tenetur esse subditus Legislatori. *Lugo.* - 164.

IV. Ad impletionem legis requiritur intentio seu voluntas faciendi id quod praeceptum est. Ratio, quia cum lex detur hominibus, non brutis, ideoque humano modo sit implenda, hinc impletio omnis praecepti sive humani sive divini, debet esse actus humanus conjunctus cum libertate et voluntate operantis, id est, ut velit, sive intendat facere hoc quod est praeceptum, v. g. audire Sacrum, jejunare: etc Est *communissima* sententia *Vasq.*, *Suar.*, *Sanch.*

Unde:

Qui audivit Sacrum die festo ebrius, dormiens, aut impos sui quocumque modo, aut nescius quid aggrederetur, aut vellet facere, tenetur postea compos sui factus audire aliud Sacrum. *Suarez*, *Sanch.*, *Salas*, *etc.* - 165.

V. Uno actu diversa praecepta simul impleri possunt, nisi aliud colligatur ex mente praecipientis. Patet ex praxi quotidiana: qui enim obligatur ad horas ratione Ordinis et Beneficii, satisfacit una recitatione *Sanch.*, *Salm.*, *Bon.*, *etc.*

Unde:

1. Cum Dominica et festum incidunt in eumdem diem, non teneris audire duo Sacra.

2. Votum et Poenitentia in confessione injuncta plerumque non implentur per actum alias debitum: quia haec plerumque non est mens voventis et Confessoris.

Dixi *plerumque*, quia subinde confessarii injungunt opus alias praeceptum.

VI. Potest quis eodem tempore diversis actibus duplici praecepto satisfacere, dummodo unum non impediat alterum. Est *communis* sent. Et Ratio est, quia plerumque temporum diversitas non praecipitur. *Suar.*, *Az.*, *Sanch.*

Unde:

Potest quis eodem tempore audire Missam in festo praeceptam, et simul legere Horas, vel alias orationes voto aliave ratione debitas. *Bonac.* - 166.

CAPUT VI.

DE CAUSIS EXCUSANTIBUS AD OBLIGATIONE LEGIS, SEU DE IGNORANTIA, METU ET IMPOTENTIA.

ARTICULUS I.

De Ignorantia.

Excusat ignorantia si sit invincibilis, quia nemo peccat, nisi actu voluntario; hic autem cognitionem praesupponit.

Si autem ignorantia sit vincibilis et culpabilis, non excusat; qualis est, cum poteras, et tenebaris scire aut discere, et in mentem veniebat dubitare; nec studuisti intelligere. *S. August.*, *S. Thom.*, *Sanch.* et caeteri *communiter* contra *Paluum.*

Unde:

1. Si quis die jejunii, nihil cogitans de praecepto, coenet, aut carnes comedat, non peccat: similiter in aliis, ut si occidas hominem putans esse feram. *Bon.*, *etc.*

2. Si in aliqua re tantum advertas malitiam unius generis, illam solam contrahis; ut v. g. si quis cognoscat feminam quam scit non esse suam, ignorat autem esse consanguineam, is fornicationem tantum, vel adulterium committit, non incestum. *Laym.*, *Bon.*, 168.

Quaeritur an ignorantia excuset a poena legi annexa?

R. Qui ignorat inculpabiliter legem, excusatur a culpa, et ab illius poena

E converso qui scit legem, sed ignorat poenam illi annexam, minime excusatur a poena. Ita *Laym.* cum *communi.*

Excipitur 1. Si poena sit gravissima excedens meritum criminis. 2. Si sit censura Ecclesiastica quam ignorantes non incurrunt, nisi ignorantia sit crassa seu culpabilis, ut docet *Laym.* cum *communi.* Idem autem efficit ignorantia quod oblivio legis. Ratio, quia ad incurrendam censuram requiritur contumacia, sive virtualis contemptus legis. *Laym.*

Imo si censura sit indicta *praesumentibus*, sive *temere*, *consulto*, aut *scienter* peccantibus; tunc excusat ignorantia etiam crassa, non autem affectata, quae adest, cum quis studiose negligit scire legem, ut liberius agat: quia haec scientiae aequiparatur. Ita *Laym.* et alii. Sed vide *Tract. de cens. n.* 48. - 169.

ARTICULUS II.

De Metu.

Si ex metu facis, quod simpliciter malum est, peccas quidem: minuitur tamen per metum malitia, quia minuitur libertas.

Attamen saepe fit ut praecepta quaedam non obligent, cum eorum observatio caederet in grave alicujus incommodum: et tunc, si ex metu talis incommodi quis tale praeceptum omittat, non peccat, cum praeceptum non liget. Est *Communis.*

Unde:

1. Praeceptum naturale negativum, prohibens rem intrinsece malam, non licet violare, ne ob metum quidem mortis. Et si aliquando videatur licere violari praeceptum negativum, v. g. non furandi, non occidendi, puta ad defensionem vitae suae, etc., tunc dicitur praeceptum non existere, vide n. 51.

2. Metus gravis, v. g. mortis saepe non tantum excusat a praecepto positivo, tam divino, quam humano; sed quandoque etiam ab affirmativo naturali; et sic, non tenetur quis cum periculo vitae integre confiteri, servare depositum, implere votum, succurrere proximo extreme indigenti. *Bec.*, *Azor.*, *Laym.*, Excipe tamen casum de quo infra. *In Tract. de Virt. Theol. n.* 27.

3. Si observatio legis humanae necessaria sit ad conservandum bonum, aut ad avertendum malum commune, quod pluris sit quam vita propria, tunc lex illa obligat cum periculo vitae, v. g., si dux mandat militi non discedere ex statione; item, si perituraе sint animae, nisi Pastor adeat aegros tempore pestis. *Laym.*, *Salm.*

4. Alioqui nulla praecepta humana, etiam Ecclesiastica, per se obligant cum periculo vitae, aut similis incommodi. *Sanch.*

5 Per accidens interim accidere potest, ut lex humana obliget cum periculo vltae, ratione alterius praecepti juris naturalis aut divini concurrentis, ut v. g. si quis cogere vellet transgredi praeceptum Ecclesiae in odium Fidei, vel contemptum Religionis. *Sanch.*, *Salm.* - 175.

ARTICULUS III.

De Impotentia.

Cum ad impossibile nemo teneatur, certum est quod impotentia excuset, etiam illa cui ante causam cum peccato dedisti, dummodo de hoc doleas.

Attamen si praeceptum tale sit, ut commode possit, aut soleat dividi, atque in ejus parte salvetur ratio seu finis praecepti, tunc qui non potest servare totum, debet servare partem quam potest.

Quod si vero non salvetur ratio praecepti in parte, neque id commode pos-

sit, aut soleat fieri, tunc qui non potest totum, hoc est tantum quo moraliter impleri censeatur integrum praeceptum, is non tenetur ad partem. Quae omnia aestimanda sunt, 1. ex intentione Legislatoris; 2. ex ratione, fine et materia legis; 3. ex judicio prudentum; 4. ex communi usu. *Sanch., Laym.* - 176.

Unde:

1. Qui non potest legere omnes Horas, debet dicere eas quas potest; quia dividuae sunt. *Laym., Bon.*

2. Qui in Quadragesima non potest jejunare, debet abstinere a carnibus, si potest; aut qui non omnibus diebus, tenetur illis quibus potest. *Laym., Bon., etc.*

3. Qui tenetur visitare Limina Apostolorum Romae, et scit se eo pervenire non posse, non tenetur ingredi iter: quia nec finis, nec ratio praecepti salvatur. *Suar., Bon., etc.* - 177.

CAPUT VII.

DE DISPENSATIONE LEGIS.

De natura et conditionibus dispensationis. De potestate dispensandi. De cessatione dispensationis.

ARTICULUS I.

de Natura et Conditionibus dispensationis.

Dispensatio est *relaxatio legis*, seu exemptio a legis obligatione in aliquo casu particulari, in quo lex alioquin obligaret.

In jure humano dispensatio Legislatoris, vel parem potestatem habentis, facta ex juxta causa excusat a transgressione praecepti. Est *Communis. Sanch., Croix., Salm.* Ratio, quia cum sit Auctor suae legis, potest quemvis excipere.

Dixi 1. ***Ex justa causa***, quia, si temere et sine causa quis dispenset, tenet quidem dispensatio, peccat tamen dans, contra jus naturale, dictans partem debere conformari suo toti, nisi justa causa excuset, et quidem mortaliter, ut vult *Suar.*; venialiter, ut vult *Pont.*, (*a*) praeciso tamen scandalo, etc.

Utentem autem tali dispensatione *commune est* non peccare graviter, et *probabile* nec etiam leviter. *Salm., Suar., Pal., etc.*

In dubio an causa sit justa, posse dispensari vult *Sanch.* cum *Salm. etc.*; quia possidet potestas dispensativa. Secus esset, si dubitaretur an adsit causa. - 178.

Si causa sit tantum sufficiens, ut dispensatio sit permissa, non autem debita, potest licite Superior eam concedere et negare: vel uni concedere, et alteri negare: quia licet expediat bono subditi dispensatio, expedit vero bono communi legis observantia. Ita *Salm., Pal., Bon., etc.*

Si vero causa sit talis, quae efficiat dispensationem esse debitam, nempe ad evitandum damnum commune; vel privatum magni momenti, vel ad utile commune, vel magnum particulare, tunc tenetur Superior dispensare, alioquin peccaret graviter vel leviter juxta materiam.

Denegata tamen etiam injuste dispensatione, nequit subditus agere contra Legem, nisi talis causa urgeat, ut eum extrahat a Lege: quare si Episcopus injuste neget dispensationem publicationum ante matrimonium, potest, urgenti gravi causa, illud contrahi sine eis. Ita *Salm., Conc., Sanch., Pal., Sot., etc.* - 179.

Dixi 2. *Legislatoris:* quia dispensatio inferioris in lege Superioris sine justa causa invalida est, ac proinde

(*a*) *Hoc est* probabile, *si ipse est primarius Superior.* - H. 46.

non excusat a transgressione praecepti. *Suar., Sanch.*

Valide autem et licite inferior potestate ordinaria dispensat ex juxta causa in lege Superioris, 1. circa levia, hoc est, quae sub mortali non obligant, etsi facilis sit ad Superiorem recursus. 2. Circa ea quae frequenter occurrunt, v. g. in jejuniis, celebrandis festis, etc. Vide *n.* 190. 3. Circa ea quae ita sunt propria uni Communitati, ut non conveniant ali. 4. Quando recursus ad Superiorem difficilis est, sive quando est necessitas et periculum in mora. 3. Si consuetudo praescripserit ut inferior dispenset. 6. Quando est dubium negativum an casus egeat dispensatione. Vide *n.* 192.

Unde:

1. Pontifex, sine justa causa, non potest dispensare in lege Dei, nec Episcopus in lege Ecclesiae.

3. Dispensatio in voto vel juramento, sine justa causa, etiam a *Papa* facta, est invalida. - 180.

3. Si Superior mala fide dispenset, judicans non subesse causam quae revera existit, valida est talis dispensatio juxta *communiorem et probabiliorem* sententiam, et dispensatus licite utitur illa.

4. Invalida est dispensatio, si inferior dispensat bona fide, sed sine causa. - 181.

5. In dubio de valore dispensationis, validam censeri eo quod praesumatur in favorem actus ne pereat, *probabile* putat *Sanch.* etc. - 182.

6. Subditus bona fide dispensationem petens, rationibus Superiori allatis, potest dispensatione impetrata esse securus.

7. Peccat qui aliquem inducit ad dispensandum sine causa, vel allegata falsa causa.

8. Habens potestatem generalem dispensandi, potest etiam secum dispensare directe et immediate. Hinc bene sibi dispensare potest in votis, juramentis, jejunio, etc. - 183.

9. Valet dispensatio extorta per metum, quando causa dispensationis existit, dummodo non constet Superiorem dispensasse sine animo dispensandi; metus enim voluntarium non tollit, sicut tollit vis.

10. Licita est talis dispensationis obtentio, si juste Praelato metus incutitur, illicita vero, si metus sit injuste. - 184.

11. Dispensatio potest impetrari non tantum pro ignorante, sed etiam pro invito, quando necessitas exigit. Id tamen locum non habet in ea quae impetratur ex Poenitentiaria Romana, nisi impetretur a personis conjunctis, vel consanguineis intra quartum gradum, vel saltem a Confessario. A principali tamen opus est, ut dispensatio acceptetur. - 186.

12. Superior videns subditum agere contra legem, et tacens, cum facile posset corrigere, censetur dispensare. Ita *Salm.* etc. Secus tamen dicendum si Superior non posset corrigere sine incommodo. - 187.

Quaeritur an petitio subreptitia vel obreptitia vitiet dispensationem?

R. Praenotandum petitionem subreptitiam esse quando veritas reticetur, obreptitiam autem quando mendacium apponitur. - Nunc dico:

1. Dispensatio nulla est, quando tacetur veritas quae de stylo Curiae debet necessario exprimi; vel allegatur falsum quod de jure taceri debebat. Ita *Salm., Sanch., Pal., Conc., Suar.*

2. Si autem tacetur vel exponitur falso causa tantum impulsiva, valet dispensatio: secus autem si causa esset motiva, ita ut sine ipsa Superior minime dispensasset. *Salm.*

3. Si plures causae allegentur, quarum aliae sint falsae, aliae verae, va-

lida erit dispensatio semper ac vera erit una ex illis quae sufficiens sit ad dispensendum.

4. Si dubium est an causa falso allegata sit motiva, an impulsiva tunc valida censenda est dispensatio facta, cum in dubio jura faveant valori actus. Ita *Salm.*, *Sanch.*, *Sal.* etc. - 185.

Notandum, quod dispensatio cum sit odiosa, stricte sit accipienda; potestas contra dispensandi cum favorabilis sit, late accipitur. *Sanch.* etc. - 187.

ARTICULUS II.

De potestate dispensandi.

Potestas dispensandi alia est ordinaria, alia est delegata: *ordinaria* est ea quae alicui convenit ratione sui officii: *delegata* vero ea est quae alteri conceditur ab eo qui potestatem habet ordinariam.

I. Circa potestatem *ordinariam*:

1. Summus Pontifex potestate ordinaria potest dispensare in quibuscumque legibus canonicis, etiam sancitis ab Apostolis, tamquam particularibus Praelatis Ecclesiarum, ut sunt jejunium quadragesimale, observatio festorum in Dominicis; non vero in legibus traditis ab Apostolis, quas ipsi acceperunt a Christo Domino, tanquam Auctore principali, ut sunt leges circa formas, et materias Sacramentorum, circa oblationem sacrificii, etc. - 188.

2. Tenent *Sanch.*, *Bon.*, etc. *Papam* posse dispensare in aliquibus praeceptis divinis, ex potestate delegata a Deo, quando expedit dispensatio. Sed *probabilius* est, ut merito putant *Salm.*, *Papam* non posse, quia nullibi haec concessio reperitur *Papae* facta a Deo.

3. Certum autem est posse Pontificem et Praelatos dispensare in votis, cum in his gerant vicem Dei. Ita *S. Thom.* - 189.

4. Episcopus potestate ordinaria potest dispensare in omnibus statutis sive Episcopalibus sive latis a Synodo dioecesana, independenter a Capitulo et Clero, ut supra diximus. Et idem potest Capitulum, Sede vacante.

Hoc tamen non potest Vicarius Generalis, nisi expresse ab Episcopo ei concedatur.

6. Episcopus potest etiam dispensare in legibus Concilii Provincialis in suis dioecesibus; modo non sint concilio specialiter reservatae. Hoc enim expedit ad bonum regimen. *Salm.*, *Sanch.*, etc.

7. Potest dispensare in rebus quae communiter eveniunt in jejuniis, esu ciborum, observatione festorum, recitatione Officii, votis non reservatis. *Salm.*, *Pal.*, *Bon.* etc.

8. Item in legibus latis a *Papa* pro illa particulari dioecesi, in quibus videtur relicta facultas dispensandi illius Praelato. *Salm.*, *Sot.*, *Caj.*, *Azor.* etc.

9. Item, potest Episcopus dispensare in legibus communibus Pontificis, v. g. in impedimentis matrimonii, in irregularitatibus, in votis reservatis et similibus, quando non est facilis aditus ad *Papam*, et periculum est in mora, quia hoc expedit ad commune bonum. *Salm.*, *Sanch.* etc.

10. Item potest etiam si sit facilis recursus ad habentem potestatem dispensandi, si habeat privilegium Pontificis.

11. In his omnibus dicuntur Episcopi dispensare jure ordinario, cum talis facultas eis competat vi proprii officii, cui est perpetuo annexa *Salm.*, *Suar.* etc., et ideo, bene possunt eam alicui delegare, ut certum est. Vide *n.* 193. - 190.

12. Parochi possunt etiam dispensare cum suis ovibus in jejunio et observatione Festorum, ubi non est facilis recursus ad Episcopum.

13. Imo ex consuetudine, etiamsi sit

facilis recursus ad Episcopum, posse semper Parochos dispensare in his duobus praeceptis testantur *Sanch.*, *Sylv.* Vide *tract. de tertio praecept.* n. 288.

14. Praelati regulares non possunt dispensare in regula, nisi eis concedatur a privilegio vel a jure. Ratione *privilegii* quod ex se muneri Praelati adnectitur, possunt Praelati etiam inferiores dispensare; 1. in rebus levibus quae scilicet sub levi praecipiuntur; 2. in rebus frequentibus; 3. in statutis propriis, scilicet quae sunt propria illius conventus.

Ratione autem facultatis illis concessae *a jure*, Praelatus dispensare nequit in votis essentialibus. In aliis vero regulis bene potest in casu particulari, nisi expresse sit ei interdicta dispensatio. Talem enim facultatem Praelati habent a jure. Et ratio est, quia cum lex humana non possit providere omnibus casibus, expedit ut in particularibus Rectores provideant, alioquin non sufficienter provideretur bono communi. - 194.

II. Circa potestatem autem delegatam dispensandi, *notandum* 1. quod quisque habens potestatem ordinariam possit eam delegare: et tunc si delegatio est per modum commissionis pro certo casu, expirat morte concedentis, si res sit adhuc integra, si vero per modum gratiae, tunc non expirat.

2. Pariter, quisque inferior qui jure ordinario potest dispensare in legibus Superioris, ut possunt Episcopi in jejuniis, votis etc., ut supra diximus n. 190. potest etiam delegare potestatem dispensandi, modo hoc ei non sit limitatum.

3. Delegatus autem nequit subdelegare, nisi sit delegatus a Principe sive a *Papa*, vel nisi sit ab inferiori Ordinario delegatus ad universitatem causarum; aut nisi concessa sit facultas subdelegandi. Sed de his sedulo observa quae dicuntur *in Tract. de Sacram. Poen. n.* 566. - 193.

Quaeritur. 1. An praeter dictos casus possit Episcopus dispensare in legibus Superioris, in quibus non sit reservata dispensatio?

R. Prima sententia affirmat; quia hoc ipso quod Superior eam non reservat, videtur eam concedere; aliter, ad quid deserviret reservatio? Ita *Sotus* etc.

Hanc primam sententiam olim *probabilem* censui; sed, re melius perpensa, omnino tenendam puto *secundam oppositam*, quam tenent *Suar.*, *Bonac.* etc. *Commune* est apud omnes et constat ex consuetudine recepta, quod censurae non reservatae, praesertim excommunicationes, bene possint absolvi ab Episcopis, et a Parochis, et adhuc ab approbatis Confessariis; sed quoad dispensationes in legibus Pontificiis, nequaquam adest haec communiter recepta consuetudo, ut ipsae concedantur ab Episcopis, semper ac non sint expresse Pontifici reservata, sed circa ipsas procedit generale et certum axioma, quod ex ipsa natura oritur, quod *inferior nequeat dispensare in legibus Superioris.*

Neque dicatur quod Episcopi immediate a Deo jurisdictionem habent, juxta sententiam *Tournely*, etc., et ideo posse dispensationem impertiri, ubi illa non est eis specialiter vetita; nam, licet haec sententia sit *satis probabilis*, attamen nemo negat talem jurisdictionem esse Pontificis subordinatam.

Neque dicatur pariter posse Episcopum in sua dioecesi quidquid potest Papa in tota Ecclesia, nisi specialiter id ei prohibeatur; nam si hoc admittatur, admittitur tantum in his rebus quae spectant ad communem directionem animarum, et quae sunt moraliter necessariae, non vero in dispensationibus legum canonicarum ni-

si gravis urgeat necessitas, et non posset commode adiri apostolica sedes. - 191.

Quaeritur 2. Quid in dubio an casus indigeat dispensatione?

R. Quod sive dubium sit positivum, sive negativum, potest subditus uti sua libertate (*a*). Consultius tamen est tunc adire Praelatum, qui declaret, vel dispenset, cum in tali dubio bene posset etiam Praelatus inferior dispensare sine concessione Legislatoris. Ita *Pal.*, *Laym.*, *Salm.*, etc.

Idem dicunt *Suar.* et *Sanch.* de dubio circa vota reservata.

Idem in dubio an sit causa sufficiens ad dispensandum. *Salm.*, *Caj.*, *Sylv.*, etc.

Notat autem *Pal.* cum *Sanch.*,*Suar. etc.* quod potestas quam habent Praelati inferiores dispensandi ratione officii in legibus Superioris, utpote in casibus qui frequenter occurrunt, debet dici potius ordinaria quam delegata. - 192.

Notandum quod Legislator non possit dispensare in sua lege, si lex transeat in contractum, ut si dicat: *Gaudeant immunitate habitantes in tali loco*, etc.; potest autem inferior dispensare in lege Superioris, si in lege generaliter permittatur dispensatio v.g. si dicatur: *Donec dispensetur. Salm.*, *Caj.*, *Bon.* etc. - 190.

Quaeritur 3. An facultas delegata dispensandi sit late vel stricte interpretanda?

R. Late interpretanda est, si concessa sit per modum gratiae; stricte, si per modum commissionis pro certo casu. Ipsa vero dispensatio, cum sit odiosa, semper stricte sumenda est, nisi dispensatio sit debita, vel sit ex motu proprio Principis; vel sit inserta in corpore Juris, vel tandem nisi concedatur Communitati, vel ad bonum commune. In his enim casibus late accipienda est. - 194.

ARTICULUS III.

De Cessatione Dispensationis.

Praenotandum est quod si dispensatio jam sortita sit suum effectum, vel si dispensationi fuerit adjuncta aliqua commutatio oneris, tunc etiam, cessante causa, dispensatio non cessat.

Notandum etiam circa causas dispensationum, quod aliae causae per se excusent a praecepto, puta jejunii, Officii divini, etc.; et istae non egent dispensatione, si sint certae vel saltem probabiliter justae. Aliae vero sufficiunt ad dispensationem, sed ea indigent.

Sufficiens nempe causa est dignitas petentis aut Superioris, ut benignum se ostendat: necnon utilitas communis vel privata et similes.

In dispensationibus autem impedimentorum in matrimoniis sufficit pro causa solutio pecuniae in subsidium Ecclesiae, ut est praxis. - 195.

Tribus autem modis dispensatio cessare potest; nempe per cessationem causae, per revocationem dispensantis, per renuntiationem dispensati.

1. *Per cessationem causae*, si cesset causa motiva, et totalis. Secus autem si cessat causa impulsiva; aut cessat motiva, sed non totaliter; nam si aliquid istius perduret, adhuc perdurat dispensatio. At si dubium sit an totaliter cessaverit, standum est pro dispensatione quae possidet. Vide *Tract. de matrim. n.* 1133.

2. *Per revocationem dispensantis.* Et quidem, cessante causa, vel alia nova contraria superveniente, Superior dispensationem revocare potest,

(*a*) *Excipiuntur dispensationes matrimoniales.* *Vide* Tract. de Matrim. 902,-N. 51.

imo tenetur cessante totaliter causa motiva. Peccabit tamen, sed tantum leviter, revocans sine causa, licet revocatio valeat. *Bom., Salm. etc.*

Etiam Praelatus inferior qui potest concedere dispensationem, sive jure ordinario, sive ex commissione Legislatoris, potest ex juxta causa dispensationem revocare; sine tamen causa, nulla erit revocatio. *Bon., Sanch., etc.*

Notandum quod dispensatio quae absolute sit concessa, non cesset morte dispensantis, quicumque ille sit sive Supremus sive inferior; cum dispensatio sit gratia, et gratis non expiret morte concedentis.

Excipe si Superior dispensaverit, *donec ei placuerit*, vel *ad suum arbitrium;* tunc enim morte ejus cessat, si res adhuc sit integra: puta, si Confessarius nondum inceperit audire confessionem (*a*).

Si vero dispensatio concessa sit, *donec revocetur;* tunc non expirat morte concedentis: item, si concessa sit *ad arbitrium Sedis Apostolicae*, vel *Episcopi;* tunc, neque expirat morte Pontificis, aut Episcopi. - 197.

3. *Per renuntiationem dispensati;* quod ipse bene facere potest, quando effectus dispensationis nondum sit secutus, nisi renuntiatio redundet in damnum alterius, vel Communitatis, in cujus favorem sit impensa dispensatio; vel nisi Praelatus praecipiat subdito uti dispensatione concessa, ex justa causa. *Salm., Caj.*, etc.

Potest igitur dispensatus renuntiare dispensationi expresse, et etiam tacite; et consummata renuntiatione, nequit illa amplius uti. Consummata autem intelligitur renuntiatio, quando a Superiore renuntiatio acceptatur, alias dispensatio durat. *Salm., Suar., etc.*

Quaeritur 1. An, certo cessante totaliter causa, pereat dispensatio?

R. Prima sententia affirmat; quia valor dispensationis pendet a voluntate Superioris, qui praesumitur nolle dispensare nisi pro tempore quo causa duret. Ita *Sanch., Bon., etc.*

Secunda sententia negat; Ratio quia obligatio legis jam ablata per dispensationem non redit nisi rursus imponatur a Legislatore. Ita *Pal. Suar., Laym., etc.* Utraque sententia *satis probabilis* videtur.

Secus vero dicendum si dispensatio non fuerit concessa absolute, sed sub conditione expressa vel tacita, si causa perduret.

Quaeritur 2. Quandonam dispensatio censenda sit concessa absolute, et quando sub tacita illa conditione, *si causa duret?*

R. Si causa judicatur perpetua, tunc dispensatio censetur data absolute, etsi postea per accidens causa cesset. Hinc, dicunt *Salm.*, quod si quis obtineat dispensationem ab officio vel abstinentia a carnibus pro infirmitate quae existimatur perpetua, tunc, etiamsi valetudo superveniat, potest uti dispensatione.

Sed huic minime acquiesco, quia in his casibus puto dispensationem omnino censendam esse factam sub conditione.

Nota. Quando dispensatio est absolute concessa, non cessat per unum actum: v. g. obtinuisti dispensationem in voto castitatis ad contrahendum matrimonium, mortua conjuge, perdurat dispensatio; nisi fuerit concessa pro speciali casu, scilicet, ad ducendam

(*a*) *Si vero, ut Neapoli habetur, adsit consuetudo ob quam non cessat dispensatio sub hac conditione* ad nostrum beneplacitum, arbitrium, *etc.* vel donec nobis placuerit; *tunc ne cessat quidem. Porpora n.* 97. *Manzo n.* 71. (N. E.)

virginem a te defloratam ; et sic de similibus. - 196.

Quaeritur 3. Quando intelligatur facta cita renuntiatio dispensationis ?

R. Alii dicunt, quando dispensatus per decennium illa non utitur. Alii quando dispensatus actum contrarium ponit; puta, si obtenta dispensatione ad contrahendum cum una, quaerat inde contrahere cum alia ; sed per ista signa nullo modo censeri factam renuntiationem, tenendum esse dicunt *Salm.*

Hinc, inquiunt, quod dispensatus ad contrahendum cum una, bene possit illa dispensatione uti, etiam postquam cum alia contraxerit, quae mortua sit; vel postquam emiserit votum castitatis, voti dispensatione postea tantum obtenta.

Denique qui habuit dispensationem jejunii, officii divini, potest illa uti, etsi officium et jejunium postea servaverit. Ita *Salm.* - 198.

CAPUT VIII.

DE CESSATIONE ET INTERPRETATIONE LEGIS.

ARTICULUS I.

De Cessatione Legis.

Nota. 1. Per legem generalem nunquam abrogatur Lex particularis alicujus loci, etsi expresse dicatur : *Non obstante quacumque lege particulari. Salm., Sanch., Bon., etc.*

2. Certum est quod, cessante fine adequato seu totali legis in communi, cesset lex ; porro per finem adaequatum intelligo illum qui est totalis finis legis : nam si lex plures fines habeat, finis adaequatus ex omnibus illis constituitur. Unde vovisti non ingredi talem domum ob periculum fornicationis, cessante periculo, cessat votum; quia lex cum sit inutilis, vim amittit obligandi. Ita *D. Thom., Salm.* cum *communi.*

Quaeritur 1. An tunc sit expectanda declaratio Legislatoris, vel contraria consuetudo ?

R. Aliqui *affirmant.* Sed alii omnes *negant* cum *Salm.* Sufficit enim ut mihi in particulari constet, vel saltem *probabile* sit, ut dicunt *Salm.* cum *Pal.*, cessasse in communi finem legis adaequatum.

Quaeritur 2. An cesset lex, cessante fine adaequato in casu particulari ?

R. Prima probabilior sententia negat, si tantum cessat *privative*, scilicet, si lex tunc redderetur inutilis : nam si cessat *contrarie*, quando scilicet materia legis redderetur in hoc casu nociva vel valde difficilis ; tunc omnes asserunt legem non obligare. Ratio dictae primae sententiae est, quia licet cesset finis damni in casu particulari, non tamen cessat finis periculi in communi, ideo tunc non cessat finis adaequatus. Ita *Salm. S. Thom., Sol., Suar., Sal. et communior.*

Secunda vero *sententia*, quam tenent *Caj., Sylv. etc.* docet quod cessante fine adaequato etiam *privative* in casu particulari, cesset obligatio legis ; quia in quocumque casu, cessante fine legis, lex etiam cessat.

Hoc non obstante, magis mihi arridet prior sententia, eo quod, communiter loquendo, fere nunquam in particulari cesset omnino periculum hallucinationis. Si vero aliquando casus accideret quod aliquis omnino certus et securus esset abesse omne hallucinationis periculum, tunc non auderem secundam sententiam improbare ; sed hujusmodi casus rarissime poterit advenire.

Quaeritur 3. Utrum *probabile* sit legi posse libros prohibitos, cessante periculo et scandalo ?

R. Affirmant ob eamdem rationem *Felin.*, etc. Sed *negandum* cum *Pal.*, qui dicit quod in hoc non cesset omnino periculum, vel non cesset omnino

finis prohibitionis, nec etiam in particulari, cum finis prohibitionis sit, non solum ut vitetur damnum conscientiarum ex prohibitione pravorum librorum, sed etiam ut servetur obedientia Ecclesiae in materia tam periculosa; et ne detur ansa haereticis vel malis scriptoribus perniciosa typis demandandi. Ideo bene inquit *Tamb.* nullo modo aperiendam esse januam impune legendi hujusmodi libros, etiamsi quis putet pro se abesse periculum. - 199.

ARTICULUS II.

De Interpretatione Legis et Epikeia.

§. 1. *De Interpretatione Legis.*

Interpretatio alia est Authentica, alia Usualis, alia Doctrinalis.

Authentica fieri potest vel ab ipso Legislatore, vel ab ejus successore, aut a Superiore. *Usualis* est illa quae ita ab usu est recepta. *Doctrinalis* autem est declaratio quaedam mentis Legislatoris, quae a quocumque Doctore fieri potest, modo fiat juxta regulas, et sensum a sapientibus magis receptum.

Regulae in interpretandis legibus sunt videlicet:

1. Ut attendatur mens sive finis intrinsecus Legislatoris: hinc, si constat de mente Legislatoris, huic magis standum est, quam verbis Legis.

2. Ut attendatur ratio Legis.

3. In dubio mentis Legislatoris, verba Legis accipiantur secundum proprium sensum, semper ac non sequatur aliquod absurdum. Sensus autem proprius potest esse naturalis, et hic accipiendus est in poenalibus; potest esse etiam civilis, et hic etiam accipi potest in favorabilibus.

4. Ut in dubio fiat interpretatio pro valore actus.

5. Ut lex in favorabilibus amplietur, restringatur in odiosis.

Quando vero leges sint favorabiles, quando odiosae, primarium motivum Legis attendendum est.

Quaeritur 1. An lex extendi debeat de casu ad casum ob identitatem rationis?

R. Si non currit eadem, sed tantum similis ratio, *communiter* docent Doctores, non esse faciendam extentionem, nisi casu exprimatur in lege tantum, causa exempli, puta si lex imponat poenam contra furantes centum aureos, certe comprehendit etiam furantes rem ejusdem valoris.

Quaeritur 2. An fieri debeat extensio quando occurrit pro alio casu non tantum similis, sed eadem adaequata ratio?

R. Prima sententia affirmat, et hanc tenent *Laym.*, *Suar.*, *Salm.*, cum *communi* ut asserunt. Ratio, quia mens legislatoris colligitur ex legis ratione, quae ideo dicitur anima legis; unde censetur Legislator bene comprehendere voluisse omnes casus, ubi eadem adaequata ratio legis reperitur.

Secunda vero *sententia*, quam tenent *Pal.*, *Bon.*, *etc. negat* fieri extensionem de casu ad casum ob eamdem rationem etiam in casibus favorabilibus, et tanto minus in odiosis, et correctoriis; quia ratio legis non est lex, et ideo quamvis militet pro alio casu, illum non comprehendit. Potuit enim Legislator unum casum velle comprehendere, et non alium.

Ego censeo a prima sententia non esse recedendum, cum sit *communis*, ut fatetur ipse *Palaus*.

Regulam autem juris *odia restringi*, *favores convenit ampliari*, certe dicunt *Suar.*, *Bon.* procedere, quando dispositio legis extenditur ex interpretatione congruitatis, non autem quando extendi debet ex interpretatione necessitatis, quae dicitur potius adaequata interpretatio legis, quam extensio.

Advertunt tamen 1. *Sanch. et Mazotta* quod si lex decernat aliquid causa

frequentioris usus, ipsa etiam comprehendit casum minus frequentem. Et ideo lex *S. Pii V.* permittens Monialibus egressum propter incendium, et lepram, aut epidemiam, extenditur etiam ad ruinam domus, inundationem, et invasionem hostium, ut *communiter* Doctores docere ait *Mazot.*

Advertunt 2. *Laym, Sal.* quod Judices ex similitudine rationis tenentur leges ad alios casus extendere, quia ipsi quantum fieri potest legibus debent conformari. Cum in aliqua causa sententiam earum, seu legum, manifesta est, is qui jurisdictioni praeest ad similia procedere debet. - 200.

§. II. - *De Epikeia.*

Epikeia seu Epikia est exceptio casus ob circumstantias, ex quibus certo vel saltem *probabiliter* judicatur Legislatorem noluisse illum casum sub Lege comprehendi. *Salm. etc.*

Haec Epikeia non solum locum habet in Legibus humanis, sed etiam in naturalibus, ubi actio possit ex circumstantiis a malitia denudari. *Salm.*

Ut tamen detur locum Epikeiae, non solum debet Lex cessare in causa particulari *negative* quia nimirum deficiet tunc finis Legis; sed debet cessare *contrarie*, nempe quod Lex reddatur damnosa, vel nimis onerosa: quare potest negari ensis depositus domino, si ille eo sit abusurus. Ita *S. Thom. etc.* Sufficit autem, si aliter Lex redderetur nimis dura.

Hinc excusatur ab auditione Sacri, qui timet notabilem jacturam bonorum. Et etiam excusatur ab observatione Festi, qui aliter amittere cogitur magnum lucrum. *Suar., Sal., etc.* Et super hoc, vide dicenda in *Tract. de tertio praecep., n.* 301, - 201.

CAPUT IX.

DE CONSUETUDINE.

Ut consuetudo quae dicitur Lex non Scripta, vim legis habeat, quinque conditiones requiruntur.

1. Quod introducatur non a persona particulari, sed a Communitate; saltem a majore parte Communitatis, quae capax sit ferendi leges, licet actu leges ferre nequeat; nam consuetudo tunc habet vim legis ex tacito Principis consensu. Ita *S. Thom. etc.*

2. Ut consuetudo sit rationabilis, quare nulla valet Consuetudo, contra Legem naturalem, aut divinam; sed tantum contra humanam. *Addendum* tamen non requiri bonam fidem; nam etiam peccando potest fieri Consuetudo. *Salm., Suar., Pal., etc.* Consuetudo enim triplicem statum habet. *In initio*, introducentes Consuetudinem contra Legem omnes peccant. In *progressu*, non peccant illa jam a Majoribus introducta utentes, sed possunt puniri. *In fine* autem nec peccant, nec puniri possunt, illa jam praescripta, utentes. *Salm., Caj., Sot., etc.*

3. Tempus diuturnum continuatum cum repetitis actibus, etiam liberis, et notoriis saltem notorietate facti.

4. Ad Consuetudinem perficiendam, intentio se obligandi, vel Consuetudinem introducendi.

5. Consensus Principis, saltem tacitus.

Quaeritur 1. quodnam tempus sufficit ad Consuetudinem praescribendam?

R. Prima sententia dicit relinqui arbitrio prudentum, juxta repetitionem actuum et negotiorum qualitatem. *Vasq., Tap., etc.*

Secunda sententia dicit sufficere et requiri decennium, hoc enim est longum tempus requisitum a jure ad consuetudinem introducendam, nisi aliud sit alicubi sancitum. Ita *Salm., Laym., Suar., Pal., etc.*; licet doceant primam esse *valde probabilem.* - 107.

Quaeritur 2. Quinam sint effectus consuetudinis?

R. Effectus consuetudinis sunt sequentes :

1. Consuetudo non solum potest tollere legem, sed etiam poenam illius, remanente culpa vel contra.

2. Potest etiam consuetudo validare contractum irritatum per legem.

3. Potest introducere nova impedimenta irritantia matrimonium.

4. Potest legem dubiam interpretari. - 108.

Quaeritur 3. An consuetudo possit revocari ?

R. Consuetudo potest per contrariam legem a Superiore revocari.

Quaeritur 4. An per legem generalem derogetur consuetudini speciali alicujus loci ?

R. Negative, nisi in lege mentio fiat illius consuetudinis, vel in ea revocetur quaecumque consuetudo.

Episcopi tamen per eorum leges abrogant quamcumque consuetudinem particularem, quia praesumuntur ipsi plenam notitiam habere consuetudinum Dioecesium suarum.

Nota autem quod praedicta doctrina procedit de consuetudine jam praescripta, non autem de incoepta.

Quaeritur 5. An posita clausula revocatoria cujusque consuetudinis, intelligatur revocata etiam consuetudo immemorabilis ?

R. Negandum, nisi exprimatur, quia quando Superior vult illam revocare, id exprimit. Ita *Salm.*, *Suar.*, *Bon.*, *etc.*

Potest autem aliqua consuetudo abrogari per aliam contrariam, quae repetitis actibus modo, ut supra, praescribatur. - 109.

APPENDIX I.

DE DISPENSATIONIBUS S. POENITENTIARIAE.

Quia ex officio s. Poenitentiariae multae dispensationes, etc. Vide in *Opere n.* 202. et in hoc *Compendio*, *Tract. de Matrim.*, n. 1143.

APPENDIX II.

DE PRIVILEGIIS.

Privilegium definitur : *Lex privata aliquod speciale concedens beneficium.*

Privilegium differt a dispensatione quae eximit a lege, et ideo semper est odiosa ; differt etiam a licentia quae conceditur tantum ad paucos actus.

De privilegiis, hic tantummodo annotabimus quasdam regulas advertendas circa privilegia in communi. - 1.

Ut privilegium deroget juri communi, non requiritur clausula derogatoria, praesumitur enim Princeps jam scire leges communes ; excipitur tamen 1. quando privilegium non posset suum effectum sortiri sine hac expressa derogatione. 2. Si in lege cui derogatur, esset opposita clausula : *Non obstante quocumque privilegio :* Hoc intelligitur, dummodo in privilegio non extet clausula : *Ex certa scientia;* vel *ex plenitudine Potestatis.* 3. Quando privilegium est contra aliquam consuetudinem, aut legem municipalem. His enim non derogatur, nisi de illis specialis mentio fiat. - 2.

Privilegiatus non tenetur, regulariter loquendo, uti privilegio. Sed excipiendum est 1. Si non utendo, grave damnum proximo inferret : hoc tamen intellige, si per se, non vero consequenter. 2. Si privilegium cedat in bonum commune, quemadmodum est privilegium immunitatis, quo unusquisque tenetur. 3. Si privilegium tollat impedimentum ad observandum praeceptum. 4. Si privilegium non est personale, sed reale, addictum loco vel dignitati vel statui, quemadmodum sunt privilegia concessa Episcopis, et Regularibus. - 3.

Qui habet privilegium pro Foro poe-

nitentiali, etc., absolvendi a censuris, et poenis Ecclesiasticis, *valde probabiliter* potest eo uti etiam extra Sacramentum, etiamsi facultas concepta esset in terminis : *Sacerdoti confessario.* - 4.

Loquendo de *clausulis:* clausula *ad instar* importat tunc valere privilegium, quando aliud, ad cujus formam secundum concessum est, fuit validum saltem a principio, quamvis postea revocatum fuerit, vel non acceptatum.

Alias enim si primum privilegium fuerit nullum, nullum quoque erit secundum, dummodo in secundo non exprimatur id quod conceditur. Hoc tamen currit, quando dicitur *ad instar;* non vero si dicatur, *sicut concessum est, etc.*

Clausula : *quatenus sacris Canonibus non adversetur*, intelligitur de his tantummodo Canonibus in quibus est expressum : *non obstante quocumque privilegio.*

Clausula *supplentes singulos defectus*, intelligitur tantummodo de defectibus earum rerum quae requiruntur solum de jure positivo, et qui sunt tantummodo accidentales; non vero de defectibus naturalibus aut substantialibus, ut pote esset, si supplicans foret excommunicatus, aut si supplicato foret subreptitia, vel fraudulenta; aut si defectus esset circa causam, aut personam supplicantis. - 5.

Loquendo de interpretatione privilegiorum, plura annotanda sunt :

1. Omne privilegium interpretandum esse eo modo, quo privilegiato non sit neque inutile, neque onerosum.

2. Privilegia solum Princeps, vel alii quibus a Principe foret commissum, authentice vel juridice possunt interpretari. Doctrinaliter vero potest ea interpretari quicumque vir doctus, cujus resolutioni licite potest acquiesci, ut omnes affirmant; et quando in privilegio prohibetur quaecumque interpretatio, de sola authentica et juridica est intelligendum, aut ad summum intelligi debet de interpretatione quae fit ex professo.

3. A *Clemente IV*, et ab aliis Pontificibus prohibentur Episcopi interpretari juridice privilegia Regularium. - 6.

4. Generaliter loquendo de privilegiis, omne privilegium large est interpretandum. Contra vero privilegia odiosa stricte sunt interpretanda, cujusmodi sunt illa quae sunt derogatoria juris communis, aut statutorum et consuetudinum particularium, dummodo haec statuta non sint contra jus commune; aut dummodo privilegium non sit insertum corpori juris; ideoque aiunt *Sanch., etc.* omnia privilegia realia late esse interpretanda; ob suam enim perpetuitatem habentur tanquam inserta juri communi.

Insuper, excipitur si alias privilegium redderetur inutile, aut si in eo extaret clausula : *ex certa scientia, vel ex motu proprio;* vel si privilegium esset absolvendi, dispensandi aut commutandi illud cum aliis.

Privilegia vero in praejudicium aliorum, cujusmodi esset ad obtinenda plura Beneficia, aut ad conferenda Beneficia vacantia, aut contra observantiam regularem, stricte sunt interpretanda, etiamsi concessa fuerint *ex motu proprio* etc., etc. - 7.

Hoc vero intelligendum est de privilegiis concessis personis particularibus: sed ea quae sunt concessa alicui ordini, conventui, communitati, aut ad aliam piam causam, omnia sunt interpretanda non modo late, sed etiam latissime. - 8.

Loquendo de communicatione privilegiorum, notatur 1. quod religiones mendicantes communicent in totum inter se de privilegiis praeteritis et futuris, tum circa personas, tum cira loca, festivitates, et indulgentias; et hoc currit, quamvis religio cui concessum est

privilegium, vel non acceptaverit vel eo usa non fuerit. Insuper, quando ampliatur privilegium alicui religioni concessum, intelligitur ampliatum etiam quoad alias. Item hae religiones mendicantes communicant privilegiis ceterarum religionum, vel congregationum, vel collegiorum monasticorum, vel non monasticorum. Ita *communissime Salm.* etc.

Hujusmodi privilegiis perfruuntur tam conversi, ipsi enim vere religiosi sunt, quam novitii, quemadmodum declaravit *Clemens VIII, et* est *communis* sententia.

Tertiarii autem, et tertiariae, (vel Beatae) subditae mendicantibus, et quae habitum religionis deferunt, et votum habent castitatis (quibusdam tantum rebus exceptis) eorum quoque privilegiis gaudent, sed quatenus sunt capaces. - 9.

Notatur 2. Moniales tam ordinum mendicantium quam non mendicantium gaudent privilegiis monachorum sui ordinis, et consequenter cujuscumque alterius ordinis, in omnibus quorum sunt capaces, intellige de favorabilibus. Hoc valet etiamsi privilegium tantum de hominibus loqueretur. Atque ita e contrario fratres gaudent privilegiis monialium ordinum, ex quo quia ipsi communicant, ut superius dictum est, privilegiis concessis cuicumque religioni, congregationi, aut monasterio.

Hujusmodi privilegiis gaudent etiam illae moniales quae pontifici aut episcopo subjiciuntur. Et hoc currit etiamsi in privilegio nominarentur tantum moniales, quae regularibus subditae sunt *Suar.* - 10.

Notatur 3. Privilegia non communicantur, quando sunt odiosa, vel contraria propriis statutis. - 11.

Certum est, ut habetur ex *prop.*36. damnata ab *Alex. VII,* religiosos non posse amplius uti privilegiis jam revocatis per concilium *Tridentinum.* Verum, hoc non obstante, attendendae sunt quaedam declarationes concilii factae per S. Pium V, in sua Bulla *etsi Mendicantium.* - 12

Distinguendum est rescriptum *gratiae* a rescripto *justitiae.* Vide in *Opere.* - 13.

Privilegium multis modis cessare potest: 1. per decursum termini constituti; 2. per cessationem causae finalis; 3. ob renuntiationem privilegiati, in quo notandum est, quod particulares nequeant renuntiare privilegiis communitatis. 4. Per usum contrarium, vel per non usum, quamvis privilegia gratiosa quae non sunt aliis onerosa, praescriptionem non admittunt. 5. Per abusum sive in totum, sive in partem. - 14.

Cessat privilegium 6. per revocationem principis. Si privilegium est gratuitum, revocari potest valide etiam sine justa causa, quamvis hoc non excusetur a culpa veniali, si scandalum adsit. Si verum cum privilegio translatum est dominium alicujus rei in privilegiatum, illud revocari nequit nec licite, nec valide, nisi ob causam urgentissimam boni communis, vel gravis delicti, vel ob illas causas, ob quas revocari queat quaelibet donatio.

Sed si privilegium est remuneratorium, vel ob justitiam, vel ob gratitudinem, semper requiritur justa causa, ut valide revocetur: et si insuper est onerosum, tunc, ut revocetur, ultra justam causam requiritur compensatio. Et hoc dicendum de privilegiis remuneratoriis ob justitiam, ut dicunt *communiter* DD. - 15.

Revocatio vero privilegiorum alia est expressa, alia vero tacita. Quoad *expressam*, regulariter loquendo, sufficit clausula generalis, *non obstantibus privilegiis, etc.*, ut revocentur omnia privilegia in contrarium. Excipe certos casus, vide in *Opere.* - 16.

Quod attinet ad revocationem *tacitam*, privilegia ante concessa intelli-

guntur revocata per quamcumque legem universalem in contrarium, licet in ea non sit clausula revocatoria, quando ipsa lex, vel novum privilegium aliis concessum, non posset effectum intentum sortiri, nisi revocatis privilegiis antea concessis, etc. - 17.

Vide alia plura in *Opere*.

APPENDIX III.

DE PROHIBITIONE LIBRORUM.

1. Haereticos homines omni modo et studio evitare speciale Domini mandatum est tam in veteri, quam in novo testamento. Vide Deuteron. c. 16, et *Rom.* 19, et ad *Tim.* c. ult. Praesertim *S. Joannes* scripsit: *Si quis venit ad vos, et hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec ave ei dixeritis. S. Joan.* 1. 10. Sapienter enim dixit *S. Paulus: Verba eorum multum proficiunt ad impietatem, et sermo eorum ut cancer serpit.* 2. Tim. 2. 7; unde ab omni cum haereticis et excommunicatis commercio fideles abstinere, semper in Ecclesia custoditum fuit, ut testantur *S. Ephrem, S. Athanasius*, etc.

Si igitur pravum collocutorem devitare tam instanter ab Ecclesia semper praeceptum fuit, quanto magis se cavere oportebit a libro pernicioso, qui valde plusquam sermo potest lectores corrumpere? Si verbum quod statim avolat, serpit ut cancer, et ad mortem vulnerat, quid mali non afferet liber improbus qui potest evadere perpetuus fons subversionis? Adde, quod impii scriptores magno quidem studio errores suos ita ornent et colerent, ut non solum simplices, sed etiam docti decipiantur.

Hinc, concilia, pontifices, ac pii principes et calamo, et voce, et censuris, et aliis poenis, toti fuerunt ad extirpandos libros, qui fidem aut mores, quoquo modo inficere potuissent. Multo ergo studio Episcopi et parochi curare debent ut removeantur a suis ovibus libri obscaeni, aut de vitio amoris tractantes.

2. Communiter theologi tradunt dogma esse et veritatem fidei, quod Ecclesia, et pro ipsa ejus caput romanus pontifex, ut Christi vicarius, jurisdictionem ab ipso Domino acceperit prohibendi fidelibus lectionem librorum sive de religione impie tractantium, sive contra bonos mores, aut Ecclesiae disciplinam aliquid continentium. Et quidem, si haec facultas pene Ecclesiam non esset, et fideles in hoc parere illi non tenerentur, nec fides illaesa servari posset, nec Christus satis ecclesiae suae providisset. Recte hinc docent quod Ecclesiae circa libros censura, seu judicium sit omnino infallibile.

Propterea mos Ecclesiae prohibendi et abolendi libros pravos, est ex traditione et praecepto Apostolorum.

Constat enim hanc disciplinam semper et ubique in Ecclesia viguisse, quin aliquis Pontifex, aut concilium possit indicari a quo ipsa initium sumpserit, et sic legitur in actibus Apostolorum: *multi autem ex iis, qui fuerunt curiose sectati, contulerunt libros, et combusserunt coram omnibus. Actor.* 19. 19.

Quaeritur 1. Quinam sint libri prohibiti?

R. Index librorum prohibitorum tres classes constituit. Prima classis continet omnes libros haereticorum haeresim habentes, vel de religione tractantes.

Secunda classis continet libros catholicorum contra fidem, vel bonos mores, qui, ut ait *Lupus*, non prius censentur prohibiti, quam specialiter in indicem referantur: intellige praeter libros in indice prohibitos per se, ut mox infra.

Tertia classis continet libros editos sine nomine auctoris; qui non omnes,

at bene advertit *Lupus*, damnati sunt, sed tantum illi qui pravam doctrinam tradunt.

In indice autem prohibentur omnes libri haeresiarcarum, etsi haeresim non continent, et de religione non tractant. Denique omnes libri haereticorum, donec ab episcopis examinentur, et approbentur. Item Biblia vulgaria, et libri controversiae, disserentes inter haereticos vulgari sermone conscripti. Item libri obscaeni ex professo, et libri magici. Hinc ibi excommunicantur qui libros haereticorum, vel cujusvis auctoris scripta ob falsi dogmatis suspicionem damnata legerint vel habuerint. - I. 7. 289.

Quaeritur 2. Quis potest prohibere libros?

R. Ad Pontificem spectat prohibere libros per totum orbem, et pro ipso ad Congregationem Indicis. Episcopi autem et Inquisitores possunt libros prohibere in territorio proprio. Magister S. Palatii etiam potest, sed pro urbe tantum et ejus districtu. I. 7. 290.

Quaeritur 3. Quis potest dare facultatem legendi libros prohibitos?

R. Solus Papa, vel S. C. Indicis, aut Concilii concedere potest. Tantum in casu magnae necessitatis, ait *Viva*, posse eam concedere etiam episcopum.

Quaeritur 3. An ipsi episcopi possint legere libros prohibitos?

R. Videbatur *affirmandum*; omnes enim Episcopi, ubi formale Tribunal S. Officii non adest, sunt inquisitores nati, qui valent via ordinaria procedere contra delinquentes in materia fidei. Sed omnino *negandum* cum *Sylvio*, etc., ex bullis *Julii III*, *Pauli IV* et *Pii IV*, in quibus tam episcopis quam inquisitoribus interdicitur librorum vetitorum lectio, praeter senioribus, et commissariis haereticae pravitatis. - Lib. 7. n. 299.

Quaeritur 5. An qui moraliter certi sunt nullum perversionis periculum incurrere, possint absque licentia prohibitos libros legere?

R. Omnino *negandum* cum sententia *communissima*; vide I. 1. n. 199. Hinc, nullo modo permittendum alicui legere damnatos libros. Tantummodo concilium *carthaginense IV* permisit Episcopis ut legerent libros haereticorum, pro *necessitate* et *tempore*. Ceterum, non videtur *improbabile* id quod plures DD. docent, nempe ex justa Epikeia, excusari virum doctum et pium legentem librum haereticum, si necessario tali indigeat lectione ad convincendum aliquem haereticum, modo urgeat necessitas, et insuper non pateat recursus Romam, vel ad proprium Episcopum; in casu enim magnae necessitatis poterit Episcopus illam licentiam impertiri.

Quaeritur 6. Quaenam requiruntur ut incurrant excommunicationem, qui scienter retinent, legunt, imprimunt vel defendunt libros haereticorum?

R. Vide *Tract. de cens. n.* 303. etc. ubi plura.

TRACTATUS IV.

DE PECCATIS.

De peccatis in genere et de peccatis in specie.

CAPUT I.

DE PECCATIS IN GENERE.

De natura peccati. De peccatis internis. De distinctione peccatorum.

ARTICULUS I.

de Natura peccati.

Peccatum est *transgressio legis*, sive est voluntarius recessus a regula divina: per quam *regulam intelligitur* praeceptum tam naturale et humanum, quam divinum: *Per recessum* intelligitur actus, vel ejus omis

sio qui sit non tantum voluntarius, sed etiam liber. - 1.

Quaeritur 1. Quaenam requirantur conditiones ad peccatam?

R. Ad peccatum requiruntur tres sequentes conditiones, ut patet ex superius dictis.

1. Ut sit voluntarium, id est, ut fiat a voluntate consentiente.

2. Ut sit liberum, id est, ut sit in potestate voluntatis facere vel non.

3. Ut advertatur malitia.

Unde:

1. Defectu primae conditionis, nullus actus qui neque est in voluntate, neque a voluntate est peccatum, nisi voluntas eum acceptet.

2. Defectu secundae conditionis, subinde a peccato excusantur vehementissimi motus irae, aut concupiscentiae, quibus usus rationis perturbatur, et libertas tollitur.

3. Defectu tertiae non peccat qui die jejunii, de praecepto nihil cogitans, coenat, vel carnes comedit, etsi advertat eas sibi delectabiles. - 2.

Hic notanda sunt sequentia pro majori intelligentia, 1. modus quo peccatum perficitur, hic est: primo, objectum repraesentatur sensibus, et sua delectabilitate physica commovet appetitum sensitivum. Deinde intellectus ad illud et ad suam malitiam advertit. Demum voluntas in illud sic cognitum consentit.

2. Intellectus duplici modo advertere potest, vel *plene*, nimirum quando nos mente expedita discernimus; vel *semiplene*, quando rem cognoscimus mente non plene expedita, quia sumus forte semidormientes, vel semiebrii, vel alio distracti. Potest autem intellectus rapi a delectabilitate objecti oblati, ut nihil malitiae moralis in illo advertat. Hinc, triplici huic cognitioni correspondent tres motus, videlicet 1. Motus *primoprimi*, qui antevertunt omnem advertentiam rationis, et hi sunt omnino culpa expertes. 2. Motus *secundo primi*, qui fiunt cum semiplena advertentia, et hi culpam venialem non excedunt. 3. Motus *deliberati*, qui fiunt cum plena advertentia intellectus clare discernentis malitiam moralem, saltem confuse in genere, et cum pleno consensu voluntatis, et hi sunt mortalia, si objecta sub gravi sunt vetita. - 3.

Quaeritur 2. An ad peccatum mortale requiratur advertentia actualis et expressa malitiae actus, vel sufficiat virtualis et interpretativa?

R. Prima sententia, quam olim tenuere *Caj., Prado* et alii, atque enixe tuentur *Concina*, *Antoine* et alii recentiores, dicit minime requiri advertentiam actualem, sed satis esse virtualem et interpretativam, quae in hoc consistit quod homo teneatur et possit malitiam actionis cognoscere, quamvis actualiter non advertat.

Secunda sententia communior affirmat requiri actualem advertentiam malitiae, aut periculi illius, aut saltem obligationis illam advertendi; et hanc tenent *Sylv.*, *Suar.*, *Sanch.*, *Palus.*, *Salas.*, *Bonac.*, *Salm.*, *etc.* Hi dicunt ad omne peccatum mortale requiri aliqualem advertentiam, sive suspicionem malitiae actus vel in se vel in sua causa, saltem in confuso. Ratio eorum est, quia nihil volitum, nisi praecognitum; unde nequit ignorantia imputari ad culpam nisi de malitia objecti habeatur saltem aliqua confusa apprehensio: ille enim qui nullo modo advertit malitiam suae actionis, vel obligationem advertendi, nullo modo peccat adversus illam agendo.

Ego autem, ut proferam meum sensum, dico quod sistendo intra limites justi praefatae sententiae facile conciliari possunt. Nam, si dicatur ad omnia peccata mortalia necessario exposci actualem et expressam advertentiam,

hoc utique falsum est; quia multipliciter evenire potest quod plura mala, quamvis actualiter et expresse non advertantur, bene tamen imputantur ad culpam ea patrantibus, si ipsorum ignorantia sit aliquo modo voluntaria, vel ob negligentiam, vel ob passionem, aut pravum habitum, vel ob voluntariam inconsiderationem in operando.

Contra vero mihi omnino tenendum videtur, si ignorantia nullo ex praedictis modis fuerit voluntaria, et homo nullam habuerit actualem advertentiam malitiae, vel periculi, nec directe, nec indirecte, neque in se neque in sua causa, tunc nullo modo imputantur ei errores quos non advertit. Ratio, quia ut imputentur alicui effectus cujusdam causae, debet necessario praecedere, saltem in principio, advertentia actualis et expressa malitiae objecti. - 4.

Quaeritur 3. Qualis consensus requiratur ad peccatum mortale?

R. Requiritur omnino perfectus consensus, sive deliberatio voluntatis. Id *commune et certum* est apud DD. adhuc rigidioris sententiae.

Nota. 1. Consensus potest esse expressus sive directus, et implicitus sive indirectus, quando scilicet quis vult causam ex qua necessario oritur effectus; tunc enim si vult causam directe, indirecte vult etiam effectum.

2. Post advertentiam intellectus triplici modo potest se ferre voluntas erga objectum malum propositum, 1. positive consentiendo in illud, 2. non consentiendo, nec resistendo, sed tantum negative se habendo, 3. positive resistendo. - 5.

Quaeritur 4. An peccet graviter, qui negative se habet, et positive non resistit motui appetitus sensitivi circa objectum sub mortali prohibitum?

R. Tres adsunt sententiae. *Prima affirmat* peccare graviter, etiam cessante periculo consensus. Ratio, quia voluntas tenetur non solum non consentire, sed etiam resistere motibus inordinatis appetitus sensitivi. Ita *Less., Vasq., etc.*

Secunda sententia cum *Tamb.* et aliis, dicit talem ne venialiter quidem peccare, remoto periculo consensus; sed hanc sententiam asserunt *Salm. communiter* rejici; unde merito dicunt cum *Croix* in praxi nullatenus esse tenendam.

Tertia et *vera sententia* cum *S. Th., Sanch., Gers., Pal., etc.*, tenet, cessante periculo consensus, esse veniale non resistere positive motibus illicitis, sed non mortale, quia consensus ad graviter peccandum non provenit ex appetitu, sed ex voluntate, quae cum non positivae consentit, non committitur mortale.

Et ideo committitur veniale, in quantum homo cavere debet, ne appetitus trahat post se voluntatem: sed haec obligatio, quando periculum consensus non est proximum, est tantum levis; tum quia, si sub gravi teneremur omnes motus inordinatos positive repellere teneremur ad impossibile: impossibile enim est, ut ait *Caj;* omnes hos motus collective sumptos positive coercere. - 6.

Hinc *infertur*, quod quando delectatio venerea supervenit, tenemur sub gravi ei positive resistere, quia hujusmodi commotiones, quando sunt vehementes, plerumque, si positive non repellantur, saltem per actum simplicis displicentiae, trahunt secum consensum voluntatis: *Croix., Sylv., Tour., Salm.* cum *communi* DD. - 7.

Nota. Non est obligatio motibus carnalibus resistendi positive, si justa adsit causa non resistendi, nempe si quis expertus sit resistendo magis motus excitari et augeri; vel si motus ortum habeant ex actione necessaria, v. g. ex auditione Confessionum, ex

lectione rerum turpium scitu utilium, ex tactu necessario ad medendum, et simili.

Tunc enim ex una parte, causa motuum non tenemur operam relinquere, ut docent DD. *communiter*. Et ex alia, neque tenemur tunc motibus positive resistere, si non facile negotium sit illos repellere.

Sat est igitur tunc negative se habere cum firmo proposito nunquam consentiendi: ipsa enim non consentiendi actualis cura sufficit tunc ad liberandum hominem a culpa saltem mortali, etsi non a veniali, si resistentia sit tepida, ut dicunt *Tol.*, *Laym.*, *etc.*

Verum *Croix*, ut certum supponit quod in casu praedicto, quando tentatio diu durat, et nimis molestum foret jugiter motus positive repellere, nullum peccatum sit eos permittere, negative se habendo. Et sic facere consulit *Tournely* cum *Sylv.* his qui sunt timoratae conscientiae. - 9.

Quaeritur 3. Quaenam media adhibenda ad resistendum tentationibus carnalibus?

R. Plures sunt 1. Cogitatio de Passione Jesu Christi, vel de poenis inferni, vel de Morte, etc., vel de cruciatu remorsus quem patitur anima post peccatum patratum. 2. Oratio; Castitas enim nonnisi a Deo obtinetur, ut fatetur *Salom. Sap.* 8. 21. 3. Fervens actus amoris erga Deum, cum proposito mortem potius subeundi quam peccandi. 4. Sufficit etiam in actu commotionis animum ad alia divertere, cum hoc etiam sit positive resistere, ut bene advertunt *Spor.*, *Tourn.*, *Croix, etc.* Et, si motus sint leves, melius erit eos contemnere sine positiva resistentia. *Croix, etc.* - 8.

Quaeritur 6. Quaenam sunt adnotanda circa peccata omissionis?

R. Notandum 1. Ad quodlibet peccatum omissionis requiri actum positivum voluntatis; voluntas enim non exercetur, nec peccat nisi per actum.

2. Actus omissionis concomitantes, ut ludere, edere, dum v. g. omittitur Sacrum, non esse peccaminosus, nisi sint causa omissionis, puta cum lusus est causa omittendi Sacrum. Ita *Salm.* Tunc autem actus influentes eamdem malitiam omissionis induunt, non vero diversam, ut tenent *Logo*, *Bonac.*, cum aliis et *communi*. Quare sufficit tunc tantum omissionem confiteri.

Si vero actio quae est causa omissionis, sit etiam grave peccatum, nempe si quis omittat Sacrum ad furandum, tunc furtum potest dici in confessione seorsim ab omissione Sacri, quia tunc furtum non est nisi causa aggravans, non autem mutans speciem. Ita *Nav.*, *Lugo*, *Salm.*

3. Quod peccatum omissionis incipit imputari a tempore quo advertenter ponitur illius causa. Ita dicendum cum *Sanch.*, *Bon.* etc.

Dicendum praeterea quod omissio voluntaria in causa etiam imputatur ad peccatum, etsi voluntas postea non possit operari, puta, si quis, se inebriet, praevidens causa ebrietatis se omissurum Missam, tunc tenetur confiteri causam, et effectum illius, ebrietatem scilicet et omissionem Sacri: *Salm.*, *Sot. Sanch.*, et alii *communiter*: modo ante effectum secutum non retractetur voluntas; tunc enim est *probabile* non teneri confiteri effectum secutum.

Ex hoc etiam deducitur quod si effectus accidat post retractationem, non incurritur censura contra peccantes imposite, quia ista requirit contumaciam in actu peccati. Vide *tract. de cens. n.* 40. - 10.

ARTICULUS II.

De peccatis internis.

Distinguenda sunt in peccatis internis desiderium, gaudium et delectatio.

Desiderium est voluntatis actus tempus futurum respiciens, quo quis deliberate intendit opus cogitatum, puta fornicationem consummare.

Hoc desiderium dicitur efficax, quando quis media suscipit ad ducendum illud ad effectum: inefficax vero si non proponit exequi, sed consensit quod exequeretur si posset.

Gaudium respicit praeteritum, et est cum quis sibi complacet de malo opere patrato.

Delectatio morosa respicit tempus praesens, et est quando per imaginationem fantasiae quis reddit sibi praesens opus peccati, nempe actum fornicationis, et de illa deliberato consensu delectatur, tanquam actualiter fornicaretur, sine tamen desiderio exequendi. - 15.

Desiderium absolutum, sive cogitatio cum voluntate consentiente absolute in peccatum aliquando perpetrandum, habet eandem speciem, ac malitiam peccati mortalem vel venialem, quam habet actus exterior in quem fertur. Est *communis* et constat *ex Matth.* 5. 28.: *Qui viderit*, etc. Ratio est quia actus interior habet suam bonitatem et malitiam ab actu externo tanquam objecto. - 12. (*a*).

Delectatio duplex est; 1. alia est de opere malo, ita ut opus malum sit objectum delectationis quae semper est mala. - 17.

Et hic *Nota* quod valde *probabilis* est sententia *Lugonis*, *Bon.*, *Spor.*, *Laym.*, *Azor.*, etc.

Hi tenent quod si quis delectatur de copula cum nupta, non quia nupta, sed quia muliere pulchra, etc. non contrahit malitiam adulterii; circumstantia enim adulterii tunc non intrat in delectationem, idcirco tantum castitas, non justitia laeditur. Et idem dicit *probabiliter Tamb.* si quis affectu venereo, sine desiderio nuptam aspiciat.

Hoc tamen non obstante, valde mihi placet, id quod ait *Holzm.* nempe, quod licet ratione delectationis, non sit obligatio explicandi circumstantiam adulterii, est tamen in praxi explicandi ratione periculi proximi concupiscendi saltem inefficaciter, mulierem illam nuptam, in quod se conjicit qui de ea delectatur.

Nulli vero dubium committi adulterium, quotiescumque habeatur gaudium seu complacentia de copula habita vel desiderium de copula habenda cum conjugata, quia tunc voluntas amplectitur totum objectum pravum cum omnibus suis circumstantiis, nec ab illis praescindere potest, ideoque castitatem et justitiam laedit.

Item, si quis delectetur de copula sodomitica. Item, si persona, quae delectatur sit voto castitatis obstricta, etiam contra votum peccat. Haec sunt certa cum *Tamb.* apud omnes. - 15.

2. Alia est delectatio de cogitatione objecti mali, ita ut non opus malum, sed ipsa cogitatio de opere sit per se objectum delectationis. Et haec, vel potest esse bona, si adsit justa causa cogitandi, v. g. causa studii, consultationis, etc. cum abominatione objecti; vel potest esse venialiter mala, si fiat ex curiositate, etc.; vel potest esse aliquando etiam graviter mala, si adsit periculum proximum consensus. Ita *S. Thom.*, *S. Ant.*, *Less.*, *Sanch.*, *Bon.*, etc. - 17.

Similiter, nec peccatum erit, si delectatio versetur circa modum mali operandi, non circa ipsum opus malum quomodo sine peccato saepe nos delectant fabulae, comediae, bella, homicidia, fraudes, furta, lapsus hominis, v. g. ex equo, etc. non secundum se, sed modus furandi, rapiendi

(*a*) *Idem dicendum de gaudio seu de complacentia ac de desiderio. 11. 18.*

artificiosus et industriosus modus cadendi inopinatus. *Laym.*, *Sanch.*, *Azor.*, etc., *communiter*. - 18.

Unde licitum est gaudere et delectari morose de effectu bono secuto ex opere malo ; quia delectatio non est de objecto malo. - 19.

Quaeritur 1. An peccet qui optat aliquod objectum malum sub conditione si liceret?

R. Distinguendum : 1. Si conditio auferret malitiam objecti, tunc non peccaret saltem graviter. Hocque accidere potest non solum in vetitis de jure positivo, prout si diceres : *Ederem carnes in Quadragesima, nisi Ecclesia prohiberet :* Sed etiam in vetitis de jure naturali, casu quo objectum posset esse licitum, nempe dicendo : *Si Deus permitteret, vellem rem illam Titii arripere, etc.* Ita *Bus.*, *Laym.* etc.

Diximus *saltem graviter*, nam ordinarie hujusmodi desideria non excusantur a veniali, cum communiter sint periculosa, aut saltem otiosa.

2. Peccaret vero lethaliter, quando conditio non auferret malitiam objecti, nimirum dicendo : *Peccarem ; si non esset infernus : Occiderem inimicum, si ensem haberem*, etc. Hoc certum est apud omnes.

Sic etiam pariter dicunt *Sanch.*, *Spor.* etc. peccari in talibus desideriis conditionatis quando malitia nequit sejungi ab objecto, puta, si diceres : *Si non esset peccatum, vellem blasphemare, pejerare, moechari, fornicari*, etc. quia haec sunt intrinsece mala, et nunquam a peccato immunia esse possunt.

Unde censet *Laym.*, non excusari a culpa gravi, qui deliberata et efficaci voluntate hujusmodi objecta desideraret, quamvis sub conditione *si licerent*.

Verumtamen *satis probabiliter* sentiunt *Bon.*, *Valent.*, *Suar.*, etc. quod cum voluntas desiderat aliquod objectum malum impossibile, sub conditione *si liceret*, nunquam efficaciter in illud consentit, quando enim objectum illud, ut optas, dicendo *si liceret*, et scis non esse, nec posse esse licitum, non vere optas, sed tantum tuam propensionem ostendis.

Aliud vero esset, si optares malum illud objectum non esse prohibitum ; quia per se malum est velle inverti ordinem, et legem naturae, ut recte dicunt *Salm.* et sic conciliari possunt diversae praefatae sententiae. - 13.

Sunt qui admittunt licitum esse gaudere et delectari de opere malo sub conditione *si liceret*, quando conditio est possibilis, modo fiat tantum secundum appetitum rationalem, secluso omni alio periculo consensus illiciti et turpis motus. Sunt alii qui admittunt, modo absit delectatio voluntaria appetitus sensitivi, quae proprie delectatio dicitur, fitque communiter cum aliqua alteratione corporis.

Sed *verius* dicendum quod adhuc semota delectatione appetitus sensitivi quaelibet delectatio hic et nunc intrinsece mala sit per se illicita, ut tenent *Sanch.*, *Salm.*, *Ronc.*, etc. Ratio, quia, ut bene ait *Croix*, quamvis consensus sit conditionatus respectu ad objectum, respectu tamen ad delectationem est absolutus, et cum delectatio reddat objectum praesens, hic et nunc tale objectum, cum sit sejunctum a conditione cohonestante, est simpliciter malum; ergo vuluntas delectatur de objecto hic et nunc simpliciter malo, et ideo non potest a peccato excusari. Vide dicenda infra n. 24.

Secus vero dicendum, si quis diceret : *Delectarer de hoc si non esset malum*, ut recte ajunt *Salm.*, *Pal.*, *et communiter*. - 14.

Quaeritur. 2. An liceat delectari de opere malo, ob bonum effectum inde secutum?

R. Distinguo : si opus fuerit formaliter malum, nempe quia cum peccato

patratum fuit, peccat qui de illo delectatur, etiamsi delectetur de opere malo, non ut peccato, sed ut causa effectus secuti. Ita omnino tenendum cum *Sot.*, *Ronc.*, *Salm.*, etc. contra *Vasq.*, *Less.*, *Bon.* etc.

Si vero opus malum patratum fuit sine peccato, sentiunt *Less.*, *Vasq.*, etc. licitum esse de illo delectari, non per se, sed ut causa boni effectus.

Sed *verius* tenendum est oppositum cum *Sanch.*, *Tournely*, *Azorio*, *Croix*, etc. Ratio, quia licet actio non fuerit peccaminosa, fuit tamen objective mala; et hoc, ut recte notant *Salm.* in dubium non videtur amplius revocandum post Prop. 15. damnatam ab *Innocentio XI.*, quae dicebat: « Licitum est filio gaudere de parricidio » Parentis a se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex » haereditate consecutas. »

In quocumque casu tamen licet, per se loquendo, cuique delectari, non de causa, sed de effectu secuto, nempe de exoneratione causata a pollutione, etiam voluntaria; vel de consecutione haereditatis ob homicidium, modo causa detestetur. Dixi *per se loquendo;* nam hujusmodi delectationes aliquando non carent periculo, ut recte dicunt *Ronc. Salm.*, etc. - 20.

Quaeritur 3. An liceat delectari de malo proximi ob bonum finem?

R. Licitum est gaudere de malo proximi, ob majus bonum illius, vel innocentis, nempe si delector de proximi infirmitate, et etiam de morte, ut sic desistat a peccatis, a scandalis, etc. ut bene ajunt *Tournely*, *etc.* Hoc autem intelligendum semper servato ordine charitatis, nempe quando malum quod evitatur, praeponderat vel coaequat malum proximo optatum.

Sic pariter aliqui opinantur posse patrem optare mortem filii, si timet ex ejus flagitiis dehonestandam esse familiam.

Licitum est autem gaudere de malo temporali personae privatae ob bonum temporale commune. Ita *Less.*, *Ronc.*, cum *S. Thom.*, *etc.*

Hinc licet etiam gaudere de supplicio malefactoris, ad exemplum aliorum. Et quod dictum est de delectatione, dicendum pariter est de desiderio. Ita *Salm.* - 21.

Quaeritur 4. An liceat sibimet mortem optare, ad vitandam vitam nimis duram causa infirmitatis, saevitiae viri, mendicitatis, et similium?

R. Negant Salm., Nav., etc. Ratio, quia non licet velle mortem ob effugienda aliqua mala minoris momenti.

Sed *non improbabiliter affirmant Pal., Viva., Sot.*, etc., casu quo vita tam molesta aestimaretur durior ipsa morte.

Quaeritur 5. An liceat matri optare mortem filiae, eo quod filia ob deformitatem vel inopiam nequit nubere, vel quia ob illam mater male tractatur a viro?

R. Affirmant Azor., Pal., Bon.; Ratio, quia tale desiderium non tam est de malo quam de bono inde secuturo. Sed id recte rejiciunt *Salm.*, *Ronc.* Ratio, tum quia nunquam licet ob bonum temporale mortem proximi optare; hocque videtur non dubitandum post prop. 13. et 14. damnatas; tum quia malum matris non praeponderat malo filiae optato. - 22.

Quaeritur 6. An sponsis et viduis liceat delectatio de copula futura vel praeterita?

R. Affirmant plures licere delectari appetitu rationali, non autem carnali. At etiam secluso periculo delectationis sensitivae, *verius* dicendum quamcumque delectationem voluntatis in sponsis et viduis de copula futura vel praeterita esse malum. Ratio, quia delectatio reddit sibi objectum praesens; et ideo, semper ac objectum

praesens hic et nunc est malum, cum absit hic et nunc conditio honestans matrimonii, mala etiam est omnis actualis delectatio de illo. Ita *Holzm., Ronc., Sanch., Vasq., Azor., Laym. etc.*

Aliud dicendum de desiderio quo sponsus vult copulam futuram; hoc enim licet, quia cum voluntas fertur in objectum futurum, potest illud desiderare sub conditione qua objectum licitum erit. Sed quia in tali desiderio adest etiam periculum delectationis, idcirco hortandi sunt sponsi, ut sedulo a se avertant hujusmodi turpes delectationes. - 24.

Quaeritur 7. An conjugibus liceat delectari de copula, etiamsi alter conjux sit absens?

R. Negant Salm., Nav., Sal., Ronc., etc., quando delectatio habetur cum commotione spirituum.

Sed *Salm.* non congruenter loquuntur; nam, ipsimet *Salm.* admittunt cum *S. Ant., Conc., etc.*, et est *communis*, quod tactus impudici qui certe nequeunt ut plurimum esse sine commotione, inter conjuges, absente periculo pollutionis, sint liciti, saltem non graviter illiciti, etiamsi ob solam voluptatem capiantur, et ad copulam minime ordinentur. Ideo ajo, cur non est idem dicendum de delectatione? Quare *vere probabilem* censeo sententiam *Bussemb.*, quae dicit licitum esse conjugibus delectari, etiam carnaliter de copula habita vel futura, semper ac absit periculum pollutionis. Ratio est, quia prout dicunt *Salm.*, loquendo de tactibus impudicis, ipso status matrimonii haec omnia licita reddit; alias status matrimonialis nimis scrupulis esset obnoxius. Hanc sententiam tenent *Bon., Sanch., Less., S. Ant., Caj., Croix., Erson., Suar., Laym., etc.* Vide *tract. de matrim. n.* 937.-25.

Nota 1. cum *Salm., Lugo., Caj., etc.*, quod si quis se jactet de peccato gravi a se vere patrato, debet explicare in confessione etiam speciem peccati; quia tunc communiter jactantiae additur complacentia de peccato facto, quae sumit eamdem speciem peccati. Secus autem si jactantia sit de peccato ficto.

2. Delectatio morosa de rebus solo jure positivo prohibitis, v. g. de cogitato esu carnium in die jejunii, non est illicita, modo non fiat sub ratione prohibitionis. Ita *Laym., Less., Salm., Sal., Vasq., Sanch., communiter.* Non licet autem delectari de Missa ob oblivionem relicta, et simili, quia omissio est objective mala. Ita *Ronc. etc.*-27.

ARTICULUS III.

De Distinctione peccatorum specifica et numerica.

§. 1. - *De Distinctione specifica.*

Ex duplici radice desumitur diversitas specierum. 1. Ex oppositione ad diversas virtutes. 2. Ex diversa difformitate contra eamdem virtutem, prout accidit in perjurio, et violatione voti sive blasphemia, licet enim haec peccata sint contra eamdem virtutem religionis, specie tamen sunt diversa. Quoad hanc secundam radicem consentiunt Doctores. - 31.

Quaeritur 1. An distinctio specifica proxime sumatur ab objectis diversis peccatorum, vel a diversis virtutibus quibus peccata opponuntur.

R. S. Thom., Salm. et alii tenent proxime desumi ab objectis specie diversis. Ratio D. Thomae « quia pec- » catum non habet speciem ex parte » adversionis, sed ex parte conversio- » nis, secundum quod est actus qui- » dam.»

Scotus vero, cum *Bus., Bon., etc.*, tenet distinctionem specificam desumi a virtutibus quibus opponuntur peccato. Utraque sententia est *probabilis*, et utraque revera in idem coincidit.

Sed secunda, distinguendo peccata per oppositiones ad virtutes, planior est et facilior.

Advertit tamen *Ronc.*, quod licet peccata commissionis distinguantur ex virtutibus oppositis, ut ipse tenet; peccata vero omissionis omnino distinguuntur per oppositionem ad objecta, sive ad actus quibus privant, prout omittere Sacrum et jejunium, sunt peccata specie diversa contra obedientiam Ecclesiae debitam, quia Sacrum et jejunium sunt objecta specie diversa. - 32.

Quaeritur 2. An ex diversis praeceptis peccata specie distinguantur?

R. *Affirmant Nav., Tann., etc.* Sed dicendum cum *S. Thom., Caj., Val., Azor., Laym., etc.*, ex *communi*, quod si praecepta distinguantur tantum ex parte Legislatorum, ut est in furto quod prohibetur Lege Divina et Humana, minime inducunt distinctionem specificam peccatorum: quia diversitas Legislatorum non efficit praeceptum esse formaliter diversum, sed tantum materialiter.

Secus tamen, si praecepta distinguantur ex parte motivi ad prohibendum, quia tunc diversae virtutes laeduntur; prout si quis frangeret jejunium praeceptum ab Ecclesia, et ad quod voto simul ipse se obstrinxerit; tunc enim laederet temperantiam ex qua Ecclesia jejunium imperat, et Religionem ex qua Deus praecipit vota observari.

Ad agnoscendum vero quando leges sint conditae ad diversos fines, dicunt *Salm.* videndum si praeceptum humanum trahat actum ad specialem aliam virtutem, sive ad oppositionem cum alia speciali virtute.

Hinc *infertur* quod si quis occidit Sacerdotem, non solum peccat contra justitiam, sed etiam contra Religionem, ex cujus motivo Ecclesia vetat Sacerdotis laesionem. - 33.

Quaeritur 3. An peccatum ex objecto levius possit ratione circumstantiae excedere gravitatem peccati superioris speciei?

R. Negant Durand, Vasq. et alii Sed *affirmant probabilibus S. Thom., Conc., Caj.*, et alii *communiter*. Quia licet regulariter gravius peccatum est illud quod perfectiori virtuti opponitur; attamen, cum gravitas peccati superioris speciei sit finita, ideo, etsi physice non possit excedi a malitia peccati specie inferioris, potest vero moraliter. Hinc, sodomia et bestialitas sunt graviora peccata quam perjurium. - 34.

§. II. - *De distinctione numerica Peccatorum.*

Ex duabus radicibus desumitur distinctio numerica peccatorum, nempe 1. ex multiplicitate actuum moraliter interruptorum; et in hoc omnes conveniunt. 2. Ex diversitate objectorum totalium; quamvis de hac radice alii dubitent. Agendum hic de utraque.

PUNCTUM I.

De prima Radice, seu de Multiplicitate actuum moraliter interruptorum.

Ad sciendum quando actus voluntatis interrumpantur moraliter, et ad majorem et clariorem intelligentiam, distinguendi sunt actus interni interrupti ab actibus externis - 36.

Quoad actus internos distinguere insuper oportet peccata *Cordis* a peccatis *Oris* et *Operis*.

Si sint peccata *Cordis*, quae intime omnino perficiuntur, ut sunt odia, haereses, delectationes morosae, desideria turpia, etc., ista statim multiplicantur ac interrumpuntur, ita ut tot sint peccata, quot sunt actus voluntatis illis consentientis. Ratio, quia quoad tales actus non pendet unus ab alio, et ideo nequeunt moraliter continuari. Ita *communiter Suar., Vasq., Azor., Sal., Bon. etc.*

Et ideo poenitens quidem debet explicare, si potest, quot vicibus in voluntate consensit, si vero non potest, quia pravus animus fuit diuturnus, tunc sufficit fateri tempus in quo cum tali animo perseveravit, ut dicunt *Ronc., Vasq., etc.*

Merito autem notant 1. *Coninck* et *Lugo* quod explicari debet si interruptiones fuerint notabiliter rarae vel frequentes. Notant 2. *Tamb. Lugo, etc.*, quod si plures hujusmodi actus ex eodem impetu concupiscentiae procedant, unum peccatum mortale constituunt, etsi aliquod breve intervallum inter actus intercedat. - 37.

Si sint vero peccata *Oris* et *Operis*, quae externe consummantur, uti sunt blasphemiae, furta, etc., hi actus moraliter interrumpuntur. 1. Per retractationem voluntatis. 2. Per liberam cessationem, nimirum, si quis voluntarie et libere esset a proposito pravo; tunc enim, si iterum redeat ad malam voluntatem, novus actus erit moraliter diversus a primo, cum a primo non procedat, et ideo erit novum peccatum. Ita *Bus., Ronc., Croix.* - 38.

Quoad actus autem externos peccatorum, tunc isti moraliter interrumpuntur, quando non subordinantur ad aliquem actum principalem completum, puta, cum quis habet plures tactus, sine intentione copulae: vel si pluries furetur partes ex cumulo, sine intentione totum cumulum auferendi; quia tunc quilibet actus habet suam completam malitiam. Ita *communiter* omnes cum *Holzm.*

E converso actus externi duobus modis uniuntur, ita ut unum constituant peccatum.

1. Si ex eodem impetu procedant, puta cum quis ex eodem impetu pluries percutiat, pluries inhoneste tangat, ut recte dicunt *Salm., Nav., Less., Conc.*, 2. si ad ejusdem peccati consummationem dirigantur, sicuti diximus supra de actibus internis erga idem peccatum externum repetitis, qui ex prima voluntate procedunt.

Hinc, si quis ad homicidium patrandum emit arma, viam carpit, quaerit hostem, et occidit, unum peccatum committit. Ita etiam si quis ad copulam consummandam praemittit tactus, oscula et sermones, sufficit si confiteatur tantum copulam tantum.

Quaeritur 1. Utrum malum propositum interrumpatur per communes interruptiones, ut per somnum, distractionem, comestionem, etc.?

R. Negat Lugo, etiamsi magna mora intercedat; sed haec opinio est contra *communem*, et merito rejicitur, ut ait *Croix.*

E converso, *probabilis* est *sententia omnino opposita*, cum *Henno*, *Vasq., etc.*, qui dicunt actus internos interrumpi per quamlibet distractionem, etiam involuntariam.

Sed *probabilius* videtur dicendum cum *Sal., Viva., etc.*, quod si intercedat tempus breve, actus non discontinuantur: secus, si intercedat tempus diuturnum.

Quaeritur 2. Quale aestimandum sit tempus diuturnum?

R. Viva dicit annum; *Calm.*, mensem; *Ronc.*, duos dies; *Conc.* autem unum

Sed ego puto impetum unius actus difficulter posse protrahi, ordinarie loquendo, plus quam ad duos vel tres dies ad summum.

Hinc, qui perseverant in mala voluntate ultra duos vel tres dies, explicare debent tempus, ut sic intelligatur moraliter numerus actuum internorum circa peccata externa. - 39.

Notandum tamen, quod actus voluntatis, si ex prima voluntate procedant, et moraliter permaneant in aliquo effectu, qui conducat ad consummandum peccatum externum, per qualecumque tempus duret prava vo-

luntas, unum solum peccatum constituunt.

Hinc *infertur* 1. Quod si quis proponat occidere hominem, et idcirco arma praeparet, viam arripiat, et inimicum occidat, unum peccatum committit, licet per multos dies illum quaesierit, et pluries voluntatem repetierit. Ita *communiter S. Bonav, Caj., Nov.*, cum *S. Thom.*, quia omnes hi actus non habent rationem peccati, nisi secundum quod per unam voluntatem in perversum finem ordinantur.

2. Quod si quis statuit non restituere rem alienam, et in eadem voluntate semper, adhuc per annum permaneat, unum peccatum committit; quia in illa retentione nunquam retractata, virtualiter permanet prima voluntas, ut *probabiliter* dicunt *Ronc., Lugo, Nav., etc.*, contr. *Suar., Vasc., Bon.*, qui tenent interrumpi voluntatem per somnum, distractionem, etc., quorum sententia *probabilis est.*

Imo *Lugo* dicit voluntatem non interrumpi, etiamsi retractatio, sed brevissima, interfuerit voluntatis. Vide *Tract. de sept. praecep. n.* 683.

Merito tamen censet *Diana*, quod si fur redditur impotens ad restituendum, et deinde factus potens, data opportunitate, non restituit, novum peccatum committit. Ratio, quia eo casu per illud tempus impotentiae, voluntas non restituendi non perseverat in effectu. - 40.

Quaeritur 3. Utrum explicandi sint tactus qui statim copulam sequuntur?

R. Adsunt tres sententiae. *Prima absolute affirmat* cum *Suar.* et aliis.

Secunda cum *Croix negat*, si hujusmodi actus intendantur velut complementum prioris voluptatis; secus vero, si in eis tanquam in nova voluptate sistatur. Haec est quidem *probabilis.*

Sed *non minus probabilis est tertia sententia Busemb.* cum *Lug., Pal., Nav., Azor., etc.*, qui cum *communi* dicunt omnes hos actus, sicut et complacentiam de copula habita, non esse novum peccatum, si statim post copulam habeantur, et minime ad novam copulam intendantur: quia verisimiliter adhibentur tamquam complementum copulae obtentae - 41.

Nota 1. Quod etiam explicanda sunt tamquam distincta peccata, omnia media posita ad peccatum consummandum, si postea peccatum non consummetur, ut ait *Viva* cum *communi.*

Et hoc non solum si praedicta media per se sint mala, ut sunt tactus et sermones inhonesti; sed etiam si sint indifferentia, ut carpere viam, ascendere domum ad mulierem cognoscendam; parare arma ad homicidium, etc. Ita *valde probabiliter* dicit *Viva.* Ratio, quia tunc peccatum non manet tantum internum, sed redditur externum in illis actionibus quae omnes malae deveniunt, cum a malitia pravi finis omnes informentur. - 42.

Nota 2. Quod si quis habens oscula, tactus, etc. noluisset ab initio copulam, sed postea ob libidinem auctam, copulam perfecerit, non sufficit, si tantum copulam confiteatur; tunc enim omnes actus tanquam distincta peccata debent explicari; quia, cum in illis sistitur, quivis actus habet in se malitiam suam consummatam. Ita *communiter Tourn., Less., Croix, Salm., Nav., Lugo, etc.*

Et idem dicendum de eo qui animum habuit tantum hostem vulnerandi, et inde ira accensus occidit; hic duo peccata committit. Ita *Salm.* - 43.

Advertendum etiam cum *Croix* et *Mazotta*, quod si quis ex intentione furandi centum aureos, centenis vicibus moraliter interruptis eos surripiat, tunc centum peccata committit, quia singuli actus habent in se consummatam malitiam. - 44.

PUNCTUM II.

De Secunda Radice, seu de Diversitate objectorum totalium.

De secunda radice distinctionis numericae, scilicet an peccata multiplicentur ex diversitate objectorum totalium, celebris est quaestio inter doctores.

Prima sententia negat, et hanc tenent cum *Bus., Suar., Lugo, Laym., Nam., Viva, etc.*

Secunda vero *sententia communior*, quam sequimur, et tenent *Conc., Croix, Az., Vasq.* et alii innumeri, docet diversitatem objectorum totalium bene constituere diversa numero peccata.

Ratio prima quia, sicut actus respiciens plura objecta, specie diversa, includit plura specie diversa peccata in confessione explicanda, ita actus respiciens plura objecta, numero diversa, includit plura diversa numero peccata. *Ratio secunda*, quae fortius probat est quia idem actus non solum potest includere plures malitias specie diversas, sed etiam numero. Id patet exemplo; si enim conjugatus copulam habet cum conjugata, nemo negat duplicem committere injustitiam, unam quia violat jus suae uxoris, alteram quia cooperatur ut illa violet jus sui mariti. Ergo cum eodem unico actu bene possunt esse plura peccata numero diversa contra eamdem virtutem. - 45.

Hinc *infertur* quod diversa numero peccata committant sequentes :

1. Qui uno ictu plures homines occidit, vel pluribus detrahit; ut dicunt *Turn., Conc., etc.* Et idem dicendum si quis intendit occidere sive infamare totam familiam, ut tenent *Salm. Tourn., Conc., etc., contra Ronc., Anacl.*

Secus vero esset dicendum, si quis laederet bona quae possidet aliqua Civitas, Monasterium, aut Capitulum in communi; tunc enim non competit jus individuis in particulari, sed tantum toti communitati, unde unum jus laeditur.

2. Qui unico actu optat ad plures feminas accedere, contra *Tamb., et Lugo*, vel plures ad eamdem feminam contra *Les.*; tanto magis qui eadem nocte pluries eamdem feminam cognoscit, ut *Salm.*, cum aliis *communiter;* quaelibet enim fornicatio habet suum terminum completum.

3. Qui a pluribus furatur, ut *Salm., Az., Mol.* contra *Lugo et Tap.*

4. Qui pluribus unica vice scandalum praebet, ut recte ait *Tournely*, contra *Tamb., Lugo.*

5. Qui unico actu vult per plures dies Horas Canonicas, vel jejunium omittere ut *Croix, Holzm., etc.*, contra *Bus., Lugo.*

6. Qui uno actu malum tribus personis desiderat, ut *Croix, etc.* - 46.

Quaeritur 1. An committat diversa peccata, qui detrahit alicui in pluribus materiis, vel cum diversis contumeliis afficit ?

R. Negant Salm., Lugo, Caj., Sa, Az., etc., dicentes unum committere peccatum, quia licet tales detractiones, aut contumeliae materialiter specie distinguantur, moraliter tamen unam famam aut honorem laedunt.

Sed *probabilius* censent plura peccata committere *Tourn., Holz., Conc., Syl., etc.;* Ratio, quia laeduntur diversa jura ad famam vel honorem, quae alteri competunt; per hoc enim quod aliquis esset diffamatus in uno crimine, non ideo est diffamatus in alio.

Bene tamen hic *advertendum* cum *Salm., Conc.*, quod mulierculae et plebeii, qui simul rixantes eodem impetu diversis contumeliis se onerant, unum peccatum committunt. Ratio, quia juxta communem aestimationem hi non laedunt famam et honorem, eo quod ex una parte convicia inter hujusmodi per-

sonas non apprehenduntur ut gravia, et ex alia audientes nullam ipsis fidem praestant, putantes illa potius proficisci ex impetu irae, quam ex animo et rei veritate; et ideo tales rixantes ut plurimum excusantur a mortali, nisi forte de aliquo particulari facto adversarium improperent. - 48.

Quaeritur 2. An qui detrahit alicui coram pluribus, plura peccata committat ?

R. Affirmant Croix, Holzm., quia ut dicunt, tot jura is laedit, quot sunt personae apud quas alter infamatur.

Sed unum tantum peccatum committere consent *Lugo, Tamb., Azor., Mol.* Ratio, quia detrahere coram pluribus est tantum circumstantia aggravans, cum jus ad famam sit unicum apud omnes, non autem multiplex.

Unde cum *satis probabilis* sit sententia, juxta dicenda *de Poenit. n.* 468, quod non sit obligatio explicandi in Confessione circumstantias aggravantes, *probabile* etiam est in casu proposito non esse obligationem explicandi numerum personarum coram quibus facta est detractio, sed sufficere quod dicatur : *Detraxi coram pluribus.* - 49.

Quaeritur 3. Quot peccata committat qui plures articulos fidei negat ?

R. Plura censet *Borgia,* quia, ut ait, unusquisque articulus est distinctum fidei objectum.

Sed *verius negant Diana et Oviedo;* quia, cum objectum fidei nequit dici multiplex, non magis est infidelis, qui plures negat articulos, quam qui unum negat.

Quaeritur 4. Quot peccata committat, qui diversa mala optat inimico, puta infamiam, mortem, paupertatem, etc. ?

R. Prima sententia quam tenent *Lugo., Val., Bon., etc.*, dicit committere unum specie peccatum, et etiam numero, si mala optentur in eodem impetu; quia peccata odii non sumunt speciem diversam a diverso malo optato, quando omnia appetuntur sub ratione mali, ut contraria virtuti dilectionis; nulli dubium vero explicandas esse species malorum si desiderium sit eficax.

Secunda sententia quam tenent *Bus., Suar., Pal., Salm., etc.*, dicit committere plura peccata, prout sunt species malorum optatorum, si specifice exprimantur; quia desiderium sumit speciem a diverso objecto desiderato, ut inquit *S. Th.* Secus si optetur malum in communi, prout si dicat : *Maledictus sis, malum tibi eveniat.*

Tertia tamen *sententia satis probabilis,* quam tenet *Croix,* distinguit et dicit committere unum specie peccatum, casu quo mala illa apprehendantur sub uno genere mali, nempe, ut media ruinae inimico optatae; secus, si voluntas feratur ad optanda ei illa diversa mala specifice considerata; ut dicunt *Sylv., Bon. etc.*

Quaeritur 5. An plura sacrilegia committat confessarius, qui in mortali successive plures absolvit ?

R. Negant Salm., Viva, Lugo, etc. dicentes unum peccatum committere, quia formaliter unam irreverentiam Deo irrogat; sicut qui plura vasa sacra furatur unum sacrilegium committit.

Sed *verius Concina, Tourn., Croix* et alii docent tot sacrilegia committere, quot absolutiones impertit, quia singulae absolutiones sunt singula Sacramenta. - 50.

CAPUT II.

DE PECCATIS IN SPECIE, SEU MORTALI, VENIALI ET CAPITALIBUS.

ARTICULUS I.

De Peccato Mortali et Veniali.

De natura et Distinctione peccati Mortalis et Venialis. De Causis quibus peccatum ex genere suo Veniale, fit per accidens Mortale. De modis quibus peccatum ex genere suo Mortale, transit per accidens in Veniale.

§. I. *De Natura et Distinctione peccati Mortalis et Venialis.*

Mortale est, quod ob sui gravitatem, gratiam et amicitiam cum Deo solvit, poenamque aeternam meretur. Dicitur *mortale*, quia spiritualis vitae principium, gratiam scilicet habitualem tollit, et mortem animae infert.

Veniale est, quod ob suam levitatem, gratiam et amicitiam non tollit, etsi fervorem charitatis minuat, et temporalem poenam mereatur. Dicitur *veniale*, quia salvo vitae spiritualis principio, scilicet gratia, languorem animae facile curabilem infert, veniamque facile consequitur. - 51.

Mortale peccatum duplex est, aliud est mortale ex genere suo, aliud ex accidente. - 52.

I. Mortale *ex genere suo* est quod per se laedit charitatem Dei, vel proximi quoad personam, res aut jura, vel nos ipsos corrumpit graviter. Ita *Azor., Sanch.* - 52.

Unde:

1. Peccata contra bonum proprium commissa, ut plurimum sunt venialia ex genere suo: ut v. gr. inutilis et vana concupiscentia, vana oblectatio, prodigalitas, curiositas, superfluitas cultus et vestitus, nugae, otium, excessus in cibo, potu, somno, risu, usu conjugii, timore, tristitia appetitu pecuniae, laudis, etc.

2. Peccata contra virtutes theologicas sunt mortalia ex genere suo; quia nocent bono alicui interno, Dei v. gr. veracitati, misericordiae, charitati. Item fere omnia quae fiunt contra Decalogum, quia quae committuntur contra tria prima praecepta, nocent similiter Deitati, scientiae, omnipotentiae divinae, ejusque honori externo vel interno; quae vero contra reliqua praecepta fiunt, nocent personae, bono aut juri proximi.

3. Peccata illa septem quae dicuntur capitalia, non omnia sunt mortalia ex genere suo: quia non omnia graviter Deum aut proximum laedunt, vel nos ipsos corrumpunt. - 52.

II. Mortale *ex accidente* dicitur, cum actus aliquis venialis, aut indifferens fit per accidens mortalis, de quo in sequenti §. - 52.

Quaeritur quaenam requirantur ad peccatum grave?

R. Tria requiruntur, quorum si unum desit, fit veniale, quod alias ex se est mortale. 1. Ex parte intellectus, plena advertentia et deliberatio. 2. Ex parte voluntatis perfectus consensus. 3. Gravitas materiae saltem ut plurimum. - 53.

Nota. Ubi clarum non est aliquod esse peccatum mortale, non praeceps sit Confessarius in judicando aliquam transgressionem gravem esse, et talis peccati reum suum Poenitentem pronuntiare. Etenim valde periculosum est confessariis damnare aliquid de culpa gravi, ubi certitudo non elucet.

Qua propter, ait *S. Antoninus*, » nisi » habeatur auctoritas expressa S. Scri- » pturae, aut Canonis seu determina- » tionis Ecclesiae, vel evidens ratio non- » nisi periculosissime peccatum morta- » le determinatur . . . Nam si determi- » netur quod ibi sit mortale, et non sit » mortale, peccabit contra faciens, quia

» omne quod est contra conscientiam » aedificat ad gehennam. »

Hinc *animadvertatur* in quale discrimen se immittant illi qui rigidam doctrinam sectantes, facile damnant homines de peccato mortali in iis in quibus gravis malitia evidenti ratione non apparet, eos sic exponendo periculo damnationis aeternae : et idem dicendum de iis qui de facili notam laxitasis inurunt sententiis, quae aperte improbabiles non videntur.

§. II. - *De modis quibus peccatum ex genere suo Veniale aut indifferens transit per accidens in Mortale.*

Quinque modis communiter docent Theologi peccatum ex genere suo veniale aut indifferens transit per accidens in mortale.

1. Ratione *finis* adjuncti, ut si quis leviter mentiatur ad copulam carnalem extorquendam : quia, cum finis mortalis ametur, mortale est. Non tamen necessarium est in confessione exprimere illud mendacium, sed solum desiderium fornicationis; quia, seclusa malitia mortalis finis, manet veniale. - 59.

2. Ratione *nimii affectus* in rem aliquam ; ut si v. gr. ultimum finem in ea constituas. Ad quod non sufficit valde intense et vehementer ferri in objectum, sed requiritur, ut appretiative illud aestimes saltem virtualiter, ut paratus sis ejus causa transgredi praeceptum obligans sub mortali, ut si quis ita inordinate afficiatur ad fabulas, lusum, personam, ut malit festo omittere Sacrum, etc., quam illis privari.

Notat autem *Bonac.* hunc affectum non tantum habitualem, sed actualem esse debere, ut peccatum contrahatur, quia non imputatur ad culpam id ad quod committendum habitu tantum es paratus - 60.

3. Ratione *contemptus* absoluti et formalis. Dico autem contemptum *absolutum et formalem*, quando nimirum ideo formaliter et absolute praeceptum violatur, quia ipsi aut Superiori subjici renuis, quod est peccatum superbiae consummatae : vel quando ideo non vis obedire praecepto, quia praeceptum est, et est peccatum inobedientiae formalis, quorum utramque graviter pugnant cum charitate debita Superiori.

Aliud igitur est contemnere legem seu Legislatorem, etiam humanum, non qua talem personam, sed qua Legislatorem, quod est mortale ; aliud contemnere rem praeceptam, quod est veniale, si materia sit levis. - 61.

4. Ratione *scandali*, si ruina per illud proximo causanda, sit mortalis. Ratio est, quia tali operi superadditur aliquid graviter repugnans charitati.-62.

5. Ratione *periculi* incidendi in mortale, quando quis sine sufficienti cautela aut necessitate aliquid facit, per quod veniat in mortale, ac proximum periculum peccandi mortaliter, quia talis salutem animae contemnit, cum proximo periculo ejus temere se exponat.

Unde in confessione explicanda est species peccati, cujus periculo se objecit, quia eodem genere peccati peccavit. Proximum autem periculum censetur quod frequenter homines similis conditionis in peccatum mortale inducit. - 63.

§. III. - *De causis quibus peccatum ex genere suo Mortale, fit per accidens Veniale.*

Tribus ex causis fieri potest veniale, peccatum ex genere suo mortale.

I. Si ex parte intellectus, non sit perfecta advertentia malitiae seu deliberatio. Signa autem imperfectae deliberationis sunt :

1. Si tenuiter et quasi semidormiens apprehendisti esse malum.

2. Si post, ubi melius consideras,

judicas te non fuisse facturum, si ita apprehendisses.

3. Si vehementissima passione, apprehensione, vel distractione laborasti, vel turbatus fuisti, ita ut fere nesciveris quid ageres. Vide *n.* 4. - 54.

II. Si ex parte voluntatis non sit perfectus consensus. Vide dicta *de Consensu, n.* 5. Signa autem imperfecti consensus sunt :

1. Si ita dispositus fueris, ut licet facile potueris exequi peccatum, non tamen sis executus.

2. Si quis dubitet num consenserit, praesertim si sit vir timoratus.

3. Si quis soleat esse ita affectus, ut malit mori, quam expresse mortaliter peccare : quia talis non facile consentit.

4. Si quis valde timide et suspense processisse se meminit.

5. Si semisomnis fuit non plene sui compos, etc., judicetque se id non fuisse facturum, si plene vigilasset. - 55.

III. Si, ex parte materiae, haec sit parvi momenti. Quando autem talis sit, discernendum est morali judicio prudentis, cui sequentes regulae servient :

1. Ut de materia judicetur, non tantum ipsa secundum se absolute est consideranda, sed etiam respective ad finem intentum, ad quem si parum facit, levis est : gravis autem, si multum. Regula sit : Non datur parvitas materiae, ubi ob gravitatem non excusatur ratio offensionis, ut accidit in infidelitate, odio Dei, simonia, perjurio, re venerea, et blasphemia.

2. Attendendae sunt circumstantiae, quia saepe fit ut res ex se levis, attentis circumstantiis boni communis, vitandi scandali, etc. fiat gravis.

3. An pars aliqua rei praeceptae sit gravis, ea spectanda est tum absolute, et secundum se, tum etiam in ordine ad totum.

4. In transgressionibus repetitis, si plures materiae parvae, vel secundum se, vel secundum effectus a se productos, moraliter conjugantur, fit materia gravis, quia tunc omnes moraliter reputantur pro una. Contra vero non censetur materia gravis, si parvae materiae, nec secundum se, nec secundum effectus reliquos, inter se uniantur. - 56.

Unde :

1. Peccas mortaliter, ita ut fiat materia gravis, si saepe modicum furaris, et non restituis. Item si eodem die jejunii saepius parum comedas, etc.

Non peccas graviter, si quotidie in quadragesima parum comedas, quod verum est, etiam si simul haberes propositum ita faciendi; quia cum ista mortaliter inter se non uniantur, singula sunt parva.

3. Non peccat mortaliter qui diversis diebus violat votum, quotidie, aut singulis diebus modicum quid orandi, vel parvam eleemosynam dandi, si sit onus affixum diei : quia cum quotidie cujusque diei obligatio extinguatur, materiae illae non continuantur. Quod verum est, etsi proponat semper omittere, quia illud propositum non fertur in rem gravem. Si tamen similia vota non sint onus affixum diei, sed tantum dies praefigatur ut terminus, ultra quem executio non differatur, erit peccatum mortale, postquam ad materiam notabilem perventum fuerit. - 57.

ARTICULUS II.

De Peccatis Capitalibus.

De Superbia. Avaritia. Luxuria. Invidia. Gula. Ira. Acedia.

§. I. - *De Superbia.*

Superbia est *appetitus inordinatus propriae excellentiae;* mortalis ex genere suo, si sit consummata et perfecta, id est, si quis ita excellere appetat, ut Deo, Superioribus, eorumque legibus subjici nolit.

Imperfecta tamen, qua quis subjici

non renuens iis quibus debet, in suo tantum affectu sese magnificat, est tantum venialis, quia sine Dei et aliorum despectu plus justo se efferre, non est gravis inordinatio : esset tamen gravis, si fieret cum notabili aliorum contemptu, complacendo in aliorum abjectione. - 65.

Quaeritur. Quaenam sunt filiae superbiae ?

R. Filiae superbiae sunt tres :

1. Praesumptio, quae est appetitus aggrediendi aliquid supra vires. Est communiter peccatum veniale tantum; fit tamen mortale, si damnum Deo aut proximo afferat.

2. Ambitio, quae est inordinatus appetitus dignitatis et honoris non debiti, vel debito majoris. Est per se peccatum veniale : fit autem mortale, vel ratione materiae ex qua, vel ratione medii per quod honor quaeritur, vel ratione damni quod proximo infertur. Denique, si moderate honor appetatur ob honestum finem, erit actus magnanimitatis.

3. Vana gloria, scilicet cupiditas inanis gloriae, cujus finis est manifestatio inordinata propriae excellentiae, sive verae sive fictae, est peccatum per se veniale, mortale saepe per accidens, ut dictum est de ambitione. Imo est tantum veniale res etiam sacras principaliter facere ob gloriam vanam : v. gr. concionari.

Porro per vanam gloriam dupliciter peccatur, directe et indirecte.

Directe, idque 1. vel per verba, estque jactantia, quae est venialis per se, si sit de rebus bonis, v. gr. jejunio, oratione, etc., et si per accidens saepe ratione damni, si sit falsa, fiat mortalis uti etiam 1. si quid dicat contra gloriam Dei, ut *Ezech.* 28. *Deus ego sum.* 2. Si prorumpat in contumelias v. gr. *Non sum sicut caeteri hominum adulteri, etc.* 3. Ex fine malo. 4. Si cum notabili damno proximi fiat. 5. Si de re mortaliter mala ; quia approbatio operis eamdem cum illo speciem habet: quae proinde in confessione debet explicari, saltem quando cum jactantia de peccato conjuncta fuit complacentia ejusdem. Quod *addo*, quia si absque ea fuit, *Nav., etc.* docent contra *Sanch., etc* non necessario explicari.

2. Vel per facta quae, si vera sunt, et aliquid admirationis habent, dicitur inventio novitatum : haec enim solet vulgus admirari, ut per vestes peregrinas, opiniones, etc. ; mortale, si notabiliter corrumpat juventutem vel mores : si vero facta falsa sint, est hypocrisis ; v. gr. si quid boni aliquid faciat, ut videatur bonus, etsi non sit: quae ex se venialis est, nisi sit cum injuria, vel contemptu Dei proximi.

Indirecte, in quantum quis altero non vult esse minor. Quod fit quadrupliciter. 1. Per intellectum, et est pertinacia qua quis nimis tenaciter adhaeret suae sententiae, quae est mortalis, si magni momenti oppugnetur veritas, vel si sit conjuncta cum periculo tertii, v. gr. si medicus cum periculo aegroti meneat in sententia. 2. Per voluntatem, et est discordia qua peccatur mortaliter, quando est circa bonum Dei vel proximi, in quo deberent esse concordes. 3. Per verba, et est contentio, quae est mortalis, quando animo contradicendi altercaris circa veritatem pertinentem ad fidem, vel salutem animae aut corporis. 4. Per fata, dum quis non vult exequi quod debet, et est inobedientia. - 66.

His tribus superbiae filiabus respondet pusillanimitas qua quis nimium sibi diffidens, detrectat honores, gloriam vel officium quo dignus est. Veniale est ex genere suo ; et fit mortale, si detrectes, ad quod teneris sub mortali. - 67.

§. II. - *De Avaritia.*

Avaritia est *inordinatus appetitus*

temporalium. Est ipsa ex genere suo venialis ; cum vero eo crescit, ut ejus causa, divinas leges praevaricari non dubites, mortalis.

Prodigalitas quae opponitur avaritiae, et consistit in defectu conservandi, et excessu erogandi, est ex genere suo venialis : levior quam avaritia, quia minus abit a virtute liberalitatis. Attamen, mortalis fit, si liberis et uxori pauperiem crees ; si impotentem te reddas ad solvenda debita ; si profundas bena Ecclesiae piis causis obnoxia. - 68.

Quaeritur. Quaenam sunt filiae avaritiae ?

R. Sunt sequentes.

1. Obduratio cordis, contra misericordiam, egenis et pauperibus non compatiendo, eos objurgando, debita dure nimis exigendo, quando creditor non est solvendo, etc. Hac aliquando peccari potest mortaliter quando praeceptum eleemosynae vel charitatis urget, et tamen, ex tali duritie non subvenitur. Vide dicenda in *Tract. de virt. Theol.* §. III. *De eleemosyna*.

2. Inquietudo cordis, hoc est, vehemens et inordinata applicatio mentis ad acquirendas vel conservandas divitias ; cum inani et vano timore, ne non acquirantur vel perdantur. Est mortalis quando retrahit a spiritualibus, vel aliis ad quae ex praecepto gravi obligamur, vel inducit superfluum timorem, et ex hoc diffidentiam erga Deum. Venialis est si sit de re bona, sed tempore vel loco indebito, v. gr. de familia quando vacandum est Deo.

3. Violentia, mortalis est, quando est injusta, et circa materiam gravem

4. Fallacia sive dolus in verbis potest esse mortalis ratione finis vel mediorum.

5. Fraus sive dolus in facto est mortalis ex genere suo, contingitque multipliciter in contractibus, tam ratione materiae, quam ratione pretii.

6. Proditio, quae est deceptio contra fidem datam, aut debitam, in damnum alicujus, mortalis est ex genere suo. Contingit fere tripliciter. 1. Circa personas, quomodo *Judas Christum*, *Dalila Samsonem* prodidit. 2. Circa res vel immobiles vel mobiles. 3. Circa secretum, vel sibi commissum, vel alienas litteras aperiendo et legendo. - 69.

§. III. - *De Luxuria.*

Luxuria est *appetitus inordinatus venereorum*, quorum usus cum ex natura sua istitutus sit ad conservationem generis humani, quod est magnum bonum hominum, et externum Dei, proinde qui abutitur, laedit Deum et homines. Est mortalis ex genere suo.

Quaeritur. Quaenam sunt filiae luxuriae ?

R. Filiae luxuriae sunt octo : quatuor ex parte intellectus, et quatuor ex parte voluntatis.

1. Coecitas mentis, cum quis adeo est addictus turpitudini, ut de caelestibus non cogitet.

2. Praecipitatio, qua quis ex eadem causa sine consilio operatur.

3. Inconsideratio, quando in modo delinquit, inconsiderate agens, quae statum vel personam dedecent.

4. Inconstantia, quando quis ex eodem affectu voluptatum a piis propositis mox deficit.

5. Amor sui, talis enim homo ob voluptates seipsum finem suarum actionum facit, non Deum.

6. Odium Dei ; lascivus enim solet a rebus divinis abhorrere, imo ab ipso Deo, tanquam peccatorum vindice.

7. Affectus praesentis saeculi ; amor enim voluptatum carnalium ita animam afficit, ut subinde etiam beatitudinis aeternae paratus esset renuntiare, si praesentibus frui semper permitteretur.

8. Horror futuri saeculi, quando voluptatibus immersus mortem inordinate timeret, et de ea nolens cogitare, vitam illicitis mediis propagare studet, etc.

Priores quatuor sunt mortales, quando finis ultimus in creatura ponitur, vel praeceptum aliquod Dei graviter obligans praetermittitur, posteriores quatuor, si plenus sit voluntatis consensus, per se sunt mortales; ex indeliberatione, vel alia actuum imperfectione, saepe veniales. - 71.

§. IV. - *De Invidia.*

Invidia est *tristitia de alterius bono,* prout illud est diminutivum propriae excellentiae, ita ut haec directe sit contra charitatem: haec enim gaudet de bono proximi; quod invidia destructum optat, vel non destructum dolet. Est ex genere suo mortalis, et gravissima quidem, atque in Spiritum sanctum, si sit de ipsa gratia vel auxilio Dei.

Nota 1. Si tristitia sit de bono alterius, in quantum ex eo tibi vel aliis times damnum, non est invidia, sed timor qui per se non est peccatum, nisi sit inordinatus.

2. Si tristitia sit ex eo quod nobis desit bonum quod alter habet, ita tamen ut illud alteri non discupiamus, non est invidia, sed aemulatio seu zelus, qui si sit circa bonum honestum, est laudabilis: si autem circa temporalia, interdum est venialis, ut si bonum dolenti sit improportionatum.

3. Si tristitia est ex bono alterius, in quantum ille est indignus, non est invidia, sed indignatio quae non est peccatum; erit tamen et quidem mortale, si vel Dei providentiam arguat, estque blasphemia; vel si ita afficiat, ut ducat homines ad malum imitandum.

4. Si doleas quod alter tibi aequalis vel non multum inaequalis in excellentia crescat, ita ut te fiat superior, et ipsum incrementum excellentiae apprehendas, ut tibi malum, est proprie dicta invidia, invidus enim dicitur quod non sit videns, quia bona alterius sine tristitia videre non potest.

Sic peccare solent 1. ambitiosi, et qui ex re aliqua quaerunt gloriam, quam cum in eo ponant, ut illa re sint soli ac singulares, dolent et tristantur, si alii accedant. 2. Pusillanimes quibus cum omnia videantur magna, quovis bono alterius putant minui suum. 3. Senes respectu juvenum, et quicumque aliquid difficulter obtinuerunt, quod alii facile consequuntur.

5. Qui in adversis suis, vel ob aliorum prosperitatem, optat se non fuisse natum vel diem esse maledictum, quo natus est, etc., si tantum intendat maledicere irrationali creaturae, v. g. diei, qui tot mala culpae vel poenae protulit, videtur esse tantum veniale, aliquando etiam nullum, ut *Jobi;* si autem deliberate intendat optare malum homini, sive sibi, sive alteri illo die natis, mortale est. - 72.

Quaeritur 1. Quaenam sunt filiae invidiae?

R. Sunt sequentes:

1. Odium de quo supra.

2. Detractio de qua in praecepto octavo.

3. Gaudium in malis proximi.

4. Susurratio, quae est oblocutio mala de proximo ad tollendam amicitiam ipsius cum aliis, quam proinde susurro restituere tenetur, et iterum reconciliare, non secus ac famam detractor. Vide in *Tractatu de praec. oct.*

Quaeritur 2. An citra infamationem possit quis dissolvere amicitiam alicujus, narrando scilicet illius defectus naturales, aut similes, ut ipse succedat loco expulsi?

R. Negant Azor., etc. Sed *affirmant Salm., Soto* etc. quia licet sine vi vel fraude procurare sibi bonum gratuitum alicujus cum exclusione alterius.

At *probabilior* est prima sententia, dum ipsi *Salm. communiter* docent quod propalatio defectuum naturalium erit peccatum grave, si inde impedi-

retur alius a consecutione alicujus boni temporalis : cum igitur hujusmodi propalatio per se sit injusta, fraudulenter expellitur alter ab amicitia acquisita.

§. V. - *De Gula ed Ebrietate.*

PUNCTUM I.

De Gula.

Gula est *inordinatus appetitus cibi et potus*, opponiturque abstinentiae, et committitur quinque modis. 1. Si edas ante tempus. 2. Si nimis exquisita. 3. Si plus justo. 4. Si voraciter 5. Si nimis exquisite praeparata.

Gula ex genere suo est peccatum tantum veniale, quia nullus horum modorum repugnat praecisae charitati Dei vel proximi.

Unde:

1. *Probabile* est, secluso scandalo et aliis, veniale tantum esse usque ad vomitum se cibo et potu implere.

2. Qui sponte evomunt quod sumpserunt, ut iterum edant aut bibant, vix excusantur a mortali ; hoc enim videtur involvere magnam deformitatem.

3. Mortalis interim censetur crapula ex accidente, et nimia inordinatione, in his casibus : 1. Si quis gulae causa violet jejunia Ecclesiae. 2. Si quis ex gula notabiliter ineptus fiat ad functiones, ad quas sub mortali tenetur. 3. Si quis valde graviter valetudini noceat, id advertens ; secus, si leviter tantum. 4. Si continue fiant comessationes et compotationes, ita ut venter pro Deo habeatur. 5. Si quis bibat ad perfectam ebrietatem, de qua infra.-73.

Quaeritur. Quaenam sunt filiae gulae ?

R. Sunt sequentes, et quidem veniales :

1. Ex parte animae, hebetudo mentis, seu stupiditas nata ex crapula ; quae fit mortalis quando quis inordinate bibendo vel comedendo, voluntarie fit ineptus ad intelligenda, vel praestanda ea quae ad salutem illi sunt necessaria, vel ad quae ox officio aut alias sub gravi peccato tenetur.

2. Inepta laetitia, per quam intelligigitur non quaevis inordinata, quae omne peccatum sequitur, sed quae movet ad cantiones obscoenas, actus turpes, saltus, vel choreas inhonestas,etc.; fitque mortalis, quando est inductiva alterius ad consensum vel delectationem mortalem, vel ad eam ordinatur.

3. Multiloquium.

4. Scurrilitas, quae ab inepta laetitia et multiloquio differt, quod illa sit in appetitu, istud in verbis ; haec in verbis et gestibus ; dicitque semper aliquam inhonestatem licet per se, et secluso scandalo, venialem ; mortalis tamen esset si fieret causa delectationis venereae.

2. Ex parte corporis, filiae gulae sunt : immunditia, vomitus, et seminis effusio. Quae ultima, si voluntaria sit, peccatum mortale erit. - 74.

PUNCTUM II.

De Ebrietate.

Malitia ebrietatis plenae et perfectae in eo consistit, quod quis ob voluptatem aut ingluviem sciens, volens privet se usu rationis ; non simpliciter, id quod fit in somno, modo naturali, instituto ab auctore naturae ad virium et imaginis Dei conservationem, sed violenter et modo innaturali rationem perturbando, et Dei imaginem deturpando, in modum amentis brufi ; ac simul insuper privando se proxima potestate utendi ratione, ad omnem subitam necessitatem. Ita *communiter* DD.

Perfecta ebrietas, qua praedicto modo ratio plane sopitur, est ex genere suo mortale ; quia censetur Deo injurium, ejus imaginem sic deturpare.

Est *communis* DD. Unde non peccat mortaliter qui ex potu vini non amittit totaliter usum rationis, quamvis mens perturbetur, ita tamen ut discernere valeat inter bonum et malum, ut *communiter dicunt Caj., Salm., Elbel.*, etc.

Addit *Croix cum communi*, ebrietatem non esse mortalem, si per modicum tempus privet ratione. Dicit autem *Croix* longum tempus videri unam horam. - 75.

Quaeritur 1. Quaenam sunt signa perfectae ebrietatis?

R. Signa perfectae ebrietatis sunt; 1. Si quis non possit discernere inter bonum et malum. 2. Si quis non meminerit dictorum, factorum quomodo vel quando domum deductus. 3. Si commisit ea quae nunquam alias sana mente solet.

Erit ergo imperfecta ebrietas, si quis post potum discernere adhuc possit inter bonum et malum, licet nonnihil phantasia turbata sit, aut sequatur vomitus, lingua titubet, pedes vacillent, oculi cernant duplicia, vel domus gyrari videatur; hujusmodi ebrietas, cum non sit plena, est tantum peccatum veniale, sed ex gravioribus, si deliberate sit commissum.

Nota. 1. Si quis non praevidit periculum ebrietatis, et sic vino captus est, ut in auram exiens vento turbatus est; nec hoc praevidit, vacat culpa. Unde multi excusantur, qui prudenter saepe judicant adhuc se haustulum facere posse sine noxa; desinent tamen prudenter id judicare, si contrariam de se experientiam habeant.

2. Si quis sumit tantam vini potionem, quae est apta, jam advertit, ad inebriandum, nullo modo excusatur a mortali, quamvis, antequam sensibus destituatur, somno se committat, quo vini effectum effugiat: quia potio illa jam de se est intrinsece mala, cum de se apta jam sit ad privandum hominem usu rationis, et per accidens se habeat, quod ipse vel per somnum vel per inebriationem sensibus privetur.

Quaeritur 2. An liceat se inebriare ex consilio Medicorum, quando inebriatio aestimatur absolute necessaria ad morbum expellendum?

R. Valde Doctores laborant in hac quaestione, licet videatur casus vix unquam accidere posse. *Prima sententia affirmat*, quam tenent *Buss., Less., Laym., Pal., Ronc., Spor. Syl.*, etc. Ratio, quia cibus et potus tunc sunt peccata, quando sunt immoderati; sed non sunt immoderati, quando sunt necessarii ad valetudinem.

Secunda vero *sententia negat*, et hanc tenent *Holz.* etc. Ratio, quia voluntaria privatio rationis per ebrietatem est intrinsece mala; unde sicut fornicatio nunquam permitti potest, ita neque haec.

Verumtamen prima sententia *satis probabilis*, imo *probabilior* mihi videtur casu quo potatio vini praebeatur ad expellendos sive corrigendos pravos humores; tunc enim privatio per accidens et indirecte evenit, et ideo licite permitti potest; licitum est matri sumere pharmacum directe tendens ad servandam suam vitam, quamvis indirecte eveniat expulsio foetus, ut dicimus *in Tract. De quinto praecept. n.* 394.

Secus vero dicendum, si potatio daretur directe ab ebrietatem sive ad privationem rationis causandam, hoc enim esset semper intrinsece malum.

Hinc, ut bene advertit *Croix*, etc., nunquam licitum est se inebriare ad sensus sopiendos, ne cruciatus sentiatur.

Quaeritur 3. An liceat alicui se inebriare ad vitandam mortem quam alter ei minitatur, nisi inebrietur?

R. Prima sententia affirmat; et hanc tenent *Buss., Les., Bon.*, etc.

Secunda vero sententia probabilior negat; eamque tenent *Holzm.*, *Az.*, *Salm.*, etc.; Ratio, quia privare se directe usu rationis est intrinsece malum ut diximus. - 76.

Quaeritur 4. An licitum sit aliquem ad ebrietatem inducere, ut ille impediatur a graviori malo, puta homicidio committendo?

R. Adsunt tres sententiae. *Prima affirmat*, hancque tenet *Less.*: Ratio, quia licitum est paratum committere majus malum, inducere ad minus patrandum.

Secunda sententia, quam tenent *Laym.*, *Bon.*, *Pal.*, *Salm.*, dicit licitum esse alterum inducere ab ebrietatem materialem, id est, quando alter se inebriet sine peccato, puta apponendo illi vinum fortissimum aut medicatum; quia tunc ex una parte ille non peccat, et ex altera damnum ebrietatis permittitur ad vitandum gravius damnum aliorum. Non autem licitum esse dicunt eum inducere ad ebrietatem formalem, nempe cum suo peccato, cum haec sit intrinsece mala, ac ideo nunquam permittenda.

Tertia sententia quam tuentur *Tournely*, etc. dicit non licere inducere ullum ad ebrietatem neque formalem, neque materialem, ob quodcumque malum effugiendum, quia, ut recte loquuntur, malum, etsi materiale, contra legem naturalem est vere malum, unde nunquam licet ei cooperari.

His tamen non obstantibus, prima sententia *satis probabilis* videtur mihi et aliis viris doctis a me consultis, sive ebrietas sit materialis, sive formalis, ob rationem jam allatam; quia licitum est inducere alterum ad minus malum, ut impediatur a majori, juxta ea quae dicimus *in Tract. de virtut. theol. n.* 57-77.

Quaeritur 6. An imputentur ad culpam mala in ebrietate commissa?

R. Salm. distinguunt, et dicunt quod si mala sint operis, ut sunt occisiones, fornicationes, etc. imputantur ad culpam; secus vero si sint mala oris, ut contumeliae, blasphemiae, et perjuria; quia, ut ajunt, verba illa prolata ab ebrio non sunt verba formalia actu significativa, quatenus non dicta ab homine rationis compote, sed sunt simplices soni, seu verba materialia, tanquam prolata a pica.

Hanc sententiam non audeo *improbabilem* dicere, sed magis adhaereo sententiae oppositae quae docet blasphemias praecisas esse vera peccata formalia in causa, cum ipse libere eam posuerit: verba enim contumeliosa in homines in ebrietate prolata recte dicit nullam dehonorationem hominibus irrogare; secus autem, si proferantur in Deum, juxta dicenda in *Tract. de secundo praecep. n.* 127., ubi dicimus blasphemias, etiam sine affectu, sive materialiter prolatas, non excusari a peccato, cum sola prolatio ipsarum voluntaria vergat in diminutionem divini honoris. Et in nostro casu, licet prolatio non sit voluntaria in actu, videtur tamen esse voluntaria in causa. - 73.

§. VI. - *De Ira.*

Ira est *inordinatus appetitus vindictae*. Quae inordinatio secundum *D. Thom.* dupliciter fieri potest. 1. Ex parte modi irascendi, ut v. g. si nimium interius exardescas, vel exterius per signa nimis patefacias. 2. Ex parte objecti, ut si vindictam appetitus plane injustam ob causam, vel si justo majorem, v. g. optando inimico mortem quam non est meritus, vel exequendam propria auctoritate, vel denique, licet vindicta justa sit, non tamen eam appetas ut justam, sed ut satiativam animi tui malevoli.

Ira inordinata, primo modo ante dicto, est ex genere suo peccatum ve-

niale ; potest tamen fieri mortale ex accidente , ut si addatur blasphemia, maledictio, scandalum. Ira inordinata secundo modo est ex genere suo mortale , quia est directe contra charitatem. - 79.

Si ordinate appetatur vindicta, non est peccatum irae , ut cum superiores irascuntur culpis subditorum , easque puniunt seu vindicant.

Quaeritur. Quaenam sunt filiae irae?

R. De filiabus irae quae partim sunt ex corde , ut indignatio et tumor mentis ; partim ex ore , ut clamor , blasphemia , contumelia , maledictio ; partim ex opere, ut rixa, pugnae, seditiones,vulnera; diversimode loquendum est , secundum regulam supra datam.

Nam 1. Indignatio, quae est inordinatus affectus ex eo quod quis reputet se indigne a tali tractari, communiter est veniale peccatum ; imo si ex justo rationis judicio procedat , nullum est. Posset tamen esse mortale, si cresceret usque ad deliberatum odium et contemptum personae gravem.

2. Tumor mentis, quo quis morose excogitat diversas vias vindictae , iisque cogitationibus animam tumefacit, quale peccatum sit, judicandum est ex qualitate vindictae quae excogitatur.

3. Clamor , cum iratus extollit vocem , multa inordinate et confuse effundens , est veniale peccatum communiter, nisi aliud addatur.

4. Blasphemia est mortale peccatum ; de qua in *Tract. de secundo praecept. n.* 121.

5. Contumelia qua quis proximo malum aliquod objicit cum intentione illum inhonorandi , est ex genere suo mortale peccatum. - 80.

6. Maledictio qua quis optat vel imprecatur alteri malum , sub ratione mali est ex genere suo mortale peccatum. Sed docet *D. Th.* ut maledictio sit mortalis, tria requiri : 1. Ut malum prolatum vere optetur. 2. Ut optetur cum perfecta deliberatione. 3. Ut malum optatum sit grave. Ita *communiter* omnes. - 83.

Unde in ira imprecari aliis Daemonem , grandinem , fulgura , etc., plerumque est tantum veniale , saltem quando dicitur in illos qui amantur ab irato , ob subitam commotionem et inadvertentiam ac defectum seriae voluntatis. Grave autem est , si subditi Superioribus , filii parentibus , licet materialiter tantum , sic maledicant , praesertim in faciem , qui est grave contra debitam reverentiam. - *Lib.* 3. *n.* 131.

7. Rixae , si modum non excedant, ut et leviculae pugnae , veniales sunt, secus si progrediantur ad seditiones , vulnera , caedes. Suntque haec communiter peccata ex parte incipientis rixam, alter enim potest se defendere cum moderamine inculpatae tutelae. - 83.

§ VII. *De Acedia.*

Acedia, sive animi taedium , potest ex *Div. Thom.* dupliciter usurpari. 1. Generaliter pro omni animi remissione in exercitio virtutum , eo quod labor aliquis sit adjunctus. 2. Particulariter pro tristitia et taedio de divina amicitia , eo quod per virtutum exercitia laboriosa servari debeat ; et sic amicitiam illam non curet.

Unde :

1. Acedia accepta primo modo, tum demum est peccatum mortale , cum ideo committitur opus vetitum sub mortali.

2. Acedia accepta secundo modo ex se est mortale , quia repugnat charitati Dei.

Quaeritur. Quaenam sunt filiae Acediae?

R. Sunt sequentes :

1. Malitia qua quis odio habet bona spiritualia , et vellet ea non esse , aut qua ipsum poenitet bene fuisse , vel implevisse id ad quod tenebatur, aut

qua contemnit Dei beneficium, v. g. desiderando non fuisse natum, aut non agnovisse Christum, etc., est autem ex genere suo mortale.

2. Pusillanimitas et desperatio de salute, quae mortale quoque est.

3. Rancor quo ii sunt fastidio, qui ad spiritualia inducunt.

1. Torpor, cum bona fiunt, non cum debito fervore.

5. Evagatio mentis, qua quis in exercitio spiritualium evagatur circa illicita; sive per cogitationem, et dicitur curiositas; sive per locutionem, et dicitur verbositas; sive per inquietitudinem, et dicitur inquietudo, quae communiter sunt venialia. - 84.

TRACTATUS V.

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS

NEMPE, DE FIDE, SPE ET CHARITATE.

CAPUT I.

DE FIDE.

De Definitione Fidei, et de his quae necessario credenda sunt. De Obligatione praecepti Fidei. De infidelitate et Vitiis Fidei oppositis.

ARTICULUS I.

De Definitione Fidei, et de his quae necessario credenda sunt.

Fides est *virtus theologica, a Deo infusa, inclinans nos ad firmiter assentiendum ob divinam veracitatem, omnibus quae Deus revelavit, et per Ecclesiam nobis credenda proposuit.* - 1.

Objectum materiale Fidei, nimirum, id quod credere tenemur principaliter, est ipse Deus, et deinde omnia a Deo revelata. Objectum autem formale, id est motivum propter quod revelata credere tenemur, est Dei veracitas. - 4.

Ex iis quae fideles explicite credere tenentur, quaedam necessario credenda sunt necessitate medii seu finis, sine quibus etiam inculpabiliter ignoratis, finis ultimus obtineri nequit. Alia necessitate praecepti, sine quibus inculpabiliter omissis, finis potest obtineri. *Sanch., Az., etc.*

Necessitate *medii* necessaria sunt haec: explicite credere Deum esse, et remuneratorem bonorum esse, juxta illud Apostoli ad *Hebr.* 11.: *Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remuneratur sit.* - 1.

Necessitate *praecepti* quivis fidelis sub mortali explicite credere et scire, crasso saltem modo, et quoad substantiam, tenetur quae sequuntur. 1. Symbolum. 2. Orationem dominicam (a). 3. Praecepta Decalogi et Ecclesiae. 4. Sacramenta maxime necessaria, ut Baptismum, Poenitentiam, et Eucharistiam; reliqua autem tunc, quando vult suscipere. Ita *Suar., Sanch., etc.* Quae omnia intellige, nisi impotentia, aut invincibilis ignorantia excuset.

Unde:

1. Non omnes tenentur, sub mortali, haec praedicta scire memoriter, aut eo ordine, aut iis verbis quibus proponuntur; sed quoad orationem dominicam scire omnia bona petenda esse a Deo, quae est ejus summa. Quoad symbolum vero, praecepta et Sacramenta, sufficit, si quis rogatus de singulis, recte respondeat. Hoc est conforme illi quod tradidit *S. Carolus Borromaeus*, qui docuit satis esse quod fideles rudes sciant *Credo*, saltem in substantia.

2. Quamvis sit praeceptum Ecclesiae discendi memoriter Symbolum, et

(a) *Et salutationem Angelicam.* - *H. n.* 5.

Orationem Dominicam, et Salutationem Angelicam, velitque *Barb.* non esse absolvendum, qui ob negligentiam, vel verecundiam ea addiscere non curat; consuetudo tamen exposuit obligationem non esse ultra veniale. Ita *Nav., Lopez., Viva, Azor., etc.* Uti nec est ultra veniale, nescire facere Crucem, ita *Sanch.*, contra *Sylv.*, qui docet esse mortale.

3. Moraliter nihilominus necessarium est, ut rudiores memoria teneant Symbolum sua lingua, quia alioquin non possunt habere sufficientem cognitionem articulorum.

4. Excusantur ii, quibus aut defuit Doctor, aut nunquam venit in mentem obligatio similia discendi, aut qui nimis sunt rudes, ita ut non possint ea comprehendere aut retinere.

5. Si confessarius *probabiliter* judicet poenitentem ignorare ex Doctrina Christiana ea quae scire tenetur, debet eum interrogare de negligentia in iis addiscendis, cum per eam plurimi graviter peccent. *Azor., etc.* Monet *Sanch.*, hanc ignorantiam in litteratis, et frequenter confitentibus non esse praesumendam.

6. Possunt absolvi qui ignorant ea quae sub mortali scienda esse dixi; quia licet peccarint omittendo discere, possunt tamen de hoc dolere, cum proposito discendi. Ita *Sanch., Salm.* Adde nisi prius admoniti neglexerint addiscere. Si tamen ignorarent ea quae necessitate medii scienda sunt, deberent instrui ante absolutionem. Ita *Sanch., etc.*

7. Parochus suas oves, sicut Parens liberos, tenetur sub mortali per se vel per alium docere ea saltem, quae sub mortali scire tenentur. *Sanch., Pal., etc.*

Quaeritur. An mysteria SS. Trinitatis et Incarnationis, post promulgationem Evangelii, credenda sint Fide explicita de necessitate medii vel praecepti?

R. Prima sententia quae est *communior*, et videtur *probabilior*, docet credenda esse de necessitate medii. Ita tenent *Sanch., Valent., Molina, Antoine, Concina, Ronc., Salm., etc.* id probant ex scripturis, quibus ajunt clare probari necessitatem medii. Id probant etiam ratione; quia licet ante promulgationem evangelii sufficiebat fides implicita Christi, post tamen promulgationem, eo quod status gratiae est perfectior, requiritur notitia, nempe explicita fides Christi, et SS. Trinitatis.

Secunda sententia, satis etiam probabilis, dicit necessitate praecepti omnes teneri haec mysteria explicite credere; necessitatem autem medii sufficere, si creduntur implicite. Ita *Soto, Lugo, etc.* dicentes repugnare bonitati et providentiae divinae ut damnet adultos invincibiliter ignorantes, qui juxta lumen naturae honeste vivunt: dum contra *Act.* 10. 35. habetur: *In omni gente qui timet eum, et operatur justitiam acceptus est illi.* (a).

Notant autem *Taunerus, Sylvius, Azor., Valent., etc.*, quod si quis adeo sit rudis ut ea mysteria percipere nequeat, tunc excusatur ratione impotentiae, et comparatur infantibus ac fatuis. Attamen *Sanches* dicit quod aliud est credere, aliud scire mysteria, nempe rationem de his reddere: unde censent omnes adultos teneri no-

(a) *Quoad autem Mysteria Trinitatis et Incarnationis et mortis Christi, licet adsit sententia* probabilis *pro utraque parte an debeant credi ex necessitate medii, an praecepti; attamen, certum est ex prop.* 64. *damnata ab* Innoc. XI. *non esse absolutionis capacem qui ignorat ea Mysteria.* - *H. n.* 3.

cessitate medii aliquando hujusmodi mysteria credere, necessitate vero praecepti ea scire; a quo praecepto scientiae excusari mente obtusos; concluditque cum *Gabriele* qui dicit: « Sufficere eis, id est, rudibus, quod » singulos articulos explicite credant » dum eis proponuntur.»

Quaeritur. An sint repetendae confessiones, factae cum ignorantia praedictorum mysteriorum?

R. Quamvis sint damnatae prop. 64. fet 65. ab *Innoc. XI.* quae dicebant: « absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysterio» rum Fidei, et etiam per negligentiam » culpabilem nesciat mysterium SS. » Trinitatis et Incarnationis D. N. J. C. » sufficit illa semel credidisse.» Dicit tamen *Viva* cum *March. probabiliter* non esse necessario repetendas confessiones factas cum ignorantia praedictorum mysteriorum, cum ex praefata opinione jam *probabile* sit fuisse validas, si ignorantia fuit inculpabilis. Certum enim est talem ignorantiam, si sit vincibilis, peccatum esse lethale. Praedicta autem propositio merito damnata est, quia dicebat capacem esse absolutionis etiam illum qui tempore Confessionis laborat ignorantia praedictorum Mysteriorum. Caeterum, opinio Patris *Viva* mihi non est *satis probabilis;* quamvis enim poenitens *probabiliter* validam Confessionem expleverit, ita ut videatur deinde possidere exemptionem ab iteranda Confessione; cum prius bona fide se confessus fuerit, attamen respectu ad eum qui certo graviter peccavit, semper urget ac possidet antecedenter obligatio explendi Confessionem, non tantum *probabiliter*, sed certo validam. Quapropter, cum ipse adverterit Confessionem suam ob ignorantiam Mysteriorum SS. Trinitatis aut Incardationis J. C. fuisse *probabiliter* validam, sed etiam *probabiliter* nullam, tenetur, postquam de illis Mysteriis instructus fuerit, confessionem iterare. 2. (a).

ARTICULUS II.

De Obligatione praecepti Fidei.

Praeceptum Fidei dupliciter obligat; nempe ad actus internos et externos eliciendos.

I. Ad actus internos eliciendos obligat hoc praeceptum:

1. Pueros inter fideles educatos, quando rationis usum perfecte consecuti, Mysteria Fidei audiunt apprehenduntque quod illa credere sit res necessaria ad salutem, peccantque mortaliter omittendo. *Sanch., Bon.*, qui addit plurimos eorum excusari inadvertentia, aut invincibili ignorantia.

2. Adultos infideles, quando ratio incipit dictare res Fidei sufficienter propositas esse, et contrariam sectam esse falsam, *Sanch., Conc.*

3. Quando urget tentatio contra Fidem, quae aliter vinci nequit. Quod tamen non convenire Scrupulosis, recte monet *Sanch.* quia hi, avertendo mentem ad alia objecta, facilius superant.

Nota. In praecedentibus casibus

(a) *Idem sentit auctor* in Tract. de Consc. n. 51., in Tract. de Poenit. n. 160., *et Opere cui Titulus* Homo Apostolicus Tract. 15. n. 34. *Sed in eodem Opere* Tract. 16. n. 22. et n. 26. *contrarium sentit dicens:* « *Qui* probabiliter *recipit Sacramentum validum, non est obligatus ad illud repetendum, nam tunc cessat periculum injuriae Sacramenti illud frustrandi.*» *Et adjungit esse sententiam* Bellarm., Suar., Vasq., Bonac., *et aliorum* communiter, *et sic videtur pariter sentire in hoc compendio,* Tract. de poenit. n. 475., et n. 505.

praeceptum obligat per se: in sequentibus per accidens.

4. Quando tentatio urgens contra alias virtutes aliter superari nequit.

5. Quando facienda est professio Fidei exterior, vel ex praecepto eliciendus est actus alterius virtutis, v. g. Spei, Charitatis, Poenitentiae quae Fidem supponat. Ita *Bon.* His casibus addit *Hurt.* duos sequentes, nempe 6. In hora mortis. 7. Semel quotannis. - 5.

II. Ad actus externos eliciendos, id est, Fidem exterius profitendam, obligat hoc praeceptum in duplici casu, scilicet, cum vel honor Deo debitus, vel utilitas proximo impendenda, privative vel contrarie subtraheretur.

Dixi 1. *Privative*, ut si ideo cessaret magnus honor in Deum, vel utilitas in proximum redundans.

Dixi 2. *Contrarie*, ut si alioquin Deus afficeretur injuria, vel proximus gravi malo; v. g. si inde penderet aliorum conversio aut perversio, contemptus Religionis, scandalum, etc.-11.

Quaeritur 1.: Quoties in vita tenemur elicere actus Fidei?

R. Plures sunt opiniones. Sed his omissis, dico *sat probabiliter* putat *Salm., cum Sanch. etc.* teneri Fideles saltem semel in anno, ad exercendum actum Fidei. Idem sentit *Conc.* cum *communi.* Advertunt tamen *Suar., Prad., etc.*, quod huic praecepto fiat satis etiam per exercitium aliarum virtutum, sive per receptionem Sacramentorum, sive ex quacumque alia occasione actus Fidei ponantur. - 7.

Nota Propositiones damnatas super hac materia. Prop. 1. ab *Alex. VII.*: « Homo nullo unquem vitae suae tem» pore tenetur elicere actum Fidei, » Spei et Charitatis ex vi Praeptorum » Divinorum ad eas virtutes pertinen» tium.»

Prop. 16. ab *Innoc. XII.* « Fides » non censetur cadere sub praeceptum » speciale et secundum se.» Prop. 17. ab eod. « Satis est actum Fidei semel » in vita elicere.»

Prop. 6. ab eod. « Probabile est ne » singulis quidem rigorose quinquen» niis pro se obligare Praeceptum Cha» ritatis erga Deum. » - 6.

Quaeritur. 2. An teneamur ad eliciendos hos actus Fidei formaliter, scilicet, ex motivo Dei revelantis?

R. Affirmat Viva. Dicit tamen quod viri timorati nullo modo circa hoc anxii sint, cum vix accidat, eos abunde huic praecepto non satisfacere.

Ita etiam *Croix* qui dicit non esse rationem, cur quis ob id scrupulose se divexet, cum huic praecepto fit satis audiendo Missam, adorando Crucifixum, formando Crucem, orando, etc., quamvis haec non fiant reflexe ex motivo Fidei. - 7.

Nota 1. Haereticus, quamdiu suam sectam judicat esse credibiliorem, vel aeque credibilem, non tenetur credere; quia Fides nondum est sufficienter ipsi proposita, ageretque imprudenter. Ita *Sanc., Laym.*

2. Quando iis, qui in haeresi nutriti sunt, persuasum est a pueritia, nos abjicere et persequi Verbum Dei, esse idololatras, pestilentes deceptores, ideoque, tanquam pestem fugiendos; non possunt, stante hac persuasione, salva conscientia, nos audire, et laborant ignorantia invincibili cum non dubitent se esse in bona via. *Laym., Sanc.*

3. Si talibus oriatur dubium de sua secta, tenentur ulterius inquirere, et a Deo petere lumen: quod si negant, peccant contra Fidem. Quod si deinde nostra Fides eis sufficienter proponatur, tenentur amplecti. - 9.

Adde quod infidelis nunquam habere possit veram probabilitatem suae sectae sine culpa: Si enim oraret, Deus absque dubio infunderet lumen suum in illum de vera Religione. Ita *Viva.* - 10.

Quaeritur 3. An aliquando liceat

exterius Fidem veram negare, aut falsam profiteri?

R. Nullo casu licet, sive voce sive alio signo fiat, dicente Christo: *Qui negaverit me coram hominibus, etc.* Interim vero etsi licitum non est mentiri, seu simulare quod non est, licet tamen dissimulare quod est, sive tegere veritatem verbis, aliisve signis ambiguis, et indifferentibus ob justam causam, et cum non est necessitas fatendi. Est *comm. S. Thom., Laym.*, etc.-12.

Unde:

1. Rogatus de fide in odium religionis, sive a publica auctoritate, sive privata, nullo modo potest utendo restrictione mentali, aut verbis ambiguis ita respondere, ut praesentibus videatur fidem negasse; multo minus dicere se esse haereticum, vel non catholicum.

2. Qui rogatus a privata Auctoritate, vel tacet, vel respondet obscure, vel ait se nolle respondere, se jure non rogari, non teneri se, nec velle aliis dicere quid ipse credat, ac simili modo tergiversatur, non videtur negare Fidem, sed nolle prodere. Unde, si sic potest molesta inquisitione liberari, licet.

3. Non negat Fidem, sed prodit, qui fugit: quod etsi liceat, non tamen Pastori, tunc cum ejus opera oves indigent; uti contra, si eis consultius est, ut ad tempus se subducat, et in bonum earum reservet, tenetur fugere.

4. Cum non rogaris de Fide, non solum licet, sed saepe melius est ad Dei honorem et utilitatem proximi, tegere Fidem quam fateri: ut si latens inter haereticos plus boni facias; vel si ex confessione plus mali sequeretur, v. gr. turbatio, neces, exacerbatio Tyranni, periculum defectionis, si torquereris. Unde temerarium plerumque est offerre se ultro. *S. Th., Sanch., Laym.*

5. Redimere pecunia, ne de tua Fide fiat inquisitio, licitum est, et saepe magna virtus discretionis est vitam ad Dei gloriam servare, ac Fidem tegere modis licitis. - 14.

6. Talis modus non est uti vestibus aut signis infidelium, quae alium usum non haberent quam quod essent signa professiva falsae Religionis seu cultus, uti essent vestes quarum usus est in sacrificiis: item incensio thuris, aut genuflexio coram idolo; item sumptio coenae haereticae, etc., *Sanch.*, etc., *et comm.*

7. Licitus autem modus est, quando subest causa, uti vestibus et signis infidelium, quae aliquem alium usum habent quam profitendae Religionis, quales sunt vestes talis Nationis non Religionis, quibus uterentur, etsi converterentur, ut sunt vestes et signa Nationis turcicae, quod verum est, etsi sint vestes ipsorum Religiosorum, dummodo non habeant peculiare signum profitendi erroris; sed sint tantum indicium nitidioris cultus, ut saga Praedicantium in Germania; vel eminentioris vitae inter suos, ut togae Bonziorum in Japonia. Idem dicendum est de signis quibus Judaei utuntur, v. gr. flavo annulo in pallio Francofurti, etc., quia haec sunt signa mere politica, et distinctiva unius generis hominum ab alio, et non proprie professiva Fidei. Quae sententia *probabilis* est. Ita *Laym.*, etc., contra *Caj.*, etc.

8. Licitus item modus est, cum Catholicus transit per loca haeretica, et periculum grave imminet vitae, v. gr. vel bonorum, ad dissimulandam Fidem, vesci carnibus die prohibito; quia praeceptum Ecclesiae non obligat sub tali periculo. - 15.

9. In Germania, audire conciones haereticorum, deducere funus, assistere Baptismo pro Patrino, non habentur signa professiva Fidei, vel communionis cum haereticorum Sacris. Ita *Azor.*, *Sanc.*, *etc.* Unde, seclusis aliis, v. gr. scandalo, periculo, prohibitione, et

si ex justa causa fiant, licent. Imo, patrinum fieri talis infantis, videtur potius optandum, seclusis aliis, quia non est aliud, quam obligare sed ad eum olim erudiendum in Fide Catholica.

10. Infidelium, et haereticorum Sacris non licet ita interesse, ut eis communicare censeris, alioquin licet, v. gr. ut quis spectet tanquam comoediam, aut famulatum praestet politicum domino suo, exemplo *Naaman Syri*.

11. Catholici viventes inter haereticos, si ex praecepto Magistratus contrahant matrimonium coram Ministro haeretico, peccant contra Fidem, etiamsi contraxerint ante, vel contracturi sint postea coram Sacerdote Catholico; testaturque contrahens caeremonia illa, se illum agnoscere verae Fidei ministrum: quae sunt intrinsece mala.

Licite tamen contrahunt coram Magistratu civili, vel potius testantur se contraxisse, modo prius vel posterius ritu Catholico contrahant: quia haec actio est instituta ad finem politicum, ut conjuges habeantur, et proles non censeantur illegitimae. - 16.

ARTICULUS III.

De Infidelitate et Vitiis Fidei oppositis.

Infidelitas generatim est triplex: *Prima* dicitur Negativa, eorum scilicet, qui nihil unquam de Fide audiverunt. Quae non tam est peccatum, quam paena peccati: quia, si fecissent quod in ipsis erat, Deus Fidem eis non abscondisset.

Secunda dicitur Contraria, eorum scilicet qui Fidem sibi sufficienter propositam vel contemnunt vel ei contradicunt pertinaciter, ut Haeretici.

Tertia dicitur Privativa, quod privative opponatur Fidei, et est culpabilis ignorantia vel error circa res Fidei. *S. Th., Vasq., etc.*

Infidelitas *Contraria* ex triplici modo repugnandi Fidei est triplex, scilicet *Paganismus* qui Fidei nondum susceptae, *Judaismus* qui Fidei susceptae in typo, et *Haeresis* quae Fidei susceptae veritati repugnat. Apostasia a Fide revocatur ad haeresim, a qua tantum differt, quod haeresis sit error Fidei ex parte tantum contrarius, Apostasia vero ex toto. *S. Thom., Laym.* - 17.

Quaeritur. 1. Quae communicatio cum Judaeis sit interdicta Christianis?

R. 1. Non licet cohabitare. 2. Nec conviviis interesse. 3. Nec uti communi balneo. 4. Nec medicos adhibere. 5. Nec medicinas ab eis datas recipere; emere tamen licebit praescriptas. 6. Nec Judaeorum filios enutrire in ipsorum domibus. 7. Iis non famulari. 8. Nec servitute subjici. 9. Prohibentur publicis officiis inter Christianos fungi. 10. Vetitum est eorum azymis vesci. Quibus addit *Azor*. prohibitum esse accedere ad eorum nuptias, festa, Synagogas, cum eis ludere, saltare, etc. Adire Synagogas, curiositatis causa, non esse peccatum grave dicunt *Salm*.

Quaeritur 2. Quodnam peccatum sit, in praedictis casibus, cum Judaeis communicare?

R. In decem dictis casibus cum Judaeis communicare, ex genere suo videtur esse mortale. Ratio, quia si Clericus id faciat, incurrit periculum depositionis, Laicus vero excommunicationis quae nonnisi ob peccatum mortale imponi solet.

Dixi *ex genere suo*: quia *probabile* est, vel ob materiae parvitatem vel ob necessitatem, aliamve causam rationabilem, saepe excusari a mortali, aliquando etiam ab omni peccato, modo non sit periculum perfidiae, nec familiaritatis cum Judaeis. Ita *communiter Bon., Laym etc.*

Nota. 1. Principes Christiani possunt permittere Judaeis et Paganis aut Haereticis libertatem conscientiae tantum ob bonum Religionis, et ob spem con-

versionis ; non autem ob temporale emolumentum. *Salm.*

2. Bene autem potest Ecclesia, et quicumque Princeps Supremus compellere Judaeos et Paganos subditos ad audiendam Fidem nostram. *Salm. Suar., Az., Bon., etc.* ; et constat ex praxi quae viget Romae. - 18.

Quaeritur 3. Quid sit Haeresis?

R. Haeresis est error intellectus et pertinax contra Fidem in eo qui Fidem suscepit. Ita *communiter Suar., etc.* Unde patet, ad Haeresim, ut et Apostasiam, duo requiri : 1. Judicium erroneum, quod est ejus quasi materiale. 2. Pertinaciam, quae est quasi formale.

Porro, pertinaciter errare non est hic acriter et mordicus suum errorem tueri, sed est eum retinere, postquam contrarium est sufficienter propositum : sive quando scit contrarium teneri ab universali Christi in terris Ecclesia, qui suum judicium praeferat : sive id fiat ex vana gloria, sive libidine contradicendi, aliave causa. *Sanch., Vasq.* et alii *communiter.*

Unde:

1. Rustici aliique homines simpliciores in Germania, qui haeretici habentur, et tamen non sunt pertinaces, possunt absolvi a suis Parochis, quia non sunt haeretici formales : habent fidem Catholicam in Baptismo acceptam, quae non perditur, nisi errando pertinaciter. *Laym.*

2. Cum Haeresis et quaevis infidelitas mortalis sit, peccant quoque mortaliter, qui ejus periculo se exponunt, sive conversando, sive conciones audiendo, sive libros legendo : quae proinde, si cui periculosa sunt, illicita sunt jure naturae: si vero periculum absit, lectio librorum haereticorum nihilominus illicita est jure positivo Ecclesiae, uti etiam formalis disputatio laici de Fide. Quod posterius tamen in Germania, locisque similibus, ubi Catholici haereticis sunt permixti abrogavit consuetudo. *Azor., Sanch., Bonac., etc.*

3. Matrimonium contrahere cum haeretica, etsi per se sit illicitum, habeaturque in Hispania et Italia mortale ; *probabile* tamen est ob gravium Doctorum auctoritatem, *Sanch., Az., Lugo, etc.* in Germania licere ex gravi causa ; salvo tamen jure naturali, et semoto periculo tum contrahentis tum prolis : unde de iis initio constitui debet, ut catholice educentur.

4. Eum qui lapsus est in haeresim, non teneri in Confessione explicare, qualis illa sit ; eo quod omnes ejusdem speciei sint, docent *Reg., Dian.* Vide *Tract. de Peccat. n.* 50. - 19.

CAPUT II.

DE SPE.

Spes est *Virtus per quam cum certa fiducia futuram Beatitudinem et ejus media assequenda, expectamus per Dei auxilium.*

Objectum materiale primarium Spei, nempe id quod sperare debemus, est aeterna Beatitudo, quae est ipse Deus fruendus : secundarium autem sunt, Divinae gratiae, atque nostra bona opera Divino auxilio exequenda.

Objectum autem formale Spei censeo esse Misericordiam et Omnipotentiam Divinam, qua Deus nobis auxilium impertitur ad salutis hostes superandos.

Censeo insuper his duobus omnino tertium addendum motivum, nempe, Divinam Promissionem, sive Divinam Fidelitatem circa promissionem quam exhibuit salvandi nos propter merita Christi ; alias, sine hac promissione non valeremus salutem cum certa fiducia sperare. - 21.

Quaeritur 1. Quando obliget praeceptum Spei ?

R. 1. *Probabile* est praeceptum Spei obligare per se, cum primum homini usum rationis assecuto Deus et beati-

tudo tanquam finis ad quem tendere oportet, sufficienter est propositus; ita ut notabili tempore non differat (*a*).

2. Praeceptum spei per accidens obligat. 1. Quando actus Orationis, Poenitentiae, Charitatis, etc. in praecepto sunt, qui sine praevio actu Spei exerceri non possunt. 2. Quando quis ita tentatur, ut periculum sit consensus, nisi animum spe erigat. *Laym., etc.*

Quaeritur 2. Quae sunt vitia Spei opposita?

R. Sunt Desperatio et Praesumptio. *Unde:*

1. Per *desperationem* peccat qui desperat de consequendo Deo aut salute, et venia peccatorum, aut mediis ad illam consequendam necessariis, verbi gratia, auxiliis Gratiae et emendationis vitae. Quod peccatum ratione parvitatis materiae non potest esse veniale, cum sit injuriosum misericordiae Dei. *S. Thom., Laym.*

2. Per *praesumptionem* peccat ille qui praesumit de misericordia Dei v.gr. qui sperat remissionem peccatorum et salutem sine poenitentia, vel per propria merita, et vires naturae. - 20.

Vel qui peccat sub spe veniae, vel qui auget peccata praetextu quia Deus tam facile ignoscit v. gr. decem quam quinque peccatis. In his omnibus casibus laeditur virtus Spei per praesumptionem. - 21.

Secus tamen dicendum de illo qui differt poenitentiam sub spe veniae; quia Spes illa remissionis tantum concomitanter se habet ad peccatum, sed non efficitur illi motivum sive ratio peccandi. - 21.

CAPUT III.

DE CHARITATE ERGA DEUM ET PROXIMUM.

ARTICULUS I.

De Charitate erga Deum.

Charitas Dei est *amor amicitiae, quo Deo bene volumus, et omnia bona ipsi cupimus, ob summam et infinitam ejus divinae naturae perfectionem.* - 22.

Objectum materiale Charitatis erga Deum primarium est Deus, secundarium nos et Proximus, indirecte autem sunt omnia quae augent divinam gloriam.

Objectum vero formale est Deus quatenus est infinita Bonitas, prout est aggregatio omnium perfectionum, sive infinita perfectio.

Caeterum, ex omnium sensu sapientium, verus actus amoris est dicere: « Deus meus, quia es Bonitas infinita, » sive quia es infinite Bonus, amo te » super omnia. »

Quaeritur 1. An desiderium possidendi Deum sit objectum Charitatis?

R. Affirmandum, quia desiderium possidendi Dei, est proprius actus Charitatis, imo perfectior aliis, nam possessio Dei est Charitas consummata. Hinc perfectum Charitatis actum Apostolus emisit, cum dixit: *Desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo Phil.* 1. 23.

Quaeritur 2. An diligere Deum propter beneficia, sit verus actus amoris?

R. Negandum. Est tantum actus gratitudinis. Nisi spectentur beneficia

(*a*) *Obligat per se cum pervenitur ad rationis usum, in exitu vitae, et pluries in vita, saltem semel quolibet anno. Sed qui christiane vixerit, saltem praecepto Paschali satisfaciendo, non debet dubitare quin satisfecerit praecepto Fidei; et idem intelligendum de praecepto Spei.* - H. n. 13.

uti communicationes Bonitatis Divinae: tunc enim in his amamus non utilitatem nostram, qui accipimus, sed Bonitatem Dei qui communicat. - 24.

Quaeritur 3. Quomodo nos obliget praeceptum Charitatis Dei ?

R. Nos obligat ad Deum super omnia amandum. Patet ex Scriptura. Matth. 21 : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua.* Non quidem intense, etsi hoc etiam deceat, sed appretiative, ita ut nullam creaturam pluris facias quam Deum; velisque potius omnia perdere quam Deum offendere. Ita *S. Th., Az., Sanh., etc.*

Quaeritur 1. Quando nos obliget praeceptum Charitatis Dei ?

R. Probabile est, praeceptum Charitatis Dei obligare:

1. Quando homo adeptus est sufficientem cognitionem Dei infiniti boni, a quo omnia sua bona habet, et cui omnia debet. Ita *S. Thom., Nav. Communiter.*

2. Quando est periculum labendi in odium Dei, nisi actum Charitatis elicias.

3. Quando quis tenetur conteri, v. g. moriturus aut celebraturus, cui Confessarius deest. Ratio est, quia contritio includit actum Charitatis.

4. Si quis gravem tentationem, praesertim in articulo mortis, putet se aliter vincere non posse.

5. Secundum quosdam, in articulo mortis, eo quod tunc securissima via sit eligenda; et hoc *probabilissimum* est. Ita *Spor., Tournely, Antoine* et *communiter.* - 23.

Quaeritur 5. Quoties in vita obliget praeceptum Charitatis ?

R. Plures sunt opiniones. Sed *Cardenas* censet non excusari a mortali qui per mensem actum Charitatis differt; hancque sententiam omnino ego suadendam puto, cum difficulter possit homo diu mandata divina servare, nisi dilectionem erga Deum frequenter foveat, quae non nisi per actus Charitatis, fovetur et nutritur.

Notat autem idem *Cardenas* quod sufficit elicere actus amoris, etiamsi eliciantur in ordine ad implenda alia praecepta, vel ad aliam virtutem exercendam, puta ad confitendum, ad vincendam tentationem.

Insuper, dicit *Croix*, esse veros actus amoris quibus bene satis fit huic praecepto, omnia opera meritoria exercitata ad finem placendi Deo, ut eleemosyna, jejunium et similia. Talis autem rectus finis dicit quod praesumitur in eis qui jam sciunt sic placere Deo, modo non operentur ex fine pravo. Addit etiam *Croix* satisfieri adhuc orando, signanter cum Oratione Dominicali, ubi dicitur : *Sanctificetur, etc.; adveniat, etc., fiat voluntas tua., etc.* - 8.

Unde : moraliter peccat :

1. Qui omittit dilectionem Dei tunc, quando praeceptum obligat.

2. Qui amat Deum amore appretiative minori, quam creaturas.

3. Qui Deum non diligit principaliter propter se, tanquam finem ultimum omnium rerum, sed tantum propter aliud.

Addo *principaliter*, quia Deus propter retributionem vitae aeternae amari potest, sed minus principaliter, ut scilicet vita aeterna, vel alia Dei bona sint tantum causa movens, ut facilius, expeditius et ferventius diligatur.

4. Qui Deum formaliter oderit odio inimicitiae, v. gr. si optes Deum non esse, non habere potentiam, etc. *Laym., Bon., etc.* - 24.

5. Qui magis amat terrena quam coelestia. - 20.

ARTICULUS II.

De Charitate erga proximum.

Tenemur diligere Proximum : sic Christus dixit, *Joan.* 13: *Mandatum*

novum do vobis, ut diligatis invicem. Unde *S. Thom.* docet: « in dilectione » proximi includitur dilectio Dei, sicut » causa in effectu. »

Sicut ergo tenemur elicere actus formales Charitatis erga Deum, sic etiam tenemur erga proximum ex motivo supernaturali, nimirum propter amorem Dei, vel ut praecepto Christi pareamus. Pariter sicut tenemur, saltem in mense elicere actum amoris erga Deum, sic etiam saltem in mense exercere actus Charitatis erga Proximum.

Caeterum, sapienter scribit *Suar.* cum aliis ex *S. Thom.*, quod aliquando hi actus Charitatis bene exercentur occasione vitandi odium, aut largiendi eleemosynam, et cum hujusmodi occasiones frequenter occurrant, hinc ait *P. Viva* esse moraliter impossibile quod fideles christiane viventes, huic praecepto abunde non satisfaciant. - 8.

Hoc praeceptum Charitatis erga Proximum praecepit 1. Ordinem in eo diligendo. 2. Dilectionem inimicorum. 3. Eleemosynam. 4. Correctionem fraternam. Et prohibet 1. Odium Proximi. 2. Scandalum 3. Ne injuria, bellum, aliudve grave damnum vel malum inferatur. De quo postremo agemus in *Tract. de quinto praecepto.* De reliquis, hic. - 24.

§. I. - *De ordine servando in Charitate.*

Ordine Charitatis quisque tenetur post Deum diligere. 1. Seipsum, secundum bona spiritualia. 2. Proximum, quoad eadem bona 3. seipsum quoad bona corporalia 4. proximum quoad eadem. 5. Denique seipsum, et deinde proximum quoad externa. *Laym.* ex *S. Thom. communiter. Unde:*

1. Peccat contra Charitatem sui, qui salutem suam spiritualem vel corporalem negligit: quod grave est, si fiat sine causa et cum gravi damno, v. gr. mortis vel gravis morbi. - 25.

2. Potest tamen quis, per se loquendo, privare seipsum bonis spiritualibus non necessariis ad salutem ob bonum Proximi spirituale, vel corporale, ut esset omittere ingredi in Religionem ad alendos Parentes suos, vel Filios. Sed Vide dicenda in *Tract. de praecept. part.*, n. 78.

3. Licitum est pariter ob salutem spiritualem Proximi se exponere probabiliter periculo peccandi; quia periculum illud, quando adest gravis causa illud subeundi, non judicatur voluntarie suscipi. Vide *Tract. de poenit.* n. 443. - 26.

Quaeritur 1. An teneamur cum periculo vitae propriae succurrere proximo in extrema necessitate spirituali constituto, seu quando sine auxilio salus est moraliter impossibilis?

R. Tenetur quisque succurrere Proximo in extrema necessitate spirituali, adhuc cum jactura suae vitae, dummodo haec tria constent. 1. Ut sit aeque spes juvandi. 2. Ut Proximus nullum alium habeat a quo sublevetur. 3. Ut Proximus certo damnandus sit, nisi a te adjuvetur, ita ut tibi constet Proximum non aliter convertendum contritione vel alia opera divinae gratiae.

Quaeritur 2. An teneamur succurrere Proximo in gravi necessitate spirituali constituto, seu quando ex circumstantiis salus aeterna difficilis redditur?

R. Si Proximus est tantum in gravi necessitate, non tenemur ei succurrere cum periculo vitae, famae, vel bonorum; nisi vel tuum damnum temporale sit leve, vel agatur de communitate aliqua; quia tum grave damnum commune praecavendum est magis quam tuum particulare. Ita *Salm.*, qui inde inferunt te teneri cum periculo vitae, ministrare Sacramenta populo, qui alias esset in periculo amittendi fidem, vel si tempore pestis populus sit omni Sacerdote destitutus.

Quaeritur. 3. An qui ex officio debet subvenire, teneatur in gravi necessitate modo speret fructum?

R. Affirmant Salm. Hinc tenentur ex justitia Pastores, scilicet Episcopi et Parochi cum periculo vitae ministrare ovibus Sacramenta necessaria, ut Baptismum et Poenitentiam, non vero alia. Nec Pastor potest tunc officium renuntiare, licet possit alios substituere cum justa licentia Ordinarii. Ita *Laym.* ex *commun.* cum *Valent.*, *Pal.*, *Salm.*, *etc.* Addit *Suar.* quod Pastor tenetur etiam cum magno suo damno temporali procurare magnam utilitatem spiritualem subditi.

Quaeritur 4. An sit obligatio absolvendi moribundum cum periculo vitae?

R. Affirmandum, si sit habituatus in peccatis, et sit adeo rudis, ut nesciat actum Contritionis elicere. Ita *Pal., Gon., Nav., Salm., etc.* Tempore autem pestis censeo cum *Salm.* teneri Sacerdotes, deficientibus aliis, absolvere moribundum cum periculo vitae, quia in tanta multitudine morientium, nunquam deficiunt hujusmodi ignorantes.

Quaeritur 5. Quis ordo est servandus inter proximos?

R. In officiis Charitatis, et extra extremam necessitatem succurrendum est. 1. Uxori. 2. Filiis. 3. Parentibus, et quidem Patri prae Matre. 4. Fratribus, Sororibus, deinde Propinquis, Domesticis et Familiaribus.

Dixi *extra extremam necessitatem*; quia in hac Parentes, eo quod vitam dederint, praeferendi sunt etiam uxori et liberis. Ita *probabilius Tourn. etc.* - 27.

§. II. - *De Dilectione Inimicorum.*

Certum est inimicos, aliquo modo esse diligendos, cum sint proximi. Ita *S. Th.* et *communiter* omnes.

Quaeritur 1. Quomodo sunt diligendi?

R. Quilibet homo saltem privatus, tenetur proximo etiam inimico, communia dilectionis signa, et beneficia exhibere ex praecepto; specialia vero ex consilio tantum, nisi aliunde obligationis ratio accedat. Ita *communit. Laym.*

Dixi 1. *Communia*, qualia sunt quae Christiano debentur a quovis Christiano in communi, Concivi a Concive, Cognato a Cognato.

Dixi 2. *nisi aliunde accedat ratio obligationis*, qualis esset v. gr. 1. timor scandali ex omissione. 2. Spes salutis inimici. 3. Necessitas temporalis vel spiritualis. 4. Culpae deprecatio, et exhibitio specialium signorum amoris.

Unde:

1. Per se loquendo nemo tenetur ad inimicum diligendum positivo et peculiari actu, neque ad eum alloquendum, aegrotum invisendum, moestum consolandum, hospitio excipiendum, vel familiariter cum eo agendum, etc., quia haec sunt signa specialia amoris.

Dico, *per se*, quia, si omissio scandalosa esset, aut per aliquid horum posses, sine tuo incommodo inimicum tibi et Deo reconciliare, id omittere esset grave. Sic etiam si prius consueveras inimico peculiaria signa exhibere, ad hoc tamen non teneris cum gravi tuo incommodo, modo scandalum amoveas.

2. Non licet inimicum excludere a communibus orationibus, nec a communibus eleemosynis, resalutatione, responsione, expositarum mercium venditione; quia haec sunt communia dilectionis signa, ideoque contra haec tacere, v.g. cognatos omnes invitare, etc. solo inimico excluso, est ex genere suo et regulariter mortale. *S. Thom., Nav., Laym.*

Addo 1. *Ex genere suo*, quia si levitas materiae, aut causa rationabilis excuset, v. gr. Si pater vel Superior filio, vel subdito, ob correctionem ea signa subtrahat ad tempus, leve vel nullum erit; quia habet jus puniendi.

Addo 2. *Regulariter*, quia si persona multo major inferiorem non resalutet, non videtur mortale.

Notat autem *Tournely*, quod si nolis cum inimico conversari, quia non aliud quam malum ab eo expectare possis; vel quia probabiliter times ex hoc pejus evenire, tunc abstinendum ab illis amicitiae signis, modo interius diligas, et apud alios scandalum repares.

3. Non teneris salutare inimicum, regulariter loquendo, quia per se omissio salutationis non est signum odii, nisi antea solebas eum salutare, vel nisi ex circumstantiis colligatur ex odio te non salutare, vel ille sit tuus Superior, vel nisi occurrentibus pluribus, inter quos est ille, reliquos, eo excepto, salutes. Ita *Pal.*, *Val.*, *Con.*, *Salm...* Vel etiam, si sine magno incommodo, salutando inimicum, posses eum ab odio et culpa gravi liberare: ad hoc enim bene videtur Charitas te obstringere, ut recte ait *Tournely*.

4. Omnino autem teneris eum resalutare, quia alias censeris inimicum contemnere et in hostilitate velle perseverare. Excipe, nisi esses Praelatus, Parens vel Judex. - 28.

5. Etsi quivis teneatur inimico veniam legitime petenti, non tantum interius remittere, sed etiam externa remissionis signa ostendere; negant tamen *Trul.*, *Spor.*, *Mazz.*, *Tamb.* ex *communi*, teneri statim postquam offensio illa illata sit, eo quod sit res violenta, quia videtur supra humanam fragilitatem laesum cogere statim ad reconciliationem faciendam, nondum sedata perturbatione. Unde expectandum tempus opportunum; et interea sufficiet quod offensus deponat odium.

6. Non tenetur autem remittere satisfactionem pro damno si ab eo sit laesus; imo nec eam acceptare, si offerat, sed etiam juridice pro compensatione petere, dummodo in utroque casu deponatur odium, ut docent *Valent.*, *Nav.*, *Laym.* Quod si tamen poena sit valde gravis, v. g. capitis, mutilationis, neque laeso ex ea commodum proveniat, non videtur ea, deprecante altero, sine peccato vindictae posse expeti. Similiter, si satisfaciat quantum potest, ad id quod non potest, eum urgere videtur contra charitatem. Ita *Sylv.* etc.

Et hoc dicendum est de quacumque poena gravi, quia difficile est ut offensus diligat vindictam publicam propter amorem communis boni disjunctive ab amore propriae vindictae, ut bene advertunt *Laym.*, *Viva*, *Ronc.* Hinc adhaereo *Antoine* qui dicit quod practice loquendo, nunquam liceat expetere inimici punitionem, etsi justa et legitima auctoritate faciendam.

Caeterum, ait *Tournely*, bene posse aliquem prosequi coram judice satisfactionem injuriarum, si alias tota sua familia infamiam sit passura. Item *D. Thom.* dicit vindicationem posse aliquando esse licitam, nempe si sumatur ad emendationem peccantis vel ad cohibitionem ejus, et quietem aliorum. Addit etiam, et ad justitiae conservationem: sed hoc ultimum, ut dictum est, magis speculative, quam practice verum est, vel saltem rarissime. - 29.

Quaeritur 2. An licitum sit odium abominationis, quo aversamur non hominem, sed ejus malitiam?

R. Etsi odium inimicitiae, sive personae secundum se, et bonorum quae in se habet, volendo scilicet illi malum ut sic, sive quatenus illi malum est, ex genere suo sit mortale; odium tamen abominationis, sive qualitatis, quo non hominem, sed ejus malitiam aversamur, saepe licitum est, unde licet proximo velle malum aliquod, v. g. temporale, modo non sit justo gravius, quatenus id illi bonum est, v. g. morbum ut a peccatis emendetur, etc.; vel ob bonum commune,

uti mortem optare haeresiarchae, vel publicae pacis perturbatori. Vide *Tract. de peccatis*. n. 21 - 30.

§. III. - *De Eleemosyna.*

Hujus praecepti obligatio nascitur ex duplici capite. 1. Ex necessitate proximi egentis. 2. Ex persona possidentis vel bona necessaria, vel superflua.

Triplex datur necessitas proximi.

1. *Extrema*, ex qua egenti imminet periculum vitae vel etiam gravis et diuturni morbi.

2. *Gravis*, ex qua imminet periculum gravis mali, ut captivitatis, infamiae, gravis jacturae bonorum, vel status, unde fiat, ut difficulter se possit sustentare, v. g. si non possit vivere secundum suum statum, vel si nobilis cogitur alteri famulari, vel artifex aut vir honestus mendicare.

3. *Communis*, qua laborant mendici triviales.

Bona necessaria et superflua dicuntur vel respectu vitae sive naturae, vel respectu status vel decentis conditionis personae.

Unde :

1. Nemo tenetur dare eleemosynam ex bonis sibi ad vitam necessariis, nisi pauper esset persona talis, ex qua penderet salus Reipublicae. Est *communis*, et ratio patet ex ordine Charitatis.

2. *Probabilius* est, ex superfluis naturae, statui, teneri aliquem, etiam in gravi necessitate, succurrere proximo si probabiliter putet alium non subventurum, idque sub mortali. Ratio, quia cum in scriptura frequenter damnentur homines ob neglecta opera misericordiae, haec non sunt restringenda ad extremam et raram necessitatem. Et sic tenendum cum *Viva*, *Bonac.*, *Suar.*, *Az.*, *Salm.* et est *communis*.

Notat tamen *Viva*, quod neque in gravi, neque in extrema necessitate pauperibus tenetur dives magnam pecuniam erogare, cum haec sint media valde difficilia et fere moraliter impossibilia. Tenetur vero Beneficiarius, nisi reliquum velit aliis operibus applicare.

3. Proximo in extrema necessitate teneris succurrere ordinarie ex bonis etiam aliquo modo ad statum necessariis. Est *communis*.

Addo *ordinarie*, quia si majus damnum aestimaretur te excidere tuo statu, quam mors pauperis, non teneris. *Azor.*

1. *Probabile* est, quod proximo in gravi necessitate constituto quisque teneatur subvenire cum modico detrimento proprii status : quia parvo suo incommodo tenetur magnum incommodum proximi impedire. *Laym.*, *S. Thom.*, *Bonac.* - 31.

5. In communibus pauperum necessitatibus tenetur aliquando dare eleemosynam qui habet bona naturae, et statui superflua. Haec obligatio est gravis juxta *communiorem* sententiam. Ita *S. Thom.*, *Suar.*, *etc.*

Dicunt tamen *probabiliter Viva*, *Mazzot.*, *Roncag.*, *Salm.*, *Tamb.*, *etc.* non esse obligationem omne superfluum hujusmodi pauperibus elargiri ; hoc enim praeceptum non obligat singulos in solidum, sed communiter omnes divites, ex quibus, si singuli largiantur aliquid, satis subvenitur his communibus necessitatibus.

Caeterum *Viva*, *Tamb. etc.* cum *communiori* censent satisfacere *probabiliter* divites, erogando in pauperes communes quinquagesimam partem suorum redituum (*a*), sive duos aureos ex centum, sed non in eadem proportione, si divitiae multum excedant. - 32.

6. Eleemosyna tantum facienda est

(*a*) *Qui supersunt.* - *H. n.* 19.

ex bonis propriis et quorum quis liberam habet administrationem. Potest tamen fieri ex alienis, quando proximus est in extrema vel quasi extrema necessitate, et aliunde ei succurri non potest; tunc enim omnia sunt communia.

Si vero potuisses rem largiri tuam, et dederis alienam, videtur quod tenearis ad restitutionem; quia non poteras determinare alienam, cum tibi propria suppetebat. Ita *Croix*, *Sporer*; quia eo casu praeceptum eleemosynae te obstringebat ad subveniendum de tuis. In communi vero necessitate, licet tantum cum consensu domini tacito vel expresso. *S. Thom.*, *Laym.*, *Bon.*, *Less.*, *etc.*

7. Non licet dare eleemosynam ex bonis obnoxiis restitutioni, v. g. furto ablatis: licet tamen ex acquisitis per opus illicitum, sed non cum injustitia, v. g. ex lucro meretricum.

8. Pueris, Filiis-familias, Servis, Ancillis, Uxoribus non licet dare eleemosynam, nisi tenuem, in qua Parentum, Dominorum, et Maritorum voluntas praesumitur. Particulares vero casus, in quibus Uxor dare potest, vide *Tract. de quarto Praecept.*, *n.* 336. *Hurt.* notat, si Pater nullas det eleemosynas, Filium posse pro eo dare.

9. Tutores et Curatores qui habent curam bonorum alienorum, possunt facere modicas eleemosynas ex bonis quae administrant; quales nimirum ipsi facere deberent, quorum sunt. *Vasq.*, *Azor.*, *Conc.* - 33.

Quaeritur. An dives satisfaciat suae obligationi, si pauperi extreme indigenti rem qua ille eget, mutuet aut donet sub pacto restitutionis, si deveniat ad meliorem fortunam?

R. Adest triplex sententia. *Prima affirmat. Secunda negat. Tertia longe communior et verior* distinguit et docet, quod si pauper tempore necessitatis est absolute pauper, tunc dives tenetur omnino gratis ei occurrere. Secus si aliter habeat aliunde bona, aut spem moralem, sive probabilem habendi, quia tunc ille non est absolute pauper, nec posset rem alterius absolute arripere et suam facere. *S. Thom. etc. l.* 3. *n.* 520.

§. IV.- *De Correptione fraterna.*

Correptio fraterna est *admonitio qua quis proximum conatur revocare a peccato.* De qua certum est praeceptam esse jure tum naturali, quo membra unius corporis se mutuo juvare tenentur, tum Divino positivo - Math. 18. v. 15.: *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum. Laym.*, *Bon.*, *etc.*

Quaeritur 1. Quae sit materia correptionis fraternae?

R. Omne mortale peccatum proximi per se est sufficiens materia, ut hoc praeceptum obliget sub mortali. Ita *communiter.*

Dixi 1. *Omne mortale;* quia, etsi etiam veniale sit materia correptionis, non tamen graviter obligans, nec nisi facillime possis. - 34.

Hinc dicit *Laym.* peccati venialis correptionem rarius usse praeceptam; excipitur nisi esset Praelatus Religionis, qui aliquando tenetur sub gravi corrigere leves subditorum culpas, ex quibus incipiat minui vigor disciplinae cum magno Religionis detrimento. Ita *Tourn.*, *Laym.*, *etc.* Vide *Tract. de Praecept. part. n.* 13.-33.

Dixi 2. *per se;* quia si quis ob timorem, verecundiam, pusillanimitatem putet se non ita stricte obligatum vel minus esse idoneum ad corripiendum, videtur tantum peccare venialiter. Dummodo non putet sua correptione certo proximum a peccato aversum iri: tunc enim eam omittendo non excusaretur a mortali. - 37.

Quaeritur 2. An sit obligatio cor-

rigendi peccata facta ex ignorantia invincibili ?

R. Distinguendo : si peccata sint contra jus naturale, correptio fieri debet quia tunc illa sunt intrinsece mala, *ut commune* est apud *Croix*. Et idem dicit *Onido cum communi* de ignorantia Juris divini. Nisi tamen desperetur fructus, aut timeatur quod mala ex materialibus fiant formalia ut *communiter* dicunt *Salm., Roncagl.* cum aliis.

Si vero peccata sint contra Jus Positivum tantum, *probabile* est privatis non esse obligationem, saltem sub gravi corrigendi; secus autem praelatis, parentibus, confessariis, magistris; quia ipsis specialiter incumbit docere subditos. Ratio, tum quia proximus non est in peccato, quo deficiente, non urget praeceptum correptionis ; tum quia ille nil agit intrinsece malum. Ita *Salm., Bonac., etc.* sed *probabilius*, et *communius Pal., Sanch., Mazz., Tourn., Croix, etc.*, docunt omnes teneri ad correptionem, quia illa transgressio licet materialis et non intrinsece mala, attamen, posita lege, adhuc est mala : et ideo per correptionem tenemur eam impedire. - 36.

Quaeritur 3. In quibus casibus obliget hoc praeceptum?

R. Teneris corripere occurrentibus his circumstantiis :

1. Si certo tibi constet de peccato proximi, vel de proximo periculo peccandi ; indagare enim tenetur solus Superior. Si ergo non constet de peccato proximi nisi per signa dubia, non teneris; nisi suspicio sit de homicidio, vel de damno communi, vel nisi quis esset Praelatus, qui in dubio debet corripere, cum is ex officio teneatur peccata subditorum inquirere : licet potius tunc expediat, ut correptionem faciat in communi. - 38.

2. Si probabile sit eum se non emendasse, nec emendaturum, vel relapsurum : quia eleemosyna egenti tantum danda est.

3. Si alius aeque idoneus non sit qui correpturus putetur.

4. Si sit spes fructus; quia desperato fine, cessant media.

5. Si sit bona occasio, locus et tempus opportunum, possisque sine tuo gravi damno facere. Quod si horum aliquid desit, praeceptum non obligat.

Dixi *possisque sine tuo gravi damno facere;* nam nemo tenetur ad corrigendum in necessitate gravi spirituali cum periculo notabilis damni honoris vel bonorum, nisi Superiores stipendiati, ut dicitur infra.

Quaeritur 4. Utrum quando abest periculum relapsus, sit obligatio corripiendi fratrem non emendatum ?

R. Prima sententia negat : eamque tenent *Sal., Pal., Conc., Dian., Secundam* tamen *sententiam contrariam* merito *probabiliorem* putant *Tourn., Salm., Bon, Suar., Less., etc.;* Ratio, quia frater in peccato constitutus, jam gravem patitur necessitatem, a quo teneris illum, si potes, eripere ; ideoque Christus Dominus praecepit : *Si peccaverint in te frater tuus, vade, et corripe eum.*

Quaeritur 5. Utrum in aequali dubio an correptio sit profutura vel obfutura, omittenda sit ?

R. Affirmant Conc., Tourn., Habert, Antoine, etc. Attamen recte limitat *Tourn.* 1. Si corrigendus sit in periculo mortis. 2. Si teneatur ex omissione inficiatio aliorum in fide aut moribus. Et sic etiam, si correptio certius sit profutura. Dicit autem idem *Tournely.* 3. Non esse obligationem corrigendi, *si probabile* sit quod reus per se resipiscat. - 39.

Quaeritur 6. Quosnam obliget correctionis praeceptum ?

R. Omnes quidem obligat etiam subditos, maxime autem Praelatos, ut Episcopos, Parochos, Superiores Re-

ligionum, Parentes, Confessarios, Dominos, Maritos, Magistros, Tutores et Curatores. Ratio prioris est quia omnes sunt commembra, tenenturque sibi externa officia charitatis praestare. Ratio posterioris est, quia subditi ex charitate, Praelati vero etiam ex officio et justitia tenentur. Unde peccare possunt etiam graviter, veniales culpas non impediendo, si vigor disciplinae per hoc minuatur. Vide *Tract. de Praecept. part. n.* 13 Eademque fere est ratio de Patrefamilias, praesertim erga liberos. *Laym., etc.*

Quaeritur 7. Supra dicti Praelati teneantur ne ad corripiendum etiam cum gravi damno proprio?

R. Quod ad Episcopos et parochos pertinet, non est dubitandum quin ipsi tum ex officio, tum ex stipendio quod exigunt, teneantur ad subveniendum subditis, ac propterea ad eos corrigendos, adhuc cum periculo vitae, in eorum necessitate, non solum extrema, sed etiam gravi, ut docent communiter *D. Thom.* et alii. Vide etiam *Tract. de quart. praecpt., n.* 360.

Quoad autem Parentes, Maritos et alios Saperiores ut supra, qui nullum ad hoc stipendium accipiunt, *Salmat.* videntur affirmare eos teneri ad correptionem, etiam cum gravi damno proprio. Sed huic doctrinae minime acquiesco; nam licet *verius* teneantur Superiores ex officio magis quam ex mera charitate; attamen tale officium, cum ortum habeat ex obligatione sola pietatis, aut charitatis, non videtur obligare ex justitia ad tantum onus; aliud enim est teneri ex justitia ratione stipendii, ut tenentur Pastores, aliud ratione officii.

Addunt *Salm.* Concionatores teneri peccata publica reprehendere, licet damna privata timeantur, et etiamsi, ait *Hurt.* non sit spes emendationis.-42.

Sed hoc ultimum intelligendum, si ex reprehensione aliquis fructus speretur, et majus damnum commune non timeatur. - 40.

At non facile corripere debent peccata Praelatorum et Religiosorum, quorum auctoritas ad bonum commune est necessaria. - 42.

Quaeritur 8. Quis ordo in fraterna correptione sit servandus?

R. Is ordo servandus qui a Christo praescribitur *Matth.* 18. scilicet primo, ut corripias privatim: deinde coram testibus: tum ad Praelatum Ecclesiae, sive superiorem deferas.

Excipe tamen 1. nisi praestet Superiori viro probo et prudenti quam aliis testibus innotescere; vide *Tract. de praecept. part., n.* 243. *et seq.* 2. Nisi peccatum sit publicum, tunc enim potest publice corripi. 3. Nisi vergat in grave damnum tertii, aut communitatis, si superiori non statim innotescat, quia commune bonum praeferendum est privato. 4. Quando corripiendus est contentus ut Superiori statim significetur, ut est apud quosdam Religiosos, qui quoad hoc juri suo renuntiaverunt.-41.

Unde:

1. Qui facile potest impedire peccatum mortale proximi, et ob mali temporalis timorem negligit, peccat mortaliter. Ita *Laym., Suar. Sanch.*

2. Si certo constet, fratrem perfecte emendasse peccatum occultum, nec ex eo esse ullum periculum relapsus, vel damni ipsi aut alteri, non licet denuntiare Patri vel Praelato, nisi frater expresse in istam denuntiationem consentiat. *Sanch., Pal., Suar.*, etc. Ratio, quia cessat motivum charitatis, atque ideo ratio denuntiandi; et est peccatum ex genere suo mortale. Ita *Lugo* ex *Suar.*

3. Si Superior immediatus se solo possit delinquentem emendare, ita ut nullum periculum damni, vel relapsus ipsi vel alteri vel Communitati immineat, videtur peccare manifestando Superiori mediato delictum *Pal.*, etc.

4. Praelati et Magistratus tenentur aliquando inquirere subditorum peccata ut corripiantur : non tamen multum et curiose de aliquo in particulari rogare debent, nisi is speciale ejus signum dederit : neque facile admittere accusatores spontaneos, quia illi specie boni communis saepe se quaerunt. *Hurt.* etc.

5. Correptio adhibenda est non semper statim, sed cum major fructus speratur. Hinc, dicunt DD., interdum permitti posse reiterationem peccati, ut correptio fructuosior sit. Neque sufficit semel esse factam correptionem, sed debet iterum iterumque fieri, quamdiu speratur fructus. - 42.

Vide alia plura de hac re in *Tract. de praecept., part. n.* 240. etc.

§. V. *De Scandalo et de Cooperatione.*

PUNCTUM I.

De Scandalo.

Scandalum dicitur *peccatum occasionatum*, et est duplex : Activum et Passivum.

1. Scandalum *Activum* est dictum vel factum (quo nomine etiam omissio intelligitur) minus rectum, et praebens alteri occasionem ruinae spiritualis. Ex *S. Thom., Sanch., Az.*, etc.

Dixi *minus rectum*, hoc est, quod vel in se malum sit, ut si loquaris turpia coram adolescente ; vel mali speciem habeat, ut si justa de causa, coram aliis eam ignorantibus, comedas carnes die vetito.

Scandalum Activum aliud est per se tale, aliud per accidens.

Per se dicitur, quando directe intenditur alterius ruina ; id est, si ideo aliquid fiat ut aliquis ad peccatum inducatur, v. g. si adulter alienam sollicitet ad peccatum adulterii.

Per accidens dicitur, quando indirecte et interpretative tantum causatur alterius peccatum, et si quid facias quod tibi in mentem venit, aptum ad inducendum alterum hic et nunc ad peccatum, et nihilominus facis, ut si coram pusillis pecces, vel die vetito carnes comedas, non dicendo, quod habeas veniam : Item, si Clericus domi suae alat mulierem populo suspectam, esto absit omne peccatum, et peccandi periculum.

2. Scandalum *Passivum*, est ipsa ruina, sive peccatum, in quod labitur proximus, ex occasione alterius dicti vel facti.

Hoc dividitur in *Datum* seu *Pusillorum*, quod oritur ex activo ; et in *Acceptum*, *quod non oritur ex activo*, sed ex ipsius sumentis malitia : quale erat odium et invidia Pharisaeorum in Christum occasione ejus dictorum vel factorum : unde hoc dicitur *Phariseorem*.

Unde :

1. Ad scandalum activum non requiritur, ut de facto passivum consequatur ; sed satis est quod data sit occasio, ex qua natura sua sequi possit, ut si quem inducere velis ad peccatum qui tamen non consentiat ; sicut etiam contra, passivum potest dari sine activo.

2. Scandalum passivum non est speciale peccatum, neque addit circumstantiam aggravantem ; v. g. qui, viso alterius furto, etiam furatur, non ideo peccat gravius.

3. Non semper est scandalum si peccas coram aliis, sed tantum quando, attentis circumstantiis tam personae agentis, quam coram quibus fit actus, potest probabiliter timeri ne per hunc actum trahantur ad peccatum qui alias peccaturi non essent. - 13.

4. Mortaliter peccat, qui alteri dat occasionem ruinae mortalis nisi indeliberatio excuset ; et sic opus indifferens, vel veniale saepe transit in mortale, ratione scandali v. g. si jocosum

verbum proferat Religiosus coram feminis, vel iis qui inde occasionem peccati mortali sumere possunt.

5. Venialiter peccat ratione scandali, qui alteri dat occasionem ruinae venialis tantum. Quod verum est, etsi directe illam intendat, et quidem per actum mortalem. - 44.

Quaeritur 1. Quando scandalum sit speciale peccatum?

R. Adsunt tres sententiae. *Prima* asserit tunc tantum scandalum esse speciale peccatum contra charitatem, quando directe intenditur spiritualis ruina proximi. Ita *Sanch.*, *Bon.*, *Pal.*, etc.

Secunda sententia quam tenent *Lugo*, *Tamb.*, etc., distinguit, et dicit posse aliquem tripliciter inducere alterum ad peccatum. 1. Directe et formaliter intendendo illius spiritualem ruinam. 2. Directe, sed non formaliter, quando scilicet vult ut alter castitatem violet, non jam ut animam perdat, sed ut ipsi inducenti satisfaciat. 3. Indirecte nempe quando ex suo exemplo alter accipiet occasionem peccandi.

Hinc ajunt, quod si scandalum accidat primo et secundo modo, peccat scandalizans, non solum contra charitatem, sed etiam contra virtutem, ad quam laedendam proximum inducit. Quando vero tertio modo peccat, scilicet praevidendo, sed non intendendo peccatum proximi, tunc peccat tantum contra charitatem, non autem contra virtutem quae laeditur, unde non tenetur illius speciem explicare.

Tertia sententia, cui subscribo, tenet, quod qui directe vel indirecte inducit proximum ad peccatum, dupliciter peccat, scilicet tam contra charitatem quam contra virtutem, ad quam laedendam proximum inducit.

Quod peccet contra charitatem, mihi videtur non posse negari; si enim charitas obligat ad proximum corrigendum, et impediendum, cum possumus, ne ruat in peccatum, quanto magis obligat ad eum non impellendum ad peccatum consilio vel exemplo?

Quod autem is peccet contra virtutem, ad quam laedendam proximum etsi indirecte inducit, ratio est, quia quaelibet virtus non solum contrarios prohibet actus, sed etiam prohibet ne detur occasio aliis inductiva ad peccatum; tunc enim occasio illa, esto non sit causa de se influxiva, est tamen causa moralis, ut proximus peccet; dicitur *causa moralis*, quae in substantia aequivalet causae directae inductivae ad peccatum, cum sine ea proximus non peccaret. Ita *Caj.*, *Sanch.*, *Roncagl.*, *Tourn.*, *Salm.*, etc. Vide dicenda *n.* 41.

Qui tamen suo exemplo induceret aliud ad furandum, licet peccet contra justitiam duplici peccato, non tenetur ad restitutionem, ut communiter docent DD. Ratio quia exemplum illud non est causa directe influxiva, sed tantum occasio, quae non praestat ad furandum positivum influxum, qui requiritur ad obligationem restitutionis. - 45.

Quaeritur 2. An circumstantia inductionis ad fornicationem sit in Confessione explicanda?

R. Negant Lugo., *Tamb.*, *Vasq.*, etc. qui dicunt sufficere fateri fornicationem, quia malitia inductionis sive scandali jam habetur, licet non gravis, quando aliquis non sollicitat, sed consentit; adhuc enim participat cum altero in suo peccato, et est causa cooperans ad ejus ruinam; quare solum videtur aggravari magis haec malitia intra eamdem speciem, quando quis positive sollicitat. Et idem ait *Lugo* dicendum de collocutione turpi et simili.

Contradicunt tamen *Sanch.*, *Pal.*, *Salm.*, *Conc.*, etc., dicentes omnino explicandam esse circumstantiam sollicitationis, cum haec sit peccatum di-

stinctum a peccato ad quod proximus inducitur.

Hac tamen ratione non obstante, videtur *satis probabilis* prima sententia *Lugonis*, qui infert inductionem non esse nisi circumstantiam aggravantem intra eamdem speciem, non necessario explicandam, juxta sententiam quam referemus *in Tract. de poenit. n.* 467. - 46.

Quaeritur 3. An sit peccatum scandali petere ab alio aliquid, quod ipse non potest praestare sine peccato, si jam paratus sit ad peccandum?

R. Si res quae petitur sit de se intrinsece mala, ita ut nullo modo praestari possit sine peccato, prout est petere fornicationem a meretrice parata, non desunt plures DD. qui dicunt non esse peccatum scandali, quia cum talis mulier sit semper in actuali aut virtuali voluntate peccandi, non censetur graviter, sed leviter cooperari, qui occasionem ei praebet peccatum illud exequendi. Ita *Sotus, Henriq., Azor., Valent.*. etc.

Veneror tantorum DD. auctoritatem, sed non auderem recedere a sententia *contraria* quam sequendam censeo, et tenent *Sanch. Caj., Nav., Spor., etc.*, Ratio mihi valde potens, quia, licet meretrix sit in actuali voluntate peccandi, certe tamen sibi infert ruinam graviter majorem, opere complendo illud particulare fornicationis peccatum. Is igitur, qui illi cooperatur ad peccatum consummandum, dupliciter graviter peccat, tum contra charitatem, tum contra castitatem, ut mox melius patebit ex infra dicendis.

Quaeritur 4. Sed quid, si res quae petitur sit indifferens?

R. Si res quae petitur sit indifferens et bene possit praestari sine peccato, ut esset petere mutuum ab usurario, et similia; *prima sententia tenet*, non esse peccatum grave petere sine justa causa. Ratio, quia, cum usurarius ille jam habeat voluntatem deliberatam peccandi, non inferes ipsi grave damnum, si proponas illi occasionem, qua exequatur peccatum praeter tuam intentionem; ea enim anticipatio operis externi peccatum illius tantum accidentaliter variat. Ita *Lugo, Cajet., Sot., etc.*

Secunda vero *sententia*, quam amplectimur, tenet id esse peccatum mortale, tam contra charitatem, quam contra virtutem, ad quam laedendam occasio proximo praebetur, petendo ab illo mutuum, etc. sine gravi causa; nam cum adsit gravis causa, petens omnino excusatur. Ita *S. Thom., Elbel., etc.* Ratio, quia charitas nos obligat ad vitandum grave damnum proximi, quotiescumque sine notabili incommodo id possumus. Cum autem habemus gravem causam petendi, non possumus sine gravi incommodo a petendo abstinere; et ideo tunc equidem excusamur. Secus vero si causa sit levis, et tanto magis si sit illicita, aut vana. Ita *Bon., Sanch., Valent., Sylvest., etc.*

Notant autem *Spor., Soto, Caj., etc.* quod ad mutuum licite petendum ab usurario, non requiritur praecisa necessitas, sed sufficit quaevis notabilis utilitas, sive ad conservationem sive ad decentiam status, aut familiae. - 47.

Quaeritur 5. An scandalum passivum permitti possit?

R. Permitti non potest absque necessitate, vel utilitate propria vel aliena; quia tenemur ex charitate impedire peccata proximi, si facile possumus. *Laym.* ex *communi.* - 48.

Permitti vero potest ex causa necessitatis vel utilitatis. Sed requiritur major necessitas ut permittatur scandalum Pusillorum, quam Pharisaicum. Item, major, si plures sint scandalizandi, si timeatur peccatum gravius, et deniquc, si certe praevideatur, quam alias. *Laym., Bon., etc.*

Quaeritur 6. Quando permitti potest scandalum passivum?

R. Permitti debet, si alioqui propria salus periclitaretur, vel aliis, praesertim Communitati, grave damnum immineret. Unde, bona spiritualia necessaria ad salutem nec debet, nec potest quisquam dimittere ob cujusdam scandalum. Vide infra. - 50.

Quaeritur 7. An ob illud vitandum, aliquid omitti debeat?

R. 1. Bona spiritualia non necessaria ad salutem, non tenetur quis omittere, vel differre ob scandalum Pharisaicum, juxta illud *Matth.* 15. *Sinite illos, etc.*; nisi tamen ex dilatione fructus speraretur; facilius vero, ac saepius talia bona differenda, vel etiam omittenda sunt, ob scandalum Pusillorum.

2. Praecepta quae omitti non possunt sine peccato, nunquam praetermittenda sunt ob alterius scandalum, sive sit Pharisaicum, ex illius malitia, sive Pusillorum, ex ejus infirmitate aut ignorantia. Hujusmodi sunt praecepta Fidei, et Sacramentorum, quae sunt necessaria ad salutem, ut docet *S. Thom.* Item omnia praecepta naturalia; et quamvis DD. aliqui dicant aliquando posse omitti praecepta naturalia affirmativa, nempe corrigendi peccatores vel puniendi delinquentes, quando magis timetur damnum, quam speratur fructus, melius tamen dicit *Palaus*, tunc *verius* in iis casibus, ipsa praecepta cessare, et non obligare.

3. Alia praecepta positiva nec etiam omitti possunt, si scandalum proximi sit Pharisaicum, quia tunc potius daretur illi occasio bona aliorum malitiose impediendi, ut ait *Spor.*

4. *Prababilius* est quod omittenda sint praecepta positiva ad scandalum Pusillorum vitandum: quia praeceptum generale de vitando scandalo proximi, cum sit naturale, praeferendum est praeceptis positivis. At, quia magnum esset incommodum mulieris, v. gr. si ipsa ob scandalum alterius longum ad tempus abstinere a Missa teneretur, ideo *valde probabiliter* dicunt *Laym.*, *Tourn.*, *Spor.*, quod illa ad hoc non teneatur nisi pro una vel altera vice. Imo tenet *Elbel* cum aliis pluribus bene posse illam semel vel iterum omittere Sacrum, sed ad hoc non teneri, cum accidat scandalum omnino ex alterius malitia. - 51.

Quaeritur 8. An ad vitandum scandalum sint dimittenda bona temporalia?

R. Distinguit *D. Thom.* et docet quod si bona sint propria, tunc vel totaliter dimittenda, vel aliter scandalum est sedandum, scilicet, per aliquam monitionem. Nam, facta monitione de veritate justitiae, scandalum evadit Pharisaicum, de quo nihil amplius curandum. Ita *S. Thom.*, imo dicunt *Pal.*, *Sanch. Spor.*. *Suar.*, *etc.*, nunquam esse obligationem gravem patiendi magnam jacturam in bonis, ne proximus patiatur scandalum, etiam ex infirmitate. Ratio, quia charitas erga proximum non obligat cum tanto incommodo.

Hoc tanto magis procedit, si bona sint commissa ad conservandum, ut bona Ecclesiae committuntur Praelatis et similia; ipsa enim nec etiam possunt dimitti propter scandalum alterius, uti possunt dimitti bona privata. Quamvis, ut monent recte *Laym.*, *S. Antonin.*, *Palud.*, *etc.*, etiam pro his differri potest exactio donec instruantur debitores de sua obligatione. Imo dicunt *S. Anton.*, *Caj.*, *etc.*, quod si adhuc post monitionem populi scandalum nec etiam cesset, et magna immineat fructus spiritualis jactura, tunc melius se geret Praelatus, si procuret Ecclesiae assensum, ut debitum remittatur.

Attamen bene ait *Laym.* in hoc pensandas esse circumstantias tam bonorum dimittendorum, quam scandali eventuri, et ne forte ex remmissione malitia debitorum magis augeatur. Nam *S. Thom.* de eo casu sic loquitur:

« Propter scandalum Pharisaicum non » sunt bona temporalia dimittenda, » quia hoc et noceret bono communi: » daretur enim malis occasio rapiendi; » et noceret ipsis rapientibus, quia re- » tinendo aliena, in peccato remane- » rent. » - 52.

Quaeritur 9. An in rebus non praeceptis, peccet moraliter Puella, ad conspiciendum se praebens conspectui viri scandalum passuri?

R. Affirmant Bus., S. Anton., Sylv., Nav. etc. Sed *valde probabiliter negant* peccare graviter *Caj., Sanch., Salm., Bon., etc.;* sufficit enim, ut dicunt, ad eam excusandam saltem a mortali, causa, ne ipsa sua libertate privetur: cum ex una parte hoc scandalum non est datum, sed acceptum ex malitia viri, et ex alia via esset res valde incommda mulieri, et scrupulis obnoxia, si expendere deberet semper an habeat justam causam egrediendi, vel non. Nequirem autem illam excusare a mortali, si ipsa ex vanitate ducta, etsi scandalum illius viri non intendat, data opera, ejus aspectui se offerat.

Hinc recte dicunt *Spor. Dian., Hurt.*, teneri mulierem, sub gravi, scandalum viri determinati vitare, si possit commode, aliam Ecclesiam adire, per aliam viam progredi, a fenestra abstinere et similia: hoc tamen non intelligendum ad longum tempus, sed tantum pro una vel altera vice, ut diximus supra n. 51, donec alter advertere possit se fugi ab illa, et asserit *Spor.* in hoc omnes consentire. Nequirem etiam mulierem a mortali excusare, si illa peteret aliquem locum, quem non adiret, nisi sciret ibi amasium adesse, ut recte advertit *Spor.* - 53.

Ex dictis colliges:

1. Mulierem, quae ex ornatu, etiam convenienti suo statui, probabiliter praevidet aliquem in particulari lapsurum mortaliter, teneri ad breve tempus eum dimittere, aut talis conspectum fugere. Dixi *ad breve tempus*, quia ad longum, nimis illi grave foret.

2. Si vero idem timeretur in particulari ex ornatu superfluo, vano et inconvenienti, quem assumere vanitatis, et placendi causa, ut videantur pulchrae, et procum facilius inveniant, seclusis aliis, non nisi veniale est; teneretur cum omnino dimittere, etiam sub mortali; quia nullum habet jus ad illum ornatum, ex altera parte, tenetur vitare peccatum alterius, quando commode potest. Ita recte sentiunt *Salm.* - 54.

3. Si mulier, non in particulari, sed in genere tantum aliquos in se scandalizandos putet; modo eorum lasciviam non intendat, nec ei placeat, licet ei placeat quod laudetur ut formosa, non videtur teneri abstinere ab illo ornatu, etiam superfluo, sub mortali, v. gr. fucando faciem, quia nimis grave esset isti sexui, praesertim si maritum quaerant, perpetuo sic abstinere.

Quaeritur 10. An peccent graviter mulieres ad sui ornatum ubera ostendentes?

R. Cum ego munus Concionatoris egi, pluries hunc perniciosum usum fortiter conatus sum exprobare; sed cum hic officium agam Scriptoris de scientia morali, oportet ut dicam quod juxta veritatem sentio, et quod a DD. didici.

Non nego 1. Quod illae feminae quae hunc morem alicubi introducerent, sane graviter peccarent.

Non nego 2. Quod denudatio pectoris posset esse ita immoderata, ut per se non posset excusari a scandalo gravi tamquam valde ad lasciviam provocans.

Dico 3. Quod si denudatio non esset taliter immoderata, et alicubi adesset consuetudo, ut mulieres sic incederent, esset quidem exprobanda, sed non omnino damnanda de peccato mor-

tali. Ita *communissime Nav.*, *Caj.*, *Les.*, *Laym.*, *Bon.*, *Salm.*, et alii plurimi.

Hinc, *S. Antonin.* sic loquitur. « Videtur dicendum, quod ubi in hujusmodi ornatibus Confessor invenit clare et indubitanter mortale, talem non absolvat, nisi proponat abstinere a tali crimine. Si vero non potest clare percipere utrum sit mortale, non videtur tunc praecipitanda sententia, scilicet, ut deneget propter hoc absolutionem, vel illi faciat conscientiam de mortali, quia faciendo postea contra illud, etiamsi illud non esset mortale, ei erit mortale, quia omne quod est contra conscientiam, aedificat ad gehennam; et cum promptiores sint jura ad solvendum quam ligandum, et melius sit domino reddere rationem de nimia misericordia, quam de nimia severitate, potius videtur absolvendum, et Divino examini dimittendum. » - 55.

Quaeritur 11. An componentes, sive repraesentantes comoedias valde turpes excusari possint a peccato gravi?

R. Negative cum *Sanch.*, *Sylv.*, *S. Antonin.*, quodcumque sit lucrum. Idem dico de pingentibus, sive exponentibus publice imagines obscoenas, scilicet detectis pudendis, sive tenui velo coopertis. Secus, si detectis aliis partibus, pudenda tegantur. Ita *Salm. Dian.* et plures alii. - 56.

Quaeritur 12. An liceat suadere aut permittere minus malum ad majus vitandum?

R. Prima sententia negat; quia, qui suadet minus malum, vere malum suadet. Ita *Laym.*, etc.

Secunda sententia probabilior tenet licitum esse minus malum suadere, si alter jam determinatus sit ad majus exequendum. Ratio, quia tunc suadens non quaerit malum, sed bonum, scilicet electionem minoris mali. Ita *Sanch.*, *Nov.*, *Sot.*, *Mol.*, et alii plures. Et hoc addit *Sanch.* cum *Salon.* licere non solum privatis, sed etiam Confessariis, parentibus et aliis, quibus in officio incumbit impedire peccata subditorum. - 57.

Quaeritur 13. An aliquando permitti possit proximi ruina?

R. Potest proximi ruina permitti, quando ille paratus est ad malum, et tu non intendis ut peccet, sed tantum non auferendo occasionem, permittis unum peccatum ne fiant plura, ita ut permissio sit impeditiva majoris mali.

Sic hero licet non auferre occasionem furandi filiis aut famulis, cum eos nihilominus ad furandum propensos, et paratos novit, ut sic deprehensi puniantur, et resipiscant: tunc enim rationabiliter permittit furtum unum, uti evitentur plura.

Haec sententia videtur satis *communis* cum *S. Thom.* dicens: « Quandoque vir uxorem suspectam de adulterio habens, ei insidiatur, ut deprehendere possit eam cum testibus in crimine fornicationis, et sic potest ad accusationem procedere. » Sic *Tournely* cum *Antoine.*

Quaeritur 14. An liceat talia ultro ponere, aut iis objicere?

R. Probabile est etiam licere talia ultro ponere, aut iis objicere. Quod confirmari potest exemplo *Judith*, quae vix aliter videtur fecisse; quia cum maritus, vel dominus praebet ansam moechandi vel furandi, non vere inducit ad peccandum, sed praebet occasionem, et permittit peccatum alterius, ex juxta causa, scilicet ut se indemnem servet a periculo damni obventuri. Aliud enim est inducere, aliud praebere occasionem. Illud est intrinsece malum, non autem hoc; alioquin nunquam liceret, etiam ex causa justa, petere mutuum ab usurario, quod est contra *communem DD.* sententiam.

Unde *S. Thomas* hanc regulam dat: « Inducere homines ad peccandum nullo modo licet: uti tamen peccato

» alterius ab bonum, licitum est. » Imo S. Doctor videtur etiam opinioni mox allatae expresse adhaerere exemplo decem virorum, qui dixerunt ad *Ismaël*, *Jeremiae* 41.: *Noli occidere nos, quia thesauros habemus in agro.* Et hoc S. Doctor asserit minime peccasse. - 58.

PUNCTUM II.

De Cooperatione.

Cooperatio duplex est; *formalis*, quae concurrit ad malam voluntatem alterius, et nequit esse sine peccato; et *materialis*, quae concurrit tantum ad malam actionem alterius praeter intentionem cooperantis.

Quaeritur 1. An liceat alterius peccato materialiter cooperari?

R. Cooperari tantum materialiter licet cum sequentibus conditionibus:

1. Si tuum opus, vel cooperatio sit secundum se bona, vel saltem indifferens.

2. Si bona intentione, et rationabili ex causa fiat, et non ut juves alterum in peccando.

3. Si alterius peccatum impedire nequeas, aut saltem non tenearis ex officio impedire. - 59.

Ratio, quia, cum tu praestas actionem indifferentem sine prava intentione, si alter abuti voluerit ad suum peccatum exequendum, non teneris nisi ex charitate illud impedire; et quia charitas non obligat cum gravi incommodo, ideo ponens tuam cooperationem cum justa causa, non peccas: tunc enim peccatum illius non provenit ex cooperatione tua, sed ex malitia ipsius, qui tua actione abutitur. Nec potest dici, quod tua actio, etsi indifferens, conjuncta tamen cum circumstantia pravae intentionis alterius, evadat mala; nam revera actio tua non est per se conjuncta cum mala voluntate illius, sed ille conjungit suam malam voluntatem cum actione tua; unde tua actio non erit tunc causa per se influens in peccatum, sed tantum occasio qua ille abutitur ad peccatum. Vide *de sept. praecept. n.* 571. - 63.

Advertendum cum *Sanch.* et *Laym.*, quod etsi gravitas causae propter quam fit cooperatio materialis, certa regula definiri nequeat, sed prudentis judicio metienda sit; tanto tamen gravior requiratur 1. Quanto gravius est peccatum, cujus occasio datur. 2. Quanto probabilius est, te non cooperante, alterum non peccaturum: aut quanto certior est effectus peccati. 3. Quanto propinquius tua cooperatio peccatum attingit. 4. Quanto minus juris habeas ad tale opus. 5. Denique, quanto magis peccatum cum justitia pugnat, idque propter damnum tertii *Laym.* - 59.

Quaeritur 2. An famulus, ratione famulatus, possit comitari herum ad lupanar, vel sternere equum?

R. Affirmant Bus., Nav., etc At probabilius non sufficit ad id sola ratio famulatus, etiamsi sine famuli ope herus adiret; saltem requiritur metus gravis damni. Ita *Sanch., Viva, Salm.*, qui recte advertunt id nunquam licere, si herus ex comitatu animosior reddatur - 65.

Quaeritur 3. An liceat famulo deducere concubinam in domum heri?

R. Merito id non admittunt *Cardenas* et *Milant.*

Quaeritur 4. An liceat famulo deferre munera meretrici ratione famulatus?

R. Affirmant, loquendo tantum de esculentis et aliis munusculis, *Bus., Sanch., Spor., etc.* Sed *verius Concina* putat hoc esse intrinsece malum, quia revera munera per se turpem amorem fovent - 65.

Quaeritur 5. Utrum liceat famulo ostium meretrici aperire?

R. Negat Croix. At *communius affirmant Bus., Salm., Tamb., etc.*;

modo ipso non aperiente, adsit alius qui aperiat.

Quaeritur 6. An ex metu mortis vel magni damni, liceat famulo subjicere humeros, vel deferre scalam domino ascendenti ad fornicandum, vi aperire januam, et similia?

R. Negant Viva, Concina, etc.; quia ut dicunt, tales actiones nunquam licent, utpote intrinsece malae.

Sed *contradicunt Bus., Sanch., Less.* quorum sententia, spectata ratione, mihi *probabilior* videtur. Ratio, quia, ut mox supra diximus, cum tu praestas actionem per se indifferentem, scilicet, quae potest esse bona et mala, non teneris, nisi ex charitate ab illa abstinere, ne alter ea abutatur ad peccandum; quando autem alias grave damnum metuis, licite permittere potes peccatum alterius; nam ex una parte charitas te non obligat, ut cum gravi damno peccatum ejus avertas; et ex altera, malitia alterius nequit mutare naturam tuae actionis, ita ut de indifferenti evadat intrinsece mala.

Quia tamen praedictae cooperationes vere concurrunt ad damnum stupri, quamvis solum materialiter concurrant ad peccatum stupratoris, puto, nullum alium timorem excusare cooperantem, nisi mortis; nam alias ob solum metum jacturae facultatum vel infamiae, non licet concurrere ad dehonorationem puellae deflorandae. Vide dicenda *in Tract. de sept. praec. n.* 571, ubi tenemus, non licere pariter tibi scalam vel claves tradere furi, nisi ob timorem mortis vel infamiae. Tradere autem gladium occisuro nunquam licet, quia non licet occidi innocentem, ut tu mortem vites, ut bene docent *Conc., Tourn.* - 66.

Quaeritur 7. An liceat famulo, ob metum gravem, scribere, aut deferre litteras amatorias concubinae domini?

R. Puto cum *Salm., Sanch., Viva, Bon., etc.*, haec nunquam licere, quia formaliter concurrunt ad peccatum heri, fovendo turpem ejus amorem. Et hoc censeo dicendum etiam in dubio, an litterae contineant amatoria; quia, cum constet de turpi amore, moraliter creditur turpia continere. Si vero contineant sola signa urbanitatis, etiam requiritur ad excusandum famulum causa justa, ultra obsequium famulatus. - 67.

Quaeritur 8. An liceat famulo ministrare carnes in die vetito?

R. Negant Salm. etc. Advertunt tamen in dubio praesumendum herum justa causa excusari. *Sed vide n. seq.* - 68.

Quaeritur 9. An liceat cauponibus vendere vinum iis, quos inebriandos praevident?

R. Excusat eos *Concina* ex metu mortis aut mutilationis; quia tam venditio quam potus sunt actiones indifferentes, et sola malitia bibentis intemperanter ebrietas accidit. Unde infert cauponem nonnisi ex charitate teneri impedire ebrietatem illorum.

Probabilius tamen mihi videtur dicendum cum *Buss., Banac., Sanch.*, et aliis *satis communiter* quod caupones satis excusentur ob metum cujuscumque gravis damni, puta si alias notabiliter laederentur ex diminutione emptorum. Ratio, quia cum nullum eo casu grave damnum temporale obveniat se inebriaturo, charitas non obligat cum gravi incommodo peccatum illius vitare. Et idem dico cum *Buss., Sanch., Mazz.* de praebente carnes comesturis in die vetito.

Illud autem quod dicunt *Tamb., Sanch., Pal.* scilicet, licitum esse vendere vinum eis qui revendunt mixtum aqua, si aeque commode nequeant aliis vendere, id non admittimus, nisi ob metum mortis, vel infamiae. - 69.

Ex dictis colliges:

1. In civitatibus, in quibus vitandi majoris mali causa permissum est, li-

cet domum locare usurario, et meretricibus; maxime si alii conductores desint, nisi tamen meretrices graviter nocerent vicinis honestis, vel ob situm ansam majorem darent peccatis. Ita *Sanch., Bon., Salm., Suar., Less.*, et alii *communiter*. Vide *Tract. de sexto praecept. n.* 434. - 70.

2. Excusantur a mortali, imo etiam a veniali, si causa adsit, artifices qui faciunt aut vendunt res indifferentes, quibus quis bene potest uti, licet plurimi abutantur, v. gr. aleas, fucos, gladios; cum malum non sit praesumendum, modo contrarium non constet.

3. Quando verisimiliter creditur emptor abusurus, *Buss., et Sanch.* dicunt non licere vendere. At *Tamb.* et *Salm.* dicunt licere si venditor non posset sine damno a venditione recedere; sive, ut loquitur *Tamb.*, si jacturam pateretur res suas non vendendo.

4. Eodem modo licitum esse vendere ornatus puellae iis abusurae, si illa ab aliis aeque emeret, ait *Croix* cum *Nav., Azor. Sanch., Bon.*; sed hoc non admittendum, juxta dicta *n.* 47, nisi venditor alioquin notabile patiatur incommodum. - 71.

5. Excusantur etiam ii, qui ob justam causam vendunt agnum Judaeo vel infideli usuro ad Sacrificium. Item, qui Judaeorum Synagogas, haereticorum templa, legitimo Magistratu permittente, aedificant vel restaurant, praesertim si fieret neque sine ipsis. - 73.

6. Incolae Urbis vel Provinciae, quam Tyrannus occupavit, licite manent inter iniquos possessores, eosque cogente imperio, juvant excubiis, fossione, contributione; idque ex legitimi principis praesumpto consensu: ex quo etiam talia obsequia licite promittunt cum juramento, ad majora mala sua et Legitimi Principis declinanda. - 74.

7. Non licet aurigis aut nautis vehere meretricem ad amasium pro sola mercede lucranda. Ita *Sanch. Bon., Ronc., etc.*, contra *Spor. etc.* affirmantes. *Sanch.* enim et alii dicunt eos tantum excusari ob grave damnum vitandum. Imo, *Angles* putat nunquam licere utpote intrinsece malum. - 75.

8. Peccat puella acceptans munera ab amasio, qui turpiter eam concupiscit, quia fovet amorem. *Croix*, etc. - 76.

9. *Probabilius* est licere petere juramentum a pejeraturo, modo adsit justa causa, nempe si judex petat juramentum ratione officii; vel si magni tua interest uti perjurio ad fraudes alterius manifestandas, ut jus tuum consequaris; et sic non deest bonum utile petentis, quod sufficit pro justa causa. Ita *Salm., Tournely, Bonac., Caj., Salon., Suar. etc.* contra *Vasq., Sot., etc.* negantes.

10. Licitum est petere mutuum ab usurario propter aliquod bonum; est *communis* sententia cum *S. Thom.*, idque licet, si adsit causa vel necessitatis, vel notabilis utilitatis. Et tunc licet etiam offerre illi usuras conditionate dicendo: *si vis usuras, dabo.* Sed non licet absolute eas offerre, dicendo: *da mihi mutuum, et ego tibi solvam usuras*, si alter non esset paratus ad mutuum dandum sub usuris, quia aliter qui sic eum alliceret ad mutuandum, directe induceret ad peccandum. Notant autem *Salm.* quod requiratur major causa ad petendum mutuum ab eo, qui scitur non daturus, nisi sub usuris requiritur saltem magna utilitas. - 77.

11. Qui adjuvat usurarium tantum in numerandis pecuniis, scribendis rationibus aut in deferendo pignore, potest excusari a peccato ratione sola famulatus; secus vero si exigat usuras, quia exactio est cooperatio proximior ad peccatum usurarii, etiamsi amicabiliter exigat. Quod si exigeret per vim aut minas, non solum peccaret, sed insuper teneretur ad restitutionem. Vide *Tract. de sept. pracc., n.* 789.

12. Licet dare mutuum abusuro, si adsit causa, scilicet, si aliter illi multum possit nocere. Ita *Less.*, qui tamen dicit non excusare causam lucri etiam justi. - 79.

13. *Probabilius* licet petere sacramenta a Sacerdote excommunicato tolerato; quia ipse tunc minime peccat ea ministrando. Vide *Tract. de Cens., n.* 138. Conveniunt etiam DD. licitum esse petere sacramenta a sacerdote qui est in mortali, si adsit necessitas, aut notabilis utilitas. Secus, si utilitas non sit magna, juxta dicta *n.* 47; etiamsi Sacerdos sit paratus ad sacrilege ministrandum. - 79.

14. Volenti autem frangere jejunium, ubicumque inveniet cibos, non licet eos praebere, dicendo conditionate: *Si vis jam comede, coena apud me;* quia id in hac circumstantia est objective malum, ad quod non licet cooperari, nisi tanquam permissive, modo adsit causa gravis, juxta nostrum principium positum *n.* 47. et toties repetitum; nempe quod ad permittendum grave peccatum proximi, quod ille committit ex occasione a nobis praestita, non sufficit quod alter sit paratus ad peccandum, sed insuper requiritur gravis causa necessitatis, vel saltem utilitatis quae nos solvat praecepto charitatis; alioquin graviter peccamus tam contra charitatem, quam contra virtutem, quae a proximo laeditur. - 80.

TRACTATUS VI.

DE PRIMO PRAECEPTO DECALOGI.

Hujus praecepti, prout est affirmativum, materia propria sunt actus virtutis religionis. Est autem haec virtus moralis, qua interior et exterior cultus Deo debitus exhibetur.

Actus ejus internus est animi submissio, qua infinitam Dei excellentiam veneramur. Externus est, quo internum testamur, ut Oratio, Sacrificium, etc.

Ex hac Religionis virtute tenemur ad orationem, quae ex *Damasceno* definitur *Petitio decentium a Deo.* Et *probabilius* est orationem nobis esse necessariam necessitate medii. Ita *Suar., Laym., Bon., Az. etc.*, contra *Sylv. etc.* qui putant necessariam esse tantum necessitate praecepti.

Quando autem obliget praeceptum orationis? *Salm.* censent obligare per se triplici tempore, scilicet, in instanti usu rationis, in articulo mortis, semel saltem in anno. Dicitur *per se;* nam per accidens, certum est obligare quando urget magna tentatio, quae alias vinci nequeat, vel quando urget magna calamitas populi, aut proximi, *Salm.*

Hoc primum praeceptum, prout est negativum, prohibet vitia Religioni opposita: quae, quia opponuntur virtuti inter morales praecipuae, sunt peccata, post ea, quae contra virtutes theologicas committuntur, gravissima et ex genere suo mortalia.

Sunt autem duplicia: alia, quae opponuntur per excessum, ut superstitio cum suis speciebus: alia per defectum, ut irreligiositas cum suis.

CAPUT I.

DE SUPERSTITIONE.

Superstitio est *falsa religio, seu cultus vitiosus veri, vel falsi numinis.* - 1.

Superstitio *cultus indebiti* sive incongrui, est quo verus Deus, sed modo indebito colitur, tribuendo ei cultum falsum et perniciosum, vel superfluum, qui nimirum sit contra, vel praeter ecclesiae consuetudinem, ac praescriptum. - 2.

Unde superstitionem *cultus falsi* committit: 1. qui Deo nunc offert cultum per ceremonias veteris legis. 2. Laicus, qui Deum colit tamquam publicus Minister Ecclesiae, etc. - 3.

Superstititio *cultus superflui* est v. gr. ceremonia audiendi missam ante ortum solis cum certo numero, situ, ordine cereorum, etc. - 4.

2. Superstititio ratione *rei cultae* est cum scilicet cultus Deo debitus falso Deo, vel creaturae defertur.

Haec subdividitur in Idololatriam, Divinationem, et vanam Observantiam, ad quam Magia revocatur, et maleficium. *Laym.* - 4.

ARTICULUS I.

De Idololatria.

Idololatria est quando tribuitur honor creaturae sicut Deo. *S. Thom.* Id vero fit, ut docet *Less.*, non tantum Sacrificio, sed etiam quovis signo honoris, quo quis creaturae, tanquam Deo, se submittere intendit, v. gr. genuflexione, detectione capitis ad statuam Jovis. - 12.

Idololatria est duplex: alia *materialis*, sive *simulata*, ut cum quis sine interno affectu, ex metu mortis, cultum idolo exhibet.

Alia *formalis*, ac *propria* vel *perfecta*, ut cum quis adorat idolum, quod ex infidelitate putat esse Deum; vel *imperfecta*, cum quis vel ex odio Dei, vel ex affectu aliquid a Daemone, aliave creatura obtinendi, ipsi quasi Deo cultum defert. *Laym.*, *S. Aug.*, *S. Thom.* - 13.

ARTICULUS II.

De Divinatione.

Divinatio est cum quis opem Daemonis tacite vel expresse invocat, ut noscat res contingentes et libere futuras, aliterve occultas, et naturaliter incognoscibiles. Quae si sint tales, quas solus Deus scire potest, involvitur tacita Idolatria, quod Daemoni tribuatur cultus divinus; si vero sint tales quas Daemon naturaliter scire potest, (nam ex signis, aliisque modis occultissima quaeque cognoscere potest, etiam plurimas hominum cogitationes, et res futuras) nihilominus illicita est eo quod commercium habeatur cum Dei jurato hoste, quod importat quamdam proditionem, et apostasiam a Deo, ac forte etiam superstitionem. Ita *Suar.* - 5.

Divinatio duplex est: una in qua est invocatio, vel pactum expressum cum daemone, et generali nomine dicitur Necromantia: ut, cum daemon occulta docet per Pythones, arreptitios, praestigias, per personas mortuorum vel vivorum apparentium, aliave signa in aere, aqua, igne, speculis.

Alia est in qua tantum est invocatio, vel pactum tacitum, seu interpretativum, ut cum ex lineamentis corporis, vocibus, garritu avium, et similibus, quibus se daemon immiscere solet, quaeritur cognitio, ad quam ea sunt improportionata.

Cum vero utriusque speciei variae rursus sint species, eas hic omitto, quod secundum sententiam *communiorem* in genere moris non differant, nec specialem habeant malitiam, ideoque in Confessione non sit opus explicare, an v. gr. facta est Divinatio ex speculis, aere, mortuo, etc. Nec exprimendum necessario est, utrum invocatio, sive pactio expressa, aut tacita intervenerit: quia nisi invocatio expressa adjuncta habeat alia peccata, scilicet haeresim, adorationem daemonis, etc.; *probabile* est de se non esse obligationem explicandi. - 6.

Divinatio, quae fit per actum expressum, et per quam daemon expresse invocatur, excusari non potest a mortali; eam vero, quae fit tantum per actum implicitum, aliquando excusari a mortali quidam asserunt, videlicet tunc, cum vel intercedit simplicitas, et ignorantia non crassa, neque affectata; vel fides certa non adhibetur, sed tantum timor quidam,

aut suspicio concipitur eventus futuri, *Laym., Sanch., Less., Suar., etc.* - 7.

Unde :

1. Expresse censetur invocare, seu convenire, et pactum facere cum daemone, qui vel verbis daemonem invocat, vel saltem facto aliquid usurpat, per quod scit, aut putat daemonem cooperari.

2. Is vero tacite paciscitur, qui vanis et naturaliter imparibus utitur ad aliquid cognoscendum vel efficiendum : neque requiritur, ut daemon aliquando pactus sit se ad talis vani medii adhibitionem concursurum ; eo enim ipso quod quis vanitatibus iis utitur, daemon se immiscet, licet praeter intentionem utentis sit eum invocare, ut docent *Suar., Less., etc.*

3. Non excusatur a peccato, qui utendo talibus rebus, quas constat esse naturaliter improportionatas, protestatur se nullum cum daemone commercium intendere, quia reipsa facit contra suam protestationem. Cum enim nec Deus, nec Angeli boni talibus se immisceant, daemon implicite iis invocatur, ut, prater citatos, docent *Laym., Bon.*

4. Neque is excusatur, qui talia media utilia credit propter experientias, quia has daemon procurat, ut homines paulatim illaqueat, et ad similia usurpanda indurat. *Sanch., etc.*

5. Si quis ab astris, vel ab aliis similibus ita dependeat, ut omnes pene actiones suas et vitam juxta ea regulare velit, eum mortaliter peccare docent, *Less., Suar., Sanch., etc.*

6. Ex talium observatione semel, atque iterum aliquid omittere, ad quod alioqui sub mortali non teneris, veniale tantum esse consent *Caj. et Arm.* Uti et subinde timere leviter, ne ita aut eveniat quod portendunt, ut notant *Suar., etc.* - 8.

7. Communiter, in his in quibus tacitum est tantum pactum, venialiter tantum peccari docet *Caj., Suar., etc.*, quia communiter fere aliquid istorum intervenit, quae a mortali excusare dicunt, ut v. g. si fides integra non adhibeatur. Recte tamen notat *Detrio*, esse semper rem valde periculosam, juxta illa suas actiones dirigere, etiam non credendo. Vide supra, n. 7.

8. Licita est 1. *physiognomia*, quae ex vultu, dispositione, et habitudine corporis et membrorum. 2. *Chyromantia*, quae ex lineis et partibus manuum considerat temperiem corporis, imo etiam animi propensiones, et affectus probabiliter conjectat. 3. Idem *divinatio*, quae ex somniis conjectat hominis complexionem, et hinc affectiones animi diurnas. 4. Item alia, quae ex avium, piscium, aliorumve animalium voce, motu, aliisve actionibus naturales aliqui effectus praenuntiantur futuri ut plurimum, v. gr. serenitas, pluvia, etc., praedicare enim futura contingentia libera conjecturaliter tantum ex signis avium, etc. dicunt *Salm.* cum *Less., Pal. etc.*, non esse illicitum, quia constellatio quae potest commovere homines ad bellum, potest etiam illa signa causare in avibus. Vide in *Opere*, n. 10. 5. *Astrologia naturalis*, quae effectus corporeos et naturales, ut ventos, eclipsim, fertilitatem, salubritatem, morbos, et similia praedicit, quae ad medicinam, vel agriculturam conducunt. - 9.

9. *Astrologia judicialis*, quae ex signis in astris praedicit futura contingentia, quae pendent ex hominum voluntate, si fiat de persona particulari, illicita est ; etiamsi, non ut certo, sed ut conjecturaliter seu probabiliter fiat. *Salm.* licitum esse censent si fiat in generali, puta, si praenuntientur bella, seditiones, etc. Ita censent ex *S. Thom.*, qui sic loquitur : « Plures homines se-
» quuntur passiones ad quas cooperari
» possunt corpora coelestia. Pauci au-
» tem sunt sapientes, qui hujusmodi

» passionibus resistant. Et ideo Astro-
» logi ut in pluribus, vera possunt
» praedicere, et maxime in communi,
» non autem in speciali. »

10. *Astrologia* quae praedicit ex horoscopo et puncto nativitatis inclinationes, temperamenta, est illicita, si praedicit ut certa. Ita *Salm.*, cum *Sanch.*, *Suar.* et aliis *communiter;* putant tamen esse tantum peccatum leve. Si vero praedicit, ut tantum probabiliter, seu conjecturaliter, licita est. *Salm.*, *S. Thom.*, *Suar.*, *Pal.*, *Bon.*

11. Illicitae sunt omnes praedictae divinationes, si ex iis aliquid nosci aut praenuntiari intendatur circa ea ad quae proportionata non sunt, ut circa effectus contingentes et liberos, aut quae a Deo pendent, ut circa statum animae, dona gratiae, divitias, honores, fortunam, nuptias, status vitae et similia, quorum electio voluntaria est, et a libera hominum voluntate pendet: itemque de rebus occultis, ut furto, thesauro abscondito. *Less.*, *Suar.*, *Sanch.*, *etc.*

12. Superstitiosa est divinatio quae fit per sortes divinatorias, ad futurum, vel occultum aliquod cognoscendum, quasi sortibus vis aliqua divina insit, ut si quis v. gr. ex taxillorum projectione, et dispositione divinet quis sit obtenturus victoriam, beneficium, etc. Idem fere est de sortibus consultoriis, quibus inquiritur quid in hac, vel illa re sit agendum.

Dixi *fere*, quia aliquando haec licitae sunt, 1. quando divino instinctu aut jussu fiunt. 2. Quando causae necessitas et honestas exigunt, v. gr. urgens necessitas salutis, aptiorque modus dubium vincendi non apparet: dummodo fiant praemissa oratione cum debita reverentia; et indicium non expectetur, nisi a solo Deo, et divina non convertantur ad terrena negotia. *Sanch.*, *etc.*

13. Sortes divisoriae sine superstitione, et plerumque licite fieri possunt, sive ad haereditatis divisionem, sive ad litis compositionem, dummodo litigantes, qui aequale jus habeant, consentiant, quia nihil aliud continent, quam contractum inter eos qui ad aliquam rem jus habent, ut illius sit, cui sors obtigerit. Sic etiam, si plures mortem meriti sint, nec expediat omnes puniri, sorte definiri potest quis ex iis sit occidendus.

Dixi *plerumque:* tum quia in electionibus Ecclesiasticis sunt illicitae, tum quia officia saecularia non sorte, sed secundum personarum aptitudinem sunt dividenda, etsi inter plures aeque aptos et dignos sorte agi possit. *Less.* - 10.

Quaeritur 1. Quid dicendum de virga bifurcata?

R. Quoad Virgam *Bifurcatam* vocatam *Divinatoriam*, cujus conversione aliqui utuntur ad inveniendos thesauros in terra abditos, aquarum, aut metallorum venas, transpositos agrorum limites, et praesertim fures ac homicidas; licet ejus usum aliqui Doctores, Medici, et etiam Theologi conati sunt naturalem probare et innocentem, attamen merito eum reprobat *Contin. Tourn.*

Ratio prima. Quia, si talis Virga naturaliter in manu hominis movetur ac volvitur, intentio nihil conferre potest ad motum: Virga tamen remansit immota in manibus eorum, qui protestati sunt nolle aliquid superstitiosum, de quo *P. Lebrum* plura exempla refert; moveri contra coepit in manibus aliorum, qui nullam praemiserunt protestationem.

Ratio secunda. Lapis constitutus pro limite agri nihil differt in materia ab alio lapide; ergo impossibile est, ut naturalis Virga moveatur erga primum lapidem, et non erga secundum.

Ratio tertia. Quod agit physice, nequit dirigi ab intentione hominis ad agendum vel non, sed positum in iisdem

circumstantiis, eodem modo agit; at Virga divinatoria movetur juxta mentem ferentis, ita ut si ille quaerit metalla non aquam, Virga non moveatur cum invenit aquam, sed tantum si invenit metalla, et sic contra : patet igitur talem motum non posse esse naturalem.

Quaeritur 2. Licet-ne credere somniis ?

R. Si somnia sint certo vel probabilius a Deo, possumus, imo tenemur eis credere, cum Deus promiserit aliquando per somnia loqui, *ut N.* 11 : *Per somnia loquar ad illum ;* Ita *Salm., S. Thom., S. Greg. Nyss., Suar., Less.* E contra, grave peccatum est credere somniis diabolicis. Quandoque tamen potest homo rudis excusari a mortali ratione simplicitatis, vel quia solum tenuiter credit eisdem.

In dubio, an somnia sint a Deo vel daemone, non licet eis credere, quia Deus, cum immittit somnia, simul etiam reddit hominem certum, vel fere certum quod ab ipso immittantur. Ita *Salm., Sanch., Suar., Less. etc.*

Pro regula autem discernendi, an somnia sint a Deo, vel a daemone, observandum, an somnium impellat ad opus bonum, vel malum, aut praesomptuosum. Item, an post somnium homo se sentiat perturbatum, et minus promptum ad opera pietatis, vel alacrem, et promptum ; tunc enim potest prudenter censere somnium esse a Deo. Ita *Elbel, etc. commun. DD.*

ARTICULUS III.

De Vana Observantia.

Vana observantia est superstitio, qua medio aliquo impari, et a Deo non instituto procuratur aliquis effectus v. gr. sanitas, scientia. *S. Thom., Bon.* et alii.

Differt autem a divinatione, quod haec tantum ordinetur ad occultorum cognitionem ; illa vero ad effectum externum. Convenit cum eadem, quod utraque nititur pacto daemonis, eique tribuat perfectionem propriam Dei. Unde quae de divinatione dicta sunt, proportionaliter huic accomodari debent.

Dividitur vana observantia, sicut divinatio, in eam quae ex pacto expresso cum daemone, et in eam quae ex implicito pacto procedit.

Dividitur etiam communiter in quatuor species, quae sunt : *Ars notoria,* quae inspectione certarum figurarum, vel certo alio jejunio, oratione, etc., utitur ad scientiam repente ac sine labore acquirendam, ut faciunt *Anabaptistae. Magia,* quae versatur circa corpora varie immutanda, aliosque effectus miros. *Observatio eventuum,* qua ex consideratione alicujus eventus conjicitur quid sit futurum ; ut v. gr. si quis ex eo, quod casu occurrat vulpes, canis aut cadaver, certa imminere credat et inde actiones suas moderetur. *Observatio sanitatum,* cum adhibeantur quaedam signa, orationes, certus numerus crucium, sacra verba, etc., velut necessaria et efficacia ad pellendos morbos. Idem est de gestione Reliquiarum cum vana circumstantia, v. g. tot diebus, cum tali herba, etc. - 14.

Vana observantia, sicut divinatio, est peccatum mortale ex genere suo, tum quia tribuit honorem divinum creaturae, expectando ab ea quod a solo Deo expectari debet ; tum quia nititur pactum cum daemone. *Less., Bon.* et alii. Nec potest excusari a mortali ex parvitate materiae. Aliunde tamen fieri potest, ut non sit mortale 1. Ratione ignorantiae, si pactum sit implicitum tantum. 2. Si non adhibeatur fides, licet timeatur ita esse vel futurum. Vide dicta de divinatione. - 15.

Vana observantia causae adhibitae ad effectum ; si nimirum nec habeat naturalem virtutem, nec de supernaturali

legitime constet. 2. Ex adjunctione falsae vel vanae circumstantiae, etc. - 16.

Unde :

1. Superstitiosum est 1. Sumere aliquam potionem, vel bolum, vel quidvis aliud usurpare ad scientiam aliquam subito acquirendam. 2. Gestare amuleta, ligaturas, involucra falsis characteribus consignata contra vulnera, vel subitam mortem, ne possint laedi, vel ne sanguis effluat, vel ad conciliandam invisibilitatem, impenetrabilitatem, amorem, fortunam, detrimenta et maleficia, etc.

2. Superstitiosum non est 1. Observare lunam, aut tempora aptiora colligendis herbis, purgandis corporibus, caedendis arboribus, etc. 2. Verba sacrae Scripturae, vel Reliquias gestare ad Dei tantum honorem, et sine dictis vanitatibus, etc. - 17.

Quaeritur 1. An detur, et sit licita virtus vocata *magia naturalis* in aliquibus vocatis *Salvatores*, qui medentur quibusdam morbis signo Crucis, aut verbis sacris, aut inhiatione ?

R. Affirmant Azor. et alii, et dicunt dari tunc virtutem naturalem. Alii asserunt non dari talem virtutem neque naturalem neque gratis datam. *Salm.*, tamen *Sanch.*, *Suar.*, *etc.*, *probabiliter* dicunt dari in aliquibus hanc virtutem; sicuti notum est Reges Gallos sanare strumas, et Reges Hispanos sanare scrophias. Hanc virtutem tamen aiunt non esse naturalem, etsi hoc aliquibus gravibus DD. *satis probabile* videtur; nam alias omnes homines ejusdem temperamenti eamdem virtutem haberent ; sed esse gratis datum a Deo ad bonum publicum. - 18.

Quaeritur 2. An liceat usus pulveris sympathici ?

R. Dicit *Elbel* doctores *satis communiter negare*, quia incredibile videtur qualitates hujus pulveris in distans habere vim operandi ; attamen in casu urgenti permitti posse, modo vulneratus non nimium distet, v. gr. ultra 300 passus et modo protestatio praemittatur.

Sed certum mihi *valde probabiliter* videtur hoc esse licitum, si talis pulvis non in magna distantia applicetur ; ducor ex his quae dicit celebris philosophus *Purchotius :* pulverem vitrioli calcinati, qui sympathicus appellatur vulneri mederi per profluvium substantiale, sive per spiritus vitrioli, qui calentibus adhuc sanguinis particulis admixti, ad vulnus, unde expressus est sanguis, feruntur, et tanquam cunei quidam apertos meatus, quibus effluit sanguis, penitus obstruunt.

Ungere autem in distans gladium adhuc calentem sanguine vulnerati superstitiosum esse ait *Croix ;* sed ex eadem ratione, ut supra, *probabiliter* id etiam permittit. *Spor.* Adhuc enim in dubio an effectus proveniat a causa naturali, dico ex *communissima* DD. superstitiosum non esse illum procurare, saltem protestatione permissa.

In dubio praesumendus est aliquis effectus potius provenire a causa naturali, quam a superstitione. Ita *Spor.*, *Sanch.*, *Laym.*, *Elbel.*, *Croix*, *Salm.*, cum *S. Thom.* qui docet : « Ubi non » apparent manifesta indicia de malitia alicujus, debemus eum ut bonum » habere, in meliorem partem interpretando, quod dubium est. »

Recte tamen consulunt Auctores ut tunc praemittatur protestatio nolendi effectum, si aliqua superstitio subsit. Si vero certe *probabiliter* constet rem nullam habere vim naturalem ad aliquem effectum, in dubio censetur potius provenire a daemone, quam a Deo, cum divina promissio de illo non habeatur. Ita *Sanch.*, *Gerson.*, *Spor.*, *etc.* - 20.

Quaeritur 3. An detur naturalis fascinatio ?

R. Affirmant Salm., cum *S. Thom.* qui dicit : « Oculi autem inficiunt ae-

» rem continuum usque ad determina-
» tum spatium. »

Hinc dicunt *Salm.* quod talis qui in se experiri hanc pestiferam qualitatem, tenetur abstinere a nimio consortio hominum non necessario, vel oculos declinare. Dicunt vero superstitiosam esse vulgarem fascinationem, quae a vulgo creditur, scilicet quod aspicientes invido animo noceant; et ideo tanquam superstitiosa vitanda esse oscilla, seu turpicula, quae contra fascinationes imponuntur. Sed si adhibeantur adversus fascinationem naturalem, ut supra, nescio cur illa sint tam rigorose damnanda; unde enim certo apparet quod dicta oscilla nullam naturaliter virtutem habeant ad illum malignum effluvium medendum? - 22.

ARTICULUS IV.

De Maleficio.

Maleficium est *vis nocendi aliis, ex pacto et cooperatione daemonis.* Differt a magia, quod haec intendat facere mira, illud autem dirigatur ad nocendum.

Maleficium aliud dicitur *Amatorium*, seu *philtrum*, cujus usus est ad carnalem amorem, vel odium excitandum, daemone hominis phantasiam commovente, nihil tamen agente in voluntatem. Unde patet, si maleficio sic infecti labantur, eos vere peccare, quia libertas non aufertur.

Aliud dicitur *Veneficium*, quo alicui personae vel ejus bonis damnum infertur. - 23.

Contra maleficia uti licet 1. Remediis petitis ex medicina. Plures enim herbae, ut ruta, salvia, etc., contra maleficia naturaliter prosunt, quia virtute naturali corrigunt pravos humores, ope daemonis commotos : nec vero licet uti virga lupi, pulvere asperso corpori, etc. et similibus, quae naturaliter conferre nequeunt ad sedandos humores.

2. Exorcismis et Sacramentis Ecclesiae, peregrinationibus, invocationibus Sanctorum.

3. Destructione signorum, per quae daemon nocet, absque tamen alio maleficio: *Navarr.* et *communiter* alii. Licet etiam contrarium signum positivum apponere ex se tamen honestum. Unde patet licere repercutere sagam quae te tetigit; ea enim repercussa, solet noxa cessare.

4. Si maleficus licito modo potest maleficium tollere, licet eum ad id accersere, rogare, imo etiam pecunia inducere, vel verberibus aut tormentis cogere si nolit, non tamen interficere; idque etiamsi constet eum id facturum per novum maleficium, sicuti ex causa licet ab usurario petere mutuum ad usuram.

Si maleficus non potest tollere maleficium, nisi per novum, non licet eum ad id inducere, quia id esset inducere ad peccatum, et actui intrinsece malo cooperari. Si dubitetur an possit sine maleficio novo tollere, non licet ab eo petere quia est periculum peccandi. Facilius autem praesumi potest, eum qui signa posuit, posse ea sine novo maleficio destruere, quam eum qui non posuit. Unde, si hic suam operam offerat, prius erit examinandus de modo solvendi. *Laym.*, *Bon.*, *etc.* - 24.

Nota 1. *Communis* est sententia adesse striges, quae ope daemonis asportantur de loco in locum corporaliter. - 26.

2. Malefici incurrunt excommunicationem. Imo incurrunt etiam excommunicationem Bullae coenae, si iis conjugatur Haeresis, vel vehemens suspicio illius, nempe quando ineunt pactum expressum cum daemone, vel quando miscent res sacras, vel diabolum adorant, vel consulunt de iis, quae ipse cognoscere nequit. - 27.

Quaeritur. Quomodo Confessario

agendum cum Divinatoribus, Magis, etc.?

R. Examinandi sunt, praeterquam de variis superstitionibus 1. Quo fine tali superstitioni se addixerint. v. gr. an ratione vehementis passionis, tristitiae, vindictae, avaritiae aut sanctitatis nomen conciliandi, quae esset sacrilega hypocrisis. 2. De apostasia, idololatria et haeresi: abnegant enim Christum et Deum; renuntiant Sacramentis, habent daemonem pro Deo, vel sancto; nec damnatum putant, aut miserum, et consequenter illius asseclas non esse damnandos. 3. De blasphemiis in Deum et Sanctos, de sacrilegiis. Abutuntur enim rebus sacris, ut aqua benedicta, Eucharistia, etc. 4. De luxuria, et commixtione cum daemone. 5. De damnis proximo illatis. *Suar., Sanch., Bon., etc.*

Monendi sunt, se teneri 1. Pactum expressum, si quod habent cum daemone, aut commercium abjurare et dissolvere. 2. Libros suos, schedas, ligaturas, aliaque instrumenta artis comburere. 3. Comburere chirographum, si habent: si vero solus daemon id habeat, non necessario cogendus est ut reddat, quia pactum sufficienter dissolvitur per poenitentiam. 4. Damna illata resarcire, ad quod proinde etiam tenetur Fiscus, ubi veneficorum bona confiscantur; uti et haeredes, si ad eos bona deveniant. *Laym., Suar., Sanch., etc.*

A Parochis monendi, et a Confessariis examinandi sunt circa hoc praeceptum, potissimum 1. Opiniones, qui variis dediti esse solent observationibus, ut gregem suum a lupis vel aliis incommodis tueantur. 2. Fabri ferrarii, qui circa equos sanandos utuntur verbis vel ex psalmis, vel oratione dominica desumptis. 3. Rustici, qui ad sananda pecora inanibus et superstitiosis observationibus utuntur, vel recurrunt ad peritos talium artium 4. Vetulae, quae circa mulieres laborantes in partu vel ex matrice vanas, et superstitiosas adhibent orationes. 5. Milites, qui deferunt secum sacra nomina, vel orationes ad certitudinem, quod in bello, vel duello non sint vulnerandi, nunquam aqua, igne, vel subita morte perituri. - 28.

CAPUT II.

DE IRRELIGIOSITATE.

Irreligio, quae Religioni opponitur per defectum, vel tendit directe ad irreverentiam Dei, et est Tentatio Dei, aut Perjurium: vel tantum tendit ad irreverentiam rerum sacrarum, et est Sacrilegium, aut Simonia. De Perjurio in secundo praecepto. De reliquis hic.

ARTICULUS I.

De Tentatione Dei.

Tentatio Dei *est dictum, vel factum, quo quis explorat, num Deus sit potens, sapiens, misericors, aut aliquam aliam perfectionem habeat. S. Thom.*

Ea est duplex, scilicet vel formalis, quando quis expresse dubitans de aliqua Dei perfectione, eam experiri cupit. Vel est implicita, et interpretativa, quando quis etsi expresse non intendat Deum tentare, id tamen petit, vel agit quod suapte natura eo referri videtur; ut si quis se committit periculo, a quo vel nullo modo, vel vix possit eripi, nisi miraculose; vel si media naturalia omittat, sperans a solo Deo effectum. *Nav., Less.* -

Tentatio Dei *formalis* est peccatum ex genere suo mortale, in quacumque etiam materia - 29.

Quaeritur 1. An in tentatione Dei *interpretativa* detur parvitas materiae?

R. Affirmant Busem., Caj., Valent., Less., etc. Sed *probabilius*, *Sanch., Suar., Sal.*, damnant de mortali, nisi excusetur ratione ignorantiae, vel indeliberationis. Hinc, *Salm.* dicunt quod *probabilius* peccaret graviter qui in levi morbo, rejectis medicinis, speraret a Deo sanitatem, quamvis non peteret miraculum. Sed merito huic doctrinae contradicunt *Sanch.*, *Bon.*, *etc.*, qui in hoc non recognoscunt nisi venialem culpam. Ratio, quia in hoc non adest gravis deordinatio : cum enim quis nequaquam miraculum petat curiositatis causa, juste excusatur a gravi, et aliquando ego puto etiam ab omni culpa, si speret sine remediis naturaliter, Deo adjuvante, a tali levi morbo se liberandum, dum saepe in hujusmodi morbis natura ipsa salutem operetur. - 30.

Quaeritur 2. An tentatio Dei expressa differat specie ab interpretativa?

R. Affirmant Suar. et Bon. At *probabilius negant Salm.* - 32.

ARTICULUS II.

De Sacrilegio.

Sacrilegium *est violatio rei sacrae*, hoc est, dicatae cultui divino, et peccatum mortale ex genere suo, si opus specialiter repugnet cum rei sanctitate.

Sacrilegium est triplex : Personale, Locale et Reale. - 33.

1. Sacrilegium *personale* est percussio Clerici, pertractio ejusdem ad judicium saeculare; item exactio tributi ab eodem (*a*); item luxuriosa violatio personae Deo per votum castitatis sacratae. - 35.

2. Sacrilegium *locale* est omnis actus, quo Ecclesia polluitur, ut est, v. gr. occisio hominis, effusio humani sanguinis, vel seminis etsi occulta, ut est *probabilius*, et etiam per copulam maritalem procurata, ut *probabilius* dicetur in *Tract. de sexto praecept., n.* 458. Item, sepultura excommunicati, vel non baptizati, item, si actus quidam profani fiant in Ecclesia, et repugnantes ejus immunitati, ut negotiationes, illiciti concubitus, et spurcities, seditiones, concilia saecularia, stabulationes equorum, incendia, effractiones, spoliationes, conclamationes, deambulationes, etc.

Item, Sacrilegium est si materia rei sacrae vel Ecclesiae, directe ad profanos usus convertatur; si reus ex Ecclesia, velut asylo, extrahatur, nisi sit latro publicus, vel nocturnus populator agrorum, vel enorme maleficium fiducia asyli isthic commiserit. - 36.

Item, Sacrilegium est etiam extrahere violenter hominem ab Ecclesia, etiam interdicta vel polluta, et ab ejus coemeterio, atrio, claustro, dormitorio, ambitu contiguo cum Ecclesia. Item a domibus Religiosorum clausura septis.

Caeterum, praeter hunc usum violatae immunitatis, ad incurrendam speciem Sacrilegii, nomine *loci sacri* intelligitur tantum Ecclesia, non alia loca, cum in odiosis stricte facienda est interpretatio. - 38.

3. Sacrilegium *reale* est indigna tractatio et administratio Sacramentorum, ut si ministrentur, vel suscipiantur cum peccato mortali. Item, profanatio vasorum et istrumentorum sacrorum; intellige de iis quae consecrari vel saltem benedici solent; nam ad communem usum adhibere tapetes, candelabra, pulvim, imo et manutergium, et caetera quae mediate serviunt ministerio sacro, non esse peccatum docet *Tamb.*, nisi fiat ex aliquo contemptu saltem

(*a*) *Haec duo tamen sunt intelligenda in regno Neapolitano juxta morem qui nunc viget ex concordato* (E. N.)

implicito, ut si semper et indifferenter sic utaris supra dictis. Atque idem affirmat de candelis, ramis, aqua, incenso et similibus benedictis, quod in modicis istis benedictionibus non agatur cum tanto rigore ab Ecclesia, ut patet in pane, ligno, carbonibus, etc., benedictis.

Item, Sacrilegium *reale* est violatio, vel indigna tractatio sacrarum Reliquiarum et Imaginum. Item, abusus Scripturae sacrae, v. gr. ad stabiliendas haereses, vel res turpes. Concilium *Trid.* vocat temeritatem torquere verba S. Scripturae ad scurrilia, fabulosa, vana, adulatoria, detractoria, etc. - 40.

Quaeritur 1. An omne furtum in ecclesia sit sacrilegium?

R. Prima sententia cum *Lugo, etc.* tenet non esse sacrilegium, nisi furtum sit de re ecclesiae commodata vel commissa ibi custodiae causa. Excipit tamen merito *Lugo* furtum de rebus, quae Sacrista fecisset sibi commoda pro ecclesiae ornatu.

Secunda tamen *sententia probabilior affirmat* ex C. *quisquis*, ubi absolute damnatur ut sacrilegus, qui non sacra de sacro furatur. Ita *Elbel.*, *Salm., Laym. etc.* Recte tamen *Salm. probabilem* vocant primam sententiam.

Furari autem a Sacristia negat *Sanch.* esse Sacrilegium locale. Certum est non esse Sacrilegium furtum in Claustris, neque in Oratorio domus privatae. In Oratoriis vero Xenodochiorum vel Eremitoriorum, licet non benedictis ab Episcopo, juste putat *Sanch.* furta esse sacrilegia. - 39.

Quaeritur 2. An praedictae species, nempe, *Personale*, *Locale*, et *Reale*, sint in confessione explicandae?

R. Affirmative cum *S. Thom., etc.*, et *communi.*

Quaeritur 3. An illae species sint subalternae, vel sint infimae?

R. Prima sententia tenet esse subalternas, continentes sub se alias species infimas. Ita *Suar., Pal., Less., etc.*, et ideo dicunt percussionem clerici specie differre a concubitu cum eo.

Secunda tamen *sententia* tenet esse infimas; ita *Viva., Salm., Coj., etc.*; ita ut si quis violat sanctimonialem verberando, aut cum ea concumbendo, unum sacrilegium formaliter committat; et haec est *probabilior*. Ita *S. Thom.* qui docet praefatas species habere diversos gradus, significans eos constituere quidem circumstantias aggravantes, non autem species mutantes. - 34.

Quaeritur 4. An vasa et vestes sacrae possint converti in usum profanum?

R. Salm. omnino negant cum *S. Thom. Melius* autem *Suar. Pal., Bon. etc.*, distinguunt et dicunt, quod si res ita totaliter immutetur, ut ad communem materiam redeat, sicut si calix igne vel ferro ad communem massam argenti reducatur, tunc licet in usum profanum convertere; secus si totaliter non difformetur. Hinc, non licet ex veteri casula vestes profanas resarcire. Ideo alii dicunt non licere hujusmodi vestes ad usus profanos vendere aut oppignorare. - 41.

Quaeritur 5. An laesio quorumcumque bonorum Ecclesiasticorum sit sacrilegium?

R. Negative, sed tantum bonorum quae pertinent ad ornamentum Ecclesiae, aut sunt deputata ad sustentationem ministrorum; Ly ad sustentationem *Ministrorum*, intellige qua tales sunt.

Quaeritur 6. An sit Sacrilegium injuste detinere legata relicta Ecclesiae pro ejus servitio?

R. Affirmat Less. Sed *negant Tamb., Salm. etc.*; quia donec dicta bona ab Ecclesia non possideantur, non sunt sacra. - 42.

Quaeritur 7. An per meros actus internos violetur sanctitas loci?

R. Negative; ideoque non commit-

tit sacrilegium, qui in Ecclesia habet voluntatem occidendi hominem extra illam. Secus, si quis extra Ecclesiam proponit occidere in Ecclesia.

Quaeritur 8. An sit sacrilegium omittere Sacramenta tempore debito ?

R. Affirmat Palaus. Sed *probabilius negatur*, et dicitur esse peccatum contra obedientiam Ecclesiae debitam. *Salm.* - 43.

Quaeritur 9. An incurrantur ipso facto censurae latae contra sacrilegos ?

R. Non incurruntur ipso facto nisi a percutientibus Clericum ; itemque a violantibus immunitatem ecclesiasticam, imponendo tributa, usurpando bona ; et ab effringentibus Ecclesias, et simul expoliantibus res sacras. Incendiarios autem Ecclesiarum *probabilius* est non esse excommunicatos ipso facto. - 44.

Quaeritur 10. An sacrilegium committat qui furatur Reliquiam, etiam in parva quantitate ?

R. Affirmitative, si scit dominum ob hoc esse valde contristandum. - 45.

Quaeritur 21. An tempus sit objectum Sacrilegii, scilicet, si quis peccet die festo etc. ?

R. Negant Lugo, Salm., Less., Pal., Tamb., etc.; nisi notabilis irreverentia irrogetur Cultui divino, ut si quis in Parasceve exhiberet comoedias, ludos publicos, etc. - 46.

Quaeritur 12. An violatio voti sit sacrilegium ?

R. Negant Tamb., Suar., Pal.; dicunt enim esse peccatum perfidiae, seu contra fidelitatem Deo debitam. *Affirmant* vero *S. Thom., Salm.;* et hoc est *probabilius* - 47.

Quaeritur 13. Quale peccatum committat qui in sacrificio utitur corporalibus, et similibus valde immundis ?

R. Peccat sacrilege peccato omissionis. Ita *Bon.*, qui cum *Suar., etc.* dicit esse mortale. Vide *Tract. de Euch.*, n. 376-48.

ARTICULUS III.

De Simonia.

De Natura, Divisione et Gravitate Simoniae. De Variis Simoniae casibus. De Poenis Simoniae addictis. De Restitutione facienda pro Simoniace acceptis.

§. 1. - *De Natura, Divisione et Gravitate Simoniae.*

I. Simonia est *studiosa voluntas emendi, aut vendendi pretio temporali aliquid spirituale, vel spirituali annexum.*

II. Simonia quadruplex est : Mentalis, Conventionalis, Realis, et Confidentialis.

Mentalis est, cum quis dat temporale cum animo obligandi ad reddendum spirituale, aut e converso, sed absque alio pacto.

Conventionalis est, cum adest pactum ; sed a neutra parte executum est.

Realis est, cum pactum jam est impletum.

Confidentialis est, cum aliquis renuntiat alteri beneficium, cum pacto ut in posterum sibi ipsi, aut alteri illud cedat, aut renuntiet, aut cum onere ut sibi partem proventuum reddat. - 49.

Simonia subdividitur in eam quae est *Juris divini*, et est prohibita propter malitiam suam, v. gr. Hostiam consecratam vendere, etc. Et eam, quae est *juris humani*, et est mala quia ab Ecclesia prohibetur, ut venditio officiorum ad res sacras institutorum, nempe *Sacristae, Oeconomi, Thesaurarii, Praefecti domus, Vicedomini, et Advocati Ecclesiae, etc.* - 68.

Communiter DD. cum S. Thoma, tripliciter denominant ea quae habent rationem pretii in simonia, nimirum, *Munus a manu, Munus ab obsequio, Munus a lingua.*

Munus a manu intelligitur pecunia, et quodcumque temporale quod pretio aestimabile est. - 56.

2. *Munus ab obsequio*, per quod intelligitur omne quod ad servitutem pertinet, ut est famulari, docere, etc. ad finem obtinendi aliquid spirituale. - 61.

3. *Manus a lingua*, per quod intelliguntur laudes, favores, intercessiones, preces et similia, quae pretio sunt aestimabilia. - 63.

III. *Communis* est *sententia* non dari parvitatem materiae in simonia de jure naturali. In simonia autem de jure Ecclesiastico, *Nav. Zeroll., probabiliter* docent posse dari parvitatem materiae. - 50.

§. II. - *De variis Simoniae casibus.*

Quaeritur 1. An semper ac datur temporale pro spirituali, vel contra, sit simonia?

R. Prima sententia affirmat, cum *Az., Durand.*, etc. *Secunda sententia*, quam tenent *Salm.*, *Caj.*, *Sanch.*, *Suar.*, *Less.*, *Laym.*, *Tolet*, *etc. negat* quando datur gratis, quamvis cum animo alliciendi seu obligandi, non rigorose ex justitia, sed tantum ex benevolentia, alterum ad retribuendam rem spiritualem pro temporali; vel contra, ita ut obligatio alterius antidoralis, seu gratitudinis *principaliter* intendatur, et retributio *minus principaliter*; et hoc etiamsi in eodem actu retributio offeratur.

Hinc dicunt licere tibi dare aliquid Episcopo, vel ei inservire, cui alias non esses serviturus, ut tibi ex gratitudine conferat Beneficium; dummodo absit aliquod pactum, ut dicunt *Salm.* et dummodo non servias ut Episcopus conferat tibi Beneficium, quasi pretium tui obsequii ut bene notat *Elbel.*

E converso, si inservis *primario* ad captivandam Episcopi benevolentiam, et *secundario* ad obtinendum Beneficium, non committis simoniam, etiamsi, amota spe Beneficii, non inservires, ut dicunt *Salm.*, et etiamsi talem spem exprimas Superiori, ut addunt *Pal.*, *etc.* quia licitum est, ut aiunt, petere ab alio quod ille ex naturali obligatione praestare tenetur; sed sapienter monet *Mazzot.* id cavendum ob periculum pactionis, aut saltem scandali, maxime si detur aliquid tempore quo agitur de conferendo Beneficio.

Caeterum, recte advertunt *Roncagl., Salm., etc.* quod ubi alius deest titulus nempe stipendii, tollendae injustae vexationis, etc. quando datur aliquid solo intuitu obtinendae rei spiritualis, vel contra, praesumenda tunc sit intentio saltem virtualiter simoniaca, scilicet commutandi temporale cum spirituali: nisi constet de opposito, vel aliter colligatur ex circumstantiis, nempe ex parvitate muneris, ex pietate, vel nobilitate dantis. Vide quae dicuntur n. 54. Et maxime nequit excusari a simonia mentali is, qui Episcopo gratis inserviret animo eum obligandi ex gratitudine, etsi non ex justitia, ad retribuendum Beneficium, juxta mox dicenda, n. 53. - 51.

Non autem damnandus de somonia Episcopus, qui Beneficium confert Clerico in recognitionem gratitudinis ob obsequium praestitum. Item si Episcopus conferat Beneficium gratis alicui ut se honeste sustentet, non est Simonia. Imo, collatio facta indigno sola ratione consanguinitatis, amicitiae sed gratis, est quidem illicita, sed non simoniaca. Sed si Episcopus dat Beneficium indigno propter preces alterius, *S. Thom.* videtur affirmare esse simoniam, quia Episcopus videtur hoc facere ad favorem humanum acquirendum.

Caeterum, absolute loquendo, *probabiliter* dicunt *Elbel, Laym., Less., etc.* non esse simoniacum Episcopum, qui ad preces alterius etiam indigno Benefi-

cium confert, sed nullo habito respectu ad favorem humanum acquirendum, quia revera tunc nulla intervenit venditio spiritualis cum temporali. - 52.

Quaeritur 2. An sit Simonia deducere in pactum obligationem antidoralem?

R. Negant Hurt., Conc., etc. Sed *omnino affirmandum* cum *sententia communi*, quam tenent *Laym., Viva, Elbel, etc.*; quia ex pacto illo novum inducitur onus; et in hac materia, quodcumque pactum onerosum est simoniacum, etiamsi non obliget rigorose ex justitia. - 53.

Quaeritur 3. An sit Simonia mentalis, dare spirituale *principaliter* ob temporale, vel contra?

R. Negant Sotus, Val., Caj., Sanch., Less., Laym., etc. Sed omnino est *affirmandum* cum *Salm.*, qui dicunt, et quidem recte, contrariam sententiam fuisse *ab Innoc. XI.* damnatam in prop. 45. - 54.

Quaeritur 4. An liceat accipere aliquid pro administratione Sacramentorum?

R. 1. Quod in administratione Sacramentorum, aliarumque functionum spiritualium sit Simonia accipere pecuniam, tanquam pretium rei sacrae, vel laboris intrinseci in his actionibus requisitis. Secus, si labor sit extrinsecus, puta si sacerdos deberet celebrare cum cantu, vel tali hora, aut loco, et simili. Ita *Conc., Salm., Caj., Sot., etc.*

2. E converso, non est simonia, accipere pecuniam, non ut pretium, sed ut stipendium sustentationis, etiam pro labore intrinseco in talibus ministeriis impendendo. Unusquisque enim, qui in commodum alterius se occupat, debet ex justitia ab eo sustentari ex illo *Lucae* 10: *Dignus est operarius mercede sua.* Ita *comm.* etiam *DD. Anacl., Suar., Les.. etc.* Idque currit etiamsi Minister aliunde sit locuples ex bonis propriis, vel Ecclesiasticis, ut adhuc *comm.* dicunt *Conc., Salm., Suar., Less., etc.*, quia, ut ait *Apost.* 1. *Co.* 9: *Nemo militat suis stipendiis.* Hinc, licitum est etiam de tali stipendio pacisci, dummodo non excedatur taxa vel consuetudo.

Quaeritur 5 An sit simonia celebrare Missas, administrare Sacramenta, assistere in Choro, concionari, et similia, *principaliter* ob temporale emolumentum?

R. Prima sententia affirmat cum *Viva, Cardenas, etc. Secunda* tamen *probabilior* quidem *sententia*, quam tenent *Salm., Suar., Pal., etc.* dicit simoniam tunc tantum intervenire, quando temporale accipitur pro pretio spirituali, unum pro alio aequiparando; non vero quando accipitur tanquam stipendium ad sustentationem Ministri, qui praedicta munera exercet, quod stipendium debetur ex justitia. - 55.

Quaeritur 6. Qualiter committatur simonia pro ingressu ad Religionem?

R. Committitur simonia quotiescumque aliquid datur aut accipitur pro ingressu monasterii.

Hinc, 1. non licet admittere aliquem in Monasterium propter bona quae offert; esset enim vendere statum religiosum, nisi ille simpliciter exprimat sine pacto velle ingredi cum bonis suis. Pariter, non licet praestare servitutem Monasterio tanquam pretium admissionis, nisi quis inserviat ad sibi conciliandam benevolentiam Religiosorum, ut eum in illud admittant.

2. E converso, dicit *S. Thom.* non esse Simoniam, si quis eleemosynam Monasterio eroget, ut facilius ex gratitudine admittatur: uti nec etiam, si Religiosi donis inflectant aliquem ad ingressum in Monasterium. Imo dicit *Bon.* nec si Monasterium solvat illius debita, ad removenda impedimenta ingressus, relicta tamen ingrediendi libertate: vel si Monasterium promittat eum

admittere, postquam artem didicerit, quia tunc non imponitur onus, sed conditio declaratur requisita, si cupit admitti. *Salm., Az., etc.*

3. Licitum est etiam, prout *Communiter S. Thom. Cabass. etc.*, si Monasterium est egens, pro sustentatione ingressuri accipere aliquid, uti dotes Monalium et distributiones, quae solent aliis Monialibus distribui.

Notat tamen *Sanch.* vix excusari posse Monasteria, quae petunt uberiorem dotem propter ingnobilitatem personae, vel alium defectum, nisi ex hoc eveniret Monasterio detrimentum in honore, in bonis, et simili, quia hoc jam esset temporale damnum. Et sic permittitur recipere plus pro admittenda tertia sorore, aut vidua, sene, infirma, etc. 91.

Quaeritur 7. An licet aliquid accipere pro sustentatione ingressuri, si Monasterium sit opulentum?

R. Prima sententia, quam tenent *Sot., Pal. Bon. etc. affirmat;* Ratio, quia, ut dicunt, haec non est simonia neque de jure naturali, neque positivo; non de jure naturali, quia non recipitur temporale, nisi pro temporali sustentatione praestanda; et praeterea nequit dici quod ii qui ingredi postulant aliquod jus habeant ad bona Monasterii: neque de jure positivo, nam, si aliqua jura videantur id prohibere, nullus tamen textus prohibet expresse aliquid recipi sustentationis titulo. Quod si, ajunt, unquam talis extitit prohibitio, ipsa per contrariam consuetudinem ablata est.

Secunda sententia, quam tenent *Cabass., Suar., Caj., etc. negat;* Ratio *potissima* et mihi valde urgens est, quia postulans, etsi jus non habeat ante receptionem, ab bona Monasterii, postquam tamen receptus est, habet quidem jus ad illa pro sua sustentatione. Quapropter, si Monasterium est opulentum, et aliquid pro sustentatione illius temporis exigit, vendit ei jus, quod ille post receptionem jam est adepturus; et quamvis illa sustentatio sit aliquid temporale, est vero quid consequenter annexum ad spirituale.

Hinc, in *Extrav.* de *Simonia*, prohibetur sub excommunicatione aliquid accipi ad quemcumque finem pro ingressu ad Religionem, nisi quis liberaliter dare voluerit. Et cum haec sit Simonia de jure divino, frustra affertur ab adversariis in contrarium consuetudo, de qua tamen valde dubito; exceptis Monasteriis Monialium, ut infra videbimus.

Secus autem dicimus cum Monasterium est inops; quando ipsum non habet bona sufficientia ad aliorum sustentationem, tunc nihil vendit, cum recipiendus nullum habiturus sit jus ad bona quae Monasterium non habet. Et in hoc *communiter* DD. conveniunt.

Atque *Cabass.* advertit ad exigendum aliquid a recipiendis non requiri arctam necessitatem, sed sufficere illam, qua Monasterium non posset alias commode eis alimenta ministrare: *Tridentinum* enim sic providit *Sess.* 23. *c.* 3.: « In temporalibus Monasteriorum facul-» tatibus eam ineundam esse rationem, » si Monialium numerus *commode* su-» stentari possit. »

Excipitur tamen 1. si aliquid recipiatur a postulantibus pro alimentis tempore Novitiatus; id enim expresso permittitur a *Tridentino*. 2. Si recipiendus sit infirmus, senex, hebes ingenio, vel similis. 8. Excipiuntur Monasteria Monialium, quibus *Clemens VIII.* indulsit posse pacisci de dote recipiendarum pro earum sustentatione. Ratio hujus indulgentiae videtur, quia Monasteria Monialium facilius sunt obnoxia diversis infortuniis, ut experientia patet, quam Monasteria virorum.

Quaeritur 8. An excommunicatio inflicta omnibus exigentibus et solventibus pro ingressu Monasteriorum, sit hodie usu abolita?

R. Videntur *affirmare Nav.* et *Less.* Sed *Cabass.* ait illam adhuc posse vigere pro Monasteriis virorum. - 92.

Quaeritur 9. An sit simonia recipere aliquid ad instruendum alios in sacra doctrina ?

R. Distinguitur. Si instructio tendit tantum ad bonum spirituale aliorum, est simonia : quia tunc est res mere spiritualis, pro qua nullum potest accipi pretium ; et patet ex superius dictis. Hinc, est Simonia accipere aliquid pro concione, ut pretium pro labore illius intrinseco, uti pro studio, defatigatione, nisi accipiatur ut stipendium sustentationis. Vide dicta n. 55.

Secus vero, si instructio tendat etiam ad aliquod bonum temporale alterius, ad utilitatem, honorem, oblectationem, prout ad interpretandas sacras Scripturas, ad edocendos alios theologicas conclusiones, ad expugnandas haereses. - 94.

Quaeritur 10. An Simonia sit dare vel accipere pretium pro absolutione a peccatis ?

R. Affirmative, sicuti etiam pro absolutione a censuris, pro dispensatione in voto, juramento, impedimento matrimonii, irregularitate, etc. Potest tamen in his aliquid exigi per modum mulctae ad causam piam applicandae. - 95.

Nota. Accipiuntur solutiones in dispensationibus, in Matrimoniis, etc. etiam per modum sustentationis onerum Pontificatus ; item per modum commutationis, sicut vota commutantur in eleemosynas. Et conceditur etiam Episcopis in talibus dispensationibus accipere aliquid in eleemosynas distribuendum, per modum poenae vel commutationis, non autem per modum sustentationis, nec suis vel ipsis pervenire debet aliquid ex eo. - 96.

§. III. - *De Poenis Simoniae addictis.*

1. Sola Simonia *Confidentiae* et *Realis* in Ordine, Beneficio ecclesiastico, et Religionis ingressu, poenas juris ipso facto inducit. In venditione igitur aliarum rerum, nempe Sacramentorum, jurisdictionis, pensionis, aut Capellaniae non collativae, etsi peccatur, nulla tamen incurritur poena. - 105.

2. Ob simoniacam collationem et susceptionem ordinum, incurritur excommunicatio et suspensio papalis, ipso facto. Ultra hanc excommunicationem et suspensionem papalem, quas Episcopi simoniace ordinantes et ad id mediatores, incurrunt ipso facto, incurrunt etiam interdictum ab ingressu ecclesiae ; et si violaverint suspensionem aut interdictum, suspenduntur a regimine ecclesiae et privantur perceptione fructuum *ex motu Xixti V.*

Ordinati autem, ultra praedictam excommunicationem, et suspensionem ipso facto, ex bulla *Xixti V.*, suspenduntur ab exercitio suorum ordinum, vel illius tantum, quem simoniace ordinati suscipiunt (*a*) et a spe ascendendi ad ordines superiores.

Notant vero *Less. etc.* non incurri suspensionem hanc, si, ordinato ignorante, alius simoniam commiserit. Deinde, notant *alm.* quod licet ex Bulla *Sixti V.* hujus suspensionis absolutio a Pontifice ipsomet reservetur, et revocentur quoad hoc facultates concessae Religiosis, et etiam Episcopis in *Trid.* ; in hac tamen parte dicunt praefati *Less. etc.* Bullam non esse receptam. Idemque confirmant *Salm. etc.* - 109.

3. Ob simoniam *Realem* in Beneficio Ecclesiastico incurritur 1. Excommunicatio papalis. 2. Irrita est electio, praesentatio, confirmatio et institutio : unde, talis non facit fructus suos. Idque etiam, licet a tertia persona taliter provisus id ignoraverit, nisi tamen contradixerit, et postea simoniam ignorando acceptaverit Beneficium ; vel nisi

(*a*) *Ut est* probabile. - *H.* 51.

a tertio data fuerit pecunia per fraudem ut redderetur inhabilis, vel tandem nisi bona fide possederit Beneficium per triennium. 3. Efficitur inhabilis ad idem Beneficium, etiam per dispensationem Episcopi obtinendam. Aliis tamen Beneficiis jure ipso non privatur, nec ad alia obtinenda fit inhabilis ante sententiam judicis.

4. Simonia *confidentiae* completa, dato et accepto Beneficio, licet accipiens promissionem vicissim non impleverit, inducit 1. Excommunicationem papalem utrique parti contrahenti; 2. annullat resignationem et collationem Beneficii in quo est commissa; et inhabilitat ad idem postea obtinendum. 3. Privat omnibus Beneficiis et pensionibus ante obtentis, non tamen ante sententiam latam. 4. Beneficia sic collata soli Pontifici reservantur. *Less.*, *Suar.*, etc. - 111.

Quaeritur 1. An ad incurrendas poenas requiratur, ut simonia sit ex utraque parte completa?

R. Duae sunt sententiae, ambae *probabiles*. *Prima negat*, ut tenent ipsi *Salm.*, *Sot.*, *Caj. etc.*, *Secunda communior* et *probabilior*, quam tenent *Less. Nav.*, *Suar.*, *Croix. Sanch. etc.* dicit requiri impletionem ex utraque parte. Ratio quae mihi magis urget, quia in jure nullibi infliguntur poenae contra simoniam non utrinque completam, et in poenis benignior est interpretatio facienda.

Nota 1. Si pars tantum promissi solvatur, jam ex utraque parte intelligitur perfecta simonia.

2. Ex simonia utrinque completa, quantumvis occulta, incurruntur poenae.

3. Si simonia sit confidentialis, poenae incurruntur etiam per simoniam conventionalem mixtam, scilicet ex una parte completam, ex Bulla *S. Pii V. intolerabilis*. Vide infra, n. 111. - 106.

4. Certum est quod *ex Extrav. de sim.* dantes et accipientes quid pro ingressu in Religionem, incurrant ipso facto excommunicationem papalem, sed soli praesumentes eam incurrunt, ut colligitur ex textu Bullae. Hinc ignorantes etiam culpabiliter excusantur.

5. *Valde probabile* est non incurri in simplici ingressu, sed in professione.

6. Extravagans, ut supra, saltem quoad hanc excommunicationem, non est usu recepta. Ita *Less.*, *Nav.*, *Silv.*, *etc.* (*a*).

7. Professio etiam simoniace facta, valida certo est. Si vero accipiens est integra communitas, aut capitulum, ultra excommunicationem, quam vero dicimus non esse usu receptam, incurrit suspensionem etiam Papae reservatam ab officio, executione juris capitularis, et administratione jurisdictionis; item, incurritur ex utraque parte infamia juris, et consequenter irregularitas. Sed simoniace admissus debet transferri in arctius Monasterium; hoc autem non ante sententiam. *Elbel.* - 108.

Quaeritur 2. An incurrantur poenae ob simoniacam collationem et susceptionem ordinum latae in collatione simoniaca primae tonsurae?

R. Affirmant Buss. et Covar. Negant vero *probabiliter Salm.*, quia tonsura non est verus ordo juxta dicenda in *Tract. de Ord.*, *n.* 734. - 110.

Quaeritur 3. An sint invalidae electiones simoniacae Generalatus, Abbatiae, Provincialatus, Prioratus, Rectoratus, aliorumque officiorum spiritualium in Religionibus?

R. Negant Bon., *Viva.* Sed *verius affirmandum* cum *Cabass.*, *Sanch.*, *Caj.*, *Elbel.*, *etc.*; quia licet praedicta officia revera Beneficia non sint, expresse tamen comprehenduntur sub nomine officiorum in praefata *Extravag.*

(*a*) *Multi Doctores dicunt illam in desuetudinem abiisse.* - *H.* 50.

Quaeritur 4. An praedictae poenae ob Beneficia simoniace accepta incurrantur ab ignorantibus?

R. Si ignorantia fuit omnino inculpabilis, certe *negandum*. Notandum tamen quod, non obstante hac inculpabili ignorantia, provisio Beneficii semper erit futura nulla, cum inhabilitas ad idem Beneficium non sit poena, sed statuatur in jure ad praecludenda mala. Poterit tamen eo casu Episcopus dispensare, post tamen renuntiationem Beneficii.

Si vero simoniacus sciverit se committere simoniam, sed ignorarit invincibiliter poenas, certe quoad censuras, eas non incurrit ex sententia *communi*. Vide *Tract. de Cens., n.*43. Quoad reliquas tamen poenas, et *probabilius* et *communius* est eas incurrere. - 112.

§. IV. - *De Restitutione facienda pro Simoniace acceptis.*

1. Nihil spirituale simoniace acceptum, praeter Beneficium, est restituendum. Ratio est, quia caetera vel restitui non possunt, ut Sacramenta, vel non sunt restituenda ante sententiam cum canones aliud non statuerint.

Dixi *praeter Beneficium*, quia hoc retineri non potest, etiam ante judicis sententiam. Idem dicendum pro pretio accepto pro collatione ordinum et ingressu religionis. - 113.

2. Pretium acceptum pro Beneficio, collatione ordinum, Sacramentorum et Sacramentalium, si notabiliter excedat id quod pro sustentatione exigi poterat, item pro admissione ad Religionem, jure positivo restituendum est. Hoc tamen posterius non nisi post latam sententiam, si admissus in Monasterium maneat; quia plerumque ratione alimentorum retineri potest, modo in communem usum convertatur.

3. Acceptum pro beneficio, aliave re spirituali, non secuta collatione, jure naturae restituendum est ei, a quo est acceptum: quia deest titulus retinendi, cum non praestetur id pro quo est datum. - 114.

Quaeritur 1. Qui rem spiritualem cum simonia jam tradidit, et pretium accepit, cuinam illud restituere debeat?

R. Tres sunt sententiae, omnes *probabiles: Prima* tenet ante sententiam pretium restituendum esse ei qui dedit. *Secunda* tenet esse restituendum Ecclesiae, in qua est Beneficium. *Tertia* dicit, ex consuetudine posse restitui etiam pauperibus. Pretium vero pro ingressu in Religionem restituendum est ipsi danti, ut afferat ad Monasterium ad quod transfertur, et quod alere eum debet. Si tamen remaneat, potest Monasterium datum retinere. - 115.

Quaeritur 2. Cui sint restituendi fructus Beneficii per simoniam acquisiti?

R. Restituendos esse Ecclesiae, modo commodum non recipiant ex hoc, qui simoniam commiserunt. Sed *probabile* est posse restitui etiam pauperibus, vel successori in Beneficio, vel etiam eos componere posse cum pontifice pro dictis fructibus, *Salm.*, *Nav.*, *etc.* - 166.

Quaeritur 3. Quisnam possit in praedictis poenis absolvere aut dispensare?

R. Certum est *ex cap. poen. de Sim.* quod ab excommunicatione, et suspensione in Ordine simoniace suscepto solus Pontifex possit absolvere, nisi dictae censurae sint occultae, a quibus tunc potest absolvere etiam Episcopus, et etiam Confessarii Mendicantes, ut ex *communi Elbel., Suar., etc.*, dicunt autem *Less., etc.*, quod Bulla in contrarium *S. Pii V.* in hoc non sit recepta (*a*).

(*a*) *Sed nequeo intelligere quomodo revocatio privilegiorum opus habeat*

Quoad vero suspensionem Ordinum rite susceptorum, *probabile* est posse ab illa absolvere Episcopum, *ut Suar., Sal.*, licet putent *probabilius* oppositum, casu quo Clericus scienter cum simonia ordinatus sit, et idem dicunt de suspensione ordinantis. Quoad inhabilitatem denique obtinendi alia Beneficia, praeter illud simoniace obtentum, potest Episcopus dispensare. Excipitur si fuerit simonia *confidentialis*, aut si simoniacus expectet sententiam, quia tunc est irregularis ex infamia juris. - 117.

Quaeritur 4. An Episcopus dispensare possit ad habendum ipsum Beneficium simoniace acceptum?

R. 1. Si Beneficium fuit simplex, etiam Canonicatus, vel Dignitatis, cui non insit cura Animarum, et fuerit acceptum per simoniam ignoranter, scilicet, quando simonia fuit commissa ab alio, Beneficiario ignorante, tunc potest Episcopus dispensare etiam in illa vacatione, dummodo Beneficarius sponte renuntiet.

2. Si beneficium sit curatum, non potest Episcopus dispensare in illa vice, sed potest in alia vacatione cum ignorante.

3. Si scienter simoniace quis acceperit Beneficium sive simplex, sive curatum, etiamsi sponte renuntiet, nequit Episcopus cum illo dispensare ad idem Beneficium habendum, neque pro illa, neque pro alia vice; ut docet *S. Thom.* cum *Sot., Sanch., etc.* Quamvis possit Episcopus dispensare ad alia Beneficia obtinenda, nisi fuerit simonia *confidentialis*, ut mox supra diximus. n. 117. - 118.

TRACTATUS VII.

DE SECUNDO PRAECEPTO DECALOGI.

Prohibet hoc praeceptum omnem inordinatam usurpationem nominis Dei, qualis potissimum fit blasphemando, temere jurando, vovendo et non servando, de quibus hic.

CAPUT I.

DE BLASPHEMIA.

Blasphemia directe apposita laudi Dei, est *verbum maledictionis, vel convicii, seu contumeliae in Deum*, sive id fiat ei attribuendo falsa, sive negando vera, sive tribuendo creaturis, quae ipsi debentur; sive etiam dicendo vera, sed quae ad ejus dehonorationem, seu vilipensionem tendunt, ut fit per modum ei indignantis et contemnentis. Ita *communiter* DD. *S. Thom., Bonac., Sanch., etc.* - 121.

Unde:

1. Blasphemat, qui contra Deum infrendes ei maledicit; qui eum vocat tyrannum, injustum; qui dicit eum non omnia bene fecisse, melius in creatione quaedam fieri potuisse, aut debuisse, etc., quae quidem si quis credat ita esse, et non tantum in ira, aut disperatione effutiat, tunc est blasphemia haereticalis, id est, cum haeresi conjuncta: quod in confessione est addendum, quia specie differt ab imprecativa. - 122.

2. Revocantur etiam ad blasphemiam signa contra Deum, licet verba non adsint, ut spuere in coelum, infren-

acceptatione, cum id tantum Regulares prius poterant, quia Pontificibus sic placuit; ergo si eis ablata fuit ab eisdem jurisdictio, qua potestate possunt sibi talem jurisdictionem vindicare? Sed quidquid sit de hoc, certum est per Clement. VIII. *ablatam fuisse Regularibus extra Urbem, et intra Italiam, facultatem absolvendi saeculares a* Simonia reali *et* confidentiali. - *II.* 55.

dere dentibus, etc., imo etiam sola mente blasphemia interior committi potest, sicut etiam laus mentalis Dei.

3. Blasphemat item, qui in Sanctos, vel Sacra contumeliosus est, intellige, ut Sancti sunt, sive cum habitudine saltem virtuali ad Deum, ita ut moraliter hujus etiam honor censeatur tangi; quia, alioqui, tantum erit contra Duliam, si nimirum contra illos, ut homines quidam in terris fuerunt, dicatur: quod veniale est, si joco fiat, v. gr. si Sanctos *Crispinum* et *Crispinorum* voces *sutores;* grave vero, si contemptim vel ex odio aut indignatione contra Sanctos haec dicas. Licet vero blasphemias in Deum non admittant materiae parvitatem; multi tamen admittunt in eis quae fiunt contra Sanctos.

4. Blasphemat qui iratus, etsi non contra Deum, sed contra alios aut alia, eadem tamen serio profert, quae ex sua significatione aut modo loquendi, ac circumstantiis important imminutionem divini honoris aut improperii: licet enim eam non intendat formaliter, intendit tamen indirecte, et virtualiter. - 125.

Bene enim docent *Sanch., etc.* ad peccatum blasphemiae non requiri affectum inhonorandi Deum, sed sufficere solam prolationem vergentem ad divini honoris diminutionem. Hinc dicunt quod omnis blasphemia etiam joco prolata, sit mortale, nisi jocus tollat omnimodam rationem irreverentiae in Deum, quod dicunt raro evenire, prout ait *Sanch.*, si quis causa joci vel irrisionis juraret per falsos Deos. - 124.

Nota 1. In Confessione exprimendum est, si quis (quod tamen raro contingit), directe et formaliter Deum inhonorare intenderit, aut ei formaliter iratus fuerit. Ita *Laym.*, cum *communi* apud *Salm.*, secus si tantum ex ira blasphemet. - 126.

2. Qui talium verborum consuetudinem habet, tenetur sub peccato mortali serio conari eam tollere. Si non conetur, idque Confessarius notet, neget ei cum discretione absolutionem.

3. Advertendum pariter quod aliqui hujusmodi blasphemantes dicant se non animadvertisse ad malitiam blasphemiae; sed puto semper adesse in blasphemando aliquam advertentiam saltem confusam, de malitia illius prolationis; ira enim aut habitus ordinarie non ita intellectum obtenebrat, ut penitus ad malitiam blasphemiae non advertatur, licet ipsa reflexe non cognoscatur. - 127.

Quaeritur 1. Utrum sit blasphemia maledicere creaturis?

R. Distinguitur: si maledicitur creaturis cum relatione ad Deum, sicut esset maledicere pluviae, ventis, ut a Deo imperatis, vel addito verbo *Dei*, certe blasphemia est. Item dicendum, si maledicatur creaturae, quae de se specialem relationem ad Deum habet, uti est Animae nostrae, Fidei Catholicae, Caelo et similibus. Secus autem si indignatio fertur in creaturas sine relatione ad Deum. Ita *communiter Tour.*, *Viva* cum *Bonac.*, *et Less.*, *ex D. Thom.*, qui docet: « Maledicere rebus irrationalibus in quantum sunt » creatarae Dei, est peccatum blasphe» miae; maledicere autem eis secun» dum se consideratis, est otiosum et » vanum. »

Hinc, ex *Viva* et aliis, non est grave maledicere simpliciter horae, diei, anno, nisi addatur verbum *Sancto;* vel nisi de se dies prae se ferat quid speciale sanctitatis, ut dies Paschalis, etc. Ita *Salm.*, *Elbel.*, *etc.* Ratio, quia prolatio, ubi aliquid speciale relucet, aut explicatur Sanctitas, semper saltem indirecte ad Deum refertur, qui omnis Sanctitatis est Auctor.

Notant autem *Viva, etc.*, quod in dubio an aliqua sit vel ne blasphemia, minime ut blasphemia sit sumenda. - 129.

Maledicere diabolo recte putat *Tamb.* raro esse peccatum mortale, quia semper solet illi maledici ut auctori malorum, vel ut Dei inimico, quo peccato, abstrahendo ab impetentia actu, ne veniale quidem esse dicit *Tamb.*

In ira usurpare daemonem sine imprecatione, non est per se peccatum: assidua tamen ejus nominatio non decet christianum; et ratione scandali posset esse gravis. - 131.

Quaeritur 2. An blasphemia contra Deum differat specie a blasphemia contra Sanctos?

R. Affirmat probabiliter Bussemb. cum aliis; sed etiam *probabiliter negant Bonac., Sanch., etc.* Sed cum ii qui blasphemant Sanctos, *verius*, communiter loquendo, eos injuria afficere intendunt, non ob praecisam propriamque ipsorum excellentiam, sed quatenus ad Deum mediate referuntur; ideo non contra Duliam, sed tantum contra Latriam peccant, et propterea non tenentur explicare an Deum vel Sanctos blasphemaverint. - 132.

CAPUT II.

DE JURAMENTO.

De Natura et Divisione Juramenti. De Requisitis ad licitum juramentum. De Obligatione juramenti promissorii. De Cessatione obligationis Juramenti.

ARTICULUS I.

De Natura et Divisione Juramenti.

Juramentum est *invocatio tacita vel expressa Numinis Divini, tanquam primae et infallibilis veritatis, in testem alicujus rei* - 133.

Dividitur juramentum 1. in verbale, reale et mixtum, cum videlicet vel verbis fit, vel actione aliqua, ut erectione digitorum, contactu Crucis, Scriptri, Evangeliorum, vel et verbis simul et actione corporali. - 139.

2. In invocatorium et in execratorium: illud est, quo Deus simpliciter, ut testis invocatur; hoc autem, quo non solum vocatur ut testis, sed etiam ut vindex. - 140.

3. In assertorium et promissorium: illud est quo praeterita vel praesentia affirmantur aut negantur; hoc autem est, quo aliquid futurum promittitur. - 141.

Unde:

1. Quoad forum internum jurat, quisquis interius intentionem habet sive formalem sive virtualem, et invocat Deum in testem, sive his sive illis verbis ac signis, sive etiam nullis usus sit; ita ut si quis utatur verbis nullo modo importantibus juramentum, et is tamen putet ea esse juramenta, vere juret: et e contra: Ita *Suar., Sanch., etc.* Quoad forum vero externum, quaenam formulae jurandi rationem habeant, ac proinde quae verba licite usurpari in conversatione possint, patet ex sequentibus.

2. Quando dubium est de jurantis intentione, judicari solet secundum communem verborum acceptionem, quibus est usus.

3. Veram juramenti rationem habent hae formulae: *testor Deum*, vel *invoco Deum testem* nisi aliud de usurpantis intentione constet. Ita *Laym.*

4. Formulae hae, *Deus novit, eorum Deo loquor*, non sunt juramenta, nisi aliud constet aut circumstantiis probetur. Pariter, dicere: *Vivit Deus, Deus est Veritas*, non est juramentum, si renuntiative profertur. Ita *Cai.* At *Salmat., Azor., etc.*, dicunt talia verba ex usu communi accipi ut prolata invocatio, et ut vera juramenta.

5. Verba illa: *Occidar, si hoc non est*, et similia, quamvis sint vera juramenta, si per modum execrationis dicantur, communiter non continent,

nisi quamdam sponsionem, et significant, *si non est ita, spondeo meam vitam.* Ita *Salm., Sanch., Elbel., etc.* Secus vero, si Deus ibi expresse nominetur dicendo: *Deus me perdat, si mentior;* quia tunc jam invocatur Deus ut vindex mendacii, si forte profertur: Ita *Sanch., Salm., Elbel., etc.* - 143.

6. Non sunt juramenta (quod confessarii et Catechistae moneat, ne ex erronea conscientia peccetur) *vere, certe, in veritate, fide boni viri, per fidem meam, fide boni Christiani.* Ita *Salm. Soto, Suares, etc.* - 134.

7. Nec *per conscientiam meam, super conscientiam meam;* quia in testem non adducitur Deus. Esset tamen juramentum dicere: *per Fidem catholicam, per sanctum Evangelium,* quia tunc censetur in testem adduci illius Fidei et Evangelii Auctor. Sic pariter *probabilius* esse juramentum censent *Salm., Suar., Sanch.*, si dicas, *Per Animam meam;* quia in Anima singulariter resplendet Deus, qui in testem tunc censetur adduci. Vide dicta n. 129 - 135.

8. Item, dicere: *Juro ita esse,* non est vere juramentum, quia tunc nec explicite, nec implicite Divinum testimonium imploratur. Ita *Salm., Suar., Sanch., etc.* nisi praecesserit interrogatio de jurejurando, quia tunc per interrogationem praecedentem illud *juro* satis determinatur ad verum juramentum. - 136.

9. Non jurat qui dicit: *tam verum est quam sol lucet, quam hic sedeo, ambulo, etc.* Unde, etsi comparatio falsa sit, tantum est mendacium, cum nullus in testem invocetur. - 137.

10. Quamvis hae et similes comparationes: *tam verum est, quam Deus est, quam Christus est in venerabili Sacramento, quam verum est Evangelium*, communiter videantur continere juramentum cum blasphemia; id tamen non satis apparet, quia nullus in testem invocatur; neque videtur esse blasphemia, si sit verum, et animus proferentis sit significare tantum similitudinem.

11. Non est juramentum, cum quis jurat per creaturas, in quibus nihil divinae bonitatis specialiter elucet: quia tunc non censetur adduci cum relatione ad Deum: ut si dicas: *Juro per hanc herbam, vestem, etc.* Censetur autem juramentum, cum fit per creaturas nobiliores; cum per eas tunc accipiatur earum Creator, ut qui in iis singulariter residet, ac relucet: sic v. gr. dum juratur per *caelum,* intelligitur istius habitator; dum per *terram*, is cujus haec est scabellum: dum per *templum,* is qui ibi colitur. Ita *Bon., Suar., Sanch.*, - 138.

ARTICULUS II.

De Requisitis ad licitum Juramentum.

Juramentum, si debito modo fiat, licitum esse, est de Fide. Et quidem est actus Religionis, ut omnes docent. Tunc autem debito modo fit, cum in eo observantur haec tria: 1. *Judicium,* quod exigit ut cum discretione, prudentia, consideratione ac reverentia, non sine necessitate, aut gravi causa fiat. 2. *Justitia,* quae exigit ut quod juratur sit res justa, licita et honesta. 3. *Veritas*, ut nimirum sit res vera. - 144.

Unde:

1. Quoad *Judicium*, si hoc solum desit, ut plurimum, est veniale tantum; ut si quis absque necessitate juret, sive ex levitate quadam animi, sive ex consuetudine.

2. Mortaliter tamen hic aut venialiter peccari potest; juxta quantitatem negligentiae quam jurans admittit in investigatione veritatis, vel tollenda consuetudine.

3. Et sic mortalis est status illorum, qui non tollunt consuetudinem jurandi

sine attentione sit ne verum hoc an falsum quod jurare solent. - 145.

4. Quoad *Justitiam*, peccat mortaliter qui jurat se facturum rem mortaliter malam ; quia est gravis irreverentia divinae auctoritati, se ad peccatum mortale quasi obligare. Ita *Bon.*, *Less.*

5. Venialiter autem peccare, qui jurat facere rem venialiter malam, aut vanam aut inutilem, tenent *Tann.*, *Sanch.*, *etc.*; sed magis mihi arridet sententia opposita, quam tenent *Elbel*, *etc.*; quia non levis, sed gravis irreverentia videtur invocare Deum in testem peccati quamvis levis. - 146.

Notandum autem quod ex ira proferentes verba, videlicet, *per Deum te occidam*, communiter non peccent graviter, quia ex ignorantia, aut indeliberatione ut plurimum excusantur.

6. Quod ad *Veritatem* spectat, cum haec desit, peccatur mortaliter, quia committitur gravis in Deum irreverentia ; quippe cum adducatur in testem falsitatis. Nec hic excusat levitas materiae; quia, sive haec sit gravis sive levis, seria sive jocosa, aequaliter tamen repugnat Deo testificari falsum, et tale juramentum dicitur Perjurium. Ita *S. Thom.*, *Less.*, *Sanch.*, *Bon.* Hac de re lege Prop. 24. inter damnatas ab *Innoc. XI.*

7. Nec excusatur, vel qui jurat verum, si is putabat esse falsum, vel qui jurat pro certo, de quo ipse dubitat, etsi a parte rei verum sit. *Sot.*, *Nav.*, *Bon.* - 147.

Nota. Ad recte tamen jurandum non requiritur certitudo absoluta, et omnino infallibilis, sed sufficit aliqua certitudo moralis, sive quaedam probabilitas, quae ad quamdam certitudinem moralem pertingat. Ita *Tamb.* Imo *Sanch.*, *Suar.*, *Salm.*, *Less.*, *Bon.*, *Azor* cum *communi* expressius aiunt, sufficere in juramento sive assertorio sive promissorio probabilitatem veritatis assertae, vel impletionis exequendae rei promissae, modo non habeatur ratio probabilis in oppositum. Hinc dicunt posse quidem affirmari cum juramento quod auditum est a persona ita fide digna, ut moraliter certos nos faciat. Hoc tamen non currit in judicio - 148.

8. Peccat aeque graviter, qui ab altero exigit juramentum, sciens eum esse pejeraturum. Excipe, nisi justa causa et necessitas exigant. Dicunt etiam *Pal.*, *Elbel* sufficere causam utilem, honestam, quia tunc perjurium ex sola pejerantis malitia sequitur; nec alter moraliter censetur illius causa, cum utatur jure suo. Vide de hoc dicta *in Tractatu de Virt. Theol. n.* 77. Hoc tamen extra judicium raro habet locum in privatis personis. *S. Thom.*, *Suar.*, *Sanch.*

9. Non pejeravit qui juravit aliquid reipsa falsum, quod ipse bona fide, et cum ratione putavit esse verum. - 149.

10. Excusari subinde quidem simplices a mortali perjurio videntur posse, ratione inconsiderationis, cum usurpant quasdam formulas juratorias, ut *per animam meam etc.* Communiter enim rustici non apprehendunt gravitatem perjurii. Quare pro iis qui consuetudinem taliter pejerandi habent, Confessariis potius censeo abstinendum esse ab instruendis talibus de peccato gravi, quod revera est in perjurio, ne peccata materialia iis ob malum habitum quem habent, formalia evadant; ex regula generali ut docent *Buss.*, *Lug.*, *Sanch.*, *Laym.*, *etc.* Vide *Tract. de Poenit.* n. 610. Bene tamen tales consuetudinarii sunt fortiter monendi ut deinceps desinant falsum jurare - 150.

ARTICULUS III.

De Obligatione juramenti promissorii.

1. Juramento promissorio duae affirmantur veritates una, de praesenti primaria, quod scilicet jurans habeat ani-

mum implendi quod promittit; altera secundaria de futuro, quod scilicet impleturus sit suo tempore, quod promittit.

Defectu primae veritatis, jurans, vere peccat mortaliter, si vel non habeat animum implendi, sive materia sit parva sive magna, licita sive illicita; vel si dubitat an facturus sit necne quod jurat, vel si putet sibi moraliter impossibile ut impleat quod promittit; quia quoad istam veritatem praesentem, promissorium ab assertorio non differt. - 172.

Defectu secundae veritatis, vere peccat is qui quod promisit, postea non implet si rationabiliter implere possit.

2. Juramentum promissorium eamdem habet conditionem, eodemque modo explicandum est quo promissio, vel propositum cui est annexum. Ratio est quia accessorium sequitur principale, ideoque, quando non obligat promissio, nec obligat juramentum appositum. Ita *Less., Bonac., etc.*

Quaeritur 1. An detur parvitas materiae in trangressione juramenti promissorii, ita ut promittens dare aliquid modicum, si verum habeat animum praestandi dum jurat, sed postea non praestet, tantum leviter peccet?

R. Prima sententia valde probabilis negat; hanc tenent *Caj., Tol., Less., etc.* Ratio quia tunc violatur juramentum, in qua violatione, minime datur parvitas materiae.

Secunda vero *sententia non minus probabilis, imo forte probabilior, affirmat:* et hanc tenent *Suar., Soto, S. Antonin., Sylv., etc.* Ratio, quia, cum postea promittens non implet quod promisit, non jam peccat pejerando, quia perjurium tum tantum patratur, cum invocatur Deus in testem mendacii: abest vero mendacium, ubi jurans habet voluntatem implendi promissum; non implere autem promissionem non est mendacium, sed infidelitas, et aliquantulum gravior ratione irreverentiae quae Deo irrogatur, coram quo promissio facta est; sed cum res promissa non sit gravis, hujusmodi infidelitas ad gravem culpam non pertingit. - 173.

Quaeritur 2. Num obliget in conscientia juramentum metu extortum?

R. In foro externo ubi praesumitur non adfuisse animus jurandi, certe non obligat tale juramentum. Quoad forum autem internum, *Prima sententia negat* obligare. Ita *Azor., S. Antonin., Sylv., etc.*

Secunda tamen *sententia longe probabilior,* quam tenent *S. Thom., Salm. Bon., Sot., Less., Sanch., Suar., etc.,* dicit tale juramentum abligare. Ratio quia tenemur efficere ut verum sit quod juramus, ne Deum testem falsi faciamus.

Notandum autem, quod metum passus tempore, quo ad impletionem ex vi juramenti tenetur, potest illius relaxationem petere. Ita *Salm., Lug., etc.* et si jam solverit promissum, potest in judicio repetere, vel occulte sibi compensare. Vide *Tract. de Contract. n.* 717. - 174.

Quaeritur 3. Num obliget juramentum errore aut dolo extortum?

R. Obligat tale juramentum, si dolus vel error versetur tantum circa circumstantias accidentales non magni momenti; nam si versetur circa substantiam, vel circa circumstantias magni momenti, quibus cognitis non jurasses, non obligaris. Vide num. 187. et 226. - 175.

Quaeritur 4. Num inducas ullam obligationem, si iures rem malam, aut vanam aut inutilem aut indifferentem quae nec ex fine, nec ex circumstantiis cohonestatur?

R. Negative, quia juramentum non potest esse vinculum iniquitatis, aut vanarum rerum ac otiosarum, ad quas Deus nun vult nos obligari. *Bon.* et alii *communiter.*

Nota ex *Laym.* juramentum non convalescere, etsi talis res illicita et vana, postea, mutatis circumstantiis, fiat honesta. - 176.

Quaeritur. 5. An juramentum in favorem tertii semper ac impleri potest sine peccato, implendum sit, etiamsi sit contra consilia evangelica?

R. Affirmative. Ita *Salm., Less., etc.;* et etiamsi promissio facta irrita sit a jure in odium creditoris, velut promissio facta meretrici, licet tale juramentum fuerit illicitum, ut *Suar. Caj., Sanch., etc.;* intellige, si meretrix jam opus suum praestiterit; secus, si non. Ita *Spor., Laym., Elbel.*

Aliter tamen dicendum, si promissio sit irrita a jure quia esset contra bonum commune. Ratio, quia tunc ipsa impletio illicita esset. Ideo non obligat juramentum metu extortum super professione, matrimonio, etc.

Quaeritur 6. An quando contractus est irritus a jure in favorem tantum promittentis, tunc juramentum firmet contractum, ita ut promissarius ex eo acquirat jus justitiae?

R. Affirmant Azor., Sanch., et alii. Sed *probabilius negant Elbel, Spor., etc.* Et ideo haec obligatio non transit ad haeredes jurantis; et ipse jurans non obligatur, relaxato juramento. - 177.

Quaeritur 7. Utrum promissio prodiga cum juramento obliget?

R. Affirmant alii apud *Salm.* Sed *probabilius negant Salm.* quia talis promissio saltem est leviter mala, et ideo juramentum cum non sit vinculum iniquitatis, non obligat. Vide *Tract. de matrim. n.* 851. - 185.

Quaeritur 8. Utrum qui promisit se rediturum ad carcerem cum juramento, teneatur ad illud cum probabili timore mortis, vel gravissimi damni injusti?

R. Prima sententia negat, quia esset actio mala sponte morti se offerre. Ita *Nav. etc*

Secunda multo probabilior affirmat, quia, posita promissione, redire esset opus virtutis. Ita *Tolet., buar., etc.*

Nota. In omni autem juramento promissorio, fictione juris, tacite subintelliguntur sequentes conditiones:

1. *Si potuero*, quia nemo censetur se obligasse ad rem impossibilem physice vel moraliter, scilicet, cum permagna difficultate non praevisa.

2. *Salvo jure Superiorum.*

3. *Si is cui fit promissio acceptet vel non remittat:* haec enim est promissionis natura, quam sequitur juramentum.

4. *Si res non fuerit notabiliter mutata.* Vide *n.* 187.

5. *Si et altera pars fidem servaverit;* intellige, si promissio fuerit mutua. - 180.

Nota. Pariter Parentes aut Domini jurantes se ponituros Filios vel Famulos, raro peccant si juramentum non impleant, vel quia delinquentes jam sunt emendati, aut emendationem promiserunt; vel quia juramentum fuit de re inutili, aut potius de vindicta inordinata. Ita *Laym.*, *Anacl.*, *Elbel.* cum aliis satis *communiter.* Additque *Elbel.*, plerumque talia juramenta fieri sine intentione jurandi, sed tantum terrendi. Vide *n. seq.* 187. *p.* 116. - 186.

ARTICULUS IV.

De Cessatione obligationis Juramenti ab intrinseco et ab extrinseco.

1. Praeter ea quae ex superioribus colliguntur, quidam recensentur casus in quibus cessat obligatio juramenti ab intrinseco.

1. Si quod bonum erat tempore juramenti, propter circumstantias, postea fiat illicitum vel vanum vel impeditivum majoris boni, vel melius sit omitti quam impleri.

2. Si juramentum mutes in opus aliquod aperte melius et Deo gratius ; id enim quisque per se potest. Excipe tamen semper, si quid in hominis commodum jurasses, nec enim Deus illum vult defraudari.

3. Si notabiliter mutetur status rei.

4. Si res jurata facta sit inutilis ad intentum, maxime si magis illius destructiva.

5. Si ita ferant conditiones illae, quas in quovis promissorio juramento tacite subintelligi natura et DD. docent. - 187.

6. Si cesset causa finalis illius, v. g. promisisti pauperi eleemosynam, sed ille postea fit dives. Secus vero si cessat causa tantum impulsiva. - 188.

Quaeritur. Num sit de se sufficiens illa mutatio etiam notabilis, qua tamen praevisa, ille juramentum non emisisset?

R. Prima sententia affirmat ex *S. Thom. Secunda sententia* tenet eam non sufficere, quia obligatio non est desumenda ex promissione, quae in futurum non fieret, sed ex illa quae jam facta est. Ita *Suar., Sanch., Caj., etc.* Merito tamen dicunt non posse negari probabilitatem primae sententiae. Imo ipsimet cum *Salm.*, censent, illam esse notabilem mutationem, quae si a principio cognita fuisset, jurans non promisisset, quod utique cum prima sententia cohaeret. Vide *de Voto*, *n.* 226. - 187.

II. Cessat obligatio juramenti ab extrinseco per irritationem, dispensationem, commutationem, et remissionem.

Irritare et annullare potest juramentum omnis Superior, Maritus, aut Dominus, qui, et quomodo irritare possit suorum vota, vide de *voto* ex *n.* 227. Possunt et iidem irritare juramenta promissoria facta in gratiam hominis, quotiescumque ipsam promissionem, seu contractum infirmare iis concessum est.

Quicumque habet potestatem ordinariam, vel privilegium dispensandi in votis, potest in iisdem dispensare, etiamsi jurata sint. - 189.

Quoad *commutationem*, eadem est ratio, quae de dispensatione - 191.

Quod attinet ad *remissionem*, sive relaxationem, dicendum 1. Quod, si promissio in favorem hominis firmata juramento, nondum acceptata sit, non sit obligatio illam implendi, et revocari possit; quia juramentum tunc est accessorium et sequitur naturam promissionis; secus autem, si promissio principaliter fuit facta Deo. Hoc certum est 2. Quod, si talis promissio sit acceptata a tertio, cui facta fuit, tunc sine ejus consensu, nec etiam a Pontifice relaxari possit; est adhuc *commune* apud *Laym.*, cum *S. Thom., etc.*

Limitatur tamen Dictio secunda mox lata in tribus casibus.

1. Si jurans sit subditus, et juramentum sit circa ea quae Superiorum potestati subduntur, ut docet *S. Thom.*

2. Si juramentum non posset servari sine damno communi. Talia juramenta *verius* relaxatione non indigent, cum de se sint nulla, juxta dicta *n.* 177. Esto tamen essent valida, ab Ecclesia relaxari possunt. Nomine autem Ecclesiae veniunt non solum Pontifex, sed etiam Episcopi, Capitula Sedibus vacantibus, et alii jurisdictionem Episcopalem habentes, et etiam Confessarii delegatam facultatem habentes dispensandi in votis, qui possunt etiam talia juramenta relaxare.

3. Si juramentum sit dolo aut metu extortum, tunc enim etiam ab iisdem ut supra relaxari potest in poenam extorquentium, ut certum est apud omnes, etiamsi juramentum sit extortum ab alio tertio, inscio principali. *Salm., Suar., Sanch., etc.* Imo, hoc currit etsi promissio non sit indebita, puta, de solvendo debito vero, sed

juramentum injuste sit extortum ; et etiamsi extorqueatur juramentum metu levi, saltem pro foro interno ; ut *Salm., Sanch., Suar.*, ubi solum juramentum omnino spontaneum relaxari nequit. - 192.

Certum autem est quod juramentum in favorem tertii possit libere ab eo remitti, absque relaxatione Ecclesiae, ut docent omnes cum *S. Thom.* - 193.

Quaeritur. An qui habet facultatem delegatam dispensandi in votis, possit dispensare in juramentis ?

R. Prima sententia probabilis negat, quia vinculum voti et juramenti diversum est. Ita *Less., Sanch., Bon., etc. Secunda* vero *sententia non minus probabilis affirmat*, quia juramenta praestitita soli Deo, licet sint vincula diversa a votis, in ordine tamen ad dispensationem, ut vota reputantur. Sed, hoc non obstante, prima sententia negativa omnino est tenenda, nam obligatio juramenti jam contracta, cum sit certa et possideat, auferri non valet per dispensationem tantum *probabiliter* validam. - 190.

APPNEDIX I.

DE AEQUIVOCATIONE ET RESTRICTIONE MENTALI.

Plura hic sunt distingueda. 1. Distinguendum aliam esse Amphibologiam sive aequivocationem, aliam Restrictionem mentalem.

I. *Amphibologia* triplici modo esse potest. 1. Quando verbum habet duplicem sensum, prout *volo* significat velle et volare. 2. Quando sermo duplicem sensum principalem habet; v, g. *Hic liber est Petri*, significare potest, quod *Petrus* sit libri dominus, aut sit libri auctor. 3. Quando verba habent duplicem sensum, unum magis communem, alium minus, vel unum litteralem, alium spiritualem, ut verba illa quae dixit Christus de Baptista : *Ipse est Elias.* Et *Baptista* dixit : *Ego nom sum Elias.*

His positis, certum est et *commune* apud omnes, quod ex justa causa licitum sit uti aequivocatione modis expositis, et eam juramento firmare. Ita *Less., Card., Salm., etc.;* Ratio, quia tunc non decipimus proximum, sed ex justa causa permittimus, ut ipse decipiatur; et ex alia parte non tenemur ad mentem aliorum loqui, si justa causa subsit. Justa autem causa esse potest quicumque finis honestus ad servanda bona spiritui vel corpori utilia.

II. *Restrictio* autem *mentalis*, alia est pure mentalis, quae nullo modo ab aliis percipi potest. Alia est non pure mentalis, quae ex adjunctis circumstantiis innotescere potest.

Restrictio *pure mentalis* nunquam est licita, nec juramentum super eadem, ut patet tribus propositionibus damnatis *ab Innoc. XI.*

E contrario, licitum est, justa causa, uti restrictione *non pure mentali*, etiam cum juramento, si illa ex circumstantiis percipi potest. Id probatur ex *Joan.* 7. ubi Christus dixit : *Non ascendo ad diem festum hunc.* Et tamen narrat Scriptura, quod postea ascenderit : *Non ascendo*, subintellexit, *manifeste*, ut rogabant Discipuli, sed *ascendo occulte.* Sic senserunt *S. Thom., S. Joannes Chrysost., S. Hieron., S. Ambr., S. Athan., S Basil. etc.*, ut testatur *Suarez.*

Hanc sententiam *communiter* tenent *Gonet., Laym., Palud., Suar., Lugo, etc., etc.* Ratio hujus sententiae est, quia si non liceret uti restrictione *non pure mentali*, non existeret modus secretum licite celandi, si quis nequiret aperire sine damno vel incommodo ; quod utique esset aeque perniciosum commercio humano, quam mendacium. - 152.

Unde :

1. Dicunt *Card.*, *etc.*, quod quoties tenetur quis occultare infamiam alterius, licite dicat: *Nescio*, scilicet, *non habeo scientiam utilem ad respondendum*; sive *non scio tanquam manifestabile.* - 153.

2. Sic pariter Reus, aut Testis a Judice non legitime interrogatus, potest jurare se nescire crimen quod revera scit, subintelligendo nescire crimen, *de quo legitime possit inquiri*, vel nescire ad deponendum. Ita *Caj.*, *Spor.*, *Az.*, *Ronc.*, *Sanch.* ex *S. Thom.* Idem, si testis ex alio capite non teneatur deponere, nempe si ipsi constet crimen caruisse culpa, ut *Salm.*, *Elbel.* Vel si sciat crimen, sed sub secreto, cum nulla praecesserit infamia; ut *Card.*... - 153.

3. Reus tamen, vel testis, aut legitime a judice interrogatus, nequit illa aequivocatione uti, quia tenetur justo praecepto Superioris parere. Est *communis. Salm.*, *Sot.*, *Less.*, *Sanch.*, *etc.* Et idem dicendum de juramento in contractibus onerosis, quia alias injuria alteri irrogaretur. *Salm.* Excipe in judicio, si crimen fuerit omnino occultum; tunc enim potest, imo tenetur testis dicere Reum non commisisse. *Tamb.*, *Card.*, *etc.* Et idem potest Reus, si non adest semiplena probatio, etc. *Tamb.* cum *communi*; quia tunc judex non legitime interrogat. - 154.

4. Poenitens interrogatus a Confessario de peccato confesso, potest jurare se non commisisse, subintelligens *illud quod confessus non sit.* Ita *Card.*, *Salm.*, *Sanch.*, *etc.* Hoc tamen intelligendum, nisi Confessarius juste interroget ad noscendum statum poenitentis. Ex prop. 58. damnata ab *Innoc. XI.* - 157.

5. Si quis invitatus interrogetur an sit bonus cibus, qui revera sit insipidus, potest respondere esse bonum, scilicet *ad mortificationem.* Ita *Card.* Sic etiam dicunt *Card.* et *Croix* licite proferri caeremonias *osculor manus*, *etc.*, *offero me famulum*, *etc.*; quia ex communi usu accipiuntur ut verba materialia prolata tantum ad honorem. Licitum est etiam celare veritatem cum causa, v. gr. si quis petat a te pecuniam, potes respondere: *utinam haberem!* Ita *Card.* - 160.

6. Famulus interrogatus an dominus domi sit, potest respondere: *Egressus est*; intelligendo in praeterito. Sic *Card.* qui ait cum *Less.* nos non teneri respondere ad mentem interrogantis, si adsit justa causa. - 165.

7. Graviter non peccat qui utitur aequivocatione, licet non rogatus sponte juret, hoc est *probabilius.* Ita *Salm.*, quando adest justa causa necessitatis vel utilitatis. - 169. et 170.

Quaeritur 1. An jurare cum amphibologia, sive restrictione non pure mentali, sine justa causa, sit peccatum mortale?

R. Affirmat *Viva* cum *Tol.* *Nav.*, *Laym.*, *etc.* Negant vero *Sanch.*, *Lugo*, *Caj.*, *Sot.*, *Less.*, *etc.* Ratio hujus *probabilioris* sententiae est, quia in hujusmodi juramento jam adsunt veritas et justitia; deficit tantum judicium sive discretio, cujus deficientia non est nisi venialis. Excipiendum tamen cum *Salm.* et aliis *communiter*, nisi hoc fiat in judicio, vel in contractibus.

Ex praefata autem sententia *infertur*, quod ad sic jurandum, praeterquam in judiciis, et contractibus, non requiratur causa absolute gravis, sed sufficiat quaevis rationabilis causa, puta ad se liberandum ab importuna et injusta interrogatione alterius, ut dicunt *Salm.*, *Sanc.*, *Bon.*, *Elbel.* *etc.*

Hic tamen *Notandum*, 1. cum *Ronc.* majorem causam requiri ad aequivocandum cum juramento, quam sine illo. 2. Cum *Salm.*, quod quo verba majorem occasionem praebent errandi,

eo major causa exigatur; unde, dicunt quod, quando verba fere ullam causam praebent errandi, ut sunt verba per se aequivoca, duplicem sensum aeque habentia, tunc levissima causa excuset. - 151.

Quaeritur 2. An adultera possit negare adulterium viro, intelligens, ut illi revelet?

R. Potest aequivoce asserere se non fregisse matrimonium quod viro persistit; et si adulterium sacramentaliter confessa sit, potest respondere: *Innocens sum ab hoc crimine*, quia per confessionem est jam ablatum, imo, si bene moraliter disposita receperit poenitentiae sacramentum, illud potest affirmare cum juramento, cum habeat certitudinem moralem de hujus criminis remissione. *Probabiliter* etiam in periculo mortis, si crimen est vere occultum, potest mulier negare cum juramento, et dicere: Non *commisi*: eodem modo quo reus potest dicere judici non legitime interroganti, *crimen non commisi*, intelligendo, se non commisisse, ita ut teneatur et manifestare *Buss., Less., etc.* - 162.

Quaeritur 3. An simulatio sit aliquando licita?

R. Simulatio *formalis*, nempe cum quis intendit per factum externum aliud significare, quam in animo habet, haec numquam est licita; quia est verum mendacium facti; simulatio vero *materialis*, scilicet, cum quis aliquid agit, non intendens deceptionem alterius, sed aliquem suum finem, haec est licita cum justa causa, semper ac ex circumstantiis alii possunt conjicere ad alium finem id agi; prout dictum est de restrictione *non pure mentali*, *n.* 152. Ita Christus Dominus *Luc* 24. apud *Emmaus* finxit se longius ire, non intendens ut Discipuli hoc crederent, sed volens significare se revera iturum fuisse longius, nisi ab eis invitaretur. Ita *Croix.* - 171.

APPENDIX II.

AD ADJURATIONE.

Adjuratio est invocatio Dei, vel rerum sacrarum, aut Sanctorum, ad inducendum aliquem ad quoddam agendum vel omittendum. Ita *S. Thom.*

Alia autem est solemnis, quae fit a Ministris, et modis ab Ecclesia constitutis. Alia privata, sine hujusmodi solemnitatibus. Item, alia est deprecativa, prout fuit illa principis Sacerdotum: *Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis si tu es Christus, etc. Matth.* 26. Alia *Imperativa*, quae competit tantum superioribus erga subditos, et Exorcistis erga Daemones.

Ut adjuratio sit licita, tria requiruntur, sicut in juramento, scilicet:

1. Veritas, id est, ut adjurans vere intendat assequi quod petit, et vera sit causa ob quam petit; carentia autem hujus veritatis raro erit plusquam venialis, nempe si fictus pauper per Deum petat eleemosynam; ut dicunt *Sanch., Suar.*

2. Justitia, ex cujus carentia certe graviter peccaret rem petens graviter malam, ex *communi* DD. Si autem rem peteret leviter malam, tenent esse veniale *Salm., Spor., Suar., Bon., Sanch., etc.* Sed *melius Elbel* dicit esse mortale, quia satis gravis videtur irreverentia inducere alterum ad rem malam ope Divinae auctoritatis. Vide dicta n. 146.

3. Judicium, id est, debita discretio, cujus carentia certe non est nisi venialis.

Unde:

1. Creaturae tantum intellectuales possunt directe adjurari, ut homines et daemones, indirecte autem etiam irrationales, ut sal, nubes, locustae, etc., adjurando vel Deum, ut earum usu nos adjuvet; vel daemones, ut per eas desistant nocere, prout docet *S. Thom.* cum aliis *communiter*.

2. Privatim omnibus quidem licitum est adjurare ; solemniter autem tantum Ecclesiae Ministris ad id constitutis, et cum Episcopi expressa licentia. Ita communiter *Salm.*, cum aliis ; ex *Luc.* 10. v. 19 : *Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes et scorpiones, et super omnem virtutem inimici ;* et ex *Marc.* 16-17. *In nomine meo Daemonia ejicient.*

3. Praesertim autem circa adjurationem Daemonum, duo praecipue hic sunt notanda. 1. Ut cum eis adjuratio sit imperativa, non vero deprecativa. 2. Ut fiat tantum ad amovenda damna, et vexationem obsessi, non autem ad vanitatem et curiositatem.

4. Dicunt DD. non posse excusari a peccato gravi qui multos sermones inutiles haberet cum Daemone obsidente. *Probabilius* est tamen venialiter tantum peccare eum qui a Daemone unam vel alteram rem curiose quaereret, si adjuratio fiat imperativo modo. Ita *Sanch., Caj., Suar., Sot. communiter* cum *Salm.*

5. Licet Exorcistis Daemonem interrogare de omnibus quae ad ejus expulsionem conducunt. Hinc

6. Possunt quaerere numerum et nomina eorum qui in obsesso habitant, et a quanto tempore ; item causam sui ingressus, et signum sui egressus.

Quaeritur. An liceat quaerere imperative a Daemone manifestationem alicujus veritatis ?

R. Negat Elbel ; quia, ut ait, non videntur Ministri aliam habere potestatem, nisi interrogandi tantum de iis quae ad eum expellendum conferunt.

Sed *probabilius et communissime affirmatur* licere si id conducat ad divinam gloriam. Ita *S. Thom., Sanch., Caj., Sot.*

Nota. Exorcista, ut obsessus vere liberetur, sedulo curet, ut sequentia observet :

1. Prius bene exploret, an ille revera obsideatur a daemone.

2. Muniat se Fide, fiducia et charitate, iusuper et oratione, jejunio, et maxime humilitate, alias parum proficiet.

3. Inducat obsessum ad Confessionem, confidentiam et orationem.

4. Utatur Exorcismis in Ecclesia Romana, vel saltem in sua Dioecesi approbatis ; utatur etiam invocatione nominum *Jesu* et *Mariae*, signo Crucis, Reliquiis Sanctorum, aut Aqua benedicta, Agno Dei, etc.

6. Caveat, ne cum daemone jocetur, sed potius pauca proferat et non permittat ei plura loqui, sed imperet tacere.

6. Caveat etiam, ut advertit *Rituale*, ne ob dictum daemonis confugiat ad Magos, ut maleficium dissolvant. Jubeat tamen daemonem dicere, an ibi sit ob maleficium ; et ut signa malefica reddat, vel revelet.

7. Regulariter Exorcismum faciat in ecclesia, januis apertis, nisi honesta adsit causa ut fiat domi, ut dicitur in *Rituali.*

8. Excludat mulieres, pueros et viros otiosos, quorum modica fides expulsioni obstare potest.

9. Repetat pluries comminationem et verba, quibus observat daemonem magis angi, semper augendo poenam.

Demum advertat exorcista nulla adesse signa infallibilia egressus ; probabilia tamen signa sunt, si per longum tempus obsessus sit a molestiis immunis ; item, daemonum confessio, ingens vomitus rerum putridarum, vel halitus valde foetidus, item magni clamores qui ibi audiuntur ; item, si obsessus remaneat in terram dejectus et quasi mortuus, et similia.

Probabilius autem non licet concedere daemoni, ut invadat aliud corpus hominis, vel bestiae, ut exeat ab Energumeno, sicut ille promittit, ut censent *Elbel, Bon., Tamb.* et alii contra *Pal., etc.*

Communiter autem dicunt DD. Exorcismos habere vim infallibilem expellendi daemones tanquam *ex opere operato*. Ita *Spor.*, *Sanch.*, *Salm.*, *Elbel*, *etc.* Nec obstat quod plures Exorcismi effectum non habeant; nam, ut dicunt *Salm.*, semper illi aliquem effectum sortiuntur, si non compete, saltem imperfecte, vires daemonum attenuando.

CAPUT III.

DE VOTO.

De Natura de Divisione Voti. De Conditionibus ad Votum requisitis. De Voti Obligatione. De Cessatione obligationis Voti.

ARTICULUS I.

De Natura et Divisione Voti.

Votum est *promissio facta Deo, deliberate, de bono possibili et meliori*, Ita *S. Thom.*, *etc.* Unde patet quod votum sit actus Latriae soli Deo debitus. Quare, dum vovemus quaedam Sanctis, sensus est voveri ea Deo in honorem simul Sanctorum; ut ex communi acceptione Ecclesiae. Ita *Salm.*

Dividitur votum 1. in absolutum et conditionatum. Illud est quod fit sine ulla conditione; hoc autem quod fit cum conditione, ita ut, nisi hac posita, non exurgat obligatio.

2. In solemne et simplex. Illud est, quod ut tale acceptatur ab Ecclesia, et sunt haec duo: votum castitatis quod majoribus ordinibus annexum est, et votum professionis religiosae. *Simplex* autem votum est omne aliud; quod talem solemnitatem non habet.

3. In reale et personale. Illud est, cum pecunia, vel alia res externa praetio aestimabilis promittitur; hoc autem, cum aliqua hominis actio, vel cessatio ab actione. His aliqui adjungunt *mixtum* ut utroque, ut si voveas peregrinationem cum oblatione alicujus rei.

Hic sciendum quod votum *solemne* raddat personam jure inhabilem ad contractus, vel actus contra votum, ut ad matrimonium, vel dominium bonorum habendum. Vide infra *de Statu religioso*. *Simplex* autem votum, v. g. castitatis, (excipio quod in Societate JESU emittitur post Novitiatum) aut ingrediendae Religionis, etsi reddat contractum, v. g. matrimonii illicitum, non tamen reddit invalidum - 195.

ARTICULUS II.

De Conditionibus ad Votum requisitis, nempe de Intentione, Deliberatione, et Materia Voti.

§. 1. - *De Intentione et Deliberatione ad Votum requisitis.*

Cum voti obligatio sit gravissima, requiritur intentio, deliberatio et libertas perfecta, qua qui libere et directe in se voluerit promittere, cum animo se obligandi. Ita DD. *communiter*, *Less.*, *Bon.*, *etc.*

Unde:

1. Aetas et usus rationis ad vovendum, ea sufficit, quae satis est ad peccatum mortale perfecto actu humano et directo in se volitum. Excipe tamen votum solemne Religionis quod invalidum est ante certam aetatem. Quare votum pueri, si illud fuerit emissum ante septennium, non obligat, nisi constet de usu rationis; sed si emissum fuit post septennium, in dubio obligat, quia possessio est pro voto. Si vero dubium sit utrum ante an post septennium emissum fuerit, *probabilius* obligat votum.

2. Non obligat votum factum cum semiplena advertentia, vel deliberatione. Ita *Azor.*, *etc.*

3. In quocumque dubio an defuerit

plena deliberatio, valet votum. *Sanch., Suar., etc.;* item in dubio an vovens emiserit votum metu coactus, vel an metus fuerit gravis. *Salm., Bon., etc.* Secus in dubio, an materia fuerit honesta vel possibilis; quia tunc votum nondum possidet. Ita *Pal., Suar., Sanch.* In dubio autem an voveris, vel an in voto emisso comprehendatur aliquid vel non, vide *Tract. de Consc. n.* 38.

Nota quod peccat saltem venialiter, qui levi consideratione emittit vota magni ponderis, et ad ea est obligatus. - 196.

4. Vota facta in metu non incusso ad hoc ipsum ut votum extorqueretur, valida sunt, quia sunt simpliciter voluntaria et deliberata. Sicut etiam valida sunt vota facta ex metu intrinseco aut juste incusso. *Salm.*

5. Votum emissum ex metu gravi injuste incusso, invalidum esse, negant *probabiliter Suar., Syl., etc.;* excepto voto solemni emisso in Professione Religiosa; sed etiam *probabiliter* affirmant *Sanch., Less., etc.* nisi metus juste illatus fuerit. - 197. (*a*).

6. Votum ex metu levi injuste emissum, esse invalidum affirmant *Busemb., Suar., etc.*, sed *probabilius Sanch. Sot., etc.*, negant.

7. Quoad vota emissa ex errore, si error fuerit circa substantiam materiae promissae, vel circa conditionem substantialem, vel circa finem, sive rationem formalem, ac motivum vovendi, votum nullum est.

8. Imo, error circa substantiam invalidat votum, etiamsi fuerit concomitans, id est, non dans causam voto: puta, si adhuc errore cognito, tu vovisses; et etiamsi error fuerit quantumcumque crassus, *Sanch.*

9. Sic pariter, si error qui dedit causam voto, sit circa conditiones quae substantiam rei non afficiunt, votum est nullum; ut *probabilius* tenemus infra, n. 226.

10. Si error circa conditionem substantialem sit de re parvi momenti, non redditur votum irritum; item, si error sit tantum circa causam impulsivam, valet votum. - 198.

11. Ad votum non sufficit nudum propositum, licet firmissimum; quia, qui tantum proposuit, non tenetur praestare sub peccato, ne quidem veniali, ut *probabiliter* censent *Sanch., Sot., etc.;* contra *Less., etc.* qui etiam *probabiliter* contendunt esse peccatum veniale suum propositum negligere, qui autem promisit, obligatur sub peccato, et nisi praestet, agit contra fidem Deo datam. *Bon., Laym.* - 199.

12. Ad votum aliquando sufficit promissio implicita, ut patet in susceptione Ordinum sacrorum, ubi, licet non dicatur, *voveo*, vel *promitto* castitatem, votum tamen hoc fit implicite, hoc ipso quod sciens Ecclesiam annexisse iis ordinibus istud votum, eos suscipit. - 200.

Quaeritur 1. An teneatur ad votum qui nescit voti obligationem, et negative se habet, non explicite, neque implicite intendens illam suscipere?

R. Affirmant Pal., et *Suar.*, quia hic censendus est voluisse promittere juxta modum et intentionem quam habent alii rite voventes.

Sed *verius negant Sanch., Croix., Tamb., Salm., etc.* Ratio, quia nemo obligationem contrahit, nisi velit illam sibi imponere; hic autem nullo modo eam vult suscipere, nec formaliter in se, nec virtualiter in promissione, cum erret in substantia judicando talem obligationem voto non esse annexam. Secus tamen dicendum, ut bene advertunt *Sanch.* et *Tamb.*, si quis voluerit vovere modo ordinario, quo alii vo-

(*a*) *Tale Votum nullum est juxta probabiliorem sententiam.* - *H.* 23.

vent quia tunc implicite voluit obligationem contrahere.

Quaeritur 2. An teneatur ad votum, qui dubitat an vovendo voluerit se obligare?

R. Tamb. putat *probabile* eum non obligari, sed dicendum oppositum cum *Croix*, *Gob.* et aliis *communiter*; quia donec constet de invaliditate actus, praesumptio est pro illius valore.

Idem dicendum, ut recte ait *Croix*, contra *Gobat.*; si quis dubitet an noverit, vel animadverterit voti obligationem, quia ex communiter contingentibus quisque censetur scire et advertere, quod omne votum obligationem parit illud implendi.

Quaeritur 3. Quid, si quis dubitet an fecerit votum, vel propositum, sed meminerit se credidisse graviter se peccaturum, si promissionem non implevisset?

R. Censet *Croix* hunc non obligari, quia saltem votum est dubium, cum plures rudes adhuc nudum propositum facientes, censeant falso se ad illud sub peccato teneri.

Sed huic non consentio, et puto hunc censendum vere vovisse et voti contraxisse obligationem; cum enim jam apprehenderit se peccare non implendo promissum, recte arguitur illam revera agnovisse, et sibi imposuisse. - 201.

§. II. - *De Materia Voti.*

Materia voti debet esse possibilis, et non solum bona, sed etiam melior quam oppositum, sive ejus omissio.

Unde:

1. Si quis voverit de re possibili, simul et impossibili, tenetur tantum ad partem possibilem, si sit divisibilis.

2. Non valet votum, si principale illius ait impossibile, licet accessorium sit possibile. Secus, si e converso. - 202.

3. Invalidum est votum de re vana vel inutili vel indifferente, nisi ex circumstantiis aut fine fiat bona; quia Deo displicet stulta promissio, et hinc eam non acceptat, ac peccat venialiter talia vovens. Ita *Nav.*, *Sanch.*, *etc.* - 204.

4. Invalidum est vovere mala; et qui vovet mortale, peccat mortaliter; qui vero vovet veniale, *probabilius* etiam peccat mortaliter, cum hoc sit blasphemia; sed communiter ob ignorantiam hoc non est nisi veniale. - 205.

5. Invalidum est votum cui adjungitur finis, vel alia circumstantia mala tenens se ex parte rei votae: ut v. g. vovet quis eleemosynam ad obtinendam vanam gloriam; quia datio eleemosynae ad talem finem est actio blasphema, quasi Deus peccata promoveat: ideoque non potest esse materia voti. *Caj.*, *Nav.*, *etc.*

6. Validum autem est, etsi ei adjungatur finis, vel alia circumstantia mala, tenens se tantum ex parte voventis, ut v. g. si quis ex vana gloria voveat ei se daturum eleemosynam; quia tunc res ista bona est, quam vovet, licet ipse voveat male et cum peccato - 206.

7. Invalidum est, et veniale peccatum vovere bonum quod est impeditivum boni majoris, ut praesertim sunt vota contra consilia evangelica: si tamen aliquod bonum per se et absolute minus, fieret per accidens majus bonum, tunc talia vovere valet. - 207.

8. Votum nubendi, per se loquendo, nullum est, quia caelibatus est Deo gratior. Est *commune*. Secus si votum sit emissum ad scandalum, vel honorem puellae ex obligatione reparandum, vel ad bonum commune.

Quaeritur. An qui vovet nubere ob expertam sui fragilitatem teneatur ad votum?

R. Prima sententia negat, quia tale votum esset de se impeditivum majoris boni, nempe ingrediendi religio-

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

nem, aut servandi caelibatum. Ita *Less., Sot., etc.*

Secunda tamen *sententia, certe et longe probabilior*, quam tenent *Buss., Sanch., Viva., Salm., Bonac., etc.* dicit votum esse validum, supposito quod talis uti aliis nolit remediis: quia in tali casu matrimonium est majus bonum, cum a Deo concessum sit ad concupiscentiam sedandam ei qui alia remedia meliora suscipere non vult.

Sed *dices:* ergo Subdiaconus vovens castitatem posset nubere, si non posset se continere, cum nubere sit illi melius bonum?

R. Ob bonum commune, magis expedit ut in hoc casu, votum in suo robore maneat, quam ut Subdiaconus suae fragilitati consulat. - 209.

Notandum, quod qui plura vota incompossibilia emitteret, servare deberet illorum dignius, alioquin prius posteriori praefertur. Ita *Laym., etc.* contra *Sanch.*, qui dicit tunc esse in arbitrio voventis servare quod malit. - 210.

ARTICULUS III.

De Voti Obligatione.

Tanta est obligatio voti, quantam tum quantitas materiae permittit, tum intentio voventis qua se vel multum vel parum, vel absolute vel cum certa conditione, restrictione temporis, qualitatis obligare velit, designat: ita ut etsi obligatio voti sit juris naturalis, vis tamen ejus pendeat a voluntate et facto hominis tamquam praevia conditione, ut tantum, vel tantum obliget. Ita *commun.*

Unde:

1. In materia levi nemo obligatur sub mortali, quia materia id non permittit, etsi vellet sub gravi se obligare; quia votum est lex particularis, et lex non obligat nisi juxta materiae gravitatem, ut diximus de *juramento n.* 173. Unde vovisti recitare quotidie *Salve Regina*, omittendo semel iterumque, non peccas mortaliter, quia materia est parva. - 211.

2. In materia gravi, etsi quis possit se obligare leviter tantum, communiter tamen censetur voluisse se obligare graviter, nisi aliunde constet. Unde violans tale votum, peccat graviter ex genere suo.

3. Qui violat votum de re ante praecepta debet in confessione addere quod votum id habeat, si Confessarius nesciat, quia duplex tunc est malitia peccati. Ita *Suar., Less., Sanch., etc.*

4. Alieno voto nemo obligatur ex vi illius voti.

3. Cum haeres teneatur solvere vota realia defuncti, non tenetur vi voti, sed ex justitia: sicuti tenetur alia illius debita, legata etc., solvere. - 213.

6. Hinc talibus votis debet satisfieri ante legata, sed post debita justitiae. - 214.

7. Si communitas aliquid voverit, in quod posteri non consenserunt, non tenentur id servare vi voti, sed interdum ratione pacti, statuti, vel longae consuetudinis. - 215.

8. Cum quis vovet factum alterius, sensus est se curaturum id eo modo quo licite potest, v. g. rogando, persuadendo, etc.; sic parens qui filium devovit religioni, ad nihil aliud tenetur, quam ut conetur eam filio persuadere. - 216.

9. Vota personalia non implentur nisi per voventem. Vota realia solvenda sunt ex proprio. Si tamen alius sive rogatus sive sponte, pro ipso velit solvere, id valet. - 217.

10. Vota conditionalia non obligant cessante conditione, etiamsi ipse vovens causa fuerit ut conditio non ponatur: modo id non impedierit, dolo, vi, aut malitia. Imo, etsi malitiose, fraude, dolo, etc., impediverit, adhuc

probabile esse eum voto non teneri, habet *Laym.* Hanc sententiam ego *probabiliorem* puto, quia jam non impletur conditio, licet culpa voventis. Ita *Salm., Pal., Az., Bon., etc.* At, si dolose impedias, peccas. *Salm., Laym., Palaus, etc.*- 218.

11. Qui vovit aliquid faciendum certo tempore, illo transacto sive cum culpa sive sine culpa, ad nihil tenetur, si dies appositus sit ad finiendam obligationem, ut censendum est in votis personalibus; nisi constet de opposito; ut *communissime* dicunt *Croix, Sot., Pal., Laym., etc.*

12. Secus, si diem apposuisti tantum ad sollicitandam impletionem, sicut e converso judicandum est regulaliter in votis realibus, praecise, si ille dies nullam habeat magis specialem rationem, quam alii. Ita *Salm., Suar., Bon., Croix., etc.*

Quaeritur 1. Utrum in dubio, an dies sit appositus ad finiendam vel ad sollicitandam voti executionem, tenearis ad votum pro diebus transactis?

R. Negat Diana: quia, ut ait, vota in dubio non obligant, cum stricte sint interpretanda. *Affirmant* vero generaliter loquendo *Spor., Salm.*, cum *S. Tom., Sanch., etc.;* quia cum votum sit certum, et dubitetur tantum de circumstantia excusante, possessio stat pro voto.

Sed mihi rectius distinguendum videtur, et dicendum, quod in votis personalibus in dubio non tenearis satisfacere, pro diebus transactis: secus autem in votis realibus. Ratio, quia ex una parte, regula firma est, quod pro eo stet praesumptio, ut docent DD. *communiter;* Vide *Tract. de de Consc.* ex n. 26. Ex altera parte, *communissima* est sententia, quod nisi de opposito constet, ut supra praenotatum est, in votis realibus dies praesumatur appositus tantum ad sollicitandam obligationem, ut *Salm., Suar., Sanch., etc.;* nisi tamen votum habuisset specialem connexionem ad diem. In votis contra personalibus praesumitur dies appositus ad finiendam obligationem, ut dicunt *Salm, Croix., etc.*- 220.

Quaeritur 2. An obliget perpetuo votum indeterminatum quoad tempus v. g. de Rosario diurno, etc.?

R. Affirmative, nisi aliud colligatur ex circumstantiis. Ita *Salm. communiter.* Si dubium sit an votum fuerit pro anno, vel mense, non teneris ad minus. Ita *Salm., Sanch., Suar., etc.*

Quaeritur 3. An faciens votum pro tempore indeterminato, peccet mortaliter, si diu differat illud implere?

R. 1. Certum est, quod si votum sit in perpetuum obsequium Dei, puta ingrediendi Religionem, et similis rei, peccet lethaliter qui diu differt, si adsit opportunitas implendi, et non excuset rationabilis causa, *Sanch.. etc.* universaliter loquendo, dicunt esse mortale differre per sex menses.

Justae autem causae differendi sunt, si vovens speret dilatione parentes emollendos. Item, si obstet gravis necessitas spiritualis aut corporalis sororum vel fratrum. Ita *Croix, Pal., Ronc., Sanch. etc.*

Bene tamen advertunt *Spor.*, et *Salm.*, in his casibus sedulo cavendum esse ne dilatio sit nimia, aut periculum adsit votum nunquam implendi; quod periculum non raro adest in votis Religionis, pro quorum executione Daemones innumera excitant dissidia et impedimenta.

2. Si autem votum sit in obsequium temporale, scilicet tot jejuniorum, etc., censet *probabile Spor.* cum *Tamb.* quamcumque dilationem non pertingere ad mortale. Sed *verius* dicendum peccare mortaliter eum, qui sine justa causa notabiliter votum differt implere, nempe ultra duos vel tres annos, ut recte sentiunt *Croix, Salm., etc.*

Putat autem *Croix*, quod si vovisti singulis mensibus confiteri, posses ex causa differre per duos vel tres dies ultra mensem. - 321.

Quaeritur 4. An ille qui vovit se daturum aliquid, sine certa quantitate, satisfaciat dando quantum voluerit?

R. Affirmative cum *Salm.; etc.*; modo non det tam parum, ut videatur potius irridere suum votum quam implere; quia nemo censetur se obligare, nisi ad id, quod commode potest dare, et communiter est decens. Ita *Suar., Sanch., etc.*

Notandum 1. Quod in dubio de mente voventis, debet fieri interpretatio secundum verborum, quibus usus est, proprietatem, vel potius communem et usitatam acceptionem. *Elbel., Laym., Salm.,* - 222.

2. Quod vota semper sint interpretanda juxta benigniorem partem *Salm., Laym., Caj.,* et alii *communiter*.

3. Quod fractiones votorum sint ejusdem speciei.

4. Quod si quis voveat disjunctive rem bonam vel malam aut vanam aut impossibilem, votum nullum est. Si vero utraque pars est materia apta, illa quae eligitur praestanda est; etiamsi post electionem altera pars pereat, seu impossibilis reddatur. E converso, si pereat una pars, aut impossibilis reddatur ante electionem, non teneris ad alteram, nisi tua culpa res pereat, aut fueris in mora eam tradendi aut determinandi. Ita *Salm., Sanch., etc.*

Si autem unam partem jam elegeris, negant *probabiliter Pal., etc.*, te posse cum altera commutare. Unde, si electa sit pars, cujus materia sit reservata, requiritur dispensatio Papalis. Affirmat tamen *Tamb., etc.*, et *non minus probabile* merito vocant *Salm.* Ratio, quia, non obstante electione facta, votum adhuc remanet disjunctivum, nec per determinationem peractam vovens se privavit libertate alteram eligendi partem.

5. Quod vovens se per mensem auditurum Sacrum, *probabiliter* non teneatur in Festis audire duo. Sicut *probabile* etiam est hoc, si imponatur a Confessario pro poenitentia *Salm., Tamb., etc.*

6. Quod vovens se recitaturum Rosarium, satisfacit recitando tertiam partem, quia communiter sic intelligitur. *Salm., Pal., etc.* Et satisfacit recitando alternatim, quia tale votum obligat instar Officii Divini. *Salm., Tamb., etc.* Et etiam satisfacit dividendo Decades. *Sanch., Bon., etc.*

7. Quod vovens jejunium se observaturum, potest comedere lacticinia, ut *Salm.* Vovens jejunium per mensem, non tenetur in Dominica.

8. Quod si quis immemor voti vel poenitentiae injunctae, etc., praestet opus debitum, bene satisfacit voluntate generali quam quisque censetur habere satisfaciendi prius obligationibus. Ita *Spor., Sanch., Less.* Sed vide *Tract. de Consc., n.* 30.

9. Qui certus est de voto, et habet rationem probabilem tantum quod illi satisfecerit, ad illud adhuc tenetur. Vide *Tract. de Consc.* n. 28. et 29.-224.

ARTICULUS IV.

De cessatione obligationis voti ab intrinseco, et ab extrinseco.

§. 1. - *De cessatione obligationis voti ab intrinseco.*

Obligatio voti tolli potest ab intrinseco, vel materiae mutatione, ut si materia ante honesta fiat turpis, indifferens, aut impeditiva majoris boni, ratione novae circumstantiae, vel prohibitionis, vel fiat impossibilis absolute aut moraliter, vel cessatione conditionis a qua pendebat. - 225.

Unde:

1. Etsi tua culpa materia facta sit impossibilis, inutilis, etc.; tamen, postquam jam talis facta est, cessat obligatio, et sufficit poenitere de culpa.

2. Si materia voti fiat impossibilis quoad partes tantum, tum si talis materia dividi non potest, ad nihil teneris.

Quaeritur 1. An sit obligatio implendi votum, si notabilis circumstantia superveniat, qua praevisa, quis votum non emisisset?

R. Est *communis* sententia apud *Salm.* (Vide dicta n. 187.) quod in omni promissione prout est etiam votum, mutatio materiae de se notabilis, obligationem aufert. Ratio, quia per mutationem res fit diversa ab ea quae est promissa.

Quaeritur 2. Sed quid, si nova circumstantia accidat non praevisa, puta, si quis vovisset jejunare omnibus feriis festis, an teneatur ad jejunium in die Nativitatis Christi, quem diem exclusisset, si praevidisset?

R. Affirmant Salm., Nav., Vasq., Sylv., etc., Ratio, quia ad eximendum voventem ab obligatione voti, non est attendendum ad id, quod ipse promisisset, si meminisset, sed potius ad id quod actu promisit.

Negant vero teneri ad votum *Molin. Azor, Fagund., etc.* Et hanc sententiam expresse tenet *S. Thomas*, qui docet: « Id liberare a voti vel ju» ramenti obligatione, quod si a prin» cipio notum fuisset, ea fieri, im» pediret.» Ratio, quia tunc intentio se obligandi vel deficit vel sic interpretatur.

Haec secunda sententia mihi videtur *non minus probabilis*, imo forte *probabilior*, quam prima. Ratio generalis, quia, superveniente circumstantia non praevisa, qua votum onerosius redditur, materia voti fit diversa a promissa. - 226.

§. II. - *De cessatione Voti ab extrinseco, nempe per Irritationem, Commutationem et Dispensationem.*

PUNCTUM I.

De Irritatione voti directa et indirecta.

1. Cum non debeat violari cujusquam dominium, ac quilibet dominus possit uti sua libertate, hinc, si potestati dominativae alterius sit subjecta alicujus voluntas, potest is subditi istius omnia vota, qualiacumque sint, ad suum libitum, sine ulla causa valide irritare, directe; hoc est, potest velle et pronuntiare ut illa vota nulla sint, ita ut nullo etiam casu obligatio postea reviviscat; et hoc jus provenit ex jure naturali, et etiam ex jure positivo, quo datur alicui legitima potestas dominativa in voluntatem alterius. Ita *communiter DD.* - 227.

Unde:

1. Pater, sive Avus paternus in ejus defectu, potest irritare quaecumque impuberum vota, sive personalia sive realia adhuc castitatis et religionis, etiamsi filius sit doli capax, et etiamsi votum sit de peculio castrensi, vel quasi, ut *Salm., Sanch., etc.*; quia in tali aetate deficit perfecta deliberatio ad tantam obligationem; quare, ad talem defectum natura prospexit, praebendo parentibus facultatem talia vota irritandi. Impubertas autem finitur in masculis anno quarto decimo completo; in feminis, anno duodecimo completo a die nativitatis computando.

3. In dubio an votum sit emissum ante vel post pubertatem, adhuc potest pater id irritare, quia praevalet ejus potestas.

3. Filiorum puberum non possunt Parentes irritare vota personalia, puta castitatis, etc. nisi praejudicent domesticae gubernationi, prout vota pe-

regrinationis, etc. Ita *Salm.* cum *S. Thom.*

4. Bene autem possunt irritare, indirecte tamen, vota realia puberum in minori aetate, quia in ea carent ipsi administratione bonorum. Excipe, si votum sit de peculio castrensi, vel quasi; vel si filius exierit a patria potestate.

5. Quod dictum est de Patre, dicendum etiam de Tutore respectu pupilli, et de Curatore respectu minoris; et si sint plures Tutores vel Curatores, quilibet eamdem potestatem habet. *Salm., Sanch., etc.* - 229.

6. Mater potest irritare vota filiorum si sit designata tutrix aut curatrix, et potest quod tutores et caeteri, ut supra, possunt. Sed si non fuit designata ut tutrix vel curatrix, et filius careat patre, vel avo paterno, *Sanch., Suar., etc.* putant tunc filium esse sui juris. Sed oppositum, scilicet, quod in eo casu incumbat matri esse curatricem, *probabilius* tenent *Salm., Tamb., etc.*, quia rationabile est, ut mater, vel avia minori provideat; et ideo bene potest eorum vota, ut curatrix irritare.

7. Negant *Sanch., Suar., etc.* posse matrem vota filiorum irritare, praesente patre, vel tutore; et dicunt matrem, et deficiente matre, avum vel aviam ex parte matris, posse tantum vota impuberum irritare, quando deficit pater vel tutor.

Sed *non minus probabiliter*, et quidem merito, ajunt *Salm., Ronc., etc.*, matrem, etiam praesente patre vel tutore, posse irritare vota omnia impuberum, etiam castitatis et Religionis; et etiam vota personalia puberum, quae praejudicant gubernationi domus, non vero realia, quorum administratio pertinet ad patrem vel curatorem. Ratio, quia talis potestas, licet non civiliter, naturaliter tamen etiam est in matre, cui filii tenentur obedire, etsi cum subordinatione ad patrem; ita ut possit pater irritare vota filiorum, contradicente matre; sed non sic mater, contradicente patre. - 230.

8. Vota Religiosorum quaecumque, etiam interna (non tamen Novitiorum, licet suspendantur eorum personalia), etiam sub praedecessoribus emissa, irritare possunt directe, praeter Papam (Papa omnia quidem potest directe irritare vota Religiosorum: et Episcopus Monialium subjectarum), Abbates, Guardiani, Priores et Rectores, etiamsi Praelati secundarii, absentibus primariis, ac *probabiliter* etiam Abbatissae. Excipitur tamen votum transeundi ad Religionem strictiorem. Hoc votum nec Papa potest irritare. - 233.

Praelatus pariter potest licite et valide irritare votum subditi, a praedecessore aequali vel inferiore confirmatum, non tamen a Superiore. - 239.

Nota. Certum est vota Religiosorum per professionem extingui. - 237.

9. *Probabilius* est, saltem extrinsece quod vir possit directe omnia vota uxoris irritare, licet non praejudicent usui Matrimonii, vel prolis educationi, vel gubernationi domesticae. Et ratio est quia expedit valde ad pacem familiae, ad mutuum amorem fovendum, quod uxor voluntatem totaliter a viro dependentem habeat, et sic impetus feminarum retundatur. Ita *Sanch., Soto, Sat., Salm., etc.*

10. Potest ergo vir irritare etiam vota castitatis et Religionis ab uxore emissa, et exequenda post mortem viri. Ita *Salm., Sot., Sanch., etc.* - 234.

11. E converso, uxor nequit irritare vota viri, nisi sibi praejudicent, ut votum longae peregrinationis, etc., vel etiam votum non petendi debitum, ut *probabilius* tenent *Spor., Laym., etc.*, contra *Less., Sanch., etc.*; quia valde grave esset pudori uxori cogi semper ad petendum. Talia vota docent DD. *communiter* esse irritanda;

at potius videntur esse invalida, utpote de materia inepta, sicut sentiunt *Salm.* - 235.

12. Si conjuges mutuo consensu voverint castitatem, certe vir eo casu remanet obstrictus suo voto, quod ab uxore non potest quidem irritari. Sic etiam, ait *Sanch.*, cum *communi*, nec virum posse votum uxoris irritare. At ego non invenio rationem certam, qua damnare possim *Palacium* et alios qui contradicunt: nam si vir potest valide irritare votum uxoris, ipso approbante, emissum, cur non poterit, ait *Palacius*, si mutuo consensu ipse etiam castitatem voverit? Attamen, cum haec opinio sit contra *Communem*, eam ego sapientibus decernendam remitto. - 239.

13. Non potest vir directe irritare vota ab uxore emissa ante matrimonium, sed bene potest illorum suspendere executionem, quatenus praejudicant suae potestati. *Salm., Sanch., etc.*

14. Putat *Sanch.* virum, vel Praelatum posse directe irritare uxoris aut Religiosi vota, de quibus dubitatur an sint emissa ante vel post subjectionem. Sed pace tanti Doctoris, oppositum sentio, cum vota sint certa, et possessio viri vel Praelati sit dubia. Possunt tamen indirecte irritare talia vota juxta dicenda art. seq. n. 241. - 237.

15. Vota facta tempore subjectionis, possunt adhuc irritari post illud, v. g. quando filius jam est pubes; et haec est *probabilior* sententia, quam tenent *Salm., Sanch., Suar., etc.* - 238.

16. Dominus potest irritare quaecumque vota realia mancipiorum, nisi illi aliquid de proprio habeant; et personalia quae Domino praejudicant, prout Religionis, etc., non vero castitatis, etc. Ita *Salm.*

17. Vota famulorum nequeunt ab Heris irritari, sed tantum suspendi possunt pro tempore famulatus, quatenus debitis obsequiis praejudicant. *Salm., Sanch., Suar., etc.* - 240.

18. Vota tamen realia puberum nequit Pater irritare postquam ipsi emancipati sunt. Nec Praelatus vota Religiosi, si iste non sit amplius illi subjectus: nec vir vota uxoris, facto divortio formali. - 238.

H. Si alicui non quidem voluntas voventis sed voti materia sit subjecta, ita ut in hanc jus habeat, is tale votum potest irritare irritatione indirecta, hoc est, ejus obligationem suspendere, in quantum suo juri praejudicatur; idque ex lege naturae docente, quod nemo possit alteri promittere aliquid in praejudicium tertii. *S. Thom., Suar., Less.* - 241.

Unde:

19. Pater respectu filiorum puberum, uxor respectu mariti, Dominus et Domina respectu famulorum, Papa respectu omnium fidelium, Episcopi, principes respectu subditorum, Superiores respectu novitiorum, hi omnes et alii ut Tutor, etc., irritare possunt indirecte, quando vota illi praejudicant. - 242.

Quaeritur 1. An vota filiorum, et aliorum subditorum velut Religiosorum, uxorum, etc., donec irritentur, sint valida in iis quae Superiorum mandatis, aut jurisdictioni non praejudicant?

R. Negat prima sententia, et proinde ea non indigere dicit relaxatione, si sine consensu superiorum sint emissa; quia tales subditi carent usu voluntatis, cujus dominium est penes Superiores.

Secunda tamen *sententia probabilior*, quam omnino tenendam dicunt *Salm.* cum *Caj., Nav., affirmat* valida esse talia vota, sive sint realia sive personalia, nisi irritentur; quia subditi revera non carent voluntate, sed eam subjicere debent voluntati Superiorum, si contradicant. - 231.

Quaeritur 2. An liceat irritare vota sine causa?

R. Certum est pro valore irritationis nullam causam requiri; et *commune* est quod non sit mortale, ut *Salm., Less., etc.* An vero sit veniale? *Prima sententia affirmat* cum *Buss. Less.* Sed de se loquendo, *verius* est nullum esse peccatum; quia vota subditorum sub hac conditione consensu Superiorum emittantur: unde obedientia sufficit pro causa. Ita *Salm. S. Antonin., Sylv., etc.*

Dixi, *de se loquendo*, quia difficulter aliunde poterit excusari Superior a veniali, vel quia facit actum otiosum, vel quia irrationabiliter profectum alterius impedit, ut recte ait *Less.* Sufficit vero quaevis causa rationabilis ad excusandum a veniali. - 228.

Quaeritur 3. An Superiores supradicti, ut Pater, Praelatus, etc., possint directe irritare vota, etsi semel ea ratificaverint?

R. Certum videtur quod possint, quia ipsi, etiamsi velint, nequeunt sibi adimere potestatem dominativam, quam in subditos habent. Ita *communiter Sanch., etc.* et hoc valet non tantum pro patre respectu filii, et pro praelato respectu religiosi; sed etiam pro viro respectu uxoris, ut *valde probabiliter* tenent *Sanch., etc.*; quia vir habet veram potestatem directam irritandi vota uxoris, etiam castitatis et religionis, ut dictum est n. 234.

Attamen certum est pariter quod peccant, si irritent sine justa causa, tam ipsi, quam relaxationem petentes; nisi illa vota positive non approbaverint, sed tantum permiserint. Sic autem irritantes, juxta *probabiliorem* sententiam, solummodo peccant venialiter, modo absit scandalum contemptus, quia Superior utitur jure suo. - 239.

PUNCTUM II.

De Commutatione voti.

Commutatio est *substitutio alterius operis honesti loco ejus, quod voto promissum erat, sub eadem obligatione.* Circa quam, ut licite fiat, traduntur hae regulae:

1. Ad commutationem voti requiritur Auctoritas Ecclesiastica, quando fit in bonum aequale, ut infra dicitur, quaer. 1. n. 244.

2. Auctoritas propria sufficit ad commutationem in *melius*, quia in meliori minus continetur. Est *commune* cum *Salm.*, exceptis tamen votis reservatis. Voco autem *melius* quod est tale in ordine ad utilitatem spiritualem voventis, et Deo gratius. Unde tutior est commutatio in frequentiam Sacramentorum. *Sanch., Tamb.* - 243.

3. Ad commutationem voti in *aequale* requiritur causa, licet minor quam ad dispensationem, quia dispensatio plane liberat ab obligatione voti, commutatio vero aliud subrogat. Unde, si fiat in *melius*, nulla causa requiritur; si in *aequale*, cum auctoritate Superioris, sufficit major in illud propensio, vel minus periculum transgrediendi; si vero dubitatur an sit *aequale*, sufficit notabilis molestia in implendo. - 245.

Unde:

1. Quamvis oratio sit absolute melior jejunio, non licet tamen propria auctoritate hoc in illam commutare, quia hic et nunc potest jejunium esse Deo gratius, utpote utilius ad bonum spirituale hujus hominis. *Less.*, etc.

2. Omnia vota personalia propria auctoritate commutari possunt in votum Religionis. Imo, ipso jure omnia vota realia sic mutantur in professione. Ita *S. Thom.*

3. Qui habet facultatem dispensandi etiam delegatam, ut *verius* sentiunt

Laym., Less., etc., habet etiam commutandi ; non tamen contra : quia commutatio est pars dispensationis ; qui autem potest majus, etiam minus potest. - 246.

4. Opus personale commutari potest in reale, et e converso ; et perpetuum in temporale. Recte autem *Elbel* monet Confessarium, ut conetur talia opera voto substituere, quae poenitenti videantur magis utilia et non nimis difficilia. - 247.

5. Si votum commutatum est *in minus* vel *aequale*, procul dubio potest adhuc eligi primum opus. Est *Commune* apud *Salm., etc.* Sed si commutatio facta sit in *melius* cognitum et acceptatum, tunc *Suar., etc., negant* posse voventem redire ad primum. Sed *probabilius* id concedunt *communiter Less., Sanch., Laym., Tamb.*, quia commutatio fit in favorem voventis. - 248.

6. Facta voti commutatione, etiamsi res subrogata fiat impossibilis culpa voventis, vel si ipse eam non impleverit, non tenetur ad primam. Ita *Sanch., Laym., Suar., etc.* Hoc tamen non currit, si commutatio fiat auctoritate propria. Hoc certum est. - 249.

Quaeritur 1. An votum possit propria auctoritate commutari in opus evidenter *aequale* ?

R. Adest duplex sententia. *Prima probabilior negat*, ex *S. Thom.*, qui sic habet : « Quia commutatio est quidem contractus, qui perfici nequit » absque consensu ejus qui vicem Dei » gerit in terris, scilicet Praelati. » Deinde, quia, supposita promissione, magis gratum censetur esse Deo, ut vovens fidelis sit ei praestando potius rem promissam, quam aliam aequalem. Ita *Sanch.*, *Caj.*, *Covar.*, *Sot., etc.*

Secunda tamen *sententia*, quam tenent *Elbel, Tamb., Sat., Bon., etc. affirmat.* Ratio, quia praesumitur Deus acceptare opus quoad substantiam aequale, ob benignitatem divinam, saltem ut hilarius ei oblatio praestetur.

Ego autem puto non recedendum a prima sententia ; ratio enim allata a *S. Thom.* valde urget. Saltem ratio illa concludit pro opere *aequali*. - 244.

Quaeritur 2. An si commutatio fiat *in minus*, sine justa causa, si non solum illicita, sed etiam invalida ?

R. Prima sententia, cum *Sanch., Tamb.*, dicit esse validam, modo suppleatur defectus. *Secunda* vero *sententia* dicit esse invalidam, sicut invalidam esse dispensationem sine justa causa docet *S. Thom.* Utraque est *probabilis.* In dubio autem an causa commutationis fuerit sufficiens vel non, docet *S. Thom.* posse voventem acquiescere judicio commutantis. - 245.

Quaeritur 3. An habens facultatem tantum commutandi, possit commutare in opus aliquantulum minus ?

R. Prima sententia, quam *satis probabilem* recte vocant *Salm., affirmat*, modo excessus non sit notabilis.

Secunda vero *sententia* tenet faciendam esse commutationem in rem *aequalem*, aequalitate tamen morali, non mathematica. Ita ut parva credatur esse differentia, et nullus excessus manifeste appareat. Et sic sententia haec revera cum prima conciliatur. - 247.

In qua aestimatione, ait *Caj.*, non negligenda sunt concomitantia, v. gr. in voto peregrinationis habenda est ratio laboris, expensarum, etc. - 246.

Quaeritur 3. An habens facultatem commutandi vota pro aliis, habeat etiam pro se ?

R. Affirmative, sicut de facultate dispensandi docent *communiter Sanch., Bonac., etc.* - 249.

PUNCTUM III.

De Dispensatione Voti.

1. Dispensatio est *absoluta obliga-*

tionis voti condonatio, nomine Dei facta. Ad hanc, ut valeat, justa causa requiritur.

Hinc monet *Innoc. III.* tria attendenda esse in dispensatione votorum. 1. Quid liceat secundum aequitatem. 2. Quid liceat secundum honestatem. 3. Quid expediat secundum utilitatem. Ex quo ait *Elbel*, tum dispensandum in voto, quando illud vergeret in ruinam, aut laqueum animae ob perplexitatem; vel quando speratur major utilitas spiritualis. - 250.

II. Potestas dispensandi convenit omnibus praelatis qui habent jurisdictionem in foro externo, vel privilegium. *Less., Sanch., etc.*

Unde:

1. Dispensare possunt sequentes: 1. Papa respectu omnium fidelium in omnibus votis. 2. Episcopus respecto suorum subditorum; non autem Parochus, quia tantum habet jurisdictionem fori interni. 3. Praelati Regulares exempti respectu suorum Religiosorum, et novitiorum: idque circa vota quae vel in saeculo, vel etiam in novitiatu fecerunt (*a*). Non autem Praelati non exempti, neque Abbatissae, neque Poenitentiarii, neque Vicarii Episcopi, nisi facultas specialiter eis delegetur. - 256.

2. In votis autem Religiosorum dispensari potest a suis Praelatis, etsi fuerint emissa cum licentia ipsorum; et etiamsi fuerit votum transeundi ad strictiorem Religionem, si utilius noscatur Religiosum manere in sua. Sicut posset etiam Episcopus cum suis subditis dispensare in voto ingrediendi arctiorem Religionem, voto Religionis quoad substantiam relicto; cum nullo jure talis dispensatio inveniatur reservata. Ita *Less., Sot., Sanch., etc.*

3. Facultas autem dispensandi potest a dictis praelatis delegari etiam simplici Clerico tonsurato. In votis tamen substantialibus, vel ipsis annexis, prout voto non edendi carnes, etc. quae solent emitti in aliquibus Religionibus, nequit dispensari nisi a Pontifice.

4. Praeterea in votis Novitiorum, si non sint reservata, potest dispensari, tum a praelatis Religionis (vide superius), tum etiam ab Episcopo proprio. *Sanch., Pal., etc.*

5. Imo ex *communi DD.* cum *Less., Nav., Sanch., etc.* omnes confessarii Regulares possunt dispensare in votis quorumcumque Fidelium, intra et extra Confessionem (nam minime requiritur ut qui facultatem habet, dispenset in Confessione): et hoc ex diversis privilegiis Pontificiis.

6. Eamdem facultatem habent Legati a latere, et Nuntii in Provincia sibi commissa: item Capitulum, Sede vacante, et Abbates Episcopalem jurisdictionem habentes. - 257.

III. Supra dicti omnes Papa inferiores possunt dispensare in omnibus votis, exceptis quinque soli *Papae* reservatis, scilicet, voto castitatis perpetuae, Religionis approbatae, peregrinationis ad limina Apostolorum, ad S. Jacobum Compostellam, et ultramarina, sive in Terram sanctam. *Bon., Less., etc.* et circa haec quaedam sunt notanda:

1. Facultas dispensandi in his votis non intelligitur concessa a Pontifice, nisi adsit concessio specialis, vel saltem generalis per clausulam, quia talis facultas expresse conceditur.

2. Episcopi et similem jurisdictionem habentes possunt recte dispensare in votis reservatis in urgenti necessitate, puta, si non sit facilis accessus ad *Papam*, et in mora sit periculum gravis damni, vel spiritualis, prout violatio-

(*a*) *Saltem possunt suspendere illa quatenus praejudicant novo vitae statui - H. n.* 42.

nis voti, scandali, rixarum, aut alius peccati; vel periculum temporalis proprii aut alieni, nimirum gravis infamiae mulieris et similium. Ita *Less.*, *Sanch.*, *Bon.*, *Suar.*, *Sylv.*, *etc.*

An autem eo casu possint in his votis dispensare etiam confessarii mendicantes? *Negant communius Tamb. etc.* contra *Elbel*, qui putat *probabile* quod possint; quia Episcopi tunc dispensant vero jure ordinario, ut *valde probabiliter* docet *Less.* Vide L. 6. n. 1128.

3. Praedicta facultas quae *probabiliter* conceditur Episcopis, et aliis quibus ab ipsis communicata est potestas dispensandi in votis reservatis, urgente necessitate, non conceditur Confessariis in Jubilaeo habentibus a Papa facultatem dispensandi in votis simplicibus.

4. Dispensatio praefata non est concedenda, nisi quatenus necessitas obliget; unde si sufficiat ut suspendatur votum, non potest dispensari.

Quaeritur 1. Quandonam praedicta quatuor vota non sunt reservata?

R. Praedicta vota minime sunt reservata in sequentibus casibus:

1. Si sint emissa sub obligatione levi.

2. Si sint emissa ex metu etiam levi, ab alio incusso, quia tunc non sunt facta cum plena libertate.

3. Si votum non sit perfectum ex parte materiae; et ideo non est reservatum votum non nubendi, non fornicandi, non petendi debitum, neque servandae virginitatis, si intendatur tantum conservatio illius; secus si abstinentia ab omni actu venereo; neque reservatur votum castitatis pro aliquo tempore, neque votum emittendi votum castitatis aut religionis, vel suscipiendi ordines sacros; quia non est votum castitatis factum, sed faciendum. Ita *Laym.*, *Suar.*, *etc.*, neque votum servandae castitatis conjugalis. Ita *Salm.*, *Sanch.*, *etc.*

4. Non est reservatum votum religionis non approbatae; nec votum peregrinationis Romam, etc., si non sit emissum sola devotionis causa, et praecise illorum locorum.

5. Quamvis vota sint reservata, non sunt tamen reservatae circumstantiae ipsorum, puta peregrinandi mendicando, ingrediendi religionem arctiorem; potest enim Episcopus dispensare ut is ingrediatur laxiorem; item, si votum sit ingrediendi statim, potest Episcopus cum causa dispensare, ut differatur ingressus.

6. Nec est reservatum votum disjunctivum, puta Religionis aut jejunii, saltem, si non elegerit partem reservatam, ut *Sanch.*, *Less.*, *Laym.*, *etc.* - 258.

Quaeritur 2. An valida sit dispensatio, si Superior mala fide dispenset, judicans non subesse causam, et causa revere existat?

R. Vide *Tract. de Legibus*, *n.* 181. ubi sententiam affirmativam ut *probabiliorem* tenuimus.

Quaeritur 3. An valida sit dispensatio, si bona fide credatur adesse justa causa, quae revera non sit?

R. Si bona fide credatur adesse justa causa quae revera non sit, *Sanch.*, *Les.*, *Salm.*, *etc*, tenent validam esse dispensationem; quia talis censenda est voluntas divina, ne conscientiae anxietatibus vexentur.

Oppositum tamen censeo cum *Pal.*, *etc.*, si postea certo comperiatur non adfuisse causam, vel non sufficientem, quia adest principium certum, quod in lege Superioris invalide dispensat inferior sine sufficienti causa.

Secus autem dicendum puto, si dubium sit an adfuerit causa, vel an sufficiens: tum quia in dubio tunc stat pro valore dispensationis; tum quia in eo casu urget ratio primae sententiae, nempe quod esset res nimis scrupulis obnoxia, si homines post obtentam dispensationem, inquirere tenerentur de ejus valore. - 251.

Quaeritur 4. Quaenam sint causae sufficientes ad dispensationem?

R. Causae sufficientes ad dispensationem sunt sequentes:

1. Bonum Ecclesiae, vel commune Reipublicae, vel familiae, vel profectus voventis.

2. Periculum transgressionis ob indispositionem particularem voventis, vel ob communem fragilitatem hominum.

3. Magna difficultas in executione, non solum si non fuit praevisa, ut dicunt *Sanch., Pal., Suar.*, sed etiam si praevisa fuerit, ut censent *Salm., Tamb.*; tum quia tunc etiam adest periculum transgressionis; tum quia res multo difficilior apprehenditur dum instat executio, quam dum deliberatur; et etiamsi talis difficultas ortum habeat ex fragilitate voventis, ut *Suar., Pal., Laym.*

4. Si vovens vexetur magnis scrupulis. Ita *Salm., Sanch., etc.* - 252.

5. Si votum emissum sit immature, scilicet cum nimia facilitate, vel ex imperfecta deliberatione, vel sine perfecta libertate. *Sanch., Caj., Pal., Suar., etc.* Ob hanc rationem in votis impuberum sine alia causa potest absolute dispensari sine aliqua commutatione, ut *Sanch., Tamb., Pal., etc.*

6. Si votum sit emissum ob metum levem, incussum ab extrinseco. *Sanch., Pal., etc.*

7. Quando imperfecta deliberatio, aut libertas in vovendo processit ex tristitia, sive metu intrinseco naufragii, mortis, vel alterius mali, quia tunc immature vota fieri solent; et ideo potest in eis dispensari sine commutatione. Si autem constaret maturam adfuisse deliberationem, tunc dispensationi admisceatur aliqua commutatio. Sicut etiam fieri debet, si cesset causa impulsiva voti. Ita *Salm., Pal., Sanch.*, et *Tamb.* - 253.

Quaeritur 4. An in voto redundante in utilitatem hominis, possit dispensari, aut illud commutari sine ejus consensu?

R. 1. Si votum nondum a tertio est acceptatum, *communissima* est sententia posse id commutari; ut *Elbel, Sanch., Caj., etc.* 2. Si promissio fiat soli Deo dandi aliquid pauperibus indeterminatis, tunc semper commutari potest; ut *Sanch., Suar., Lugo, etc.* 3. Si e converso promissio facta sit in utilitatem solius hominis, et sic acceptata, nullatenus sine ejus consensu revocari potest, ut diximus supra, n. 192.

Quaeritur 5. An votum *principaliter* emissum in honorem Dei, sed *secundarie* seu *minus principaliter*, etiam in favorem alicujus tertii determinati, puta talis Ecclesiae vel pauperis, possit commutari, postquam ab his sit acceptatum, sine eorum consensu?

R. Negant Elbel, Less., Sanch., etc.; quia tunc jus acquiritur Ecclesiae acceptanti, aut pauperi. Alii tamen, ut *Sporer, Vivà, Fagund., etc.*, dicunt *satis esse probabile* quod bene potest tale votum commutari auctoritate Praelati, vel propria, etiam post acceptationem. Ratio hujus sententiae est, quia haec vota *principaliter* diriguntur in Deum, in finem *cujus:* et pauper est solum finis *cui minus principalis*, sive accessorius qui finem principalem sequi debet. Hinc, Deus est tota causa promissionis, et per accidens se habet quod acceptaverit pauper.

Notandum 1. Quod talis simplex promissio facta homini, etiam acceptata, etsi obligaret, non obligaret tamen sub gravi, juxta *valde probabilem sententiam Salmanticensium*, ut fusius dicemus *in Tract. de Contr. n.* 720.

2. Quod idem quod dictum est de voto, dicendum est de juramento *principaliter* emisso in honorem Dei, quod possit relaxari ab Episcopo sine consensu partis.

3. Sed quoad hoc intelligitur de sola promissione gratuita : secus vero dicendum, si pars acceptans se ad aliquod onus obligaret in commodum promittentis, tunc enim, cum intercedat ibi contractus onerosus utrimque obligatorius, promissio ; et consequenter juramentum non potest remitti promittenti, nisi altera pars consenserit, juxta legem contractuum. - 255.

Quaeritur 7. An Papa possit dispensare in votis solemnibus ?

R. 1. Quoad Clericos in sacris bene *probabiliter* potest in voto castitatis (*a*), cum *satis probabiliter* hoc votum sit jure Ecclesiastico tantum sacris Ordinibus annexum. Vide *de sacram. Ordinis*, n. 807. Ita *S. Thom., Suar., etc.*

2. Quod Religiosos, *negant Sot., etc.*, quia vota haec sunt essentialiter annexa statui Religioso de jure Divino. Sed *probabilius et communius affirmant S. Thom., Sal., S. Antonin., Suar., Less., etc.* Ratio, quia recte censetur hoc Pontifici concessum, cui concessit Deus totius Ecclesiae regimen.

Notandum quod qui habeant facultatem dispensandi sive ordinariam sive delegatam, quamvis nequeant vota propria irritare, quia nemo potest emittere votum sub conditione sui consensus, bene possunt in eis secum dispensare, cum sit actus jurisdictionis voluntariae. Ita *Less., Croix, Laym., Suar., Sanch., etc.* - 256.

Quaeritur 8. An juramentum castitatis, sive Religionis sit reservatum pariter ac votum ?

R. Adsunt tres sententiae. *Prima sententia affirmat* cum *Less. Laym. Secunda sententia distinguit:* si juramentum includat votum, seu promissionem obligatoriam erga Deum, dicit illud esse reservatum; secus, si non includat. *Tertia sententia congruentius* loquitur et tenet quod minime sit reservatum tale juramentum etsi forte sit in ipso votum inclusum, votum equidem erit reservatum, sed non juramentum. In dubio autem an adfuerit tale votum, jam communis est regula quod votum dubie emissum non obliget. - 259.

Quaeritur 9. Utrum, commutato voto reservato, materia subrogata etiam reservata sit ?

R. Affirmant Azor et alii. Sed *communiter* et *probabilius negant Less., Sanch., etc.* Ratio, quia licet materia subrogata habeat idem vinculum voti, sed cum non sit reservata, secum minime trahit reservationem, quae primae tantum addicta est.

Quaeritur 10. An votum conditionale castitatis, etc., sit reservatum ?

R. 1. Si conditio sit de praeterito vel de praesenti, certe votum remanet reservatum ; quia tunc revera non dicitur conditionale, sed absolutum, cum conditio non suspendat obligationem. Idem dicendum, si conditio sit de futuro necessario, quae habetur ut non apposita : vel etiam de futuro contingente, quod sit commune, v. gr. *si vixero, si potero, etc.* Item si conditio apponatur animo suspendendi non obligationem, sed executionem voti, v. gr. *voveo me ingressurum Religionem, si vigesimum annum attigero, etc.*

2. Certum est quod si conditio nondum sit impleta, potest in voto dispensari a quocumque habente facultatem ordinariam, quia reservatio intelligitur de obligatione consummata ; est *commune* cum *Salm.* - 260.

3. Si conditio est de futuro, et jam impleta, adest duplex sententia *probabilis. Prima affirmat*, sive votum sit

(*a*) *Modo sit causa urgentissima. Dicitur* Clericorum, *sed non Sacerdotum, ut vult* communis *sententia.* - *H.* 50.

conditionale ; sive poenale. *Secunda sententia* dicit reservatum quidem esse votum conditionale , non autem poenale. *Tertia* vero *sententia valde probabilior* docet omnia vota sive conditionalia , sive poenalia non esse reservata. Ratio , quia votum , ut sit reservatum , debet procedere ex perfecto et solo affectu ad rem promissam. Sic enim reservatio intelligenda est : votum autem poenale tale non est ut patet ; neque votum conditionale , ubi conditio praefertur rei promissae , et ideo principalis affectus magis est ad conditionem. - 261.

Quaeritur 11. Utrum cum peregrinis possit dispensari ab Episcopo loci, ubi reperiuntur, in votis et juramentis ?

R. Probabilius negatur cum *Sanch.*, et aliis *communiter*, nisi animum saltem habeant manendi ibi per majorem anni partem. Vide *Tract. de Leg. n.* 158., ubi *satis probabile* est peregrinos fieri vere subditos Superiori illius loci ubi sunt, etiam si per breve tempus ibi commorentur. - 262.

TRACTATUS VIII.

DE TERTIO PRAECEPTO DECALOGI.

De Obligatione Festa sanctificandi. De Abstinentia ab operibus servilibus. De his quae praecipiuntur in diebus festis.

CAPUT I.

DE OBLIGATIONE FESTA SANCTIFICANDI.

Praeceptum hoc, quatenus vult tempus aliquod sanctificari , sive impendi cultui Divino , est naturale et adhuc obligat : quatenus vero tempus ad id designatur die Sabbati , est caeremoniale , et in novo Testamento abrogatum , ac pro eo ab Ecclesia designatus dies Dominicus , et Festi, praescriptusque modus colendi , ut quaedam opera illis diebus fiant , quaedam non ; haec prohibentur , illa praecipiuntur. *Bon., Laym.*, ex *D. Thom.* - 263.

Quaeritur 1. An hoc praecepto praecipiatur cultus Dei etiam interior ?

R. Affirmant Scotus, etc., unde dicunt teneri fideles ex hoc praecepto ad eliciendos actus charitatis, et contritionis ; sic enim obtinetur animae sanctificatio quae hoc praecepto jubetur.

Sed communissime *negant S. Antonin., Sanch., Salm., Bon., etc.* ex *D. Thom.* : Qui docet quod ad interiorem cultum non cogimur , sed movemur a Spiritu Sancto : « et ideo, ait, » in tertio praecepto praecipitur exte- » rior Dei cultus. » Sanctificatio animae est quidem finis praecepti ; sed finis praecepti non cadit sub praecepto, justa commune axioma Theologorum, et ut docet idem *S. Thom.* , « Non » enim idem est finis praecepti , et id » de quo praeceptum datur. » Ita etiam Catechismus *romanus*.

Quaeritur 2. An hoc praeceptum sit affirmativum , vel negativum ?

R. Esse affirmativum, dum non obligat semper , et ad semper. *Suar.* , *Sanch., Pal., etc.* - 264.

Quaeritur 3. An observantia diei Dominici sit de jure Naturali sive Divino , vel tantum Ecclesiastico ?

R. Prima sententia asserit eam esse de jure divino. Sed *longe probabilior*, et *communis* est *secunda sententia* , quod sit de jure Ecclesiastico , ex Catechismo *Rom.*, et ex *S. Thom.* Ideo observantia Dominicae ab Ecclesia mutari , et in ea dispensari potest; quamvis in hoc dispensari non possit ut nullus sit dies festivus cultui Divino deputatus. Licet sit de jure Divino et Naturali , ut designetur aliquod tempus determinatum ad Deum colendum, determinatio tamen hujus cultus, et dierum quibus conferendus est , fuit a

Christo dispositioni Ecclesiae relicta; ita ut posset *Papa* decernere ut observantia Dominicae duraret tantum per aliquot horas, et quod licerent aliqua opera servilia. Et ideo praeceptum hoc, quoad exhibitionem cultus, est quidem Divinum, sed, quoad determinationem cultus et temporis, est Ecclesiasticum. - 265.

Quaeritur 4. An Episcopi possint pro suis Dioecesibus festa indicere?

R. Probabilius est quod possint. Sed requiritur consensus Cleri, et populi *Az., Bon., etc. Notandum* tamen 1. quod sufficit si Clerus et Populus non contradicant. 2. Quod licet Episcopus, illis contradicentibus, nequeat Festa indicere perpetua, possit tamen una, vel altera vice.

Quaeritur 5. An Episcopi possint Festa instituere in honorem Sanctorum tantum beatificatorum?

R. Affirmant Suar., etc. Sed *verius negant Sanch., etc.* - 266.

Quaeritur 6. A quonam tempore incipiat obligatio diei Festi?

R. Probabilius incipit a media nocte ad aliam: talis enim est usus hodiernus Ecclesiae Romanae. Verum est tamen, quod possint institui Festa usque ad meridiem, aut noctem. - 267.

Quaeritur 7. Quinam teneantur observare Festa?

R. Omnes Fideles rationis compotes, id est, circa finem septennii. Ita ex *communi Croix, Salm.* Hinc pueri, qui ante septennium certo pervenerint ad usum rationis, tenentur, ut censent *probabilius Suar., Nav., Az., Salm.*; quia lex ista obligat omnes qui ad annos discretionis perveniunt. Contra vero, non tenentur, si post septennium adhuc usu rationis carerent.

Sed non immerito sententiam oppositam *probabilem* putant *Elbel, etc.*, nempe pueros ante septennium, etiamsi usum rationis acquisierint, non teneri ad leges positivas, quia istae non obligant nisi secundum communiter contingentia.

Post septennium vero, in dubio rationis adeptae, pueri certe tenentur ad omnes leges, quia tunc sine dubio praesumptio ex communiter contingentibus stat pro obligatione. *Elbel, Sanch., Bon. etc.*

Nota. Qui simul esset caecus, mutus et surdus non teneretur adesse Missae, quia non posset praestare moralem assistentiam; secus, si tantum sit caecus, vel surdus. - 270.

Quaeritur 8. An hoc praeceptum obliget sub gravi?

R. Affirmative, ex prop. 52, ab *Innoc. XI.* damnata, quae dicebat; « Praeceptum servandi festa non obli» gat sub mortali, seposito scandalo, » si absit contemptus. »

Quaeritur 9. Ad quid obliget hoc praeceptum?

R. Ad audiendum sacrum, et abstinendum a servilibus, de quibus infra. - 268.

CAPUT II.

DE ABSTINENTIA AB OPERIBUS SERVILIBUS.

De operibus in die Festo prohibitis. De Causis excusantibus in operibus prohibitis.

ARTICULUS I.

De operibus in die Festo prohibitis servilibus et forensibus.

§. I. - *De operibus servilibus.*

Triplex genus operum datur communiter ab AA. Alia sunt opera *corporis*, ut fodere, suere, etc. Et haec dicuntur *servilia*, quia a servis fieri solent.

Alia sunt opera *Animae*, quae ab Anima praecipue procedunt, et ad animum excolendum spectant, ut legere,

docere, canere, organa pulsare, etc. Et haec dicuntur *Liberalia*, quia a liberis exercentur.

Alia denique sunt *Media*, aut *Communia*, quae a liberis et servis promiscue exercentur, ut iter facere, venari, etc. *Laym., Bon., etc.;* quibus praenotatis.

Dico : Die Festo prohibentur omnia opera servilia. Ita DD. *Communiter.* - 272.

Quaeritur 1. An impertinens sit ad rationem operis servilis, utrum fiat ex lucro, an ex recreatione ?

R. Affirmative. Idem dicendum sive opus fiat hac vel ista intentione pia, vana, et turpi. Impertinens quoque est, sive fiat cum defatigatione et labore, sive non; sive brevi, sive longo tempore, etc., quia nihil horum mutat naturam operis. Unde servile non est, ideoque nec prohibitum, in Festo ludere, choreas ducere, instrumenta musica pulsare, etc. *Nov., Tol., Laym., Suar.* - 274.

Quaeritur 2. Utrum licitum sit in die festo itinerari pedibus, equo, vel curru ?

R. Negant Caj., Syl., etc. At *affirmandum est ex communi* cum *Bus., Viva, Elbel, Salm.;* et sententia opposita nunc relinquenda est ut antiquata. - 275.

Quaeritur 3. An liceat ducere currus, vel jumenta onusta die festo ?

R. Triplex est sententia. *Prima* tenet hoc esse per se opus servile, praeciso labore. Ita *Bus., Bon., S. Antonin., Nav., etc.*

Secunda sententia tenet hoc non licere sub gravi, non autem per se, sed ratione laboris, si is esset gravis in imponendis, aut levandis oneribus; secus, si labor esset modicus. Ita *Croix, Tamb., Sanch., etc.*

Tertia sententia probabilior, saltem hodie, quam tenent *Viva, Ronc., Salm.*, cum aliis, censet omnino licitum esse, non solum iter inceptum continuare, sed etiam inchoare. Ratio, quia in tali labore muliones non insumunt tempus notabile : et si aliquando sit notabile, excusatur vel ob evitandum grave damnum, vel ob publicam utilitatem, vel denique quia adest universalis consuetudo; quam adesse merito asserit *Mazz.* Idemque ait de nautis. - 276.

Quaeritur 4. An liceat in Festis molere ?

R. Concedit *Sanch.*, si sit mola quae agitur acqua, vel vento ; non autem si agatur bestiis, et in qua requiritur magnus labor et occupatio. *Ex* qua doctrina *satis probabiliter* inferunt *Tomb. Croix*, quod quando cooperatio et applicatio hominis est modica, non sit illicitum, saltem graviter, etiam cum bestiis molere. - 277.

Quaeritur 5. An docere, scribere, canere, etc., sint servilia, si fiant ob lucrum ?

R. Affirmant Abul. Az., etc., quia licet tales actiones sint liberales, ex lucro tamen fiunt serviles. Sed tenendum est oppositum ex *S. Thom.* cum *Sot., Nav., Suar., etc.* Ratio, quia intentio oparantis non potest opus mutare. - 278.

Quaeritur 6. An transcribere sit opus servile ?

R. Affirmant Caj., Nav., Sanch. etc. Sed *negant communissime, et probabilius Elbel., Conc., Suar., Salm., Bon., Sa., etc.;* quia transcribere, sicut scribere, ordinatur ad mentem instruendam. Et ideo *Elbel, Viva* notant licere etiam transcribere notas musicas, et rationes, et etiam characteres componere ; sic etiam *Laym., Bus., Maz., etc.* - 279.

Quaeritur 7. An pingere sit opus servile ?

R. Prima sententia negat, cum *Lopez., Sylv., Suar., etc. Secunda* tamen *communior affirmat*, quia non

potest dici actio liberalis, cum non tendat ad mentem instruendam, ut tendit scriptura, sed solum ad assimilandas imagines rerum.

Hoc tamen non obstante, *Laym.*, *Viva*, *Elb.*, *Holzm.*, *Conc.*, *etc.* admittunt primam sententiam esse *probabilem*, modo id fiat sine magno apparatu, scilicet, colores miscendo, tabulas dolando, etc. Ratio, quia, licet pingere requirat operationem materialem, non videtur tamen proprie posse dici actio servilis; imo potius dicenda videtur liberalis: nam, sicut scriptura exprimit conceptus internos, ita pictura exprimit imagines rerum.

Negari ergo non potest, praedictam opinionem *satis esse probabilem:* nam, etsi non constaret, quod pingere sit opus liberale, nec etiam constat esse servile; quod utique constandum fore videtur, ut possit dici prohibitum. *Probabilius* enim videtur esse actio saltem *media* et *communis* servis et liberis, dum saepe communiter observamus nobiles viros non erubescere hanc operationem pingendi addiscere, et exercere. Saltem non sunt dimittendi sine absolutione, qui hanc opinionem ut *probabilem* sequuntur. - 280.

Quaeritur 8. An sit opus servile delineare, retrahere imagines vel exemplaria acu, ut solent feminae?

R. Communiter admittunt hoc non esse opus servile *Spor.*, *Maz.*, *etc.* Ratio, quia haec magis referuntur ad exercendum ingenium quam ad operandum. Excusant *Az.*, *Sylv.*, *etc.* puellas acu pingentes, ut addiscant. Sic etiam *Pal.*, *Sa.*, *etc.*

Quaeritur 9. Quid sentiendum de arte sculptoria?

R. Communiter, saltem in aestimatione hominum, inter artes mechanicas numeratur. - 281.

Quaeritur 10. An venatio, aucupatio, et piscatio sint opera vetita diebus Dominicis et Festis?

R. Adest duplex sententia. *Primo* affirmat. *Secunda probabilior et communior negat esse* prohibita, etsi fiant causa lucri; vel quia non sunt opera servilia, ut tenent *Laym.*, *etc.*; vel quia saltem excusantur a consuetudine, ut recte tenent *Holz.*, *etc.*; modo, intellige, haec fiant sine magno labore, alias frustra videretur Pontifex dispensasse in piscatione halecum. - 283.

§. II. — *De Operibus Forensibus.*

In diebus festis prohibentur quaedam opera non servilia quae dicuntur forensia, ut sunt placitum, judicium ad mortem vel poenam, et strepitus omnis judicii, id est, actiones quae ad decisionem causarum tam civilium quam criminalium, tam saecularium quam Ecclesiasticarum spectant, ut formatio processus, citatio partis, et sententiae prolatio, sive executio; nisi aliter requirat necessitas, aut pietas. Ita *communiter* DD. - 284.

Quaeritur 1. An nundinae et mercatus prohibeantur in diebus Festis?

R. Nundinae universales ex consuetudine jam permittuntur, et alicubi etiam nundinae particulares in quavis hebdomada. Ita *Viva*, *Pal.*, *Salm.*, *Sanch.*, *Croix*, *etc.* Emptiones autem mercium certe sunt vetitae a jure Canonico, ut ait *Sanch.* At ubi est contraria consuetudo excusantur. Consuetudo enim, ait *Mazz.*, in hoc magna ex parte legem abrogavit.

Hinc, notant *Salm. etc.* permitti in Festis vendere poculenta et esculenta, etsi ad gulositatem. Item, vendere calceos, candelas et similia, quorum pretium jam aestimatum sit. Item vendere domum, equum, merces, etiam praesentes, et quamvis in hoc multum tempus impendatur: tum quia Ecclesia tantum venditiones in publicis

officinis prohibuit ratione scandali (*a*). Ita *Salm., Sanch., Nav., Croix, Pal., Tamb.*

Quaeritur 2. An nomine mercatus vetentur in diebus Festis locationes, negociationes et similia?

R. Affirmant Bus., Sylv., etc. Sed *communius negant Sanch., Salm., Pal., Azor., etc.*, quia talis est sapientum consuetudo. Hinc licitos esse omnes contractus, si fiant sine instrumentis, et Judicis auctoritate, dicunt *Sanch.* et alii. Ideo venditionem magni momenti cum solemnitate *Mazz.* damnat de mortali. Sed *Viva* asserit *ex communi* quod permittatur conficere testamenta, contractus celebrare, aliosque similes actus facere, qui non requirunt strepitum judicialem; et revera ubique inter nos in Festis stipulantur instrumenta; quamvis Notarii alicubi soleant ad hoc petere ab Ordinario generalem licentiam, quae caeterum communiter conceditur. - 286.

Nota. Quod in die Festo, licet excommunicare, dispensare, Judicem privatim informare, Advocatum consulere, consilia conficere, eligere etc., quia non requirunt strepitum judiciale. - 287.

Quaeritur demum, an peccent contra hoc praeceptum, qui peccant die Festo?

R. Affirmant Bon., S. Antonin. quia, ut dicunt, peccatum opponitur cultui Divino, qui in festo praecipitur. Sed *probabilior, et longe communior* est *contraria sententia*, quam tenent *Nav., Suar., Lugo, Salm., Caj., Sot., Sylv., Sanch., D. Thom., etc.* quia finis praecepti non cadit sub praecepto, ut dictum est. n. 264. - 273.

ARTICULUS II.

De Causis excusantibus in operibus prohibitis.

Septem sunt causae praecipuae excusantes ab operibus servilibus nempe;

1. Dispensatio. - 288.

2. Consuetudo. - 290.

3. Pietas in Deum. - 291.

4. Charitas erga proximum. - 294.

5. Necessitas propria vel aliena corporis vel animae; si nimirum, sine gravi incommodo, aut detrimento, aliquid omitti non possit. - 295.

6. Utilitas non simpliciter necessaria, sed ad communem laetitiam, vel splendorem; v. g. ob victoriam, adventum, vel ortum principis, perficere theatra, etc. dummodo talia die festo praeveniri non potuerint. - 304.

7. Parvitas operis, seu temporis, quae excusat saltem a gravi peccato - 305.

Unde:

I. In praecepto abstinendi ab opere servili *dispensare* possunt,

1. Pontifex, ut supremus Legislator et Pastor, in omnibus festivitatibus, et pro tota ecclesia.

2. Episcopi in sua Dioecesi, et etiam Vicarii Capituli, sede vacante, dispensare possunt in Festis etiam communibus; sed si in his dispensent sine justa causa, peccant graviter, et invalida est dispensatio; secus, si dispensent in Festis synodalibus, sive particularibus loci.

3. Praelati regulares erga suos Religiosos subditos, et eorum Domesticos.

4. Parochus dispensare potest quando subditus nequit adire Episcopum,

(*a*) *Item permittunt DD. etiam mercatoribus vendere aliquid, clausis januis, cum emptores pro tunc iis valde indigerent.* - *H.* 13.

sed tantum ad tempus et pro aliquo particulari casu. Ita *Sanch.*, *Caj.*, *Sot.*, *Nav.*, *Suar.*, *Pal.*, *Azor.* et *Viva* qui notat quod Vicarius Generalis Episcopi etiam possit dispensare, sed tantum ex speciali mandato; nam, ex generali, ei non committuntur illa, quae gratiam sapiunt, ut ait *Tamb., etc.*

Etiam vero, praesente Episcopo, Parochi ex consuetudine possunt dispensare in minutis et frequentibus necessitatibus: in iis tamen rebus tantum, in quibus ex consuetudine introductum est ipsos dispensare, prout in jejunio et in vacatione ab operibus servilibus in Festis. Ita *Viva*, *Tamb.*, *Sanch.*, *Spor.*, *etc.*

Censet autem *Elbel*, quod urgente necessitate, sufficit etiam dispensatio praesumpta, si dispensator adiri nequeat. Ita etiam *Suar.*, *Sylv.*, *etc.*

Nota, quod habens potestatem ordinariam, potest eam alteri delegare; non tamen si habeat delegatam. *Croix, etc.* - 288.

II. Ex *consuetudine Salm.*, *Sanch.*, excusant eos, qui in area vertunt ut separent segetes, et hortulanos rigantes olera. *Fernandez* et *Tamb.* excusant barbitonsores ex consuetudine. Notat autem *Viva*, quod *communius* DD. dubitant de tali consuetudine approbata. Admittunt tamen *probabiliter Tourn.*, *Mazz.*, *Croix.*. *Elbel*, *Tamb.*, *etc.* eos excusari posse, vel ex parvitate materiae, scilicet si unum, vel alterum tondeant, vel ex necessitate rusticorum quibus tantum diebus Festis conceditur ut tondeantur. Et idem concedunt *Salm.*, *etc.*, non solum quando rustici alibi habitant, sed etiam in eodem loco, ubi degit barbitonsor, ex consuetudine jam introducta. Excusant etiam eos *Viva*, *Mazz.*, *Tamb.*, *Croix*, *etc.* ratione notabilis lucri cessantis, si alias a plerisque relinquerentur cum gravi jactura lucri. *Spor.* universe permittit id ex consuetudine fere ubique tolerata. - 296.

III. Ex *pietate* in Deum licita sunt opera quae proxime, non quae remote spectant ad cultum Dei; ut pulsare campanas, circumferre imagines, vel cruces in supplicatione. - 291.

IV. Ex *charitate* erga proximum liciti sunt, et valent actus judiciales, pauperum, orphanorum, viduarum et miserabilium personarum, ne expensis graventur. Sic etiam possunt rusticanorum, in parvis oppidis, si aliis diebus edesse nequeant, causae civiles agitari. Similiter licet pauperibus et infirmis, pro tunc egentibus, subvenire. Item emere et vendere rusticis, qui aliis diebus impediuntur. *Laym.*, *etc.* - 294.

V. Ex *necessitate* excusantur 1. Famuli coacti a dominis ad laborandum in die festo, nisi sit in Festi contemptum, hi satis excusantur ob timorem gravis indignationis domini, aut gravis incommodi, v. g. si timeant ne dimittantur, quin possint statim, aut de facili alium dominum invenire. Ita *Croix*, *Ronc.*, *Elbel*, *etc.* Quod si talis timor non adsit, *verius* dicunt *Sanch.*, *Salm.*, *Ronc.*, *etc.* ipsos teneri statim dominos deserere; nisi sint addiscentes, vel obligati ad famulandum usque ad certum tempus, si hi vere grave damnum paterentur.

Idem, quod de famulis, dicitur de filiis, aut uxoribus, quae coguntur ad laborandum a viris, si nequeant renuere sine timore gravis damni, aut gravis indignationis. - 296.

2. Excusantur famuli et similes reficientes suas vestes, cum id aliis diebus non possint.

3. Pauperes, qui se suosque alere non possunt, operantes privatim, sine scandalo, maxime quando multi diei festi concurrunt. - 297.

4. Chirurgi, Pharmacopolae, Conflatores ferri, et vitri, coctores late

rum, calcis, etc., et quicumque, quorum opus semel coeptum non potest interrumpi sine damno; quia talium coctio plures requirit dies; et haec potest aliquando etiam inchoari die festo ad vitandum grave damnum. *Sanch., Sot., Pal. Nav.*,

5. Licitum est pariter ferrare equos itinerantium, vel eorum, qui summo mane iter sunt acturi, aut in agrum egressuri ad laborandum; nam, alias grave damnum paterentur. Est *commune, Salm., etc.* Ideo possunt refici vomeres eorum qui aliter die sequenti laborare non valerent. - 300.

6. Excusantur instauratores fontium, pontium, viarum publicarum et similium, quae moram non patiuntur.

7. Sartores in operibus necessariis, ut funeribus, nuptiis, etc. si aliter fieri non possit, ut satisfaciant, urgente necessitate, *Salm., etc.* Eos excusant etiam *Viva, Mazzot. Spor. etc.*, si alii expectent ad usum vestes promissas: sed intelligendum, si aliter sartores passuri essent grave incommodum. Idem dicunt *Salm.* de sutoribus.

8. Agricolae, ad cavendum damnum, ruri laborantes, ut si ob pluviam imminentem segetes vel fenum congregent.

9. Mercatores, qui clausis tabernis, quaedam vendunt, cum praesupponere possint emptoribus ea tunc esse necessaria, nec eos alias commode emere posse. Vide n. 296. - 303.

10. Excusantur coqui et culinarii. Certum est licere coquere cibos, ut DD. *communiter* cum *S. Thom.*, et quod ad ipsos praeparandos pertinet. Licitum est etiam animalia occidere et excoriare, si pridie commode non potuerit fieri, ut solet evenire in magnis civitalibus, non autem in oppidulis, nisi sit in tempore aestivo, vel nisi concurrant plura Festa. *Sanch., etc.*

11. Licitum est etiam artocopis facere pastillos, si sint pro cibo proprio tantum illius diei, vel iis opus esset ad publicam abundantiam.

Quaeritur 1. An liceat in die festo verrere templum, coquere hostias, ornare altaria aut ecclesiam tapetibus, tabulata erigere necessaria ad festivitatem, vel sepulcrum, et similia?

R. Tres sunt sententiae. *Prima* dicit haec esse illicita sub gravi, nisi excuset rationabilis causa; sed haec est contra *communem.*

Secunda dicit non esse servilia illa opera, sed si possent expediri die praecedenti, esset veniale transferre illa ad diem festum.

Tertia satis probabilis tenet, haec ne sub levi quidem vetari in die festo: tum quia est communis consuetudo, tum quia haec opera per se proxime concurrunt ad cultum Divinum. - 293.

Quaeritur 2. An ob solam pietatem, sine actuali necessitate, liceat in Festis laborare, scilicet conficere vestes pro pauperibus, colere agros Ecclesiae, vehere lapides et ligna ad ejus aedificium, dealbare parietes templi?

R. Affirmant Angl. Tamb., Sal., Sylv., etc. Negant vero alii licere, nisi actu urgeat necessitas, vel saltem nisi interveniat licentia Episcopi. Haec secunda sententia mihi videtur *certe probabilior* cum *Sanch., Pal., Bon., Salm., Suar., Caj., Nav.* - 293.

Quaeritur 3. Utrum liceat conficere cibos ad delectationem, puta sacchara condita etc.?

R. Negant Sanch, Salm., Conc., nisi sint ad modum victus diurni, vel nisi occurrat improvisa aliqua specialis causa invitandi amicos, vel nisi, addit *Conc.*, tales cibi die antecedenti non sic commode vel sane fieri possint.

Sed *Pal.*, dicit hos cibos etsi superfluos et ad delectationem conficere, excusari consuetudine, et merito *pro-*

babile putat *Tamb.* Et consentit *Viva*, cum *Az.* et *Mazz.*

Permittunt etiam ex consuetudine *Mazz., Pal., etc.*, colligere fructus in die festo, etiam non necessarios ad usum diei, ut integriores serventur. Et hoc facilius permittendum, si periculum sit ut ab aliis subripiantur, vel a pluvia contaminentur. Unde usu receptum est multis in locis, colligi in die festo olivas, castaneas, et alios fructus sylvestres. Certum est autem licere in Festis praestare opera, quae sunt necessaria ad usum quotidianum, ut sternere lectos, purgare domum, aut vestes, utensilia culinaria lavare, et similia. *Elbel, Sporer., etc. communiter.* - 298.

Quaeritur 4. Utrum liceat conficere et coquere panem?

R. Quoad pistores seu furnarios, ait *Viva* eos *communius* a DD. non excusari, si possint illum conficere die antecedenti. *Bonac.* et *Sanch. etc.* excusant, si interveniat concursus Festorum, aut multitudo emptorum, vel utilitas populi.

Probabiliter tamen *Mazz., Salm.*, cum *Sa., Az., etc.*, universe tales excusant, etsi ad panem conficiendum farinam cribrent, triticum terant. Ratio, tum quia semper adest aliqua ex causis excusantibus a *Sanch.* et *Bon.* mox assignatis; tum quia panis diurnus est aptior ad victum; et alias minima ejus penuria apta esset ad populum commovendum; tum, quia adest consuetudo Romae, et crederem posse dici ubique. Ita quoad pistores; sed quoad alios, merito dubitat *Tamb.* an adsit consuetudo permittens conficere panem, nisi concurrant plura Festa; vel nisi panis coctus non sit satis aptus; vel denique nisi sit necessarius ad usum illius diei, ut dixi de pastillis, quia tunc reducitur ad praeparationem proprii victus, *Tamb., Sanch., Bon. etc.* - 299.

Quaeritur 5. An occasio quaerendi magnum lucrum excuset ab exercendis servilibus in die festo?

R. Duplex est sententia *probabilis*. *Prima affirmat* cum *Caj., Angl.. etc.*, quia amissio magni lucri, scilicet extraordinarii, non autem mercedis diurnae, idem est ac magnum pati damnum.

Secunda tamen *sententia*, quam tenent *Ronc., Suar., Pal., etc. negat* eam excusare, quia, ut dicunt, non est idem amittere lucrum ac damnum pati.

Sed prima sententia est *magis* forte *probabilis*, cum communiter illi, qui laboribus se sustentant, raras habeant occasiones talis magni lucri acquirendi, et existiment magnum damnum se sustinere quando magnum lucrum amittunt. Saltem, in tali circumstantia dicendum videtur, praeceptum Festi, prout humanum, non obligare cum tanta jactura, ut ait *Tamb.* Necnon *Ronc.* non negat saltem excusare magnum lucrum speratum, si esset tale, quod ex eo posset quis multas necessitates patiens, sibi providere et suis. Sic etiam *Suar., etc.* - 301.

Quaeritur 6. An excuset ratio otii vitandi?

R. Adsunt tres sententiae. *Prima* cum *Suar., etc., omnino negat. Secunda*, quam tenent *Sa., Syl., etc.* excusat eos qui, nisi laborent, occasione otii versantur in probabili periculo peccandi.

Hanc sententiam admittunt *Tamb., Viva, Sanch., Croix, etc.* tantum in casu quo urgeret tentatio, quae aliter vinci non posset, nisi laborando. Et sic etiam vere loquitur *Laym.*, qui ideo dicit cum *Viva* et *Spor.* raro talem necessitatem laborandi accidere. Et haec est *tertia sententia*, cui libentius subscribo. - 302.

Quaeritur 7. Quod tempus injunctum labori, constituat gravitatem materiae?

R. Aliqui Canonistae ponunt pro materia gravi tertiam partem diei ; sed haec opinio communiter rejicitur. Alii contra nimis rigorose ponunt unam horam. Ita *Az.*, *Bon.*, *etc.* Alii (*a*) ponunt pro materia gravi duas horas. Ita *Ronc.*, *Sanc.*, *Salm.*, *Pal.*, *etc.* Alii vero, generice loquendo, requirunt ad materiam gravem, *et non probabiliter*, duas saltem et aliquantulum plusquam duas horas. Sic *Viva*, *Dian.*, *Leand.*, *Tamb.*, *etc.* Alii requirunt tres horas. Ita *March.* et *Gob.* (*b*) *Busemb.* dicit durum esse damnare peccati mortalis laborem duarum vel trium horarum. Consentit *Croix*, et concludit quod *communior* et *probabilior* nunc sit sententia, non esse mortale, nisi laboretur saltem multum ultra duas horas, puta, duas horas cum dimidia. - 305.

Quaeritur 6. An peccet graviter qui, die festo, mandat sex famulis ut laborent per horam ?

R. Conink affirmat. Sed *probabilior* et *longe communior* est *sententia*, quod non sit mortale, sive laborent successive sive eodem tempore ; quia opera famulorum non uniuntur in unum, et dominus non potest magis peccare quam famuli, qui singuli tantum leviter peccant. Secus certo esset si dominus uni famulo mandaret ut pluries laboraret in die festo usque ad materiam gravem. - 306.

Nota. In forensibus et judicialibus, materiae quantitatem non ex quantitate temporis, sed ex qualitate operis desumendam esse monet *Escob.* Sic grave peccatum esse asserit venditionem rei magni momenti cum magna solemnitate, licet brevi tempore fieret. Quod intellige, secundum praedicta, ni consuetudo, vel necessitas excuset. Vide dicta. n. 286.-307.

CAPUT III.

DE HIS QUAE PRAECIPIUNTUR DIEBUS FESTIS.

Seu, de obligatione audiendi concionem et Missam. Et de Causis ab auditione Missae dispensantibus.

ARTICULUS I.

De Obligatione audiendi Concionem et Missam.

I. Praecipitur auditio concionis, non sub mortali, nisi quatenus quisque tenetur discere necessaria ad salutem.

Dixi, *nisi quatenus* etc., quia homines rudiores, ignorantes praecipua Mysteria Fidei, ea praesertim, quae sub gravi obligatione eos scire teneri dictum est supra in *Tract. de Virt. theol. n.* 1. *et seq.*, tenentur sub gravi peccato concioni, vel potius catechesi interesse, si alias ea commode addiscere non possint. *Bon.*, *Suar.*, *etc.*, vide Concilium *Trid.*

Attamen, non est obligatio audiendi concionem in Ecclesia propria, tum quia Doctores multi nullum hac de re praeceptum agnoscunt, tum quia, si qua obligatio fuit, ei derogatum est per privilegia Regularia, et generalem consuetudinem contrariam. *Suar.*, *Azor.*, *Nav.*, *etc.*

Imo, Fratres Praedicatores, et Minores, et qui cum ipsis in privilegiis communicant, concionantes in suis Ecclesiis quovis anni tempore, possunt auditoribus suis concedere 18 annos, et 220 dies indulgent, nomine Papae. - 308.

II. Praecipitur speciali praecepto, obligante sub mortali, audire Missam, hoc est, morali et humana assistentia, sive praesentia ei interesse. Est *Communis.*

(*a*) *Communius.* - *H.* 25. — (*b*) *Sed haec opinio est nimis laxa.* - *H.* 25.

Obligat hoc praeceptum, omnibus Festis, omnes baptizatos usum rationis habentes : non infantes, amentes, vel catechumenos. Ratio primae partis est quia est universale. Ratio secundae est quia assistentiam humanam habere non possunt. Ratio tertiae est quia non sunt Ecclesiae subjecti. Ita *Lugo, Nav., Sanch., etc.*

Unde :

1. Non est obligatio audiendi Missam feria quinta et sexta et Sabbato majoris Hebdomadae, neque diebus Rogationum. *Az., Henriq., Suar.*

2. In die Nativitatis Christi tantum teneris audire unam Missam. *Nav., Suar.* - 308.

3. Satisfacit, qui recitat sub Missa ex obligatione Horas Canonicas, vel Poenitentiam injunctam in Confessione. *Suar., Sa, etc.*, quia duobus praeceptis potest simul satisfieri. Haec est *communissima.* Vide *Tract. de Leg.* n. 166.- 309.

4. Non satisfacit qui sub Sacro dormit, pingit, docet; vel qui est post murum aut aliam rem, tali loco, unde nihil audiri, videri vel notari possit quid fiat, quia non censetur moraliter praesens.

5. Satisfacit tamen surdus, caecus, et quicumque, licet sit post ostium, aut columnam, ita tamen est praesens, ut ex signis externis colligere possit, quid a Celebrante agatur, spectata loci natura, etiamsi per accidens nihil audiat, videat aut intelligat, sitque pars per moralem conjunctionem ejus multitudinis, quae dicitur praesens, et est in conspectu altaris. *Bon.*

6. Satisfacit qui audit Missam per fenestram quae fert in Templum, etsi non cernatur Sacerdos; modo per alios assistens advertere possit quid fiat. *Croix, Mazz.*

7. Satisfacit qui audit Sacrum e loco extra Templum, si junctus sit multitudini protensae usque ad altare. *Croix, Elbel.*, cum *communi.*

8. Satisfacit qui in magna Basilica, est in aliqua Capella, et in altera distantissima fit Sacrum, modo is bene possit respicere Celebrantem et quid agat; quisque enim qui adest in Templo, quamvis procul ab Altari, satis praestat Missae moralem assistentiam, ut bene ait *Spor.*

9. *Probabiliter* satisfacit ille qui Missam audit e domo sua, interjecta via, sed respiciens Altare, modo distantia sit parva, quia ille jam satis moraliter assistit. Ita *Spor., Lugo., Escob., etc.*, Dicunt autem *Lugo, Escob.*, non obstare distantiam 30. passuum; sed *Tamb.* et *Gob.* id non admittunt. - 312.

10. Satisfaciunt etiam inservientes Missae, si recedant, allaturi necessaria v. g. vinum, hostiam, etc., quia, cum haec ordinentur ad officium, non censentur abesse dummodo non recedant ab Ecclesia vel saltem non longe et solum per breve tempus. *Con., Lugo, Salm., Elb., Pal., etc.* - 309.

11. Peccat qui non audit integram Missam, et quidem venialiter, si omittatur parva pars: mortaliter, si notabilis.

Quaeritur 1. Quaenam omissio in audiendo Sacro sit peccatum grave?

R. Diversae sunt sententiae. *Prima* dicit esse grave peccatum omittere ab initio usque ad Epistolam exclusive. Ita *Tol., Bon., Nav., etc.*

Secunda dicit non esse grave, si omittatur inclusive usque ad Epistolam. Ita *Viva, Croix, Salm., etc.*, cum *communiori*, ut asserunt. *Salm.* (a).

Tertia dicit non esse grave, 'si omit-

(a) *Alii putant esse parvam materiam omittere usque ad Evangelium exclusive. Multi inclusive etsi omitteretur* Credo. *Prima sententia est* communiter *et* probabilior; *sed secundam non puto improbabilem.* - *H.* 33.

tatur ab initio usque ad evangelium inclusive, modo audiatur usque ad ultimum Evangelium. Ita *Pal.*, *Lugo*, *Tamb.*, *Sa.*, *etc.* Etiamsi omittatur *Credo*, ut *Lugo*, *Henr.*, quia *Credo* non est pars regularis. Hinc, dicunt non peccare graviter qui venit ante Offertorium, ex quo, teste *Isidoro*, olim Missa incipiebat.

Secunda sententia mihi est *probabilior*; sed hanc ultimam recte dicunt *Salm.*, quis neget esse *probabilem* in re, quae pendet ab aestimatione hominum, cum sit fulcita tot et talibus Auctoribus?

Qui autem omittit omnia post Sumptionem, non peccat graviter, est *comm.* cum *Croix*. Neque peccat graviter qui omittit omnia ante Epistolam, simul et omnia post Sumptionem. Si autem omitteret etiam Epistolam, *Baun. et Lamas* etiam excusant; sed contradicunt *Pal.*, *Suar.*, *etc. communius* apud *Croix*.

Omittere autem solum Offertorium sive ante, sive post Consecrationem, non est grave, ait *Pasq.* Quoad Canonem autem, certum est minorem omissionem esse grave; quare grave quidem est omissio Consecrationis et Sumptionis simul ut *communiter* apud *Salm.*, *et Croix*. Item, si omittatur a Consecratione usque ad *Pater noster* exclusive. *Salm.*, *Croix*, *etc.*

Quaeritur 2. An omittere tantum Communionem, vel Consecrationem sit grave?

R. Affirmant ex *communiori Bon.*, *Conc.*, *Croix*, *Ronc.*, *etc.* Imo *Pasq.* dicit esse grave, etsi una Consecratio omittatur, quia *probabilius* Sacrificium in Consecratione consistit.

Alii tamen, ut *Lugo*, *Tamb*, *Dian.*, *Escob.* a gravi excusant, etiamsi tota Consecratio omittatur; cum satis non constet utrum essentia sacrificii sit vere in Sumptione vel in Consecratione.

Prima sententia videtur *probabilior*, quia licet non constat an essentia Sacrificii consistat in Consecratione, vel in Sumptione, constat tamen utramque ad integritatem substantialem Missae pertinere. Secunda tamen non videtur *improbabilis*, quia non constat an ecclesia praecipiat sub gravi audientibus utrique parti interesse.

Quaeritur 3. An qui veniret ante Consecrationem, nec posset aliam Missam audire, teneatur saltem illam partem audire?

R. Negat Sanctius. At *omnino affirmandum* cum *Sanch.*, *Salm.*, *Lugo*, *Suar.*, *et communi*; quia remanent ea in quibus consistit Sacrificium.

Quaeritur 4. Sed si veniret post Consecrationem?

R. Tunc eum non teneri reliqua audire dicunt *Hurt.*, et alii juxta dicenda in *Tract.* de *Sacrif. Miss. n.* 305., ubi dicemus *valde probabiliter* essentiam Sacrificii in sola Consecratione specierum consistere.

Sed *contradicit Cont.*, *Tourn.* Caeterum haec sententia affirmativa est *valde probabilis*, et in praxi tenenda, quia audiri potest pars notabilis caeremoniae ab Ecclesia praeceptae (a).

Quaeritur 5. An omittens levem partem Missae, teneatur supplere si possit?

R. Negat Fill. Sed *probabilius contradicunt Salm.*, quia, cum potest, tenetur Missam integram audire. - 310.

Quaeritur 6. An satisfaciat praecepto Missae audiens duas illius dimidias partes successive a duobus Sacerdotibus?

(a) *Quia cum sit* satis probabile *quod essentia Sacrificii in Sumptione consistat*, *dicimus illum bene obligari ad reliquam Missae partem audiendam.* - *H. n.* 33.

R. Nav., Laym., Cabass., Sot., Bon., etc. affirmant satisfacere, etiamsi audiat duas partes dimidias inverso ordine, et etiam cum aliqua interpositione temporis, nimirum horae. Hanc sententiam dicimus non esse satis *probabilem.*

Si quis audiat Missam ab uno Sacerdote usque ad Consecrationem exclusive, et ab altero a Consecratione usque ad finem, putamus *probabile* eum satisfacere.

Si vero audiat ab uno usque ad Consecrationem inclusive, et ab altero usque ad finem, *probabilius* censemus quod non satisfaciat, ut tenent *Suar., Tour., Spor., Tamb., Lugo, etc.*, Ratio *potissima* quia Ecclesia praescribit audire et assistere Missae, quae sit unum integrum sacrificium; sed sicut non dicitur unum sacrificium illa Missa, quae ab uno Sacerdote celebratur usque ad Consecrationem et ab altero usque ad finem; ita, nec dici debet assistere uni Sacrificio, qui duas Missae dimidias partes a diversis Sacerdotibus audit.

Caeterum omnes conveniunt et dicunt quod qui sine justa causa duas medias Missas sic audit, nullo modo excusaretur saltem a peccato veniali.

Nota. prop. 53. damnatam ab *Innoc. XI.* quae dicebat: « Satisfacit » praecepto Ecclesiae de audiendo Sa» cro, qui ejus duas partes imo qua» tuor simul a diversis celebrantibus » audit.» - 311.

Quaeritur 7. An ad satisfaciendum praecepto Missae, sufficiat attentio externa, vel requiratur etiam attentio interna?

R. Adest duplex sententia. *Prima negat*, quia Ecclesia actus internos non praecipit, itaque sufficit assistere attentione externa morali, ita ut possimus testari quae fiunt. Ita *Lugo*, *Sylv.*, et alii multi.

Secunda sententia communior et probabilior, quam tenent *S. Thom.*, *Elbel.*, *Spor.*, *Laym.*, *Bon.*, et alii cum *Salm.*, *affirmat* requiri attentionem internam, quia Ecclesia, licet non possit praecipere directe actus internos, potest tamen indirecte. Juxta autem sententiam hanc sufficit, ut dicunt *Salm.*, cum *Caj.*, *Sot.*; *Suar.*, *Nav.*, ad satisfaciendum sicut in Officio, attentio virtualis, scilicet, quod quis sub initio habeat intentionem attendendi, et illam non mutet. Haec autem attentio sufficiens ad Missam, duplex est: 1. Ad verba et actiones Celebrantis animo colendi Deum. 2. ad Mysteria vel ad Deum, scilicet ad contemplanda ejus attributa, amorem, etc. modo attendatur ad principaliores partes Missae, et praecipue ad Consecrationem et Sumptionem. At post factum, bene advertit *Elbel* cum *Tamb.*, et *Spor.* quod nemo anxius esse debet ob scrupulum hujus attentionis non praestitae, quia sufficit habuisse intentionem generalem colendi Deum.

Caeterum, primam sententiam negari non potest esse *satis probabilem*, juxta dicenda in *Tract. de praecept. part. n.* 177. Et a fortiori quoad Missam audiendam, cui sufficit praestare assistentiam moralem, quin expresse requiratur oratio. Saltem dico, stante auctoritate tot tantorumque Doctorum hanc sententiam tuentium, sat dubia videtur Ecclesiae lex ab Auctoribus contrariis opposita, quae etiam ad attentionem internam, ac ad orationem audientes obliget, cum plures graves DD. doceant ad Missam audiendam non esse opus orare, sed tantum intendere Deum colere. - 313.

Quaeritur 8. An satisfaciat qui tempore Missae peccata confitetur?

R. Prima sententia negat et est *communis*, quia sic audiens nec oraret, nec externa praestaretur attentio. *Secunda sententia affirmat* eum satisfacere, si peccata confitens aliquo

modo attenderet simul ad Missam. Hanc secundam sententiam non audeo *probabilem* dicere.

Commune vero est quod satisfacit qui inter Missam examinat suam conscientiam; sicut qui legit librum spiritualem; nisi legeret historiam sacram animo discendi stylum. - 314. (*a*).

Quaeritur 9. An dormitans inter auditionem Sacri vel recitationem officii satisfaciat?

R. Si post debitam intentionem audiat Sacrum, vel recitet Horas ea attentione qua saltem advertat se non omittere audire, vel dicere ullum verbum, licet vexatus a somno non attendat ad significationem, satisfacit, et saltem non peccat graviter. - 316.

Quaeritur 10. An satisfaciat qui audit Sacrum confabulando?

R. Bus. affirmat, si confabulatio eum non impediat quominus advertat, saltem in confuso quid fiat.

Sed *verius contradicunt Salm.*, *Suar.*, *Laym.*, *Bon.*, *etc.* qui dicunt eum non satisfacere, si confabulatio esset per magnam Missae partem, et de re seria; secus, si esset per parvam partem, interrupte de re levi, quae omnem attentionem non impediret. Sed huic ultimo non omnino acquiesco, dum confabulatio etiam de re levi potest impedire attentionem externam.

Qui autem, dum audit Missam, se vestit, aut calceat, *probabiliter* satisfacit. Qui tamen deambularet audiendo Missam, dubitat *Bon.* an peccet graviter; sed dicunt bene satisfacere *Dic.*, *Gob.*, cum aliis ap. *Croix*.

Qui magnam Sacri partem insumit in colligendis eleemosynis, a pluribus excusatur, si sit in Ecclesia parva, secus si in magna. Sed *Less.* indistincte eum excusat, si simul attendat ad Missam; et vere talis distractio non videtur esse incompossibilis.

Musici, organici, et alii etiam satisfaciunt, si dum canunt vel pulsant instrumenta, simul ad Missam attendant; dum id etiam refertur ad eumdem Dei cultum. - 317.

Quaeritur 11. An sit obligatio audiendi Missam in Parochia Dominicis et Festis majoribus?

R. Etsi id decens sit, non tamen est obligatio; quia nullum extat ea de re praeceptum. *Tridentinum* tantum dicit populum debere moneri (non autem teneri) ut frequenter adeat Parochias, saltem Dominicis et Festis majoribus. - 320.

Nec obstat quod multos Canonistas eam opinionem secutos asseratur. Esto enim olim quidem sic senserint; hoc tamen tempore, post tot et tam ampla privilegia, post tam claram et diuturnam consuetudinem, post eminentiss. Card. declarationes, et ipsorum etiam Pontificum nota decreta contraria, an aliqui id doceant, nescio. - 321.

Nec Episcopus potest censuris, mulctis, aliisque poenis cogere ad audiendam Missam in Parochia. Ratio, quia non potest tollere, nec restringere Jus commune, et generalem totius Orbis consuetudinem. Ita omnes Theologi et Canonistae recentes.

Idem dissertis verbis confirmat *Clemens VIII.* anno 1592, 22 Decemb. Vide in *Opere* n. 322.

Benedictus XIV. ostendit contra *Juenin.* nunc non esse obligationem audiendi Missam in Parochia. - 323.

Praeceptum ergo audiendae Missae potest impleri quocumque loco sive in Parochiali aut Cathedrali, sive in Regularium Ecclesia, sive extra Ecclesiam audiatur; quia Ecclesia, ut patet ex superius dictis, auditionem Missae tantum praecipit, non autem locum.

Excipe tamen oratoria privata in quibus satisfaciunt tantum domini domus,

(*a*) *Non satisfacit qui legit librum Historiarum licet spiritualium* - *H.* 29.

Coajuncti qui habitant eorum domum, et vivunt illorum expensis, et Servi seu familiares, exceptis certis diebus festis solemnioribus. Vide in *opere* Breve Pontificis.

Sed *nota* 1. Ut Familiares privilegio Oratorii gaudeant, requiritur 1. ut vivant expensis domini, et ejus servitio incumbant. 2. Ut actu ipsi sint necessarii servitio domini. 3. Ut actu sint necessarii, non solum aliquando intra diem, sed tempore quo Missa celebratur. - 318.

Si vero Famuli viventes quidem expensis domini, habitent extra ejus domum, *negant Bon., etc.* posse illos in hoc casu, gaudere privilegio. Sed *affirmat Mazz., etc.*, quorum sententia non videtur reprobanda, si Familiares illi assistant continuo servitio domini, et revera sint domino necessarii tempore Missae. - 319.

2. Non potest celebrari in privato Oratorio, nisi actu intersit aliqua persona ex iis, quibus indultum principaliter concessum et directum est. Praeterea una tantum ibi Missa celebrari potest; et non licet, sine licentia Episcopi, in eo sacramentum Poenitentiae ministrare. Quoad sacramentum eucharistiae, vide l. 6. n. 359-318.

3. Dominus tenetur uti privilegio Oratorii, si non possit Ecclesiam adire, modo commode possit Sacerdotem habere; et hoc, ex vi praecepti quod obligat ad Missam audiendam omnes qui illud sine gravi incommodo implere valent. Hinc, tenetur privilegiatus, si commode possit, providere de Sacerdote non solum sibi, sed etiam aliis de Familia, si quis eorum nequeat ad Ecclesiam accedere.

4. Oratoria in domibus Episcoporum, Religiosorum, vel Missionariorum privilegiatorum, vel alibi erecta et benedicta ab Episcopo, cum janua in via (intellige hoc pro domibus laicorum), non sunt jam Oratoria privata, sed verae Ecclesiae; quare in iis audientes Missam bene satisfaciunt, et in quibuscumque Festis. - 319.

ARTICULUS III.

De causis ab auditione Sacri excusantibus.

Duplex est causa excusans ab auditione Sacri, nempe impotentia simplex, et impotentia moralis, seu difficultas ex notabili incommodo proprio vel proximi, corporis vel bonorum vel etiam honoris; quia haec est mens Ecclesiae praecipientis instar discretae et benevolae matris - 321.

Unde, excusantur.

1. Qui sunt in navigatione vel carcere.

2. Infirmi, quando prudenter timent non leve damnum, vel moram notabilem ad convalescendum. Ita *communiter Caj., Soto, Suar., Nav. etc.*

In dubio autem an incommodum sit leve vel sufficienter grave, standum est consilio Medici, aut Superioris, aut Parochi, vel alius viri prudentis, et etiam suo judicio potest acquiescere infirmus, si prudenter ita judicet.

Si, consilio petito, adhuc maneat dubium, censet *Suarez* tunc petendam esse dispensationem. *Pal.* et contra cum *Bon., etc.*, dicunt absolute eum non teneri ad Missam, quia stante periculo gravis damni, praeceptum Ecclesiae tunc non possidet adversus infirmum (*a*). Saltem, ait *Gob.* tunc judicandum est matrem Ecclesiam in tali casu, non obligare. Quod est *valde probabile* cum *Mazz.*

3. Excusantur excommunicatus, interdictus, incarceratus, omittendo missam, etiamsi negligant absolutionem, vel libertatem, quia isti non obligantur

(*a*) *In tali dubio praevalet jus naturale conservandi salutem.* - *H.* 39.

auferre impedimenta remota. Est *commune* contra paucos ; modo, ut bene advertunt *Spor. etc.*, nisi non ideo ex proposito negligant liberationem ne teneantur ad missam. Imo *probabilius* dicunt *Bon., etc.;* excommunicatos vel interdictos, et incarceratos, omittendo missam, non excusari, si de facili possint absolutionem aut libertatem obtinere, et negligant; quia quisque tenetur cum levi incommodo tollere impedimenta, ut gravi praecepto satisfaciat. - 325.

4. Excusantur custodientes domos vel greges ex *communi* cum *Laym.* At, si sint plures custodes, et una dicatur Missa, debent alternatim eam audire ; ita *Salm. etc.* Et ita pariter, si a viro, vel uxore manendum sit domi ad custodiam, non potest vir cogere illam ut semper domi maneat, cum sit socia, non famula quae e converso cogi potest : sed etiam posset dominus manere domi quandoque, ut famula audiret missam.

5. Pari modo excusantur ab audiendo Sacro matres, quae non habent domi, cui relinquant parvulos sine periculo, et contra non possunt eos adducere in Ecclesiam sine notabili adstantium perturbatione. *Bon., Suar., etc., communiter.*

6. *Probabiliter* excusatur etiam qui timet incarcerari, si Ecclesiam adeat. *Croix, etc.*

7. Excusatur qui nequit Missam audire, quin relinquat infirmum sine assistentia ad cibum, sive ad remedia praestanda ; vel quin infirmus ab illo relictus, gravem patiatur turbationem. *Pal., Suar., etc.* Et hoc, etsi adesset alius assistens, sed infirmus putaret illius assistentiam esse sibi necessariam, et alias gravem pateretur tristitiam. *Mazz., etc.* - 326.

8. Excusantur famuli quando eorum ministerium est communiter necessarium, et illud omittere nequeunt sine gravi incommodo dominorum : debent tamen mediocrem diligentiam adhibere ut Missam non amittant. Ita *Suar., Tourn., Salm., etc.* Imo, notat *Croix* eos teneri ad hoc, adhuc cum mediocri molestia seu vigilia, non autem cum notabili diminutione somni.

At si ministerium non sit ita necessarium, domini procul dubio peccant, si famulos impediant Sacrum audire. Ipsi autem famuli tenentur tunc Missam audire, adhuc contra domini jussum, nisi gravem indignationem timeant; vel nisi statim, et de facili non possent alium dominum invenire. Ita *Croix, etc.*

Notat autem *Mazz.* quod minime peccent domini, si tempore Missae praecipiant famulis, quae nequeant differri juxta communem vivendi modum, intellige, sine notabili ipsorum dominorum incommodo : et tunc sane excusantur etiam famuli, si tempore Missarum sint occupati in obsequio actuali et necessario. *Spor., Salm., etc.*

9. Excusatur uxor, si ex accessu ad Ecclesiam timeat gravem indignationem viri iracundi vel zelotypi. Secus, si levem *communiter Pal., Suar., Bon., etc.* Sed hoc raro admittendum.

10. Ex justa causa, posse patrem detinere filium domi clausum, in poenam, etsi Missam non audiat, censent *Croix, Tamb., etc.*

11. Recte excusatur cum *Tourn.*, qui omitteret Missam ad impediendas rixas aliorum, aut furta alienorum bonorum. - 327.

12. Excusatur viator, si alias perderet expensas itineris, quas faceret socius. *Suar., Gob., etc.;* vel si graviores expensas subire deberet, si relinqueret occasionem illam ob Sacrum audiendum : vel si non esset securus in itinere sine comite ; vel si societas illius multum eum sublevaret, et longae viae auferret taedium, quod certe videtur grave incommodum, vel sal-

tem est conjunctum cum periculo gravis incommodi. *Tamb.*, *Suar.*, *Bon.*, *etc.* - 328.

13. Excusaris si sit gravis difficultas eundi ad Ecclesiam ob distantiam. Pro distantia excusante, alii assignant tria milliaria, alii duo, alii unum. Sed hoc judicandum ex circumstantiis personae, temporis etc. *Bus.*, *Viva*, *Salm.* Ordinarie milliarii distantia non excusat, ut bene ait *Croix*. *Dicastillus* non obligat mulieres nobiles, et teneras ad 1500. passus; obligat vero alias mediae sortis, et rusticas ad longius spatium.

E converso *Salm.*, *Suar.*, *Pal.*, *etc.* dicunt quod regulariter excuset distantia leucae, sive trium milliarum, id est, unius bonae horae, seu 5. quadrantium iter pedibus agentes, et minus, si esset molestia nivis, imbris, vel alia causa. Et idem tenet *Mazz.* dicens absolute, quod distantia trium milliarum omnes excuset. - 329.

14. Excusantur viduae ratione luctus; ac etiam filiae et sorores *Mazz.*, *Suar.* (*a*). Sed talem consuetudinem aiunt *Fill.*, *etc.*, non esse extendendam usque ad mensem a morte viri; quamvis, si alia esset consuetudo in aliquo loco, non esse damnandam de peccato gravi, docent *Pal.*, *etc.* Illae tamen, quae e domo jam egrediuntur ad alia, non sunt excusandae.

15. Alicubi etiam consuetudine virgines excusantur a Missa, ne in publicum exeant. Ita *Salm.*, *Pal.*, *Suar.*, qui merito advertit talem consuetudinem moderandam esse quoad fieri potest (*b*).

16. Bene excusantur mulieres non habentes vestes decentes juxta suum statum, vel famulum, aut sociam, sine quibus magno rubore suffunderentur. *Mazz.* Sed merito adverfunt *Salm.*, *Suar.*, non esse excusandas ab auditione Missae valde mane, si possint, aut in Ecclesia remota, ubi populos non concurrit.

Idem dicitur de puella inhoneste praegnante, si posset in aliquo loco occulte, et sine nota Missam audire. Ita *communiter Bus.*, *Elbel*, *Tourn.*, *etc.*

17. Sic etiam possunt aliquando excusari puellae quae ab Ecclesia exeunt, quando fiunt proclamationes pro suis matrimoniis, etsi ideo omittant Sacrum, si ob id notabilem verecundiam pati debeant. *Elbel*, *Suar.* Hoc tamen raro et difficile puto admitti posse: ut si revera puella ex hoc tantum ruborem pateretur, ut magnum incommodum subiret, eo casu non improbo. *Croix* vero absolute tales puellas excusat, ubi adest hujusmodi consuetudo.

18. Pariter, consuetudo excusat puerperas domi se continentes post partum per aliquod tempus, v. gr. per sex hebdomadas ex communi usu, ut testantur *Spor.*, et *Elbel*, etiam postquam convaluerint. *Spor.*, *Elbel*, *Salm.*, *etc.* Non vero excusantur mulieres ob menstruum. *Salm.* - 330.

Quaeritur 1. An puella sciens, se ab aliquo turpiter concupisci, possit omittere Missam?

R. Tres sunt sententiae. *Prima* quam tenent *Laym.*, *etc.*, dicit eam posse, et bis vel ter etiam teneri omittere.

Secunda cum *Pal.*, *etc.* dicit eam teneri audire Missam, non obstante ruina alterius, quae illi voluntarie evenit.

Tertia cum *Mazz.*, *etc.* docet eam posse quidem omittere ad evitandum proximi damnum; sed non teneri, quia utitur jure suo, et damnum ille sua culpa patitur.

(*a*) *Ratione luctus viri, et etiam sororis aut filiae.* - *H.* 42. — (*b*) *Nulla ratione potest licita reputari illa consuetudo, et ut melius dicam, abusus.* - *H.* 41.

Hae sententiae omnes sunt *probabiles*, sed prima *probabilior*, quia praeceptum naturale de vitando scandalo praeferendum est positivo de audienda Missa. E converso, quia charitas non obligat cum gravi incommodo, non tenetur puella abstinere a Missa plusquam semel vel iterum. Vide *Tract. de Virt. Theol. n.* 51 *et* 53. - 331.

Quaeritur 2. An omissio notabilis lucri excuset ab auditione sacri?

R. Negant Salm. Sed *satis probabiliter affirmant Holz., Viva, Mazz., etc.* ob eamdem rationem ob quam diximus supra, *n.* 331, excusari qui, ne omittat extraordinarium lucrum, laborat die festivo, ex ratione generali, quia praecepta Ecclesiastica non obligant cum gravi incommodo.

Unde *Gob., etc.* excusant aurigas qui non possunt audire Sacrum quin vecturam relinquant cum notabile jactura. Idem ait *Mazz.* de tabellariis, custodibus gabellarum, de nautis, vectoribus mercium, qui nequeunt audire Missam sine magno incommodo. Pariter dicunt *Suar. etc.* excusari molitores, si causa Missae eis eveniret jactura mediocriter gravis. *Valde* autem *probabiliter* excusatur, qui ob Missam audiendam, omittere deberet negotium cum damno gravi. *Suar., Caj., etc.*

Sed non excusatur qui omitteret Sacrum ob aliud bonum spirituale, quamvis majus. Ex *communi* cum *Pasq., etc. Probabiliter* tamen admittit *Ills.* eum excusari qui omitteret Missam ad confitenda peccata, si alias deberet aliquandiu permanere in statu peccati mortalis; et idem tenet *Croix.*

Quaeritur 3. An Peregrini teneantur audire Missam, quae audienda, est ex peculiari praecepto loci, ubi sunt, etiamsi per unum diem ibi commorentur?

R. Affirmant Suar., etc. Probabilius tamen *negant Sanch., etc.* Vide dicta in *Tract. de Leg., n.* 156. - 332.

TRACTATUS IX.

DE QUARTO PRAECEPTO DECALOGI.

De Obligationibus Liberorum, Parentum, Tutorum, Curatorum, Dominorum et aliorum Superiorum, Famulorum et aliorum inferiorum, Conjugum erga se mutuo, Parochorum, Praeceptorum, Discipulorum.

CAPUT I.

DE OBLIGATIONIBUS LIBERORUM ERGA PARENTES.

Tenentur Filii vi hujus praecepti, tum Genitoribus, tum Superioribus, in iis rebus in quibus quisque, et quamdiu subjectus iis est, amorem, reverentiam, et obedientiam praestare; ita ut, si notabilis horum defectus sit in re gravi, graviter peccetur: quod facilius fiet respectu Parentum, quam aliorum. Ita *communiter.*

Unde:

I. Contra *Amorem* graviter peccat filius in sequentibus casibus:

1. Si signa odii Parentibus ostendat, et eos aspere tractet.

2. Si eos torvo oculo fere semper intueatur, ac ita aspere alloquatur, ac si eos odio haberet.

3. Si non subveniat eis in gravi necessitate spirituali vel corporali; unde graviter peccant filii, negligentes preces et Sacrificia offerri pro Parentibus, si non curent ut Parentes in articulo mortis suscipiant Sacramenta necessaria.

4. Si non impleat eorum testamenta et legata, modo haeres sit; vel impediat quominus fiant testamenta malis artibus; secus tamen si modis permissis.

5. Si grave malum, v. gr. mortem illis optet. - 335.

II. Contra *Reverentiam* peccat graviter filius in sequentibus casibus:

1. Si percutiat etiam leviter.

2. Si manum ad percutiendum deliberate attollat. Ita omnes *communiter;* et recte advertit *Spor.*, quod in his filius dupliciter peccaret contra justitiam et contra pietatem.

3. Si graviter Parentes contristet; etiamsi verba non sint graviter contumeliosa, ut *probabilius* ait *Bus.*; nam si tunc non laeditur graviter reverentia, saltem graviter violatur amor erga Parentes, eos sine justa causa graviter et deliberate contristando.

4. Si animo deliberato ad gravem iram provocet verbis contumeliosis, vel talibus quibus sciat eos graviter offendendos.

5. Si maledicta aut convicia in eos conjiciat; intellige in praesentia, vel animo malevolo, aut cum magno contemptu; item si Parentes deliberate gestu vel risu subsannet. Dicitur *deliberate;* nam in his et similibus, saepe excusantur filii a mortali propter indeliberationem actus.

6. Si Parentes pauperes despiciat, vel nolit agnoscere. Quod si tamen exterius tantum dissimulet se eos noscere, et nolit apud se habere ex justa causa, dummodo eis provideat de necessariis, *Bon.* excusat eum a peccato gravi, eo quod rationabiliter non sunt inviti.

Hinc, *probabiliter Az., Nav., etc.* excusant eo casu filium a mortali: 1. si grave damnum passurus esset; 2. si Parentes infami crimine essent notati; 3. si solum exterius dissimularet, sine interno contemptu, quia tunc ipsi Parentes non censentur graviter aut rationabiliter inviti.

7. Si in foro externo filius etiam de vero crimine Parentes accuset; extra crimen haeresis, proditionis, vel conjurationis in Principem, cum non sit alius corrigendi modus. - 334.

III. Contra *Obedientiam* graviter filius peccat in sequentibus casibus:

1. Si in re gravi sit inobediens circa ea quae pertinent ad gubernationem domus, bonos mores, vel animae salutem.

2. Si contra voluntatem Parentis ducat uxorem se indignam. Indigna autem dicitur, quacum non potest contrahere sine dedecore, juxta suae regionis usum.

3. Si sine justa causa nolit eam ducere quam vult Parens, maxime si inde sopirentur odia, aut parentum necessitas levaretur: erit autem justa causa, si sit impar familia, si infirma, deformis, fatua, vel immorigera.

4. Si, inconsultis Parentibus, nubat. Vide de hoc *Tract. de Matrim.* n. 849. - 335.

5. Si invitis Parentibus, notabilem summam accipiat, qualis non semper est, secundum *Less.*, si filius patri praediviti duos vel tres, imo secundum *Sanch.* quinque vel sex aureos furetur (id est, triginta francos): eo quod parens sit minus invitus, et filius sit aliquid patris. Unde non tenebitur ad restitutionem, nisi forte cohaeredibus graviter noceat.

6. Si filius notabilem summam expendat in res turpes aut vanas, contra voluntatem Parentum, ex pecunia sibi suppeditata ad usus honestos; sic *Less.* etsi excuset a restitutione, si Pater rogatus facile condonaturus putetur. - 543.

Nota. Si filius familias alatur in distanti loco a Parentibus, poterit ex alimentis moderate aliquid insumere in honestum lusum, v. gr. quinque ex centum, quia talis communiter praesumitur voluntas Parentum. Ac praeterea, potest etiam filius exponere quidquid lucratus fuerit, cum ad hoc etiam Parens censeatur tacitam facultatem dare. *Sot., Laym., etc.*, 876. Tenetur igitur filius obedire Parenti in iis quae mox dicta sunt, et peccat graviter peccato speciali, in confessione explicando, si materia sit gravis, et parens

praecepto expresso et serio id mandaverit; secus, si tantum monuerit. *Spor., Ronc., etc.* Addit *Lugo* filium tunc specialiter hoc peccatum committere, cum Parens imperat aliquid, intendens obligare ad obediendum obedientia sibi debita. Imo, dicunt *Spor., etc.* tunc filium graviter peccare, quando ordinarie praeceptum transgreditur; secus, si aliquoties ex negligentia. - 535.

CAPUT II.

DE OBLIGATIONIBUS PARENTUM ERGA FILIOS.

Parentes, quo nomine etiam intelliguntur Ascendentes, v. gr. Avus, Proavus, etc. tenentur gravi obligatione juris naturalis conservationem, et educationem Liberorum curare.

Unde:

1. Graviter peccant Parentes, qui sine justa causa, prolem in hospitali vel locis publicis exponunt. Justa autem causa est, si proles sit illegitima. Vide *de Restit. n.* 656.

2. Mater tenetur, sub veniali tamen, lactare proprio lacte; nisi habeat justam excusationem, v. gr. sit debilis, aut nobilis ob consuetudinem. *Salm., Az., Nav.* Tunc vero tenetur sub gravi peccato bonam nutricem quaerere. *Bon., Laym.*: Item tenetur secundum jura, prolem alere ad finem anni tertii: si vero mater non possit lactare, tenetur pater ad expensas lactationis. *Salm.* cum *communi.* Posteà educatio usque ad emancipationem, spectat ad Patrem. Excipe, nisi hic esset pauper, et Mater dives. *Laym. etc.*

3. Pater tenetur proli, non tantum legitimae, sed etiam spuriae curare alimenta, hoc est, cibum, potum, vestitum, et honestas artes, juxta suum statum, nisi tamen aliunde se alere possit, et non indigeat; deinde etiam dotem filiae. Respectu autem filiorum, dicunt *Sanch., etc.* quod Pater tenetur alimenta praestare non tantum filio, sed etiam uxori illius, quamvis eam duxerit sine dote, et contra ipsius patris voluntatem. Praeterea, tenent *Az., etc.*, quod Pater debet filium alere, etiamsi filios consummasset vitiose portionem jam prius sibi traditam.

4. Peccant Parentes, 1. si non adhibeant diligentiam saltem mediocrem, ut acquirant bona, quibus filii alantur habeantque haereditatem secundum suum statum. 2. Si bona dilapidando, impotentes se reddant ad Liberos honeste secundum statum suum educandos ac dotandos. 3. Si sine legitima causa filiae dotem negent, vel filium exhaeredent, v. gr. quia vult ingredi, vel est ingressus Religionem, vel vult recipere, vel recepit ordinem Sacrum. - 336.

5. Pater tenetur dotare filiam, contra ejus voluntatem nuptam, si sit nupta 25 annis, etiamsi indigno. *Sanch., Bon., etc.*, si autem sit nupta minor 25 annis, *Sanch., etc.*, dicunt Patrem teneri tantum ad alimenta ei danda, si tamen ipsa egeat, et hoc, etsi nupserit indigno. Hoc est *probabilius.* - 337.

6. Parens tenetur proli subvenire, relicta Religione, iisdem casibus, quibus proles parenti. Vide *Tract. de praecep. part. n.* 67. *et seq.*

7. Parentes gravi obligatione tenentur instruere liberos per se vel per alios, in necessariis ad salutem. Hinc graviter peccant 1. Si, quantum in ipsis est, non curent, ut bonis moribus imbuantur, doctrinam Christianam, seu Fidei rudimenta addiscant, pravorum consortia vitent, mandata Dei et Ecclesiae observent, Sacramenta frequentent, a peccatis abstineant. *Az., Bon., etc.*, 2. Si occasiones peccandi ab iis non avertant, vel in locis, aut domibus suspectis eos habitare permittant. 3. Si consilio, vel exemplo malo depravent. 4. Si non objurgent, puniantque dissolutos; moderate tamen;

*

nam, peccant etiam verberando immoderate, v. g. ut notabiliter laedantur, *Sot., Sylv., Bon.*

8. Tenentur etiam proli relinquere libertatem circa electionem status. Unde, peccant invitos ad matrimonium, vel ad Religionem cogendo vel abstrahendo (*a*). Et quidem Tridentinum excommunicat cogentes ad Monasterium filias. - 339.

Quaeritur. An filius aliquando possit a patre privari haereditate?

R. Potest ex justa causa, non alias, vide n. 948.; intellige, si filius habeat aliunde unde vivat; nam alimentis ad vitam necessariis privari non potest. - 341 (*b*).

Nota. Etsi inter fratres et sorores non sit eadem obligatio ac inter parentes et liberos, cum non sit eadem dependentia; attamen, quivis in utroque foro tenetur, si possit, alimenta et dotes praestare fratribus, vel sororibus, in eorum non solum extrema, sed etiam gravi necessitate. *Salm., Az., etc.* Extendunt DD. doctrinam hanc ad fratres ex eodem patre natos, licet ex diversa matre; nam isti, ut utrimque conjuncti in jure reputantur. Si vero fratres, sicut si sorores, sint tantum uterini ex parte matris, tunc est obligatio eos alendi, sed non sorores dotandi. - 340.

CAPUT III.

DE OBLIGATIONE TUTORUM ET CURATORUM.

Tutor sive Curator tenetur curam gerere pupilli, ejusque bona rite et fideliter administrare. Ratio est, quia in hunc finem constituitur, et assignatur pupillo, patris loco. Quare, si delinquat, vel notabiliter sit negligens hac in re, peccat graviter, et ad compensationem damni quod pupillis ex eo accepit, obligatur. Imo, si tutoris officium exerceat pretio, tenetur etiam de levi culpa.

Unde:

1. Tutor tenetur tueri personam pupilli, dum opus est, eumque bonis moribus imbuere, et bene educare per se vel per alios.

2. Tenetur bona pupilli fideliter administrare, ideoque officium tutoris suscipiens, inventarium conficere, alioqui damna, ex ejus defectu suscitata, resarcire; non licet illi pupillo nimium pecuniae ad usus inutiles concedere.

3. Tutor, uti et Curator, tenetur conservare omnia jura, bona, et actiones pupilli vel minoris, et bona alias peritura vendere pecuniamque convertere in emptionem bonorum stabilium, vel in censum, etc. prout fuerit utilius.

4. Si tutor vel curator pecuniam pupilli convertat in suos usus, tenetur ad restitutionem totius lucri cessantis, vel damni emergentis, quod inde accepit pupillus vel minor.

5. Tenetur item ad restituendos fructus, deductis expensis, quos ex bonis pupilli percipere poterat, et sua culpa non percepit.

6. Tenetur nomina debitorum exigere, et debita pupilli persolvere; ita tamen ut, quantum fieri potest, bono pupilli consulat.

7. Tutor vel Curator non potest donationes vel remissiones gratiosas facere de bonis pupilli, quia non ad destruendum, sed ad tuendum est constitutus: Excipe donationem remuneratoriam.

8. Denique tenetur, officio finito, reddere rationes, quia hoc onus est commune eorum, qui bona aliena administrant. - 341.

(*a*) *Graviter peccant.* - *H.* 3. — (*b*) *Vide dicenda in hoc Comp. Tract. de Contract. in sp. a.* 3. §. *IV. q.* 8. (*E. N.*)

CAPUT IV.

DE OBLIGATIONIBUS DOMINORUM ET ALIORUM SUPERIORUM.

Domini et Superiores tenentur habere curam famulorum, aliorumque suorum subditorum. Patet *ex* 1. *ad Timoth. Si quis suorum, etc.* Et ratio est, quia sunt ipsorum caput, et vices parentum gerunt; ideoque tenentur quodammodo ad eadem, ad quae parentes. Imprimis vero curare tenentur, quantum in ipsis est, ut servent praecepta Dei et Ecclesiae. *Bon.*

Unde, peccant domini graviter in sequentibus casibus :

1. Si sine justa causa impediant famulos, quominus diebus festis Missam audiant; vel si diebus festis opera servilia imponant : vel si jubeant ea, quae sine peccato fieri non possunt.

2. Si peccandi occasionem permittant, cum eam possint impedire : aut si graviter delinquentes non corrigant, negligentes necessaria ad salutem non moneant, non corripiant.

3. Si eos gravibus injuriis afficiant.

4. Si alimenta convenientia non praebeant, mercedem justam, dummodo fideliter servierint, non solvant, vel solvere differant sine rationabili causa.

5. Si ante elapsum terminum temere eos domo expellant : in quo casu, nisi gravissima ex causa id fecerint, tenentur ad solutionem integrae mercedis, ut *Salm.*, cum *communi.* Nec famulus injuste expulsus tenetur redire ad complendum tempus; intellige, si tempus conventionis sit jam transactum, et per ipsum non defuit, ut compleret; tunc enim tenetur dominus ad salarium promissum. Si autem famulus causa expulsionis nullum damnum passus fuisset, *probabiliter* opinari possumus, juxta dicenda n. 345, quod dominus in poenam injustitiae teneantur in conscientia solvere ei saltem majorem quam dimidiam partem salarii, imo ut notat *Less.*, teneretur totam mercedem tribuere; sed hoc dicimus, non nisi post sententiam, juxta regulam omnium poenalium.

6. Si, eum qui liberos aliosve domesticos verbis, exemplo, vel moribus pravis corrumpit et reprehensione non emendatur, e domo non dimittant. *Nav., Az., etc.*

Quaeritur 1. An Principes saeculares teneantur eligere digniores ad officia saecularia ?

Affirmant Salm., Sot., Less., etc. Negant vero *Caj., Vasq., Lugo,* modo officia non indignis distribuantur. Utraque est *probabilis.* Sed prima *probabilior*, quia alias Respublica grave pateretur detrimentum.

Quaeritur 2. An reges possint officia saecularia vendere ?

R. Negant Adrian., etc. Affirmant vero *Nav., Caj., Sot., etc.* Caeterum omnescum *S. Thom.* conveniunt hanc venditionem non expedire. Intellige de officiis majoribus. - 342.

CAPUT V.

DE OBLIGATIONIBUS FAMULORUM ALIORUMQUE INFERIORUM.

Famuli, caeterique subditi tenentur suis dominis, et Superioribus aliquo modo eadem, quae filii Parentibus, nimirum amorem, reverentiam, et obedientiam praestare. Ratio patet ex dictis, quia sunt illis quasi loco Parentum. *S. Thom.*

Unde :

Peccant famuli graviter in sequentibus casibus :

1. Si non laborent, ut serviant fideliter; tenenturque ad compensationem damni. *Less., etc.*

2. Si grave damnum inferant, vel inferri permittant, cum possint impedire. *Nav., etc.*

3. Si sine gravissima causa (disce-

dant a domino ante terminum elapsum.

4. Si domino in rebus magni momenti non obediant. *Bon.* - 343.

Nota. Etsi famuli in esculentis et poculentis quae domo exportant, aut divendunt, gravifer peccent: quae tamen ipsi domi consumunt, in iis facilius, uti et Religiosi, excusantur; cum in his dominus, aut praelatus saepe tantum sit invitus quoad modum accipiendi clam, non quoad rem. Quod tamen timeri posset, si extraordinaria acciperentur. *Lessius* docet quod furta minima famulorum ex comestibilibus, quae claudi non solent, non coalescant, si non ad vendendum, sed ad comedendum tantum accipiantur. Sed merito hoc non admittit *Spor.*, si magna esset quantitas. - 545.

Quaeritur 1. An famuli, non impedientes furta rerum domini, teneantur ad restitutionem?

R. Alii universe *affirmant*, quia ex ipsa ratione famulatus unicuique famulorum videtur dominus in custodiam rem suam tradere. Ita *Dian. etc.* Alii vero, ut *Less.*, *Lugo*, *Holz.*, *Salm.*, *Mol.*, *Az. communius* et *probabilius* distinguunt et dicunt quod si damnum fiat a domesticis, et res non sit famulis specialiter commissa ad curam, non tenentur famuli ad restitutionem; tunc enim ipsi peccant tantum contra charitatem, non autem contra justitiam; quia non obligantur ex justitia res domini a domesticis tueri. Secus tamen, si furtum fiat ab extraneis, ut *Salm.*, cum *communi etc.* - 344.

Quaeritur 2. An famulus, locans operas suas ad annum, si ante annum culpa sua discedat, possit stipendium petere pro tempore quo inservivit?

R. Affirmat communior sententia, nisi grave damnum domino inde eveniret; quia servitus exhibita meretur utique mercedem suam, quamvis non totam de qua conventum fuit; unde tenetur dominus solvere saltem parum minus, quam dimidiam partem stipendii. Ita *Azor.*, *Fill.*, *Sylv.*, *Salm.*, *etc.* - 345.

Quaeritur 3. An famulus locans operas suas ad annum, si per menses aegrotet, teneatur operas suas supplere?

R. Negative, *ex communi* cum *Salm.*, *Az.*, *Bon.*, quia promissio tempori determinato alligata est. Salarium vero pro tempore aegrotationis petere nequit. Vide n. 864. - 346.

Quaeritur 4. An famulus, elapso triennio, postquam discessit a domino, salarium petere possit, et occulte sibi compensare?

R. Affirmant Sanch., *Salm.*, *Mol.* et alii; quia licet in foro externo famulus post praescriptionem triennii amittat actionem petendi salarium, juxta legem; attamen, in foro conscientiae famulus jus ad salarium semper retinet; et dominus, si certus sit se non solvisse, semper ad solutionem teneri videtur. Hoc vero intelligendum, si famulo moraliter constet, dominum non legitime praescripsisse; nam, si alias dominus praescripsisset solutionem per triennium cum titulo et bona fide, eo casu nec dominus teneretur solvere, nec famulus posset salarium sibi compensare; etiamsi certus esset de solutione non facta; quia dominus tunc ratione praescriptionis, acquisivit jus non solvendi, juxta dicenda *n.* 517. - 347.

Quaeritur 5. An famulus, nulla statuta mercede inserviens, possit justum stipendium, saltem infimum, petere, vel occulte surripere?

R. Distingue: si dominus hujusmodi famulorum operas conducere solebat, *affirma*. Secus si non. - 348.

Quaeritur 6. An famulus judicans operam suam majorem salario quod recipit, possit uti compensatione?

R. Nota. Propos. 37. ab *Innocen-*

tio XI. damnatam, quae dicebat: « Famuli ac famulae domesticae possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario quod recipiunt. » *Salm.* loquentes de hac prop. damn. dicunt 1. quod si famulus sine necessitate libere conveniat cum domino de stipendio inferiori, postea nihil poterit sibi compensare; secus, si ex necessitate ad levandam nimirum suam miseriam, conveniat de salario notabiliter minori justo. Ratio, quia Decreta Pontificia non intelligunt obligare famulum contra justitiam. Quando autem famulus coactus necessitate, convenit pro parvo pretio, poterit sibi compensare usque ad pretium infimum, ut ait *Viva*, cum *Less.*, *Suar.*, et aliis *communissime*. Hoc tamen currit, nisi dominus alios famulos pro eodem parvo pretio jam juste invenisset; vel nisi ipse famulus de se oblatus fuisset, et dominus ex pietate sive indigentia ipso uteretur. *Viva*, *Salm.*, *Mol.*, *Sot.*, *etc.* - 522. Dicunt 2. *Salm.* quod si famulus ex electione propria augeat operas debitas, nihil potest surripere, quia tunc censetur operam suam condonare ad conciliandam sibi domini gratiam; secus autem si ex voluntate domini expressa vel tacita; quia tunc servanda est regula illa, nempe quod quivis operarius dignus est mercede sua. *Salm.*, *Mot.*, *Sot.*, *Nav.*, *etc.*-523.

Quaeritur 7. An famulus, si evidenter sibi constet de injustitia sui stipendii, possit tunc ex proprio judicio facere sibi hujusmodi compensationem?

R. Negant Croix, *Carden.*, *etc.* Attamen *Salm.* dicunt famulum posse etiam ex proprio judicio sibi compensare operam suam, si ipse certe judicet, se majus stipendium mereri. Quod sane videtur *satis probabile* mihi et aliis doctis recentioribus, si hic famulus, vel quicumque alius mercenarius sit vir prudens, timoratus et vere aptus ad recte judicandum, ac certus sit de justitia compensationis, remoto omni hallucinationis periculo. Sed haec rarissime evenient. Nec obstat supra dicta prop. 37. damnata; quae merito proscripta fuit, quia nimis generaliter loquebatur. - 524.

CAPUT VI.

DE OBLIGATIONIBUS CONJUGUM ERGA SE MUTUO.

Uxor in iis quae spectant ad domus gubernationem et bonos mores, tenetur obedire marito; hic vero uxorem, non ut servam, sed ut sociam tractare. Ratio, quia maritus est caput, et uxor commembrum. *Nav.*, *etc. et comm.*

Unde:

I. Conjuges peccant in sequentibus casibus:

1. Si debita intentione non contrahant matrimonium.

2. Si sine dispensatione praetermittant proclamationes.

3. Si Sacramentum matrimonii in statu peccati mortalis recipiant.

4. Si utantur matrimonio contra naturam, vel modo indebito, vel cum periculo abortus.

5. Si debitum sine justa causa negent.

6. Si cum periculo pollutionis tactus habeant impudicos.

II. Peccat graviter uxor in sequentibus casibus:

1. Si maritum rixis, vel aliter verbis ad gravem iram, vel blasphemiam provocet.

2. Si quid notabile expendat contra voluntatem viri, et consuetudinem feminarum similis status, nisi tamen ex paraphernalibus, si habeat.

3. Si, spreto viro, sibi imperium vindicet.

4. Si nolit sequi virum domicilium mutantem, dummodo possit sine periculo vitae, et salutis, et contrarium non sint pacti, et maritus post nuptias non sit factus vagus. Vide infra *quaer.* 1. et 2. - 251.

5. Si sine sufficienti indicio male judicet de mariti continentia.

6. Si sine justa causa debitum neget.

7. Si se ingerat in administrationem domus sine justa causa, qualis est, v. g. si maritus prodigus bona familiae dilapidet: vel si sit incurius, vel minus aptus ad familiam gubernandam. *Elb., Gob., etc.* - 351.

Nota 1. Uxor potest dare eleemosynam et munera, secundum consuetudinem aliarum mulierum illius loci, et conditionis; etiamsi maritus eleemosynas omnes illi prohibeat, quia consuetudo hoc jus ei tribuit, quo maritus eam privare non potest: *Lugo communiter* cum *Mol., Conc., Bon., etc.* Et hoc, etiamsi uxor habeat bona propria, *ut Lugo, Bon., etc.* (a). 540. 2. Uxor potest bona expendere, marito absente, vel fatuo: quia tunc ad illam spectat administratio domus: item, quae acquirit sua industria, dempto tamen labore, quem praestare debet Familiae, ut bene advertit *Croix;* item paraphernalia, hoc est bona, quae praeter dotem marito allatam, sibi reservavit. Item, potest uxor libere disponere de his quae sibi reservavit de bonis a viro sibi assignatis pro vestitu, aut sustentatione Familiae ad certum tempus, modo honeste Familiam jam sustentarit. *Croix, Pal., Nav., etc.* 3. Non peccat uxor, subducendo aliqua, vel compensationis causa, si vir sit prodigus: quia is tunc facit uxori injuriam, partem ipsius profundendo, vel pro victu, vestibus, caeterisque sibi, vel familiae necessariis, quae mariti semper non intelligunt, et frustra ab illis peterentur. *Bon., etc.* 541. 4. Uxor, si ejus pater, mater, vel proles ex alio matrimonio sint pauperes, ita ut misere secundum statum suum vivant, et maritus eis nolit succurrere, potest ex bonis suis propriis, vel etiam ex communibus, dummodo post mortem vir omnia computet in sua parte, eis subvenire, quia jure naturae tenetur eos alere, et maritus in id consentire. *Nav., Less., etc. Diana* illam potestatem extendit ad fratres et sorores; quod *Less., etc.*, judicant *probabile.* - 542.

III. Peccat graviter maritus in sequentibus casibus:

1. Si verbis contumeliosis, vel infamatoriis afficiat uxorem; et tale peccatum esset duplicis malitiae.

2. Si impediat illam circa praecepta Dei, vel Ecclesiae, sine justa causa. Si vero impediat etiam sine causa circa ea bona quae consilii tantum sunt, ut est Confessio, Communio etc. communiter tantum peccat venialiter; nisi constet, quod illa magnam ex iis utililatem percipiat.

3. Si caedat graviter: moderate tamen castigare verbis, vel etiam ex gravi causa moderatis verberibus, habita ratione conditionis, et status, quandoque potest. *Elbel, Gob.*

4. Si alimenta neget. Nequit autem vir retinere dotem uxoris adulterae, si discedat ab ea ante sententiam propria auctoritate; quamvis ipse possit uxori repetenti dotem, opponere exceptionem adulterii, et petere ut sibi applicetur, prout *probabilius* dicit *Croix.*

5. Si negligat gubernationem domus et rem familiarem.

(a) *Dicit* Mol. *posse uxorem expendere in hoc vigesimam partem annorum redituum sui viri; sed haec summa merito judicatur excedens a* Lugo, *saltem universaliter loquendo.* - *H. Tr.* 10. *n.* 33.

6. Si uxori non cohabitet, vel sine justa causa diu absit.

7. Si cum possit, alimenta non procuret. *Nav., Tol., Sanch., etc.* - 356.

8. Si aliquid notabile uxori surripiat, sine ejus consensu, ex bonis ipsius paraphernalibus, vel aliis propriis, si quidem libera eorum administratio ipsimet uxori competat. - 539.

Quaeritur. 1. An uxor teneatur sequi virum ad cohabitationem?

R. Regulariter uxor tenetur sequi virum mutantem domicilium, et hoc, etiamsi mutet sine justa causa, modo causa non sit turpis. Et hoc etiamsi alicubi adsit contraria consuetudo, quae non potest derogare juri divino, quod constituit virum caput uxoris. Item, etiamsi vir longe discedat, et ibi per longum tempus sit moraturus; secus vero si breve inde reversurus sit, tunc enim nec uxor tenetur sequi virum, nec vir secum ducere uxorem. Prout neque tenetur vir eam secum ducere, etiamsi longe discedat, si magna expensa requirerentur ad eam illuc transvehendam.

E converso, uxor non tenetur sequi virum, si ille velit eam pertrahere ad peccatum, vel uxor per discessum exponatur gravi periculo vitae, aut gravis detrimenti. Sic pariter non tenetur uxor sequi virum vagantem, nisi uxor ante matrimonium id sciverit l. 6. n. 977.

Quaeritur 2. An uxor teneatur sequi virum in exilium condemnatum?

R. Negant Henr. etc., quia non tenetur uxor innocens viri poenam subire. Sed *probabilius affirmant Salm., etc.*, quia tenetur uxor sufferre non poenam, sed infortunium viri; et idem dicunt *Salm.*, si vir alicubi excommunicatur. E converso, dicunt *Salm.* quod si mulier, necessitate coacta, mutet domicilium, vir comitari eam debet. - 353.

Quaeritur 3. An uxor nobilis teneatur obedire viro praecipienti officia vilia, v. gr. cibos condire, verrere domum etc.?

R. Affirmant Ang. etc. Sed *probabilius negant Sanch., Salm., Sylv. etc.* quia uxor est socia, et ideo non tenetur praestare famulae opera, quae ipsam dedecent, et si ipsa praestaret, posset sibi compensare.

Quaeritur 4. An vir teneatur alere uxorem, non soluta dote?

R. Communiter negant DD. si culpa promittentis intervenit. Excipe tamen 1. Nisi vir duxerit sine promissione dotis. 2. Si uxor sit in viri obsequio; tunc enim saltem ut famulam tenetur eam alere. Pariter non tenetur vir alere uxorem, si renuat cohabitare, nisi ob justam causam renuat. Caeterum, quando sive vir, sive uxor est vere pauper, puta, si dos fortuito periit, tenetur alter alterum alere. L. 6. n. 939.

Quaeritur 5. An vir teneatur alimenta praestare uxori adulterae?

R. Alii *affirmant;* quia uxor adultera non desinit esse uxor. Alii *negant* si adulterium est publicum, quia tunc potest vir uxorem e domo expellere; secus, si occultum, tunc expellere nequit. Alii vero *communius* et *probabilius negant* teneri, sive adulterium fuerit publicum sive occultum. Ratio, quia adhuc concesso quod ob adulterium occultum uxor non posset expelli, ne ejus crimen prodatur, utque scandalum vitetur, in quo tamen quaestio est, vide dicenda, n. 968.; nihilominus ratio haec non militat in negatione alimentorum, quae sine scandalo et infamia uxoris negari possunt. Idque dicunt esse *probabile Salm.* etiamsi uxor admiserit tantum oscula ab alio, si sint notoria; vel si occulta, si sint nimis lasciva, aut si uxor sit nobilis. - Lib. 6. n. 939.

CAPUT VII.

DE OBLIGATIONE PAROCHORUM ERGA SUOS.

Curatus sive Parochus jure divino tenetur ad sequentia:

1. Residere in sua Parochia. *Trid.* Alioqui in conscientia fructus non facit suos, teneturque pro rata absentiae restituere Fabricae Ecclesiae, vel causae piae. Potest tamen ex justa causa et licentia Episcopi ad breve tempus abesse. Quoad residentiam vide dicenda in *Tract. de Praecept. part., n.* 121. et 123. - 357.

2. Sacramenta ministrare: quoad Sacramentum Poenitentiae, tenetur Confessiones audire non solum tempore praecepti et in casibus gravis necessitatis, sed toties quoties Poenitentes confiteri etiam ex devotione petunt. Vide *Tract. de Poenit. n.* 623.

Quoad Sacramentum Eucharistiae, tenetur illud administrare, pariter quoties oves rationabiliter illud petunt. Vide *Tract. de Euch., n.* 253. (a).

3. Orare pro populo, et celebrare, ut populus audiat Missam: quam etiam teneri eidem applicare diebus saltem festis docet *Tol.* Vide *Tract. de Euchar.*, n. 323. - 359.

4. Docere populum concionando, arguendo, etc., per se vel per alios. Pariter Superiores Religionum etiam tenentur praedicatione pascere subditos, tanquam eorum Pastores.

5. Singulis diebus dominicis, et festis solemnibus populo doctrinam Christianam explicare, per se vel per alium; idque sub gravi obligatione etiam juris divini, ob summam necessitatem, propter quam eos ab Episcopis, aliisque Praelatis ad id cogi posse sub poena excommunicationis, omnesque alios ut eam audiant, discant et sciant, docent *Trull., Sanch.* - 360. Sic enim habetur in *Tridentino:* « Omnes Epi- » scopos et Praelatos teneri per se ipsos, » si legitime impediti non fuerint ad » praedicandum (vel per idoneos, si » impediti fuerint); si quis autem hoc » adimplere contempserit, districtae » subjaceat ultioni. Archipresbyteri » quoque, Plebiani, et quicumque » curam animarum obtinent, per se » vel per alios idoneos, si legitime » impediti fuerint, diebus saltem do- » minicis et festis solemnibus plebes » sibi commissas pro sua, et eorum » capacitate pascant salutaribus ver- » bis, docendo ea quae scire omnibus » necessarium est ad salutem, annun- » tiandoque eis cum brevitate et faci- » litate sermonis, vitia quae eos de- » clinare, et virtutes quas sectari opor- » tet.» Hinc, non dubito quin praedictum praeceptum obliget tam Episcopos, quam Parochos graviter et absolute. *Communiter* tamen DD. in tali praecepto admittunt parvam materiam. *Ronc.* vult parvam materiam esse tantum duodecimam partem concionum intra annum; sed hoc videtur nimis rigidum. *Salm.* autem rationabiliter asserunt non excusari a culpa gravi Parochos saepius praedicationem omit-

(a) *Tenetur quoque curare ut pueri communionem paschalem suscipiant cum illius capaces sunt, nempe regulariter loquendo, cum pervenerint ad decimum, vel ad duodecimum, vel saltem ad quartum decimum annum. S. enim* Carolus Borromaeus *praecepit suis Parochis ut habiles redderent communioni omnes pueros decennes. Et quidam Parochi postea difficiles se praebent ad Communionem dandam pueris duodecim annos natis; sed cur! ne sibi assumant onus eos instruendi. Proh! quot Parochi hanc suam obligationem negligunt, quae utique levis minime dicenda est!* - *H. n.* 26.

tentes, quo videntur *Salm.* excusare Parochos interdum omittentes. Hinc *non improbabiliter* videntur tenere *Bon., etc.*, non peccare graviter Parochos qui interdum concionari omittunt; secus vero, ut ajunt, si omittant per unum integrum mensem continuum, aut per tres menses discontinuos in anno. Tanto magis quia in *Tridentino* dicitur, quod si ab Episcopo ipsi Parochi « Moniti, trium mensium spatio, » muneri suo defuerint, per censu- » ras,, etc., cogantur, ut Officium » suum impleant.» Ex quo videtur in hac materia ejus parvitas majorem latitudinem habere. Notant autem *Salm.*, bene posse Parochos conciones omittere, ut postea opportunius suppleant. Episcopi autem rarius quidem quam Parochi, tenentur conciones facere.-269.

6. Tenentur infirmos visitare, pauperum curam habere, peccata corrigere, etc.

7. Parochi, et tanto magis Episcopi tenentur sub gravi corrigere oves, in peccato mortali, vel in ejus proximo periculo existentes, etiam cum discrimine vitae, et non solum in extrema, sed etiam in earum gravi necessitate, semper ac adsit spes emendationis. Ita *communiter Bon., etc.*, vide *in Tract. de Virt. Theol. n.* 40 (a).

8. Tenentur auferre scandala cum quocumque incommodo; unde, si aliquis subditorum sit inemendabilis, et suo pravo exemplo sit aliis occasio ruinae, tenetur Parochus tale damnum impedire saltem Episcopum certiorando, non tantum semel, sed quousque scandalum perseverat, et spes affulget ut illi occurri possit.

Quaeritur 1. An ad id Pastores teneantur ex charitate vel ex justitia?

R. Suarez etc., censent eos teneri solum et charitate. Sed *probabilius*, tenentur ex justitia, ut sentiunt *Ronc.*, *Holz.*, *Caj.*, *etc.* Ratio, quia ad hoc utique a communitate stipendium Pastoribus tribuitur, ut singulorum procurent salutem, et proinde vitia corrigant.

Quaeritur 2. An Pastores teneantur inquirere in mores subditorum?

R. Affirmative ex *communi* sententia, ut docent *D. Thom., etc.* Ratio quam tradit *D. Thom.* est, quia illi qui specialem obligationem habent incumbendi saluti alicujus certae personae, sicut habent Pastores erga singulas suas oves, tenentur non solum corrigere delinquentes, sed etiam prospicere an obligationi suae satisfaciant. Secus vero dicendum de aliis, qui generalem obligationem habent erga proximos, istis enim sufficit corrigere eos tantum, quos lapsos, vel in proximo periculo labendi animadverterint.

Quaeritur 3. An Episcopi et Parochi teneantur non deserere oves, etiam cum periculo mortis?

R. Cum *D. Thom.* qui sic docet: « Ubi subditorum salus sic exigit per- » sonae Pastoris praesentiam, non » debet Pastor personaliter suum gre- » gem deserere, neque propter aliquod » commodum temporale, neque etiam

(a) *Cum in regione reperiuntur notabiles morum dissolutiones, quibus nullum occurrit remedium, Parochus tenetur curare ut missio ei adveniat. Parochus enim qui missionem non curat, suspicionem ingerit suorum morum; boni enim Parochi non praetermittunt quarto aut quinto quoque anno missionem arcessere.- H. n.* 31.

A bonis Parochis pendent boni mores, et salus populorum. Si in regione bonus Pastor adest, ibi videbitur florere devotio, Sacramentorum frequentia, oratio mentalis, et bonum exemplum; sin autem Parochus erit pravus, tota regio vitiis et scandalis redundabit.- H. n. 46.

» propter aliquod personale periculum » imminens, cum bonus Pastor ani- » mam sum ponere teneatur pro ovi- » bus suis.» Sic enim habetur *Joan.* c. 10. : et haec verba non solum consilium, sed etiam praeceptum continent, ut recte probant *Salm.* « Si ve- » ro, subdit *S. Thom.*, subditorum » saluti possit sufficienter in absentia » Pastoris per alium provideri, tunc » licet Pastori, vel propter aliquod » Ecclesiae commodum, vel propter » personae periculum, corporaliter gre- » gem deserere.»

Quaeritur 4. Quaenam autem sint causae excusantes Parochos a residentia?

R. Vide Tract. de Praec. Part. n. 125.

Nota. 1. Episcopus, cum suscipit regimen sui Episcopatus, debet, ut praecipit Concilium *Trident.*, rationem exigere a Vicario Capitulari de omnibus ab eo gestis tempore vacationis 2. Tenetur Episcopus ex eodem *Trid.* simul ac potest, suam Dioecesim visitare, et nihil potest accipere in visitatione, nisi victualia. - 360.

CAPUT VIII.

DE OBLIGATIONIBUS PRAECEPTORUM ET DISCIPULORUM.

Inter praeceptores et discipulos est quodammodo eadem obligatio, quae inter parentes et liberos.

Unde:

I. Discipuli peccant in sequentibus casibus.

1. Si praeceptoribus non exhibeant honorem et reverentiam.

2. Si non obediant in rebus pertinentibus ad studia et bonos mores.

3. Si eos conviciis vel contumeliosis verbis traducant.

4. Si negligenter studeant, scholarum aut studiorum tempore lusui vacent vel otio.

5. Si pecunias parentum dilapident, vel inutiliter expendant.

6. Si malo fine studeant.

7. Si Gymnasii sui leges, vel Academiae statuta, si quidem ea ad peccatum obligent, non servent.

8. Si scientias superstitiosas aut vetitas addiscant, vel libros prohibitos legant.

9. Si stipendium debitum Doctori suo non solvant, cum possint. - 361.

II. Magistri peccant in sequentibus casibus.

1. Si peccata discipulorum dissimulent, et non corrigant quando possunt.

2. Si profectum eorum in litteris non sedulo promoveant.

3. Si eos non doceant bonos mores.

4. Si ex proposito falsa eos doceant ut vera, vel superstitiosa et saluti noxia.

5. Si non studeant ipsi, ut officio satisfaciant.

6. Si stipendium exigant majus justo, vel quam Gymnasii leges, aut consuetudo permittant.

7. Si doctoratus insignia negent dignis, indignis conferant, quod *Nav.* dicit esse mortale, praesertim in theologia, jure Canonico, Civili et Medicina; nam in Philosophia forte veniale tantum esse censet *Caj.*

8. Si discipulis malo sint exemplo.

9. Si malis moribus imbutos, et qui aliis perniciosi sunt, ad scholas admittant, vel ex iis non dimittant. - 362.

TRACTATUS X.

DE QUINTO PRAECEPTO DECALOGI.

De Occisione sui ipsius. De Occisione rei, injusti aggressoris, innocentis, et de homicidio casuali. De duello et bello.

CAPUT I.

DE OCCISIONE SUI IPSIUS.

Absque divina auctoritate non licet seipsum directe, et ex intentione occidere. Ratio est, quia est contra charitatem sui, et fit injuria Reipublicae et Deo, qui est solus directus et absolutus Dominus humanae vitae (*a*).

Dixi 1. *absque auctoritate divina*, propter *Samsonem*, et quosdam Martyres, qui seipsos occiderunt, vel ex Divina inspiratione, vel inculpata ignorantia. Dixi 2. *directe*, quia indirecte quandoque licet se occidere, hoc est, aliquid facere, vel omittere, ex quo, praeter intentionem, mors certo sequatur, quia praeceptum conservandi vitam, utpote affirmativum, non semper obligat, sed potest omitti propter bonum finem, necessitatem, vel magnam utilitatem *S. Thom.*

Unde:

1. Ob magnum bonum commune, vel ob specialem obligationem ex pacto vel officio, quam habent miles, Gubernator, Episcopus, Parochus, licite possunt et tenentur mortem perferre.

2. Licet in naufragio tabulam cedere amico, vel amici ad mortem injuste damnati vices subire. *Less., etc.* Sed non licet, ad tabulam cedendam, se projicere in mare, quia nemo potest positive se occidere. - 369.

3. Reo licet non fugere, imo etiam sponte se sistere judici plectendum, licet positive seipsum perimere non possit, etiam a judice id ei committatur. - 369.

4. Etsi Carthusianus possit servare vitam vescendo carnibus, in probabili periculo mortis; licite tamen et laudabiliter etiam tum omittit, cum certo periculo mortis; modo necessitas vescendi sit ab intrinseco, v. gr. morbo; nam si esset ab extrinseco, v. gr. si ob inopiam aliorum ciborum fame moriendum esset, teneri iis vesci, quia mors illa, cum sit violenta, ipsi imputaretur, ut certissimum merito judicant *Salm.* - 370.

5. Licet carnem vigiliis et inedia moderate affligere, qui autem advertens vitam iis notabiliter minui, nihilominus continuaret, peccaret graviter, etsi hic multi ob bonam fidem, et zelum Deo placendi excusentur. Sed si macerationes fiant consilio prudentis Praelati, vel Confessarii, esto vita etiam per 12. annos esset abbrevianda, non esset peccatum. - 371.

6. Excusantur aegri, qui paulo ante mortem, causa humilitatis, vel boni exempli, petunt humi collocari, quia non intendunt vitam abbreviare.

Nota. 1. Dicit *Laym.* non teneri quemquam mediis extraordinariis et nimis duris, v. g. abscissione cruris, etc. vitam conservare; nisi tamen ea communi bono sit necessaria. Ita etiam *communiter Lugo, Soto, Bon., etc.* 2. *Sanch.*, dicit infirmum in periculo mortis, si sit spes salutis, non posse medicamina respuere. Non videtur tamen virgo aegrotans, per se loquendo,

(*a*) *Ita pariter non licet positive gravi vitae periculo se exponere; quare peccant funambuli qui super funem ex loci saltis ludos repraesentant, et alii qui venena sorbent, aut a viperis se mordere faciunt cum mortis periculo.* - *H. n.* 1.

teneri subire manus Medici vel Chirurgi, quando id et gravissimum est, et id magis quam mortem ipsam horret; *Esc., Sal., Less., Sanch., etc.* Posset tamen Virgo permittere ut tangatur: imo teneretur sinere ut ab alia femina curaretur, ut recte ait *Diana* - 372.

Quaeritur 1. An liceat se occidere ad vitandam mortem duriorem?

R. Directe se occidere nunquam licet. Licet vero indirecte, puta, si quis se ejiciat per fenestram, ut effugiat incendium; si adsit aliqua spes mortem evadendi. *Buss., Lugo, Less., etc., Elbel,* hoc permittit etiam reis detentis in carcere, ad evadendam certam sententiam mortis, vel etiam carcerem perpetuum.

Quaeritur 2. An liceat navim incendere cum evidenti periculo vitae, ne illa veniat in manus hostium?

R. Negat Rens. Sed *affirmat Lugo* licere, si sit aliqua spes saltem modicissima vitandi mortem, vel, etsi mors sit certa, vitari tamen expediat damnum publicum.

Nota. Dicit autem *Mazz.* posse virginem ad servandam castitatem ab invasore, se conjicere in certum periculum vitae, sed non in mortem certam: quod non *improbabile* videtur, cum ob bonum virtutis non dubitent DD. communiter asserere, quod liceat vitam periculo exponere, v. gr. cedere tabulam in naufragio amico naufraganti, ut dicunt *Bus., Les., Tol., etc.;* tanto magis quia a casu praedicto stupri semper adest periculum consensus.-367.

Quaeritur 3. An virgo teneatur potius permittere se occidi quam violari, puta, si invasor minetur ei mortem, si copulae non acquiescat?

R. Adest duplex sententia. *Prima* quam tenent *Nav., Sot., Tol., etc.*, dicit quod, licet possit, non teneatur tamen femina mortem pati, sed potest tunc permissive se habare, dum accidit copula; modo voluntate positive resistat, et consensus periculum absit; quia haec cooperatio est tantum materialis. *Secunda sententia* docet, hoc omnino illicitum esse; quia cum femina possit copulam impedire, si timore inducta quiescit, ejus tunc cooperatio vere moralis et voluntaria fit. Prima sententia, speculative loquendo sua probabilitate carere non videtur; quia illa quies feminae revera non potest dici actio, dum nullo modo est positiva. Non tamen negandum secundam sententiam in praxi omnino suadendam esse, saltem ob periculum consensus, quod in illa permissione facile adesse potest. - 368.

Quaeritur 4. An liceat se mutilare?

R. Non licet nisi sit necessarium ad conservationem corporis totius, quia nemo est suorum membrorum absolute dominus. *Less.* Unde, non licet se castrare ad conservandam castitatem, vel sedandas tentationes, quia hoc ad eum finem non est necessarium. *S. Thom., Less., Moll., etc.* - 373.

Quaeritur 5. An liceat pueros castrare ad vocem in eis conservandam?

R. Prima sententia probabilior negat cum *Bus., Spor., Salm., etc.* Si enim dicunt pro bono animae id non licet, quanto minus pro lucro temporali (*a*)? *Secunda sententia* quam tenent *Tamb. etc., affirmat* id licere, modo absit morale periculum vitae, et non fiat pueris invitis. Ratio, tum quia eunuchi utiles sunt bono communi ad divinas laudes in Ecclesiis suavius canendas; tum quia conservatio vocis non parvi quidem momenti in eis dicendum est bonum, cum per illud conditionem notabiliter in melius mutent, et per totam vitam nobilem et pinguem sustentationem sibi comparent, et ideo tantum bonum justa causa esse

(*a*) *In Opere cui titulus* Homo apost., *n.* 3. *nulla est sententia* probabilior

videtur, ut cum illo tale corporis damnum resarciri licite possit. Tanto magis quod hoc in dies in usum deducatur, et ab Ecclesia toleretur, ut ait *Elbel.* - 374.

CAPUT II.

DE OCCISIONE REI. INJUSTI AGGRESSORIS. INNOCENTIS. ET DE HOMICIDIO CASUALI.

ARTICULUS I.

De Occisione rei.

Extra casum necessariae defensonis, de quo infra, nemini licet occidere malefactorem, nisi auctoritate publica, et juris ordine servato. Ut patet *Exod.* 22. et *Rom.* 13. - 376. (*a*).

Unde :

1. Peccat Princeps, vel Magistratus, regulariter loquendo, qui occidi jubet reos non citatos, vel non auditos, vel non damnatos, etsi privata scientia constet eos esse nocentes, quia ex jure naturae actus publicus fieri debet ex scientia et auctoritate publica. Excipe 1. si crimen sit notorium. 2. Si esset periculum seditionis, aut esset dedecus Regis, si juridice procederetur. - 377.

2. Judex tenetur sub gravi concedere reo tempus sufficiens ad Confessionem, etsi timeretur periculum direptionis. Tenetur etiam concedere tempus pro sumptione Communionis, nisi tamen grave damnum timeatur, cum reus sit tunc in articulo mortis, in quo praeceptum Communionis obligat jure divino : *Salm., Suar., etc. ;* et tunc etiam non jejunus reus potest communicare eadem die mortis, modo Communio praecedat per horam executionem.

3. Si reus nolit peccata confiteri post adhortationem, licite potest occidi a carnifice, quia tunc sua damnatio suae culpae tribuitur. *Salm., Bon.* - 379.

ARTICULUS II.

De Occisione injusti aggressoris.

Jus naturae permittit ut vim vi repellas, et aggressorem, qui inique eripere tibi conatur vitam, praevenias et occidas : ita tamen, ut id fiat animo te defendendi, et cum moderamine tutelae inculpatae, hoc est non inferendo majus damnum, nec utendo majore

(*a*) *Illicitum est privatis hominibus interficere Tyrannum sive in titulo, sive in regimine. Subditi enim ex Divino praecepto venerari et obedire tenentur suis dominantibus, quamvis injustis et perversis. Semper igitur ac Princeps est in possessione regni, obligantur subditi tenere eum tamquam proprium dominum.*

Falsum omnino est in Communitate subditorum quamdam adesse auctoritatem superiorem et a principe independentem, ita ut casu quo Princeps perverse regnum gubernet, tota Communitas cum regno et vita expoliare possit. Hoc est principium falsum et perniciosissimum ; nam, hoc modo duae in regno essent supernae potestates, unde enormissima evenirent schismata, regnique dissolatio.

Praeterea, perpendi debet quod si hujusmodi casus accideret quod princeps a suis subditis trucidaretur causa mali regiminis, quodnam malum esset majus, illud nempe quod princeps patrabat, aut illud quod ejus mors inferret, quae tali modo eveniret ? Quot rixae, schismata et civilia bella statim insurgerent inter eos ipsos ! quot rapinae, quot sacrilegia quotque strages ! quot quantisque flagitiis se traderent perversi, abscisso jam timore publicae justitiae ! - H. n. 13.

vi quam necessarium sit ad arcendam injuriam. Ita *communiter S. Thom.*

Dixi ; *potest occidere ;* nemo enim tenetur aggressorem occidere, sed licite et laudabiliter potest occisionem propriam permittere ne alter vita temporali et aeterna privetur, ut dicunt *communiter Less. S. Antonin, Syl., Salm.* Excipiunt 1. *Salm.* quando vita invasi esset valde utilis bono communi. Excipiunt 2. *Less., S. Antonin., etc.* quando ipse esset in peccato mortali, quia tunc omnino teneretur se defendere. - 380.

Quaeritur 1. An liceat occidere aggressorem honoris ?

R. Dicunt *Les., etc.* licere occidere aggressorem, non ob aliquam contumeliam, sed si vi v. gr. aggressor vellet, et conaretur fustem vel alapam viro valde honorato impingere. Sed in praxi rarissime uti licet praedicta opinione ; nam *Sylvius* recte sic ait : « Etiamsi honor sit praestantius bonum » quam divitiae, aut nullum, aut ra» rissimum arbitramur esse casum, » quo pro defensione solius honoris li» ceat aggressorem interficere. »

Nota. Si fuste, vel solo vulnere, vel amputatione brachii, vel aliter arcere injustam vim possis, non licet occidere. Unde, si quis sit persona talis, cui non sit dedecus fugere, debet fugere potius si possit, et salvare se, nisi sit periculum percussionis in fugiendo. Ita *Lugo, Salm. etc.* Ergo plebei, Clerici et Religiosi tenenter fugere, si possint sine periculo vitae ; quia ipsis fugere non est probrosum, sed honorificum. Quoad vero saeculares et nobiles advertatur quod jam relatum est ex Sylvio, nempe nullum aut rarissimum esse casum, quo pro defensione solius honoris liceat aggressorem interficere. 2. Non licet occidere si injuria jam est contracta, vel aggressor jam fugerit, quia id non esset se defendere, sed vindicare. *Tol., etc.* - 381.

Quaeritur 2. An liceat occidere furem rei fortunae ?

R. Non licet occidere furem ob res exiguas. Quoad autem bona magni momenti *prima sententia negat* cum *Gerson, etc.* Ratio, quia ex praecepto charitatis debemus praeferre vitam proximi rebus temporalibus. *Secunda* tamen *sententia probabilissima* et *communis affirmat*, nisi alia via arceri aut recuperari possint. *S. Antonin., etc.* quia praeceptum charitatis non obligat praeferre bona proximi altioris ordinis, nisi quando proximus est in extrema necessitate, non vero quando sponte ipse se exponit mortis periculo.

Quaeritur 3. Quantus debeat esse valor rei, ut liceat furem interficere?

R. Generaliter loquendo dicunt *Viva, Elbel*, illam esse magnam summam, qua ablata, deficeret alicui sustentatio pro se et pro aliis. *Salm.* vero *Vasq.* et *Mol.* aiunt sufficere jacturam illam, quae notabile damnum domino afferret juxta qualitatem personae.

Quaeritur 4. An liceat occidere furem auferentem rem modici valoris cum resistentia domini, aut custodis illius?

R. Affirmant Mol., Bon., etc. Sed multo magis mihi arridet *sententia contraria* quam tenent. *Salm., Dian.*

Quaeritur 5. An liceat tibi interimere furem, si rem ablatam adhuc extantem ille in tuto reposuerit, et tu velis eam recuperare?

R. Negant S. Antonin., Sat., Bon., etc. Sed *probabilior* mihi videtur *sententia affirmans*, casu quo non sit spes rem alia via recuperandi ; quia tunc latro, quamvis non sit invasor rei, cum tibi contendat rem tuam recipere. *Less., Lugo, Vesq., etc.* 383.

Quaeritur 6. An liceat etiam Clericis et Religiosis occidere injustum aggressorem suorum bonorum magni momenti ?

R. Affirmant probabilius Bus., Lugo, Elbel, cum Less., et commu

nius. Ratio, quia jus defensionis est de lege naturali, et ideo unicuique competit. - 384.

Quaeritur 7. An liceat alicui se defendere armis, etiam per famulos?

R. Probabiliter affirmant Spor., Elbel, etc.; quia id quod facere quis potest per se, potest étiam per alium - 385.

Quaeritur 8. An liceat occidere invasorem pudicitiae?

R. Si licitum est hoc ad tuendum honorem et facultates, multo magis dicendum licere pro tuenda pudicitia, quando aliud non suppetit remedium. Ita *S. Antonin., Lugo, Less., Anacl., Elbel*, cum *Bon.*, et aliis *communiter.* Hic bene advertunt *Lugo, etc.* quod non solum licebit puellae, dum actu violenter tangitur ab altero, sed etiam immediate post eum percutere elapis, pugnis, fuste, et etiam ictibus non periculosis. Ratio, quia nisi tali modo ipsa suam constantiam et displicentiam ostendat, non facile ille discedet. Hinc semper ac id non fiat ad vindictam, non tantum permittendum, sed etiam mulieri est consulendum, ut alter saltem resipiscat, et alia vice eam non sollicitet. - 386.

Quaeritur 9. An liceat praevenire aggressorem?

R. Prima sententia negat cum *Sylv. Nav. etc. Secunda* tamen *sententia affirmat* cum *Lugo, Vasq., Mol., etc.;* quia ad occidendum invasorem pro sui defensione, non est opus ut alter jam inceperit laedere, sed sufficit si sit paratus ad laedendum. Ego tamen censeo secundam sententiam vix in praxi aliquem posse sequi, propter allucinationis periculum, quod in hujusmodi re adesse potest. - 387.

Quaeritur 10. An liceat defendere vitam proximi cum occisione injusti invasoris?

R. Affirmative. Ita *Cont. Tour.* cum *communi DD. et S. Thom.* Et hoc currit etsi proximus innocens vellet pati se occidi, cum ipse non sit dominus vitae suae, et ideo nequit aliis jus defensionis adimere.

Quaeritur 11. An sit obligatio defendendi vitam innocentis ab invasore?

R. Quoad Magistratus et Principes utique ex justitia ad hoc tenentur, et quando agitur de bono Reipublicae, tenentur etiam cum periculo vitae, utpote latrones publicos de medio tollere, etc. Et pariter, ad hoc tenentur milites specialiter conducti ad Civitatem defendendam: vitam vero privati hominis non tenentur ii cum tanto periculo tueri.

Quaeritur 12. An, si innocentem positive nolentem occidi, defendere non possis sine occisione invasoris, tenearis, si possis sine periculo tuae vitae, invasorem occidere?

R. Affirmant Salm., Nav., Bon., etc. Probabilius tamen *negant Less., Lugo, etc.* Ratio prima, quia praeceptum charitatis eo casu non obligat, cum praestet evitare tunc mortem aeternam aggressoris, quam mortem temporalem innocentis. Ratio secunda, quia in occisione alterius nunquam evitari potest magnum incommodum ob timorem inimicitiarum, publicae justitiae etc. Saltem, quis non dicet, horrorem inquinandi manus humano sanguine magnum afferre incommodum, ad quod quidem praeceptum charitatis censetur non obligare? Excipe casum, quo persona invasa esset persona necessaria ad bonum publicum. Excipit etiam *Spor.* cum communi, ut asserit, si invasus sit Parens, Filius, Uxor, aut Frater, quia tunc obligat pietas ad eos tutandos. Recte pariter excipit *Tournely*, si occidendus sit ebrius, et in statu peccati mortalis, quia is est vere in extrema necessitate animae. - 390.

Quaeritur 13. An licitum sit occidere invasorem pudicitiae, vel honoris proximi?

R. Licet si invasio fiat facto, scilicet, percussione, etc. Secus, si tantum per verba, ut dictum est supra n. 381. *Lugo, Less., etc.*

Nota. Si femina consentiret, vel saltem, si positive non resisteret, non liceret ejus pudicitiae invasorem interficere, quia tunc non esset vim vi repellere. Si vero femina sit tibi consanguinitate valde propinqua, dicunt *Less., Spor.*, quod posses, etiam femina ad copulam consentiente, ejus invasorem occidere, si aliter tuam infamiam evitare nequeas. Haec autem intelligenda ante factum; nam ipso facto vel post, certe non licet occidere - 391.

Quaeritur 14. An quis, ad tuenda bona proximi magni momenti, teneatur, et possit etiam ob id occidere furem, si oporteat?

R. 1. Tenemur ex charitate defendere bona proximi, quando commode possumus, aut cum levi nostra jactura, non vero cum gravi. *Bon. et communiter* apud *Salm.* Et si aliquid expendimus pro defensione bonorum alicujus, possumus etiam occulte compensare. 2. Doctores qui negant licitum esse occidere furem ob tuenda bona propria, tanto magis negant ob defendenda aliena; quia praeferenda est vita bonis. Sed contrarium tenent *S. Antonin., Lugo, Nav., Mol., etc.* quia vitam proximi praeferre debemus bonis alterius, quando ille est in necessitate involuntaria, non autem quando in necessitate sponte se constituit. - 392.

ARTICULUS III.

De Occisione Innocentis.

Occidere innocentem directa intentione et scienter, numquam licet, nisi Deus, omnis vitae Dominus, concedat: indirecte tamen, et per accidens aliquando licet, utendo nimirum suo jure, et dando operam rei licitae et necessariae, ac tanti momenti, ut vitae aequivaleat. *S. Thom. et DD. communiter.* - 393.

Unde:

1. Si tyrannus minetur urbis excidium, nisi innocens occidatur, id non licet directe. Potest tamen respublica eo casu talem cogere, ut tyrannum adeat, ut *probabitius* dicunt *Lugo, etc.*; et si nolit, eum tradere; cum ex charitate, et justitia legali teneatur vitam exponere pro republica. Unde, si id renuat, fit nocens.

2. Si fugere non possis mortem, persequente hoste, nisi per viam angustam, qua quispiam ista sedens esset obterendus, licet nihilo minus fugere cum ejus periculo et interitu, praeter tuam intentionem, *Less., Salm., etc.* dummodo tamen, si infans est, sit baptizatus, ut monet *Lugo.*

3. Si ad expugnandam urbem, et victoriam reportandam necessarium sit, licet tormenta dirigere in eum locum, ubi multi sunt innocentes, quia horum mors praeter intentionem sequitur. *Less.*

Quaeritur 1. An liceat procurare abortum?

R. Quae malitiose in se, aut qui vel quae in altera procurat abortum, peccat graviter, sive fetus sit animatus, quia est verum homicidium, sive non, quia tendit ad occisionem hominis, et est contra naturam generationis.

Quaeritur 2. An liceat matri, in morbo extremo constitutae, sumere pharmacum ad expellendum directe fetum inanimatum?

R. Certum est apud omnes licitum esse remedium praebere praegnanti directe ad eam curandam, etiam cum periculo abortus, si morbus est mortalis; secus si non esset talis.

An autem licitum sit ei dare pharmacum directe ad fetum expellendum?

Prima sententia affirmat, eamque tenent gravissimi auctores, *Sanch., Laym., Sylv., Nav., etc.* Ratio quia mater eo casu potest illum expellere tan-

quam suae vitae aggressorem. *Secunda sententia communior* docet licere quidem matri sumere medicamentum directe ad curandum morbum, etsi fetus indirecte expellatur, non vero directe ad fetum expellendum. Ita *Less.*, *Lugo*, *Cabass.*, *Tourn.*, *Spor.*, et alii plurimi. Ratio, quia si unquam licitum est expellere semen, etsi ex ejus abundantia mors timeatur, tanto minus licebit expellere fetum, qui est propinquior vitae humanae. Excipe, si fetus esset corruptus. Utraque sententia est *probabilis*; sed secundam tanquam *tutiorem* censeo in casu nostro omnino amplectendam, cum prima nihil ad praxim possit deservire, et frustra videntur circa eam DD. desudare; ad quid enim velle sumere pharmacum, directe ad expellendum fetum, cum possit et sufficiat indirecte expelli?

Nota. Dicunt *Sanch.*, *etc.*, quod mulier vi oppressa a viro, posset incontinenter semen receptum expellere, tanquam sui honoris aggressorem, ad infamiam vitandam; sed huic opinioni acquiescere nequeo; nam si mulier posset tunc expellere semen tanquam aggressorem sui honoris, posset etiam postea; quod ipsimet auctores non concedunt. Nec valet dicere cum *Sanch.* licitum esse mulieri eo casu continuo semen expellere, quia tunc semen non est adhuc in pacifica possessione uteri; nam, ut bene docet *Pont.*, statim ac vir semen effundit, feminae matrix illud recipit, et clauditur, ut videtur in *Tract. de Matrim.* n. 917. Bene autem admittimus quod mulier vi oppressa licite possit se vertere, et coitum interrumpere, quamvis semen viri esset effundendum; quia hoc per accidens et ob solam malitiam viri eveniret. Unde bene concludit *Croix* esse quidem licitum feminae invasae repellere semen, ne immittatur; non autem ejicere, si jam sit immissum.

Quaeritur 3. An liceat matri sumere pharmacum, directe ad expellendum morbum, si inde timeatur indirecte abortus fetus animati?

R. Si remedium directe tendat ad occisionem fetus, ut esset dilaceratio uteri, percussio ventris, etc.; haec quidem nunquam licent. Si autem tendat directe ad servandam vitam matris, ut esset purgatio corporis, scissio venae, balneum, etc.; haec certe licita sunt, quando aliter, certo moraliter judicatur mater cum prole moritura. *Habert, Tour.* cum *communi.*

Quaeritur 4. An liceat matri sumere medicamentum, quando dubitatur, an pereunte matre, proles possit supervivere et baptizari?

R. Affirmant Holzm., Salm., etc.; quia obligatio mortem perferendi, ad procurandam vitam aeternam proximi in extrema necessitate constituti, tunc solum adest, quando constat jacturam temporalis vitae esse absolute necessariam ad vitam spiritualem alterius; non autem quando salus spiritualis proximi est incerta, prout in casu nostro, de ea multipliciter dubitari potest. Sed huic sententiae nec valeo acquiescere; nam, sicut quando certa est mors prolis, si mater medicinam sumat, et alias est certa mors matris, si a medicina abstineat, tenetur utique mater ex ordine charitatis abstinere a medicina et praeferre suae vitae corporali vitam spiritualem prolis; sic etiam ex eadem charitate tenetur abstinere quando dubitatur de salute matris, et prolis. Nisi aequale sit periculum abortus, sive medicina sumatur sive non: quia tunc sine majori fetus periculo juste consulitur vitae matris. Et etiamsi mors matris esset moraliter certa, si non sumat remedium, nec etiam tunc auderem ei medicinam permittere, si aliqua rationabilis spes affulgeret, quod mortua matre proles superviveret et baptizari posset: quia nemini licet, ad tuendam suam vitam temporalem, positive ex-

pone proximum in necessitate constitutum, periculo mortis aeternae. Secus vero puto dicendum cum *Sylv.*, *Tourn.*, *etc.*, et *communi*, si nulla spes rationabilis esset de vita prolis post mortem matris, ita ut posset illa deduci ad baptismi gratiam; quia tunc non videtur charitas obligare matrem in extrema necessitate positam, ut vitam suam negligat, a remediis abstinendo, ob exiguam et remotissimam spem vitae prolis. Hinc rationabiliter dicunt *Salm.*, medicos in hoc casu, quoad pharmaca praestanda matribus, non esse scrupulose angendos, eo quod *probabilissimum* sit rarissimum esse casum, et moraliter impossibilem ut pene miraculum sit, quod pereunte matre, proles supervivat, et baptismum recipere possit. Idque mihi confirmaverunt plures artis medicae periti, quos consului; quia matre laborante lethali morbo, humores corrumpuntur, et inficiunt fetus alimentum (*a*).

An autem Mater teneatur pati incisionem ventris, ut proles baptizetur? Vide dicenda *in Tract. de Sacram. Bapt. n.* 106.

Quaeritur 5. Quando censeatur proles anima informata?

R. Bus., *Elb.*, *Salm.*, cum *Thom.*, *etc.*, *et communi*, dicunt masculum formari et animari spatio 40 dierum, feminam autem 80. Hanc sententiam sequi forum externum quoad poenas homicidis inferendas testatur *Anacl.* Hanc etiam opinionem sequitur sacra Poenitentiaria cum agitur de irregularitate et poenis. - 394. (*b*).

Quaeritur 6. Quibus poenis subjiciantur procurantes abortum?

R. Sixtus V. anno 1588. Bullam edidit, in qua Pontifex omnes *scienter* procurantes abortum fetus, sive animati sive inanimati, et quocumque modo in hoc consentientes, vel praebentes mulieribus venena sterilitatis, subjecit cunctis poenis quae debentur homicidis de jure Civili et Canonico, ut sunt privatio omnis privilegii clericalis Dignitatis, aut Beneficii ecclesiastici, necnon inhabilitas ad ea in posterum obtinenda. Insuper praesertim imposuit eis irregularitatem, et excommunicationem ipso facto, effectu secuto, incurrendas, quarum dispensationem et absolutionem Romano Pontifici reservavit. Attamen *Gregorius XIV.*, in Bulla *Sedes Apostolica*, edita ann. 1591., abstulit irregularitatem, et excommunicationem pro abortu fetus inanimati: reliquit vero tam irregularitatem, quam excommunicationem *Papae* reservatas pro abortu fetus animati; sed quoad excommunicationem, concessit facultatem ab ea absolvendi tam Episcopis, quam aliis ab ipsis specialiter ad hos casus deputatis. - 395.

Nota. Multo *probabiliter* dicit *Elbel* ab hac excommunicatione posse etiam absolvere omnes praelatos majores regularium, jurisdictione quasi Episcopali gaudentes; sed tantum subditos suos, pro quibus possit etiam alios deputare: item addunt *Salm. etc.*, et *Elbel* asserit in hoc satis communiter convenire DD., quod omnibus confessariis mendicantibus competat in foro

(*a*) *Nihilominus est qui mihi testatur non semel accidisse, quod ob peritiam chirurgorum statim ac mater spiritum exhalaverit, inciso matris utero, proles viva extracta fuerit et baptizata. - H. n.* 26.

Et illud omnino constat ex factis quae saepe eveniunt, et in quibus datur baptismus infantibus, qui matribus supervivunt. — (*b*) *Constat apud recentiores medicos animationem prolis fieri multo citius.*

interno facultas ab hac excommunicatione absolvendi. Quod ad irregularitatem autem pertinet, per se loquendo solus Papa potest in ea dispensare, non vero Episcopi, etiamsi abortus esset occultus; quia in facultate eis concessa a *Tridentino* in *C.* liceat, expresse est exceptum homicidum voluntarium. - 397.

Quaeritur 7. An incurrant excommunicationem mulieres praegnantes, quae abortum sibi procurant?

R. Prima sententia communissima affirmat cum *Viva, Bon., Spor., etc. Secunda autem sententia valde probabilis*, et attenta ratione intrinseca, *probabilior negat* cum *Avila, Salm., Lugo, etc.* Pontifex enim in sua bulla non nominat mulieres praegnantes, sed tantum eos vel eas, qui vel quae dant opem, consilium, etc. Saltem, ait *Ronc.*, cum dubium sit an haec excommunicatio lata sit etiam contra praegnantes, *valde probabiliter* ipsae ab ea excusantur, juxta ea quae dicemus in *Tract. de censuris, n.* 67. - 395.

Quaeritur 8. An procurantes abortum irregularitatem incurrant, in dubio an fetus sit vel non animatus?

R. Prima sententia affirmat, quam tenent *Salm., Viva, Sanch., Mol., etc. Secunda* tamen *verior sententia negat;* eamque tenent *Tamb., Elbel, Spor., etc.* Ratio convincens, quia irregularitas non incurritur, nisi expressa sit in jure; in hoc autem casu irregularitas nullibi habetur expressa. - 396

ARTICULUS IV.

De Homicidio casuali.

Dupliciter contingere potest homicidium casuale, vel dando operam rei licitae, vel rei illicitae. Igitur duae sunt regulae, quae in hac materia communiter assignantur.

1. Quando quis dat operam rei licitae, ex ea per accidens sequitur homicidium, iste excusatur, etiamsi illud praeviderit, modo non intenderit, et sufficientem diligentiam posuerit ad illud vitandum. 2. Secus vero, si dat operam rei illicitae, et homicidium praevideat; quia tunc, licet illud non intendat, et diligentiam adhibeat ne sequatur, non excusatur. Sed advertendum, quod ad imputandum huic homicidium, non sufficit quod opus sit per se illicitum, sed requiritur amplius, quod sit illicitum praecise respectu ad homicidium.

Quaeritur 1. Quodnam opus dicendum sit proprie illicitum respectu ad homicidium?

R. 1. Si opus est de se frequenter periculosum, ita ut ex eo mors communiter accidat, tunc homicidium ei qui illud ponit semper imputatur, licet quamcumque diligentiam adhibeat ad damnum praecavendum. 2. Si opus illicitum sit quidem periculosum, sed raro, ita ut raro ex eo mors veniat, tunc sufficit ad excusandum, si diligentia apponatur ad eam vitandam, saltem in foro conscientiae. 3. Si opus non sit de se periculosum, quamvis sit illicitum, nunquam imputatur homicidium illud exercenti, si casu ex eo mors eveniat. Sic in ordine ad restitutionem. In ordine vero ad irregularitatem:

Quaeritur 2. Quandonam ex homicidio casuali incurratur irregularitas?

R. Vide *Tract.* de *Irregul.* n. 382, etc.

CAPUT III.

DE DUELLO ET BELLO.

ARTICULUS I.

De Duello.

Duellum est duorum, vel subinde plurium certamen quod ex condicto, uno dicente, et altero acceptante, su-

scipitur, ita ut id non sit vitam defendere, sed exponere periculo. Quod etsi communiter sit mortale peccatum, licitum tamen est ex justa causa, quae semper est attendenda. - 399

Unde:

1. Duellum licet acceptare vel offerre ad conservandam aestimationem exercitus apud hostes, eosque debilitandos, vel ad terminandum bellum cum minore damno.

2. Acceptare item licet, si quis alias te occisurus, concedat tamen arma, ut sic fortunam experiaris; quia est tantum defensio, posito, quod aliter non possis evadere. - 400.

3. Sed non licet acceptare ad litem terminandam; neque ad injuriam vindicandam; neque ad ignominiam evitandam. - 399.

4. Non licet viro nobili vel militari acceptare duellum, nec illud offerre, licet alias, honore amisso, certe privandus sit officio, quo se et familiam sustentat, ut constat ex Propositionibus, quas SS. P. *Ben.XIV.* damnavit in sua Constitutione, quae incipit *detestabilem*, edita die 10 Nov. ann.1752.-400.

Hae propositiones sunt sequentes.

I. « Vir militaris, qui nisi offerat, » vel acceptet duellum, tanquam for- » midolosus, timidus, abjectus, et ad » officia militaria ineptus haberetur, » indeque officio, quo se suosque su- » stentat, privaretur, vel promotionis, » alias sibi debitae ac promeritae, spe » perpetuo carere deberet, culpa et » poena vacaret, sive offerat, sive ac- » ceptet duellum. »

II. « Excusari possunt etiam, hono- » ris tuendi, vel humanae vilipensio- » nis vitandae gratia, duellum acce- » ptantes, vel ad illud provocantes, » quando certo sciunt, pugnam non » esse secuturam, utpote ab aliis im- » pediendam. »

III. « Non incurrit Ecclesiasticas poe- » nas, ab Ecclesia contra duellantes » latas, dux vel officialis militiae, » acceptans duellum ex gravi metu » amissionis famae, vel officii. »

IV. « Licitum est in statu hominis » naturali acceptare et offerre duellum » ad servandas cum honore fortunas, » quando alio remedio eorum jactura » propulsari nequit. »

V. « Asserta licentia pro statu na- » turali applicari etiam potest statui » civitatis male ordinatae, in qua ni- » mirum vel negligentia, vel mali- » tia magistratus, justitia aperte de- » negatur. »

Quaeritur. Quaenam sint poenae duello impositae?

R. Ex *Trid.* sunt tres sequentes: 1. Excommunicatio ipso facto incurrenda, et Pontifici reservata, quam etiam incurrunt Patrini, consulentes, intellige efficaciter (*a*); item favorem praebentes, Domini dantes locum, ac etiam spectatores, non quidem illi qui obiter transeundo ibi reperiuntur, sed qui de industria spectant, et sua praesentia quodammodo approbant et animant duellantes. 2. Proscriptio omnium bonorum, cum perpetua infamia; haec tamen poena non videtur recepta in nostris partibus. 3. Privatio sepulturae Ecclesiasticae, si duellantes in ipso conflictu decedant, licet alibi moriantur, vel ante mortem dederint signa poenitentiae. Istae autem poenae incurruntur tantum ob duellum stricte sumptum, scilicet, convento loco, tempore, et armis; non vero ob conflictum improvisum, quamvis pugnantes

(*a*) *Quamquam ex verbis Concilii videatur requiri ut duellum sit secutum, attamen, ex bulla* Clementis VIII., illus vices, *etiamsi duellum non sequatur, tam principales quam omnes alii cooperantes excommunicationem incurrunt.* - *H. n.* 28.

ex eodem impetu rixae, perrexerint ad aliquem locum idoneum. Ita *valde probabiliter Elb.* cum *Diana etc.*, *et communissime* - 401.

ARTICULUS II.

De Bello.

Bellum defensivum, quo scilicet vis injusta repellitur, licet etiam privata auctoritate: offensivum vere quo vis infertur, ut liceat, tres conditiones requirit sequentes: 1. ut geratur auctoritate Principis, vel Magistratus, nullum agnoscentis Superiorem, qualis est *Papa*, Imperator, Reges, et quaedam Respublicae. v. g. Venetorum, Genuensium, etc. 2. Ut adsit justa causa, eaque gravis; v. g. necessitas boni communis, et quietis conservandae, recuperatio injuste ablatorum, coercitio rebellium, defensio innocentium, etc. Justa etiam causa est bellum indicendi, si impediatur praedicatio Evangelii. 3. Ut fiat ex recta intentione, hoc est, non odio, sed ex amore boni communis. - 402.

Unde:

1. Perspecta justitia belli, debet ea proponi parti adversae; quae si afferat competentem satisfactionem, non debet bellum inchoari.

2. Potest princeps pro satisfactione petere restitutionem ablatorum et expensarum, item in poenam illatae injuriae. Hinc, potest victos privare bonis, etiam innocentes, tributa eis imponere, extruere arces, et caetera quae ad securitatem sunt necessaria.

3. Princeps tenetur stipendia solvere militibus, alioqui tenetur compensare damna tum ipsis militibus, tum aliis, qui ab iis damnum acceperunt.

4. Tenentur etiam aliquando Principes Catholici a bello, alioqui per se justo, abstinere, si inde oriturum sit scandalum, et spiritualis ruina multorum, ac detrimentum Ecclesiae. - 405.

Quaeritur 1. An princeps cum sola opinione probabili pro se possit inferre bellum alteri Regnum bona fide possidenti?

R. Prima sententia affirmat. Secunda tenet quod, ut Princeps non possidens possit bellum inferre, pollere debeat opinione saltem probabiliore. *Tertia longe mihi probabilior* docet non posse Principem adversus alterum bona fide possidentem bellum indicere, nisi certitudinem sui juris habeat: Ratio potissima est, quia possidens, cum possessio certum jus ipsi tribuat rem retinendi juxta dicta in *Tract. de just. art. de poss. dubiae fidei*, nequit unquam re possessa expoliari, nisi constet quod illam injuste retineat. - 404.

Quaeritur 2. An liceat Regibus Catholicis in bello justo, contra alium Catholicum Principem in auxilium vocare Haereticos, aut Gentiles?

R. Prima sententia universe affirmat. Secunda tenet hoc absolute esse illicitum. *Tertia* vero dicit per se licitum esse advocare Haereticos aut Gentiles, sed plerumque per accidens esse illicitum ob damna Religioni imminentia. Haec tertia sententia speculative est quidem *probabilis;* sed secunda in praxi videtur omnino tenenda. Quia est moraliter impossibile, quod contracta societate cum hostibus Fidei, praefata damna Religioni non obveniant. - 406.

Quaeritur 3. Quae sint injustitiae, quae ordinarie committunt duces militum?

R. Duces, Tribuni, Centuriones, aliique Officiales peccant tenenturque ad restitutionem in quinque praecipuis casibus: 1. Si pauciores habeant milites, quam in solutione stipendii exhibent. 2. Quando debent ex officio commeatum curare, et dant militibus cibum vel potum corruptum; ex quo morbi oriantur. 3. Si in transitu per

regiones accipiant pecunias a variis pagis, ne istic pernoctent aut morentur. 4. Si uni militi dent plura syngrapha ad domos diversas. 5. Si stipendium militibus subtrahentes, permittant eis ut extorqueant ab innocentibus necessaria.

Quaeritur 4. Quae sunt injustitiae militum?

R. Milites peccant, et tenentur ad restitutionem in sequentibus casibus: 1. Si militent in bello injusto; et tunc tenentur ad restitutionem damnorum, nisi inculpabilis ignorantia excuset: tunc enim sufficit restitutio eorum quae in specie habent, vel eorum in quibus facti sunt ditiores. - 407. 2. Si a rusticis, aliisve apud quos hospitantur, vel per quorum loca transeunt, auferant, aut invitis extorqueant, vel etiam donata accipiant (nisi constet ea omnino libere fieri), praeter ea quae ex constitutione Principis iis debent subministrare; nisi tamen sint in extrema vel saltem gravi necessitate. 3. Tenentur restituere omnia damna quae inferuntur ab hostibus, et ipsi non impediunt. - 410.

Quaeritur 5. An milites bellare possint cum dubio de justitia belli?

R. Distinguendum: si ipsi sunt subditi Regis bellum inferentis, tunc, nisi certi sint de belli injustitia, possunt, imo tenentur obedire Principi jubenti, ita *communiter Sanch., etc.* Secus vero dicendum de non subditis, qui nequeunt militare nisi prius certi fiant de justitia belli. Ita *communiter Caj.* De militibus autem alienigenis stipendio conductis idem dicendum quod de subditis; intellige tamen, si reperiantur conducti ante bellum excitatum; nam alioquin si post bellum indictum conducantur, etiam hi certificari debent de justitia belli. Ita *Spor., etc.*

Nota. Miles intelligens bellum esse injustum, in quo est, non potest absolvi, nisi velit, quamprimum poterit, curare dimissionem, et interea abstinere ab actibus hostilitatis v. g. caede, praeda, etc. - 408.

Quaeritur 6. Quae sunt licita in bello justo?

R. Etsi circa hostes in bello justo liceat ea omnia facere, quae ad finem belli sunt necessaria, v. g. occidere, spoliare, etc., innocentes tamen, quo nomine intelliguntur pueri, qui arma gestare non possunt, mulieres, senes, Religiosi, Clerici, peregrini, mercatores, et rustici, directe vita spoliari non possunt; bonis tamen externis possunt, si sint pars Reipublicae hostilis, aliterque finis belli obtineri non possit. - 409.

Unde:

1. Per accidens licet aliquando comburere etiam Ecclesias, et hostes ex iis extrahere, in iis spoliare, et occidere, si v. g. Ecclesia velut castris ad repugnandum utantur. *Syl.*, *Sa*, *Bon.*, *etc.*

2. Contra hostes licet insidiis uti, et stratagematibus, dummodo absint mendacia. Non licet tamen veneno inficere puteos, aquas, quia hoc est contra jura belli.

3. Fides hosti data servanda est, nisi vel coactus dederit, vel in grave detrimentum cederet reipublicae, aut religionis, aut si hostes eam non servent, aut denique conditiones, ac circumstantiae plane sint mutatae.

4. Capti in bello, etiam ex parte capientium justo, nisi obstet scandalum, aut specialis promissio, possunt fugere; capti vero in bello, ex parte capientium injusto, et fugere, et bona hostium secum auferre possunt. - 410.

5. Non licet occidere obsides, etsi qui eos miserunt non servent fidem, quia sunt innocentes. - 393.

6. Potest aliquando urbs dari in praedam: raro tamen, et non nisi ob causas gravissima.

7. Peccant milites, si aufugiant, vi-

ctoria adhuc non desperata, vel si discedant a castris sine justa causa; secus, si discedant ex gravi necessitate, ob neglectum stipendium.

Quaeritur 7. Quando represalia licita sint?

R. Ut represalia licita sint, sequentes requiruntur conditiones. 1. Ut manifeste constet cives alterius Reipublicae fecisse injuriam. 2. Ut superiores illorum rogati recusent administrare justitiam. 3. Ut constet eos culpabiliter id recusare. 4. Ut Princeps supremus, causa cognita, id concedat. 5. Ut non inferatur plus damni quam justa satisfactio requirit. 6. Ut non concedantur in personas Ecclesiasticas. *Mol., Dian.. etc.* - 410.

Quaeritur 8. Ad quem pertineant bona hostibus erepta?

R. Immobilia cedunt Principi, aut Reipublicae; mobilia fiunt capientis, nisi consuetudo habeat ut pars cedat Principi et Communitati - 411.

TRACTATUS XI.

DE SEXTO PRAECEPTO ET NONO DECALOGI.

Nunc aegre materiam illam tractandam aggrediamur, cujus vel solum nomen hominum mentes inficit. Utinam brevius aut obscurius explicare me potuissem! Sed cum fit frequentior ac abundantior Confessionum materia, et propter quam major animarum numerus ad infernum delabitur, imo non dubito asserere ob hoc unum impudicitiae vitium, aut saltem non sine eo, omnes damnari quicumque damnantur; hinc opus mihi fuit, ad instructionem eorum qui moralem scientiam cupiunt addiscere, ut clare, licet quo castissime fieri potuit, me explicarem, et plurima particularia discuterem. Oro tamen studiosos, qui ad munus audiendarum Confessionum se parant, ut hunc Tractatum de sexto praecepto, quemadmodum et alium de debito conjugali, non legant, nisi cum fuerint ad excipiendas confessiones jam proximi, legantque ob hunc unice finem, omnem prorsus curiositatem abjicientes; atque eo tempore saepius mentem ad Deum elevent, et Virgini immaculatae se commendent; ne, dum aliorum animas Deo student acquirere, ipsi suarum detrimentum patiantur. - 413.

De natura et divisione luxuriae. De peccatis luxuriae non consummatae. De peccatis luxuriae consummatae intra naturam, et contra naturam.

CAPUT I.

DE NATURA ET DIVISIONE LUXURIAE.

Luxuria est inordinatus appetitus, vel usus delectationis, seu sensus venerei, qui fit cum commotione spirituum generationi servientium, circa partes corporis venereas: ita ut appetitus vel delectationes aliae, etsi etiam sensitivae, aut sensitivorum, si tamen non sint venereae aut venereorum, nec ad ea ordinentur, non spectent ad luxuriam.

Porro actus, seu peccata luxuriae distinguntur in *imperfectos*, in quibus non intervenit ultimus terminus venereorum, quae est decisio seminis, ut sunt actus interni desideriorum, et oblectationum morosarum, qui speciem sumunt ab objectis; et *perfectos*, ac consummatos, qui terminum jam dictum habent adjunctum: qui rursus sunt duplices. Alii enim sunt *naturales*, qui naturae non repugnant, nec specie differunt in ratione luxuriae, etsi per deformitatem superadditam aliquando specie differant, v. g. adulterium, incestus, etc. Alii *innaturales* sunt, seu contra naturam, in qui-

bus conditiones a naturae institutae, v. g. identitas speciei, vas debitum, etc. non servantur. Et hi etiam in ratione luxuriae differunt specie, quae in illis variatur secundum modos, quibus committuntur naturae repugnantes. - 412.

CAPUT II.

DE PECCATIS LUXURIAE NON CONSUMMATAE.

Ad dignoscendam gravitatem peccati luxuriae non consummatae, v. g. oscula, amplexus, tactus, etc. extra matrimonium distinguenda est imprimis intentio et delectatio venerea et venereorum, ab intentione et delectatione sensitiva et sensitivorum aliorum, quae consistit in quadam proportione et conformitate rei tactae cum organo factus. Deinde sciendum 1. intentionem et sensum venereorum esse mortalem, et excludere a Regno caelorum, secundum Apostolorum ad *Gal.*5.-413. 2. Non dari parvitatem materiae in re venerea, ideoque omnem delectationem carnalem sive luxuriosam, cum advertentia et delectatione captam, esse mortale peccatum; quia quaevis carnalis delectatio, sive commotio spirituum generationi deservientium est quaedam inchoata pollutio, seu motus ad pollutionem. Unde *Cont. Tourn.*, *Salm.*, *Caj.*, *Bon.*, *etc.* merito contra *Sanch.*, damnant peccati mortalis, vellicare manum feminae, intorquere digitos; brachia premere, etc. ob delectationem carnalem quae tunc habetur, vel saltem ob istius proximum periculum. - 415. 3. Non dari parvitatem materiae in delectatione sensibili, sive naturali, nempe de contactu manus feminae, prout de contactu rei lenis, puta, rosae, panni serici, et similis; quia, ob corruptam naturam est moraliter impossibile habere illam naturalem delectationem, quin delectatio carnalis et venerea sentiatur, maxime a personis ad copulam aptis, et maxime si actus isti habeantur cum aliquo affectu et mora. Ita *Caj.*, *Dian.*, *Elbel*, *etc.* contra *S. Antonin.*, *Sylv.*, *Salm.*, *etc.* 4. Attamen aliud esse agere propter delectationem capiendam, aliud cum delectatione quae consurgit ex qualitatibus corporibus annexis, in qua bene potest dari parvitas materiae, si delectatio sit mere sensibilis, sive naturalis; modo non sistas in ea, sed in tactu delectationem detesteris, alias non ageres cum delectatione, sed propter delectationem; quod non potest esse sejunctum a periculo incidendi in delectationem veneream. - 416.

Unde:

1. Oscula, amplexus, aspectus, tactus et similia, si extra matrimonium fiant, ex intentione actus luxuriosi, vel ob delectationem veneream, etiamsi non illam perfectam, quae est in seminatione, sunt tamen semper peccata mortalia; quia eo animo, extra matrimonium sunt impudica, et natura sua talis delectatio tendit ad perfectam. *Less.*, *Sanch.*, *etc.* - 415. Tales actus sunt ejusdem naturae cum perfectis, sive consummatis; ideoque in Confessione explicandum utrum sint habiti cum simili sexu, an diverso; cum libera an conjugata, cognata, persona sacra, etc. *Less.*, *Sanch.*

2. Oscula, amplexus, compressiones manuum, et similia non obscoena, si fiant tantum officii, aut moris patrii, aut amoris honesti, vel benevolentiae augendae causa, etiamsi delectatio venerea suboriatur, modo in eam non consentiatur, non sunt peccata. *S. Thom.*, *Less.*, *S. Antonin.*, *Syl. etc. communiter.* Recte tamen notat *Croix*, quod oscula etiam habita ex more patriae, si habeantur cum mora, vel ardore, ordinarie sunt mortalia. Item ait cum *Spor.* de osculis in ore, vel si quis ore excipiat linguam alterius. Advertit e converso cum

Sanch. quod usculari pueros, intellige, de valde pueris, etiam cum sensibili delectatione, non est ordinarie nisi veniale, quia delectatio illa ordinario non est nisi naturalis. - 417.

3. Persona soluta permittens se tangi ab alia, tactu qui vulgo censetur pudicus, ut prehensio, contrectatio manus, amplexus, et oscula juxta morem patriae, non peccat, nisi ei constet fieri pravo affectu; huic enim cooperari non licet. Docet tamen *Fill.* etiam tunc admitti posse, ne tangens infametur, sive ne suspicionem infamiae ingerat, vel ne alii scandalizentur. Ita *Tourn., Sylv., etc.* Tenetur tamen resistere, si tactus fiant clam et certum sit malitiose fieri. *Salm., Tamb., Croix, etc.* Admittens autem tactus impudicos, ut mamillarum et obscoenarum partium, vel oscula furtiva, et morosa, vel indecentia, peccat; quia praesumitur affectus malus.

Nota. Mulier vi oppressa *valde probabiliter* non tenetur, ad vitandos impudicos tactus alterius, clamare, cum periculo notabilis damni, sive infamiae, vel nimiae verecundiae; quia tunc si aliter jam resistat quantum potest, non tenetur cum tanto suo incommodo vim repellere (*a*). Excipe, si adsit periculum proximum consentiendi in copulam ob experientiam ante actam, vel ob sui fragilitatem cognitam. *Nav., Soto, Bon.*, - 430.

4. Tangere propria verenda ex levitate, aut curiositate, per se non est mortale; modo absit turpis delectatio, aut ejus periculum, et fiat obiter, et non repetitis vicibus, quia, alias jam aderit periculum. *Salm., Sanch., Bon., Tourn., Sylv. communiter.* Hinc, non excusatur a mortali; qui cum commotione spirituum, et sine justa causa propria pudenda tangeret. Pariter recte ait *Tourn.* esse mortale aspectum propriorum genitalium, si fiat studiose, et morose, absque necessitate. Secus, si breviter. *Sylv., Sanch.*, - 419.

5. Tactus nudi et aspectus partium inhonestarum alterius corporis maxime diversi sexus, aut concubitus humani ex curiositate, videntur non posse excusari a mortali propter gravem indecentiam, et periculum proximum actus venerei: nisi tamen aspectus fiat ex loco tam remoto, et ita obiter, ut haec absint. *Sanch., Laym., Tamb., etc.* - 420.

6. Tactus impudici sola necessitate excusantur. Unde Medici tangentes, aut aspicientes ex necessitate pudenda personae etiam diversi sexus, non peccant, esto per accidens involuntariam pollutionem patiantur. *Tamb., Salm., S. Thom.* Vide dicenda. n. 483.

7. Non excusantur a mortali, qui sine tali necessitate tangit alterius pudenda, etiam personae ejusdem sexus, nisi forte fiat per jocum, aut ex petulantia, vel curiositate. Et hoc neque practice admittendum, sed tantum speculative, modo tactus ille fiat leviter, et non ex proposito, neque per aliquod temporis spatium.

8. Tangere alterius verenda super vestes, *Croix* nec etiam excusat a mortali, nisi fiat ex quadam petulantia, vel cum levi delectatione non carnali. Et id merito *Salm.* practice etiam damnant de mortali, si ita tangantur pudenda diversi sexus, etiamsi fiat per transennam, quia valde periculosum est. *Croix* autem *probabiliter* excusat a mortali ancillas tangentes pudenda puerorum, dum illos vestiunt, nisi cum mora, aut carnali delectatione hoc agant.

9. Tangere genitalia brutorum, non est ordinarie nisi veniale. *Croix. Sanch., etc.* Secus *probabilius* dicendum, si fieret talis tactus usque ad

(*a*) *Contraria sententia, ut tutior est consulenda.* - *H. n.* 6.

pollutionem. *Croix*, *Holzm.*. *Elbel*, *Tourn.*, quia est actio vehementissime excitans ad venerem.

10. Non est mortale de se, citra periculum consensus venerei, aspicere pudenda personae ejusdem sexus, nisi aspiciens esset valde propensus ad sodomiam. *Salm.*, *Sanch.*, *etc.* Vel nisi *adderem*, pulcher adolescens aspiceretur nudus. - 420.

11. Aspicere partes honestas personae pulchrae saexus diversi, per se licitum esse dicunt *S. Antonin.*, *Less.*, *Tol.*, *Caj.* Unde tenent nullam esse culpam per se, praecisa curiositate, aspicere mulierem pulchram: sed in praxi puto hoc raro excusari a veniali, nisi fiat ex urbanitate debita, aut alia justa causa. Secus tamen merito dicunt, si aspectus esset diuturnus, quia tunc excusari nequit a veniali, nec etiam a mortali, si proximum sit periculum turpis concupiscentiae vel morosae delectationis, quae procul dubio aderit, quando in aspiciendo adest commotio spirituum. *Salm.*, *Less.*, *Caj.*, *S. Antonin.*, *etc.* Imo, valde merito ait *Ronc.* diuturnum mulieris pulchrae aspectum, maxime, si quis inordinato amore erga ipsam afficiatur, non esse sine gravi peccandi periculo. Et idem merito dicit de diuturno colloquio vano cum puella inordinate dilecta. - 422.

12. Aspicere partes minus honestas, sed non turpes mulieris, scilicet, pectus, brachia, crura, secluso periculo lapsus, et modo aspectus non sit diuturnus, ut supra, de se non est mortale. *Nav.*, *Sanch.*, *Caj.*, *etc.* Dicitur *de se;* nam bene inquit *Holzm.* id facile mortale esse in aspiciente valde ad venerem proclivi. - 423.

13. Aspicere picturas obscoenas, tantum ex curiositate, non est mortale, si delectatio turpis, et ejus periculum absit. Sed in praxi, virum morose aspicientem pudenda mulieris depictae, difficulter puto excusari a mortali, quia difficulter se liberare poterit a delectatione turpi, vel ab ejus probabili periculo; nisi aspiceret per brevissimum tempus et in magna distantia, ut bene ait *Ronc.* - 424.

Notant *Salm.*, quod aspectus peccaminosi induunt, sicut tactus, eamdem speciem objecti, et ideo explicandam esse in Confessione qualitatem personae, quae fuit turpiter aspecta. Sed huic doctrinae *verius* contradicit *Croix* dicens, quod qui sine ullo desiderio personam veneree aspicit, non tenetur dicere qualis fuerit persona. - 421.

14. Morose aspicere conjunctionem animalium, periculosum est. *Salm.*, *Croix.* Excusantur vero conjungentes equos, tauros, et similes ad procreandam prolem; modo absit animus libidinosus. *Tourn.*, *Tamb.*, *etc.* 449.

15. Mulier utens veste virili, vel contra, tantum ex levitate, sine prava intentione, aut periculo scandali et libidinis, venialiter tantum peccat; alias mortaliter, nullo modo vero, si necessitate. *Dian.*, *Sylv.*, *S. Thom.* - L. 2. n. 53.

16. Mulier se ornans pro decentia sui status, vel juxta morem Patriae, vel ut suo viro placeat, vel ut sponsum reperiat, non peccat. Peccaret vero si sine recto fine se ornaret, et quidem graviter, si hoc faceret ad provocandos viros ut ipsam concupiscant. Leviter vero, si faceret tantum ex levitate, aut vanitate. *Caj.*, *Less.*, *Sylv.*, *etc.* Idem dicendum de muliere se fuco pingente. Attamen *S. Thom.* excusat mulierem, quae fucaret faciem ad suam turpitudinem tegendam. - 425.

Vide alia in *Tract. de Virt. Theol. n.* 55. - 425.

Quaeritur 1. An sit peccatum mortale verba turpia proferre?

R. Quidquid in hoc puncto diverso DD. sentiant, dicendum 1. de se non

esse malum verba turpia proferre aut audire ; idem enim dicitur de proferente, quod de audiente ; sed hoc pendet ex bono vel malo fine, quo verba proferuntur. Ita *Sanch.*

Dicendum 2. Quod loqui turpia ob vanum solatium sive jocum, de se non est mortale. Ita *Bus., S. Antonin., etc.*, nisi audientes sint ita debiles spiritu, ut scandalum patiantur ; aut nisi verba sint nimis lasciva. Hinc, notant *Salm.*, dicteria turpia quae proferuntur a messoribus, vindemiatoribus, et mulionibus non esse mortalia, quia ludicre dicuntur et audiuntur. Ita *S. Antonin.*

Dicendum 3. Esse sine dubio mortale dicere turpia ob delectationem, captam ex cogitatione ipsarum rerum turpium, vel cum periculo talis delectationis sive cum periculo gravis scandali, quod frequenter adest, cum talia proferuntur coram juvenibus vel puellis. Hinc, tenent *Salm.* non excusari a peccato gravi qui nominat pudenda, aut modum copulandi, maxime coram adolescentibus, et mulieribus juvenibus honestis. Nominare autem pudenda sui proprii sexus, coram aliis sexus ejusdem, puto, communiter loquendo, non esse grave.

Mortaliter etiam utique peccant., qui ob jactantiam narrant sua turpia peccata : et tunc peccant non solum peccato scandali propter audientes, sed facillime etiam peccato complacentiae de ipsis peccatis : et ideo in confessione explicare debent speciem peccati de quo se jactarunt.

Colloqui honeste cum puellis extraneis, de se non est nisi veniale ; sed ratione periculi, maxime in conversatione diuturna, potest esse grave, ut diximus n. 422. - 426.

Quaeritur 2. An sit peccatum mortale legere libros turpes ?

R. Bus., Sanch., Tamb, Spor. dicunt de se esse tantum veniale libros turpes legere ex curiositate, sine turpi delectatione, vel ejus proximo periculo. Sed sedulo satagant confessarii ut hoc prohibeant, quantum valent, juvenibus, qui ex hujusmodi lectionibus universe magnem animae ruinam hauriunt. Et idem dicendum de audiente praedicta verba ob vanum solatium. Recte autem advertit *S. Antotonin.* quod audiens turpia cum delectatione deliberata illius turpitudinis, non videtur posse excusari a mortali, sicut qui morose delectatur in turpi cogitatione, nisi forte haec forent inter conjuges. - 426.

Quaeritur 3. An sint licitae Choreae ?

R. Choreae, nisi malo fine fiant, aut cum periculo aliquos aut seipsum incitandi ad libidinem, vel cum alia circumstantia mala, secundum se non sunt malae, nec actus libidinis, sed laetitiae. Quando sancti Patres eas interdum valde reprehendunt, loquuntur de choreis turpibus, et de earum abusu. Choreae ergo per se licitae sunt, modo fiant a personis saecularibus cum personis honestis, et honesto modo, scilicet non gesticulationibus inhonestis. *Salm., Azor., Caj., Bon. etc.*

In choreis autem leviter apprehendere manum feminae, vel non erit culpa, vel ad summum venialis.

Nota. Vetitum fuit Clericis a *Trid.* choreis illicitis assistere, saltem illas ducere.

Quaeritur 4. An sint licitae comoediae ?

R. Exhibentes comoedias turpes, item facientes libros aut picturas, incitantes ad libidinem (*a*), peccant mortaliter, quia sunt ruina proximi; cum moraliter certum sit, multos inde ad peccatum incitandos. Unde Magistra-

(*a*) *Vel qui eas retinent domi expositas omnium aspectui.* - *H. n.* S.

tus, qui permittunt, ut exhibeantur turpes comoediae, peccare mortaliter docet *Hurt.* - 429.

Quaeritur 5. An audiens comoedias turpes pecces?

R. Audiens comoediam non notabiliter turpem, non peccat mortaliter, nisi expertus sit suam fragilitatem, *Sanch.* Si vero in comoedia repraesententur res notabiliter turpes, vel modo turpi, mortale quidem esset illam spectare ob delectationem consurgentem ex ipsis rebus turpibus; veniale autem ob curiositatem tantum, aut ob vanum solatium, secluso periculo consensus in turpem delectationem. *Sanch., Tamb. etc.*

Nullo autem modo a mortali excusarem adolescentem, qui absque necessitate, vellet curiositatis causa hujusmodi comoediis interesse, nisi quis esset valde timoratus, et insuper pluries esset expertus se, illas spectando, nunquam lethaliter peccasse; modo suo exemplo aliis adolescentibus occasionem non praeberet hujusmodi turpibus repraesentationibus assistendi.-427.

Quaeritur 6. An peccant mortaliter qui pecunia cum plausu ad comoedias notabiliter turpes concurrerent, etiamsi sine ipsis comoedia repraesentaretur?

R. Affirmandum cum *Croix, Holzm.* quia isti, etsi materialiter, positive tamen cooperantur ad actionem graviter peccaminosam; quae cooperatio non est licita, nisi fiat ex gravi causa necessitatis, vel utilitatis. Et idem recte dicit *Holzm.* de his qui ex officio impedire tenentur, vel etiam qui alias impedire commode possunt.

Non damnarem vero de mortali simplices spectatores, praeciso periculo turpis delectationis, ut supra, sine quibus etiam comoedia fieret; isti enim neque essent causa illius turpis repraesentationis, quia non positive in illam influerent; neque occasio, quia ut supponitur, etiam sine ipsis comoedia ageretur. Excipe Clericos, et Religiosos, qui non possunt ibi interesse sine gravi laicorum scandalo. Excipe etiam laicos, sine quibus comoedia non fieret.

CAPUT III.

DE PECCATIS LUXURIAE CONSUMMATAE INTRA NATURAM.

Peccata luxuriae consummatae intra naturam sunt ea, in quibus fit commixtio eo modo, quo natura instituit: v. g. quando servantur sexus diversus, species eadem, vas et modus naturalis, etc. Variae sunt species, nempe:

1. Fornicatio, quae est concubitus soluti cum soluta; hoc est, quae sit libera a voto, matrimonio, Religione, et ex mutuo consensu. Ad hanc reducitur 1. Concubinatus qui est fornicatio continuata; 2. Congressus cum alterius sponsa.

Notandum procul dubio fornicationem vetitam esse de jure naturae, cum natura ordinet copulam tantum ad matrimonium, quo non solum proles generari, sed etiam bene educari possit. Ideo fornicatio semper est intrinsece mala.- 432.

2. Stuprum, hoc est, defloratio virginis, ipsa invita.- 443.

3. Raptus, cum scilicet persona aliqua sive masculus sive femina, sive nupta sive innupta, libidinis causa abducitur, illata vi sive abductae, sive iis quorum potestati subest, scilicet Parentibus, aut Tutoribus, aut viro; non autem, si sint fratres, et mulier sit sui juris. Si quae tamen sponte discedat cum amasio, insciis parentibus, non erit proprie raptus, sed fuga, non addens malitiam specie distinctam fornicationi. Ex *Tridentino*, raptor tenetur mulierum ducere aut dotare; nisi mulier sit meretrix, aut malae

famae. Quando tamen adest raptus cum violentia mulieris invitae, matrimonium semper est nullum, etiamsi cum rapta sint sponsalia contracta. Constituunt raptum etiam preces importunae. - 444.

4. Adulterium, cum scilicet uterque, vel alteruter coeuntium est conjunctus matrimonio, etiamsi adulterantis conjux consentiat: esto enim tunc illi non fiat injuria, fit tamen ipsi statui, Sacramento, et huic praecepto. Quod si femina adulterans sit conjugata, gravius habetur, quam si vir, propter incommoda graviora, v. g. damnum veri haeredis, prolis incertitudinem, etc. Si vero uterque sit conjugatus, adhuc gravius est, quia sunt duae injuriae in utriusque conjugem, in confessione exprimendae, 445. Qui sodomitice uxorem cognoscit, *probabilius* etiam adulterium committit, quia est contra bonum datae fidei. *Sanch., Az., etc.* cum *communi*. Et debet explicari sodomiam commissam esse cum propria conjuge. *Salm.* 446.

5. Incestus, hoc est, congressus cum consanguinea vel affine, usque ad quartum gradum (*a*), eo gravius peccatum, quo gradus est propinquior. - 443,

6. Sacrilegium, hoc est, violatio rei sacrae per actum venereum. Quae autem sic violantur sunt *persona, locus et res*. - 454.

Nota. Quod per *locum sacrum*, intelligitur omnis locus ab Episcopo benedictus, et deputatus ad officia divina, aut ad mortuos sepeliendos, a tecto usque ad pavimentum. Non autem comprehenduntur cellae, claustrum, sacristia, dormitorium, tectum supra Ecclesiam, janua extra limen Ecclesiae, atrium. Nec etiam veniunt oratoria privata, nisi sint erecta auctoritate Episcopi, ut fieri solet in xenodochiis, quia tunc sunt verae Ecclesiae. - 460.

Quaeritur 1. An permitti possint meretrices?

R. Prima sententia probabilis affirmat, eamque tenent *Salm., S. Thom.*, huicque clare adhaeret *S. Aug.* Ratio, quia, demptis meretricibus, pejora peccata evenirent, nempe sodomiae, bestialitatis, mollitierum, praeter praevaricationem mulierum honestarum. Verum, *secunda sententia, practice probabilior, negat;* et hanc tenent *Ronc., Nav., etc.*, Ratio, quia per meretrices haec mala graviora non evitantur, eo quod in hominibus luxuriosis ex facili et frequenti cum meretricibus congressu libido altiores figit radices; et ideo cum hoc vitium frequentia magis augeatur; ipsi non desinunt committere pollutiones et peccata nefanda, saltem cum ipsis meretricibus, nec ideo se abstinent a sollicitandis feminis honestis. E converso, permissione meretricium, innumerabilia alia mala superadduntur, nempe plures puellae prostituuntur, adolescentes Parentes parvipendunt, bona dissipant, studia scientiarum negligunt, rixas excitant, honestas nuptias respuunt. Caeterum bene advertit *P. Sarnelli* quod, licet in vastis Urbibus meretrices permitti possint, nullo tamen modo in aliis locis permittendae sint. - 434.

Quaeritur 2. Quid est Concubinatus?

R. Concubinatus *proprie* et concubitus soluti cum soluta, *improprie* vero cum uxorata vel uxorato; dummodo habeatur invicem uxorio modo, sive in unamet domo, sive in alia. Vide plura de concubinatu in *Tract. de Poenit.*, n. 457. - 435.

Nota 1. A Concilio *Trid.* indicta

(*a*) *Usque ad quartum gradum ex copula licita, et ex copula illicita usque ad secundum. - H. n.* 17.

fuit pro concubinatu poena excommunicationis ferendae post tertiam monitionem, et insuper poena ejectionis extra Oppidum, vel Dioecesim, implorato brachio saeculari. 2. In crimine hoc, cum sit mixti fori, procedi potest tam a laicali, quam ab Ecclesiastico Judice. 3. Clericus concubinarius ex Concilio Trid. post primam monitionem, privatur tertia parte fructuum beneficii; post secundam vero, privatur pensionibus, et beneficii administratione; deinde, post tertiam, omni beneficio expoliatur; denique excommunicatur, et tunc potest etiam curiae saeculari ab Episcopo tradi.

Quaeritur 3. An Clerici concubinarii publici sint etiam ipso jure suspensi?

R. Affirmant S. Antonin., Nav., Sylv., etc. Sed *negant probabiliter Soto, Suar., etc.*, quia de tali suspensione non constat, imo potius probatur oppositum ex *Tridentino*. - 443.

Quaeritur 4. An sit adulterium copula habita cum desponsata per verba de futuro?

R. Probabilius negatur cum *Sanch., Ronc., etc.*, Vide *Tract. de Matrim., n.* 847. - 447.

Quaeritur 5. An incestus cum consanguinea differat specie ab incestu cum affinibus?

R. Prima sententia affirmat cum *Less., Ronc., etc.* Ratio, quia videtur totaliter diversa reverentia debita ob sanguinis conjunctionem, quam ob conjunctionem affinitatis. *Secunda sententia probabilior negat* cum *Lugo, Sanch., etc.* Ratio, quia, ut ait *Lugo*, materialiter se habet quod conjunctio oriatur ex sanguine, aut ex matrimonio, cum ex eodem motivo prohibetur copula cum consanguineis, quam affinibus. Bene tamen excipiendum puto incestum inter privignum et novercam, interque socerum et nurum. Ratio, quia debitum reverentiae, quod est motivum speciale congressum Parentum cum filiis, est etiam motivum prohibendi copulam inter novercam et privignum, vel socerum et nurum. Incestus autem cum affinibus, extra primum gradum *commune* est inter DD. esse ejusdem speciei. - l. 6., n. 460.

Quaeritur. 6. An incestus inter cognatos spirituales sit diversae speciei, quam inter consanguineos et affines?

R. Absolute affirmandum cum *Salm. et S. Thom.*, qui docet per copulam inter cognatos spirituales committi sacrilegium ad modum incestus. Dicendum pariter incestum inter coguatos legales, nempe ratione adoptionis, specie differre ab aliis enuntiatis. - 450.

Quaeritur 7. An in confessione sint explicandi omnes gradus incestus commissi cum consanguineis usque ad quartum gradum?

R. Prima sententia affirmat cum *Nav., Vasq., Suar., etc.* Ratio, quia est specialis reverentia inter unum gradum consanguinitatis et alium. *Secunda sententia* docet solum incestum cum consanguineis in primo gradu, tam lineae rectae quam transversalis, specie differre ab aliis gradibus. *Tertia sententia* docet omnes incestus inter consanguineos, excepto tantum primo grado in linea recta, esse ejusdem speciei. *Ratio prima*, quia excepto dicto primo gradu lineae rectae, alii gradus tantum constituunt circumstantiam aggravantem, quam in confessione explicandi *valde probabile* est non esse obligationem, ut videre est in *Tract. de Poenit.*, n. 468. *Ratio secunda*, quia commixtio conjugalis inter consanguineos, praeterquam cum Parentibus, est tantum vetita ab Ecclesia, non vero de jure naturali; olim enim jam licitum fuit filios Adam suis sororibus copulari. Ita *Caj., Bon., Val., Tamb., etc.* Prima sententia est minus *probabilis*, secunda et tertia

aeque probabiles videntur. Quoad primum gradum lineae rectae, haec sententia videtur omnino tenenda tanquam *communis*. Ratio, quia cuique patet hujusmodi incestum longe esse diversum ab aliis. Imo, recte *Lugo* docet explicandum, an pariter peccaverit cum filia, vel cum matre filius, cujus culpa habet diversam malitiam ratione specialis reverentiae matri debitae. - l. 6. 170.

Nota hic, quod omnes tactus inter consanguineos, saltem primi et secundi gradus, sunt incestus, juxta receptam sententiam. Vide n. 469.

Quaeritur 8. An in confessione sint explicandi omnes gradus incestus commissi inter cognatos spirituales aut legales ?

R. Affirmant Salm. Sed *probabilius negat Croix.* - 450.

Quaeritur 9. An confessarius rem habens cum filia spirituali occasione Confessionis, debeat haec explicare in Confessione ?

R. Prima sententia affirmat, quia Confessarius contrahit obligationem ducendi illam ad salutem, et ideo videtur specialis turpitudo illam trahere ad perditionem. *Secunda* tamen *probabilior sententia negat.* Ratio, quia nec est incestus, dum inter illos nulla intervenit cognatio ; neque est sacrilegium, intellige quoad hanc circumstantiam, dum nulla Sacramento injuria irrogatur. Recte vero advertit *Elbel*, Parochum peccantem cum tali poenitente, peccare etiam contra justitiam, cum ex justitia teneatur suas oves pascere ex *Trid.*, non solum verbo, sed etiam exemplo. - 451.

Quaeritur 10. An Sacerdos, qui sit etiam Religiosus, peccans contra castitatem, duo committat sacrilegia ?

R. Prima sententia affirmat. Ita, *Less., Conc., etc.* quia talis, ut Religiosus, debet servare castitatem ratione voti ; ut Sacerdos autem ratione praecepti Ecclesiae. Sed *negant veriùs Sanch., Az., Salm. etc.* quia, quamvis ex duplici praecepto talis Sacerdos maneat obstrictus voto castitatis; attamen, contra idem praeceptum, et ex eodem motivo peccaret, dum Sacerdos, non jam ex constitutione Ecclesiae, ut isti censent, sed tantum ratione voti, sacris Ordinibus annexi, ad castitatem obligatur, juxta *probabiliorem* sententiam. Vide *Tract. de Ord. n.* 808. Praeterea, etiamsi obligatio castitatis in Sacerdote immediate esset tantum ex Ecclesiae praecepto, is tamen, laedendo castitatem, etiam peccaret contra Religionem, juxta *communem* DD. sententiam ibid. allatam ; quia Ecclesia ex solo motivo Religionis ob reverentiam sacri Ordinis, caelibatum suis Ministris imponit. Recte etiam potest efficere ut materia alicujus sui praecepti sit materia alicujus virtutis. *Croix, Suar., Card., etc.* - 455.

Quaeritur 11. An persona sacra, rem habens cum alia sacrata, duplex sacrilegium committat ?

R. Omnino est affirmandum cum *Less., Elbel, Salm, etc. communi*, quia is dupliciter Religionem offendit, scilicet, peccato proprio, et peccato alterius cui cooperatur. - 456.

Quaeritur 12. An habens votum castitatis sacrilegium committat, si alterum suo consilio inducat ad carnale peccatum ?

R. Affirmant probabiliter Lugo, Salm. etc. Sed *satis probabiliter* etiam *negant Sanch. etc.* Prima sententia mihi *certo probabilior* videtur, si ille ex positivo affectu ad libidinem alterum ad peccandum induceret; secus, si ex alio pravo fine. - 457.

Quaeritur. 13. An copula maritalis, habita in Ecclesia, sit sacrilegium ?

R. Adsunt tres sententiae *satis probabiles. Prima* tenet, praeciso scandalo, nunquam esse sacrilegium copulam maritalem. Ita *Glossa, Pontius,*

Sa, etc. Secunda sententia distinguit et dicit committi quidem sacrilegium, et Ecclesiam pollui per seminis effusionem pubblicam, non vero per occultam, scilicet, nemini notam, aut tantum duobus aut tribus. Ita *Tol., etc. Tertia sententia probabilior* dicit adhuc per copulam maritalem occultam committi sacrilegium, et Ecclesiam pollui, nisi fiat ex morali necessitate; quamvis tamen, cum sit crimen occultum, non sit obligatio a Divinis officiis abstinere. *Sanch., Bon., Holzm, Croix, Sylv., Suar., etc.* - 458.

Quaeritur 14. An soli tactus impudici habiti in Ecclesia sint sacrilegia?

R. Negant plures DD. ut *Sanch., Nav., Caj., etc.*, dummodo absit periculum pollutionis. Sed *probabilius* contradicunt *Elbel, Holz., etc.;* quia tactus inhonesti eamdem malitiam habent, quam copula, et ideo sunt sacrilegi ob gravem irreverentiam, quae loco sacro irrogatur - 459.

Quaertiur 15. An verba et aspectus lascivi in Ecclesia habiti, sint sacrilegia?

R. Tres sunt sententiae. *Prima* dicit omnes actus extornos, etiam leviter turpes in Ecclesia habitos, esse sacrilegia, *Sylv., Coninch. Secunda* damnat ut sacrilegia tantum actus externos graviter turpes. *Sanch., Salm. Suar., etc. Tertia negat* tales actus aut leviter aut graviter turpes, esse sacrilegos. Ego puto secundam sententiam absolute *probabiliorem.* - 461.

Quaeritur 16. An sint sacrilegia cogitationes turpes habitae in Ecclesia?

R. Recte distinguunt *Salm., etc.* Affirmant, si desideria sunt deliberata peccandi interne in Ecclesia, etiamsi illa extra Ecclesiam habeantur, juxta dicta, *n.* 43.-462. Secus dicendum si desideria sint peccandi extra Ecclesiam. Si vero consensus sit peccandi intra Ecclesiam, sed occulte, sacrilegium est juxta dicta, n. 458. A fortiori est sacrilegium abuti rebus sacris ad turpiter peccandum: ideo sacrilegium quidem committit qui indutus ad Missam se polluerit, etc. Dicunt *Salm., Lugo, eic.* non posse excusari a sacrilegio, qui se pollueret post communionem, scilicet post mediam horam circiter. - 463.

CAPUT IV.

DE PECCATIS LUXURIAE CONSUMMATAE CONTRA NATURAM.

Cum contra naturam esse dicantur ea peccata, in quibus fit seminatio modis repugnantibus institutioni naturae, ita ut juxta tales modos spacies varientur, hinc resolvitur tales species esse congressum inordinatum, mollitiem, sodomiam, et bestialitatem. De quibus

ARTICULUS I.

De congressu inordinato.

Congressus inordinatus est innaturaralis sive indebitus concumbendi modus, cum scilicet, servatur quidem identitas speciei, diversitas sexus, et debita naturae organa, sed inordinato tantum modo acceditur, v. g. cum vir succumbit, vel averse accedit more pecorum, vel a latere, vel stando, aut sedendo, aliave ratione insolita. Vide *Tract. de Matrim. n.* 917.-464.

ARTICULUS II.

De Mollitie.

Mollities, sive pollutio, est cum absque congressu seu copula, voluntarie procuratur fluxus seminis, sive foras effundatur, uti in maribus, sive intus defluat in matricem, ut in feminis. - 465.

Quaeritur 1. An aliquando liceat procurare pollutionem?

R. Ex auctoritate Scripturae, quae molles a regno caelorum excludit, 1. *Cor.* 6., docent omnes nullo casu

licitum esse intendere vel procurare directe mollitiem, ne causa quidem sanitatis, ac vitandae alias certae mortis.

Nota 1. Pollutio spadonum et puerorum, licet perfectum semen non habeant, nihil differt a pollutione adultorum. 2. Omnes pollutiones, secundum se, sunt ejusmodi speciei, quocumque modo fiant, si fiunt sine concubitu. Vide mox infra. Dicitur *secundum se*, quia ratione circumstantiae, possunt ei adjungi aliae malitiae, specie distinctae; puta, si polluatur Sacerdos, additur sacrilegium; si conjugatus, adulterium; si cum desiderio peccandi cum alia persona, additur malitia juxta qualitatem personae concupitae: item, additur alia malitia, si quis polluitur se delectando de concubitu imaginato cum aliqua persona mari vel femina, nupta vel soluta, juxta dicta in *Tract. de Pecc.* n. 15-476.

Quaeritur 2. An pollutio habita tangendo puerum, aut mulierem dormientem, aut doli incapacem, aut pudenda bestiarum, sed absque concubitu, sit diversae speciei a simplici pollutione?

R. Prima sententia affirmat, et dicit talem pollutionem cum puero esse sodomiam; cum femina vero esse copulam inchoatam. *Spor., Dic., Dian., etc. Secunda* vero *sententia* tenet esse simplicem pollutionem, quia quando abest concubitus, dicitur de materiali se habere quod fiat pollutio tactibus propriis, vel alienis; quando enim non adest concubitus, non adest affectus ad sexum, sed ad pollutionem; et haec est *probabilior* cum *Caj.*, *Az.*, *Bonac.*, *etc.* Notat ideo *Ronc.* quod si quis polluitur tactibus alienis, non oportet ut explicet an tactibus viri vel feminae, quia cum tantum pollutio tunc intendatur, etiam de materiali se habet, si tactibus viri vel feminae illa eveniat. Secus tamen dicendum, si facta sit tactibus conjugatae, vel votum castitatis habentis. - 467.

Quaeritur 3. An distillatio, quae est fluxus humoris quasi medii inter urinam et semen, quocum coloris et viscositatis similitudinem gerit, sine ingenti illa delectatione, sit vera pollutio, et peccatum mortale, si voluntarie procuretur?

R. 1. Talis distillatio non est vera pollutio. 2. Distinguendum: si ipsa contingat cum notabili commotione spirituum, procul dubio est peccatum mortale: quia talis notabilis commotio est pollutio inchoata. Et idem dicendum, si distillatio sit in magna quantitate, quia talis notabilis distillatio non potest esse sine notabili carnis rebellione; unde, sicut graviter peccat qui notabiliter commotionem procurat, ita etiam qui magnam procurat distillationem. Ita *Sanch.*, *Spor.*, *Elbel, etc.* Hinc tenemur sub gravi obligatione, non solum hujusmodi distillationem directe evitare, sed etiam indirecte, vitando omnes causas proxime in eam influentes, pari modo ac dicemus de pollutione infra, n. 484.

Si vero distillatio sit in modica quantitate, et sine delectatione, et commotione, tunc sine peccato possumus illam permittere, ut dicunt *Caj.*, *Salm.*, *S. Thom.*, *Bon.*, et alii *communiter;* quia de tali fluxu non est magis curandum, quam de emissione cujuscumque alterius excrementi, de quo natura se exonerare solet. Recte vero advertit *Sanch.* quod directe et data opera procurare quamcumque distillationem, etiam levem, nullo modo potest excusari a peccato mortali; quia revera quaecumque distillatio semper vel ut plurimum, secum fert aliquam commutionem et aliquantuli seminis effusionem. - 477.

Quaeritur 4. Si semen judicio medicorum transivit in materiam venenosam, licet ne eam medicamentis expellere, etsi praeter intentionem sequatur aliqua veri seminis emissio?

R. Affirmant Sanch., etc. Hanc sententiam *satis probabilem* censeo modo 1. semen sit certe corruptum, non vero si dubie. 2. Expulsio seminis corrupti possit fieri sine sensu libidinis. 3. Alia non sint remedia ad semini corrupto medendum. Nunquam tamen est licitum tactu semen corruptum expellere, etiamsi absit periculum consensus; sic tenendum omnino cum *Spor., Croix, Laym.*, et *communi*; quia talis confricatio tendit de se ad commovendos spiritus carnales et semen verum expellendum, quod nunquam est licitum.

Quaeritur 5. An liceat sumere medicamentum ad verum semen corrumpendum, et postea ejiciendum resolutum in sanguinem, aut alium humorem?

R. Negant Spor. Sed *probabiliter* id concedunt *Sanch., Bon., Ronc., etc.* quia natura non obligat ad conservandum semen cum periculo vitae. - 478.

Quaeritur 6. Tenetur ne quis impedire pollutionem, sponte sua evenientem, aut jam coeptam, v. gr. in somno reprimere?

R. Quando pollutio incipit in somno, et emissio contingit in vigilia semiplena, tunc si homo aliquam experitur delectationem non plene deliberatam, non peccat quidem nisi venialiter, ut bene notant *S. Anton., Nav., Conc. etc.* Quando vero emissio incepit in somno, sed postea consummatur in plena vigilia, eo casu, modo absit consensus in delectationem, vel proximum consensus periculum ex praeterita experientia, non tenetur homo illam cohibere; tum quia difficillimum est avertere exitum seminis jam e lumbis elapsi, ut *communiter* dicunt DD.; tum quia non tenetur persona, cum periculo morbi ex semine corrupto retento, effusionem illam impedire, ut docent *Sanch., Ronc., Spor.*, et alii *communiter*; tunc enim illam pollutionem non vult, sed mere patitur. Bene tamen monet *Gerson* quod eo casu « pro executione virtutis, et evitatione periculi, videtur » expediens ut homo conetur prohibere, quantum sentit, et commode fieri potest. » Saltem dicendum cum *Sanch.*, tunc expedire signo crucis se munire, atque mentem ab illa turpi delectatione avertere, ac nomina sanctissima *Jesu* et *Mariae* invocando, eos ferventer precari, ne ullum lapsum permittant. - 479.

Quaeritur 7. Quid sentiendum de causa pollutionis?

R. Si causa pollutionis est in ipsam graviter influens, et homo non abstinet a causa sive actione illa ponenda, patet quod pollutio imputatur ad peccatum, etiamsi non fuerit intenta, modo saltem in confuso fuerit praevisa. Hujusmodi autem causa sunt procul dubio omnes illae, quae per se sunt graves culpae in genere luxuriae, nempe tactus vel aspectus, pudendorum alieni aut proprii corporis, cum delectatione turpi et deliberata; aspectus concubitus humani, et cogitationes morosae de rebus venereis. Omnes igitur pollutiones ex his causis provenientes certe sunt mortalia. Ita *S. Thom.* et alii *communiter*. Et tunc actus ille turpis, qui est causa pollutionis, habet specialem malitiam contra naturam. Idem dicit *Spor.*, et recte, de pollutione orta ex actionibus quae, licet sint veniales per se et ex objecto, evadunt tamen mortales ratione periculi proximi consentiendi in ejus turpem delectationem. Hinc dicendum eum non excusari a malitia pollutionis, qui polluitur ex diuturno colloquio cum puellis a se inordinate dilectis, saltem ob periculum consensus - 482.

Excipitur tamen, si praefatae actiones ponantur ex causa necessaria vel utili vel convenienti animae aut corpori, tunc enim pollutiones ex ipsis provenientes, adhuc praevisae, non

sunt peccata, dummodo absit consensus, vel ejus periculum. Ita *communiter Sylv.*, *Tournely*, *etc.* quia tunc homo potius patitur quam agit. Hinc etiam praevisa pollutione involuntaria, licet 1. Parochis et etiam aliis Confessariis, audire Confessiones mulierum, ac legere Tractatus de rebus turpibus; Chirurgis aspicere, et tangere partes feminae aegrotantis, ac studere rebus medicis; licet quoque aliis alloqui, osculari, aut amplexari mulieres juxta morem patriae, servire in balneis, et similia. *S. Thom.*, *Sanch.*, *Bon.*, *etc.* 2. Licet alicui, qui magnum pruritum patitur in verendis, illum tactu abigere etiamsi pollutio sequatur. Ita *Bus.*, *Bon.*, *Laym.*, *Caj.*, *Nav.*, *etc.* Attamen, sapienter monet *Croix* eos qui puritatem amant, ut abstineant, intellige, quantum moraliter est possibile, ab hujusmodi tactibus. Idque absolute, et merito prohibet *Ronc.*, si pruritus non sit valde molestus; permittit tamen eo casu pati aliquam commotionem, si quis non habeat virtutem illum tolerandi (*a*). 3. Sic etiam licet, etiam praevisa pollutione, equitare causa utilitatis. *Bon.*, *Sanch.*, *Nav.*, *Vasq.*, *etc.* Et etiam causa recreationis. *Spor.*, *Anacl.*, *etc.* 4. Licet decumbere aliquo situ ad commodius quiescendum. *Salm.*, *Sanch.*, *Pal.*, *Laym.*, *etc.*, *communiter.* 5. Licet cibos calidos aut potus moderate sumere, et honestas choreas ducere. *Spor.*, *Salm.*, *S. Antonin.*, *Less.*, *Tol.*, *communiter.* - 483.

Quaeritur 8. An sit mortalis pollutio praevisa, quae involuntarie sequitur ex causis leviter in eam influentibus?

R. Plures diversae adsunt sententiae. *Prima affirmat* esse mortales omnes pollutiones praevisas et non impeditas, etiamsi causae alias sint licitae. *Val.*, *Medin.*, *etc.* *Secunda sententia* dicit quamcumque causam, etiam venialiter illicitam efficere pollutionem mortalem. *Tertia sententia,* quam sequuntur *Soto*, *Ang.*, *Gerson*, *etc.* tenet omnem causam quae in se est peccatum mortale, constituere etiam mortalem pollutionem quae ex illa sequitur. *Quarta sententia communis et probabilior* docet, pollutionem non esse mortalem nisi proveniat ex causa per se mortali, in genere luxuriae. *Less.*, *Spor.*, *Sylv.*, *Croix*, *etc.* Ratio, cur causa debeat esse per se mortalis, est quia cum pollutio non sit volita in se, sed tantum in causa, eo gradu mala erit, quo mala est ipsa causa. Ratio autem, cur debeat insuper esse mortalis in eodem genere luxuriae, est quia, cum causa leviter ad pollutionem concurrat, non est gravis obligatio causam illam vitandi ob pollutionem, quae praeter intentionem accidit.

Hinc *infertur* 1. non esse nisi venialem pollutionem, quae oritur ex colloquio non diuturno cum puella, vel levi aspectu, aut curiosa lectione venialiter turpi; quia, ut dictum est, cum causae istae leviter influant, pollutio subsequens potius a causa naturali, quam ab illis procedit. *Sanch.*, *etc.* Sed recte dicunt *Salm.* non excusari a mortali eum, qui frequentem pollutionem expertus sit ex aliquibus causis in eodem genere luxuriae, quae vehementius ad pollutionem influunt, et alias voluntarie, ac sine necessitate ponit, quamvis ipsae per se non per-

(*a*) *Nihilominus, non facile credatur quibusdam puellis, quae tactibus se polluere solent, praetextu hujusmodi ardoris; nam, si diligenter examinentur, cognoscetur, ille pruritus multoties potius excitatus fuisse vel a pravis cogitationibus praehabitis, vel ab habitu pravo contracto se tangendi.* - *H. n*, 34.

tingant ad mortalia, uti sunt nimirum curiosa lectio turpis, aspectus picturae obscoenae, vel coitus animalium, tactus proprium verendorum, aut alterius ex levitate, et similia. Ratio, quia respectu istius personae, ob suam pravam dispositionem, talis causa non leviter influit. Secus vero dicunt, si pollutio ex hujusmodi causis raro eveniat. Et secus etiam, si causae sint omnino leves, prout essent visum partium honestarum mulieris, lectio leviter turpis, colloquium cum femina non diuturnum, vel leviter obscoenum. Ratio, quia hominibus est quasi moraliter impossibile omnes has causas communiter evitare. *Sanch., Salm.*

Infertur 2. Non esse mortalem pollutionem, quae praeter intentionem, accidit ex causis illicitis adhuc mortaliter in alio genere, quam luxuriae, puta ex ebrietate, vel ex comestione carnis nimis immoderata, aut in die vetito. *Bus., Sanch., Nav., Suar., etc.* Tanto magis non erit mortalis pollutio, quae oritur ex causis venialibus in alio genere, ut ex equitatu, esu calidorum, situ, et aliis similibus actionibus. Attamen *probabilius* est cum *Sanch., Less., Ronc., etc.* quod sit saltem veniale, ponere has causas leviter illicitas in alia materia, sine ratiobabili motivo, quando ex illis aliquis praevidit pollutionem se passurum, quia sine causa rationabili [permittere pollutionem, semper videtur aliquid indecens et inordinatum. Sed ab hoc veniali excusat quidem quaevis causa rationabilis necessitatis, utilitatis, aut convenientiae, ut cum *Laym.* docent *communiter* DD citati, *n.* 483. Et hoc, etiamsi causa illa esset venialiter illicita in eadem materiae luxuriae, ut *communiter* dicunt *Salm., Ronc., etc.* ut mox supra dictum est. - 484.

Quaeritur 9. Quandonam est mortalis pollutio in somno facta?

R. Est mortalis 1. Si ante directe vel formaliter sit procurata, et causa non sit retractata. 2. Quando post somnum placuit, et approbata est propter delectationem veneream; alias non. Vide *Tract. de Pecc., n.* 20.-485.

ARTICULUS III.

De Sodomia.

Sodomiam alii tenent consistere in concubitu ad indebitum vas, alii in coucubitu ad indebitum sexum. Utraque sententia est *probabilis*. Sed secunda, nempe sodomiam consistere in congressu ad indebitum sexum, est *probabilior et communis* Theologorum. *S. Thom., Less., Holz., Elb.,etc.* Ratio, quia vera et propria sodomia committitur in accessu ad personam, quacum nullo modo generatio fieri potest.

Hinc, *infertur* 1. Esse veram sodomiam coitum feminae cum femina. *S. Thom., etc.* Quamvis non *improbabiliter* sentiat *Elbel., etc.*, hujusmodi concubitum, etiam cum affectu ad vas praeposterum, non videri nisi sodomiam impropriam, cum inter feminas non possit dari copula perfecta. 2. Esse veram sodomiam quemcumque concubitum, sive corporum conjunctionem, habitam cum persona ejusdem sexus, sive in vase praepostero, sive in alia parte. Semper enim adest tunc, regulariter loquendo, affectum ad indebitum sexum. *Tamb., etc.* Hinc, dicunt *Ronc., Tamb., etc.*, non esse necessario in Confessione explicandum, si pollutio fuerit intra vel extra vas (*a*), sufficit enim confiteri; *peccavi cum puero*, ut confessarius judicet adfuisse sodomiam cum pollutione. Si ve-

(*a*) *Quamvis ad incurrendum casum reservatum, requiritur seminatio intra vas. - H. n.* 24.

ro non adfuerit pollutio, deberet explicari. 3. cum *Salm., etc.* et *communiori*, coitum viri in vase praepostero mulieris esse sodomiam tantum imperfectam, specie distinctam a perfecta, ut aiunt *Tourn.*, et *Tamb.*, qui notat cum *Holzm.* et *Spor.*, cum *communi*, ut asserit quod si vir coiret inter crura, brachia, aut alias partes mulieris, esset quaedam copula inchoata, saltem in affectu, *unde*, juxta hanc doctrinam, vir concubens cum virgine extra vas, duo committit peccata contra eamdem quidem castitatem, sed diversae speciei, unum fornicationis in effectu, alterum contra naturam in effectu. Dicunt autem *Spor.etc.*,quod confessarius intelligens mulierem cognitam fuisse extra vas naturale, vel praeposterum, non debet quaerere in quo loco vel quomodo.

Quaeritur 1. An pollutio in ore sit diversae speciei?

R. Affirmant Spor., etc. et hoc peccatum vocant irrumationem. Sed *probabilius* dicunt *Holzm., etc.* quod si vir polluitur in ore feminae, erit copula inchoata, ut supra; si vero in ore maris, erit sodomia.

Quaeritur 2. Quale peccatum sit coire cum femina mortua?

R. Dicendum cum *Holzm., etc., communiter*, non esse fornicationem, quia fit cum cadavere, nec bestialitatem, ut quidam volunt; sed esse pollutionem, et fornicationem affectivam. - 466.

Quaeritur 3. An in peccato sodomiae explicandum sit, si quis fuerit agens, vel patiens?

R. Negant Salm., etc. Sed *verius* explicandum est; quia in agente multo facilius adest pollutio quam in patiente, *Holz., Tourn., Mazz., Tamb., etc.* - 468.

Quaeritur 4. An sodomia inter consanguineos, aut affines addat speciem incestus?

R. Tres sunt sententiae. *Prima universe negat;* sed haec non videtur *satis probabilis. Secunda* dicit coitum sodomiticum inter propinquos in 1 et 2 gradu esse quidem incestum; non vero coitum inter propinquos in 3 et 4 gradu. *Tertia sententia*, quam *probabiliorem* puto cum *Lugo, Tourn., Croix, etc.* docet, omnem coitum, sive naturalem, sive innaturalem inter propinquos usque ad 4 gradum, sive sint consanguinei sive affines, sive sint cognati legales sive spirituales, inducere malitiam incestus. Ratio, quia ex lege Ecclesiae, jam debetur his omnibus reverentia, et pietas, quae si deturpatur coitu naturali, tanto magis coitu innaturali. Sic etiam dicunt *Salm.* incestum committere, qui polluitur tactibus alicujus conjuncti in quarto gradu. Idemque dicendum de aliis tactibus impudicis, in quibus explicanda est species personae complicis, an sit consanguinea, conjugata, etc. Notandum vero, ut certum, explicandum esse in Confessione, si sodomia sit habita cum violentia vel cum persona ligata voto castitatis; et insuper, si cum conjugata; quia fides Matrimonii postulat ut conjux nullo concubitu carnem suam cum aliis dividat. *Sanch., Salm., etc.* - 469.

Quaeritur 5. An mutua pollutio inter mares vel feminas procurata, sit mollities tantum, an sodomia?

R. Si fiat ex solo affectu ad venereum libidinem sine concubitu, est tantum mollities. Si vero fiat ex affectu ad personam illam indebiti sexus, est quoad malitiam sodomia. - 485.

Nota 1. Sodomitae a lege civili damnantur poena mortis, et combustionis; a jure autem canonico, ex bulla S. Pii V. tam clerici quam laici religiosi, hoc dirum nefas *exercentes*, omni privilegio clericali, officio, beneficio, praesentis canonis auctoritate privantur, et insuper, praecipit S.Pontifex, ut ii potestati saeculari tradantur. - 470. 2. Ad praedictas poenas in-

currendas, *probabilius* requiritur. 1. ut sodomia sit consummata cum pollutione intra vas. 2. Ut sodomia sit maris cum mari. 3. Quod ad poenas clericorum pertinet, ut actus sodomiae sit frequentatus, sive usu continuatus; hoc enim importat verbum *exercentes* in bulla expressum. *Bon., etc. et communi.* - 471.

ARTICULUS IV.

De Bestialitate.

Bestialitas, quod est gravissimum inter omnes, est congressus in quo non servatur identitas speciei; v. g. si homo coeat cum bestia, sive ejusdem sexus sit sive non. - 474.

Quaeritur 1. An opus sit explicare utrum illa fuerit mas, aut famella?

R. Affirmant Croix, Elb., Holz., etc. Sed *communiter* et *probabilius negant Tourn., Tamb., Az., etc.* Ratio, quia tota essentialis defermitas hujus facinoris consistit in accessu ad diversam speciem. - 475.

Quaeritur 2. An peccatum cum daemone sit bestialitas?

R. Ad bestialitatem revocatur peccatum cum daemone succubo vel incubo, cui peccato superadditur malitia contra Religionem; et praeterea etiam sodomiae, adulterii, vel incestus, si affectu viri, vel mulieris, sodomitico, adulterino, vel incestuoso cum daemone coeat. Sed *valde probabiliter negandum* adesse semper malitiam adulterii, etc., si concubens delectetur de persona a daemone repraesentata, v. g. de muliere, non qua nupta, aut moniali, sed qua pulchra. Vide *Tract. de Pecc. n.* 15. - 475.

Quaeritur 3. An clericus bestialitatem exercens, poenas sodomitarum incurrat?

R. Affirmant Rodrig., etc. Sed *oppositum* tenendum; quia hic non valet argumentum a pari. - 473 (*a*).

TRACTATUS XII.

DE SEPTIMO PRAECEPTO DECALOGI.

De natura Furti. De Furti quantitate ad mortale peccatum.

CAPUT I.

DE NATURA FURTI.

Furtum est *occulta et injusta rei alienae ablatio, invito rationabiliter domino.* Quae ablatio est mortalis, si quantitas sit notabilis. Ita *communiter* omnes. Dicitur 1. *Occulta*, ut distinguatur furtum a rapina, quae fit vi, et novam culpam injustitiae addit ratione injuriae. Quod si res sit sacra addit sacrilegium. Dicitur 2. *Injusta*, quia, secus non est furtum, nec peccatum.

(*a*) Sedulo hic advertendum *quod in hac materia sexti praecepti, oportet quantum possibile est, omnem adhibere severitatem, cum in re tam labili nulla cautela unquam nimia existimari debeat, et plures opiniones, quae speculative loquendo sunt probabiles, in praxi improbabiles evadunt; hinc Confessarius, ubi periculum poenitentis inspicit, licet actionem, quam ille vellet perpetrare, de certo peccato mortali damnare non valeat, tamen nullo modo permittat. Hoc medici animarum est, praesertim respectu eorum qui in vitio turpi habitum in praeterito habuerunt; his enim non solum proximas occasiones vitare, sed etiam remotas opus erit; alias, ob fragilitatem contractam, semper in idem recident, cum in hac materia, ad quam homines naturaliter sunt proni, de facili a minoribus ad ulteriora mala ipsi progrediuntur.* - *H. n.* 34.

Dicitur 3. *Invito rationabiliter domino;* nam, in duobus casibus potest quis alterius rem accipere, etiam invito domino, nempe cum justa compensatio intercedit, et in extrema necessitate. - 518.

Unde:

1. Non furatur, qui accipit in compensationem justam, si aliter sibi debitum accipere nequeat. Dico, *si aliter sibi debitum accipere nequeat*, nam compensatio regulatiter peti debet per judicium. Sed hoc omittere, est tantum veniale peccatum; imo, nullum, si alias timeantur inimicitiae, amissio expensarum, et similia. Praeterea, ad compensationem requiritur certitudo crediti. Attamen, quamplures et graves Doctores admittunt posse fieri compensationem cum credito tantum probabili, in tribus casibus, scilicet, quando compensatur fama cum pecunia, infamia cum infamia data, et legatum relictum in testamento non solemni; sed vide quae de his dicimus in *Tract. de Just., ubi de Possess. dubiae fidei.* - 521.

2. Qui pro se vel pro alio in extrema necessitate constituto, alienum accipit, quantum necessarium est, non furatur. Ita *communiter* DD. *cum S. Thom.* Ratio S. Doctoris est, quia in tali casu omnia sunt communia. Jus enim Gentium, quo divisio facta fuit bonorum, non potest derogare juri naturali quod cuique competit, sibi providendi, dum extrema necessitate laborat.

3. Idem dicitur quando necessitas est proxima extremae, aut illi aequivalens; in tali enim necessitate quae vocatur alias gravissima, seu quasi extrema, potest etiam quis sibi providere mediis ordinariis, non autem exquisitis et extraordinariis. Ita *communiter Lugo, Less., Spor., Salm., Nav., Sot., etc.* Talis autem gravissima necessitas putatur, quando quis est in probabili periculo incurrendi mortem. *Ronc., Holz, Vasq., etc.* aut vero in periculo amittendi membrum aliquod principale, aut aliquem sensum, puta, oculum. *Pal., Dic., Tamb., etc.* Item, quando quis est in proximo periculo incidendi in perpetuam captivitatem, sive poenam triremium, vel gravissimum aut perpetuum morbum, vel infamiam. *Lugo, Spor., Ronc., Elbel.*

Quaeritur 1. An putetur eadem necessitate laborare Pater, qui, ob inopiam, est in periculo prostituendi filiam?

R. Affirmat Bon. etc. Sed *probabilius contradicunt Salm.;* quia nulla necessitas potest cogere aliquem ad peccandum, cum possit alia via, saltem mendicando, suae necessitati subvenire.

Quaeritur 2. Si aliquem virum honoratum valde puderet mendicare vel laborare, an possit ex alienis sibi providere?

R. Negant Salm., etc. Affirmant vero *Viva, Ronc., Mazz., Less., etc.* Hocque mihi *probabilius* videtur, si pudor mendicandi esset tantus, ut potius ille mortem subire vellet quam mendicare.

Quaeritur 3. An pauper in extrema necessitate posset occulte alienum surripere, antequam petat?

R. Distingue cum *Lugo:* si res illa peculiaris non est absolute necessaria ad inopiam pauperis sublevandam, pauper peccabit mortaliter clam illam surripiendo. Si vero pauper peculiari illa re extreme indigeat, ita ut dominus teneatur omnino eam dare, quia, ipso non dante, pauper periret; tunc iste, ut ait *Lugo*, occulte accipiendo non peccat mortaliter, imo nec veniaiter dico, cum ille habeat eo casu absolutum jus ad rem illam accipiendam, juxta *S. Thom.*

Quaeritur 4. An pauper extreme in-

digens possit accipere rem magni valoris, si illa sit absolute necessaria ad suam vitam servandam?

R. Prima sententia negat. Hanc tenent *Croix, Conc., etc.* Ratio hujus sententiae est quia charitas, ex qua solum tenetur dives ad eleemosynam, ut supra diximus, non obligat cum tanto dispendio. Et quamvis in extrema necessitate pauper habeat jus ad bona aliena, non tamen habet jus ad bona extraordinaria, sed tantum ad ea quae ordinarie sufficiunt ad vitam sustentandam. *Secunda* tamen *sententia verior affirmat.* Ratio, quia revera in extrema necessitate cum omnia fiant communia, pauper jus habet ad accipiendum omne id quod est necessarium ad suam vitam servandam. Ita *S. Thom.*, qui non distinguit inter rem parvi vel magni momenti. Non autem obstat *communis* doctrina, quam tradunt *Lugo, Laym., etc.*, nempe quod dives non tenetur permagnam summam erogare ad proximum liberandum a morte, maxime, si ipse deberet e suo statu decidere; eo quod charitas non obliget cum tanto incommodo; nam, licet haec sententia et ratio sit vera respectu divitis, diversa tamen currit ratio respectu pauperis; utique dives non tenetur dare ex justitia, sed cum omnia in hoc casu sint communia, pauper potest accipere bona divitis etiam magni valoris.

Quaeritur 5. An fur consumens rem ablatam in extrema necessitate, teneatur semper ad restitutionem?

R. Prima sententia negat, quam tenent *Pal., Conc., Nav., etc.*, quia, cum in extrema necessitate omnia fiant communia, fur, sicut habet jus accipiendi bona aliena, sic habet consumendi, non secus ac de novo surripiendi. *Secunda* vero *sententia gravissima*, et *communior affirmat;* et hanc tenent *Less., Sylv., Az., etc.*, Ratio, tum quia obligatio jam contracta ex injusta acceptione non extinguitur ex superveniente necessitate: tum, quia necessitas furis non tribuit ei dominium rei ablatae, sed tantum dat jus ea utendi, et obligationem suspendit restitutionis. His tamen non obstantibus non puto improbabilem primam sententiam, quia pauper in tali necessitate, ut docet *D. Thom.*, surripiens alienum, suum efficit. Hoc tamen limitandum dico 1. si ille sit pauper non tantum re, sed etiam spe, ut dicemus in quaestione sequenti. 2. Si pauper absolute indigeat re illa peculiari, nec aliter possit sibi subvenire, ut dixi in quaestione praecedenti.

Quaeritur 6. An surripiens rem alterius in extrema necessitate, hac cessante, teneatur illam restituere?

R. Distingue: Si surripiens rem alterius in extrema necessitate, est tunc absolute pauper, nihil tenetur restituere, cum faciat suum id quod accipit. Ita *S. Thom.* Secus, si habeat aliunde bona, aut spem moralem, sive probabilem habendi; quia tunc ille non est absolute pauper, nec potest rem alterius arripere et suam facere. - 520. Aliter ditior evaderet accipiendo aliena, quando non potest accipere proprium quod alibi habet.-571. Recte autem excipiunt *Sal.*, si res accepta, cessante necessitate, existat in propria specie, tunc enim dicunt quod tenetur eam restituere. Ratio, quia cum illius rei solus usus erat ei necessarius ad suam necessitatem sublevandam, non poterat illius dominium sibi adjudicare. Pauper autem, qui aliunde bona habuit, vel spem habendi, ut supra diximus, bene tenetur restituere rem acceptam et consumptam in necessitate, quia, quando rem accepit, non fuit absolute pauper. - 529.

Nota. Ex dictis patet eum, qui absolute pauper, in extrema necessitate consumpsit commodatum, vel precarium, ad nihil teneri. Secus autem

mutuatarius, cum rem propriam consumpserit. - 623. et 624.

Quaeritur 7. An dives, non subveniens pauperi, tempore quo ille erat in extrema necessitate, teneatur postea ad restitutionem ?

R. Prima sententia affirmat, et hanc tenent *Card., Hurt., Laym., etc,;* quia pauper in extrema necessitate habet verum jus ad bona divitis. *Secunda* vero *sententia probabilior*, quam tenent *Less., Lugo, Holz.*, cum *communi*, ut asserit, et *Salm., etc., negat* teneri divitem ad restitutionem damnorum, si negligit dare eleemosynam. Ratio, quia talis obligatio est ex praecepto charitatis, quae ad restitutionem non obligat. Et quamvis pauper in extrema necessitate habeat jus ad bona divitis apprehendenda, cum illa eo casu fiant communia, non acquirit tamen eorum dominium; tunc enim, non quoad dominium, sed tantum quoad usum bona aliena communia evadunt. Attamen cum pauper habeat jus ad accipiendum, peccat procul dubio dives contra justitiam, si illum impediat ab accipiendo, et tenetur ad omnia damna filiis aliisque haeredibus necessariis ex tali impeditione obvenientia.

Nota. 1. In sola gravi necessitate prohibetur surripere rem alienam ex prop. 36. damnata ab *Innoc. XI.* Excipit *Viva*, quando pauper ad levandam suam non levem miseriam, quamvis non extremam, aliquid leve surriperet, probabiliter judicando dominum opulentum ex pietate non esse invitum, saltem quoad substantiam. Recte tamen advertit hujus epikejae usum non debere esse facilem, nec in materia gravi, quia divites in hoc etiam quoad substantiam, sunt rationabiliter inviti. - 520. 2. Qui, fingens se pauperem, vel alium quam est, extorsit eleemosynam, non tenetur restituere, si parva fuerit; secus si fuerit magna. Et tunc tenetur restituere danti, secundum *Molin.* aut vel danti, vel pauperibus aliis, secundum *Pal.* - 622.

Quaeritur 8. An christiani possint licite surripere res Turcarum ?

R. Si christiani sint in locis Turcarum captivi, certum esse posse eos surripere a dominis, quantum sufficit ut redimantur, et ad patriam redeant, in compensationem injustae servitutis, et damnorum quae patiuntur. Imo, affirmant *probabiliter Mol. etc.* posse quemlibet christianum surripere bona Turcarum; quia sic recte praesumi potest ei concedi a principibus christianis, qui jus habent spoliandi Turcas omnibus bonis ac locis ab ipsis usurpatis; modo non sit inter Turcas tempus treguae, vel salviconductus; vel nisi aliquis Turca degat in locis christianorum, sive liber, sive servus, maxime si adsit ut publicus negotiator sub fide regia - 525.

CAPUT II.

DE QUANTITATE FURTI AD MORTALE PECCATUM.

Commune est apud DD., et non videtur posse negari, quod ad determinandam hujus materiae gravitatem, non possit absolute pro omuibus eadem quantitas assignari, sed ipsa dimetienda sit respective ad circumstantias personae, rei, loci et temporis; cum enim furti gravitas consistat in quantitate damni quod proximo infertur, facile detrimentum, quod respectu unius, leve erit, respectu alterius erit grave. Ideo ait *Laym. etc.*, cum *communi*, quod auferre acum sartori poterit aliquando esse grave furtum, si ille eo carens, nequiret sibi de victu providere. - 527.

Mihi *probabilius* videtur 1. Quod respectu Mendicantium, est materia mortalis, unus Julius, seu Carolenus,

et minus, si aliquis pauper minus quotidie eleemosynis lucretur (decem asses, et minus) (*a*). 2. Respectu Fossorum et similium operantium, communiter loquendo, duo Julii (unus francus). 3. Pro artificibus vero duo Julii cum dimidio (triginta asses). 4. Respectu communiter, sive mediocriter divitum, quatuor Julii, (duo franci) et minus pro his qui ex propriis misere vivunt. 5. Pro absolute divitibus, quinque, vel sex Julii (tres franci): et idem censeo pro Mercatoribus valde opulentis. 6. Respectu Magnatum ditissimorum, unus aureus (quinque franci). Et idem puto pro Communitate valde opulenta. Saltem pro hac dico sufficere ad gravem materiam Aureum cum dimidio (septem franci cum dimidio). 7. Respectu autem Regum, duo Aurei (decem franci). - 528.

Quaeritur 1. An caedentes ligna in sylva vetita peccent, et teneantur ad restitutionem?

R. Certum est licitum esse cuilibet communitati prohibere sub aliqua poena etiam incolis suis, ob bonum publicum, ne illa dissipentur, ut *communiter* docent *Mol.*, *Lug.*, *Sanch.*, *etc.* Hoc tamen intelligendum dicunt, modo aliunde possint oppidani commode ligna asportare.

Item *communiter* docent DD., quod si nemus est totius Communitatis, incolae illius, qui contra prohibitionem ligna caedunt, non peccant saltem graviter, imo nec venialiter, justa *Sanch.*, *Sot.*, *etc.*, et nihil tenentur restituere, nisi magnam faciant stragem, sed tantum tenentur ad poenam post sententiam; talis enim prohibitio censetur pure poenalis, juxta dicta in *Tract. de Leg.* n. 145. Ita *Mol.*, *Soto*, *Lugo*, *Laym.*, et ali plures. Ad hoc autem, ut strages dicatur magna, dicunt *Soto*, *Sanch.*, *etc.*, quod non sit attendenda gravitas materiae in se, sed respectu ad damnum quod Communitati infertur: unde dicit *Sanch.*, non peccare scindentem unicam sarcinam singulis diebus pro usu proprio, nec duas singulis bebdomadis ad vendendum: quod enim dives, ait *Sanch.* cum *Salm. etc.* accipit ad usum proprium, pauper accipit ad vendendum, ut inde vivat. Idem dicendum, ajunt *Sot.*, *Mol.*, *Sanch.*, *etc.*, si adsint duo oppida propinqua, et oppidani soleant ligna caedere ex sylva alterius. Quod etiam expresse approbat *Bon.* cum *Valent.*, *Sayr.*, *etc.* Adduntque *Lugo*, *Dic.*, *etc.*, nec teneri ad restitutionem, nec peccare graviter, sed tantum teneri ad poenam qui scindit ligna e nemore propinquo Communitatis, etiamsi nulla sit inter illa oppida communicatio; quia tales Communitates videntur esse contentae poenis, quas a caedentibus exigunt: quod sic praesumendum ait *Bon.* cum *Vasq.*, *Mol.*, *etc.*, si Communitas laesa taceat, nec curet restitutionem.

Si vero nemus sit alicujus privati, vel alterius Communitatis non propinquae, sentit *Sanch.* cum *Nav.*, *Salon.*, *etc.* *satis* esse *probabile*, quod caedentes non teneantur nisi ad poenam; quia Respublica transferens sylvam in communitatem, aut personam, non majus dedit jus quam ipsa Respublica habebat; at, quando sylva erat Reipublicae, caedentes tantum tenebantur ad poenam; ergo sic etiam, si sylva translata est. Sed huic rectius contradicunt *Mol.*, *Soto*, *etc.* Ratio, quia dominus habet jus strictum ad sylvam illam, ita ut possit eam vendere, aut locare arborum scissionem. Hinc bene dicunt *Croix*, *Lugo etc.* quod si Communitas sylvam vendat

(*a*) *Decem asses, et etiam quinque in casu raro magnae paupertatis.* - *H. n.* 22.

aut locet alicui privato, scindentes tenentur ad restitutionem cujuscumque damni, etiamsi sint illius Communitatis partes; quia tunc Communitas, ac proinde singuli cives illius, ex quorum mandato sive consensu administratores vendunt aut locant, totum jus suum in illum transferunt.

Nota. Quod dictum est de sylvis quoad scissionem arborum, dicitur etiam de agris quoad pascenda animalia, ut dicit *Lugo, Sanch.*, cum aliis.

Quaeritur 2. An liceat in vinea aliena comedere uvas?

R. Affirmat Covarr., modo quis uvas foras non asportet. *Ex Deut.* 23. *n.* 24. *et* 25. ubi dicitur: *Ingressus vineam proximi tui comedes uvas, quantum tibi placuerit, foras autem ne asferas tecum.* Sed *Holzm.*, *Lugo* sentiunt illud concessum fuisse tantum Hebraeis ex speciali Dei permissione, vel solis vinitoribus qui in ea laborant. Attamen, *satis probabilis* videtur prima sententia; nam quod permissio illa fuerit pro solis Hebraeis vel vinitoribus nullo valido videtur niti fundamento. - 329 (*a*).

Nota. Plus requiritur ad notabilem quantitatem in rebus quae ultro proveniunt, et sunt valde expositae, v. g. fructus ad viam publicam. - 529.

Quaeritur 3. An sit mortale surripere quamcumque summam cum animo restituendi statim?

R. Non est mortale per se loquendo. Ita *Croix, Less., Lugo, Vasq., etc.* Idem est, si intra illud breve tempus quis velit restituere tantum illam ultimam partem complentem materiam gravem; aut si ad breve tempus restitutionem differat. *Croix, Vasq., Sanch.*, et alii plurimi. - 531.

Quaeritur 4. An sit mortale furari partem Reliquiae sacrae?

R. Nulli dubium quin in Districtu Romano sit mortale, cum *Clem. VIII. et Paulus V.* excommunicationem indixerint contra eos, qui, invitis Rectoribus Ecclesiarum, furantur Reliquias, etiam minimas. Sed *probabiliter* negat *Croix*, cum *Sanch. etc.* si quis furatur extra Districtum aliquid minimum, ipsam Reliquiam non deformans, neque minuens illius aestimationem; nisi sit aliqua Reliquia insignis, aut rara, ut puta, Sanctae Crucis, Capillorum *Beatae Mariae Virginis, etc.* - 432.

Quaeritur 5. Quando graviter peccet, qui multa minuta furta committit?

R. Hic quoque quantitas laesionis, vel damnificationis, quae fit proximo, et quam fur intendit, est mensura quantitatis peccati. Unde, si quis furatur ex occasione tantum, sive uni sive pluribus, modicum, non intendens notabile aliquid acquirere, nec proximo graviter nocere singulis furtis, non peccat graviter, neque ea simul sumpta unum mortale constituunt; postquam tamen ad quantitatem notabilem pervenerit, eam detinendo, mortaliter peccare potest, etsi nunquam advertat ad culpam gravem. *Tamb., Croix, Card. etc. communiter. Vide Tract. de Rest. n.* 553. Verum et hoc mortale evitabit, si vel tunc restituere non possit, vel animum habeat paulo post restituendi ea saltem, quae tunc accipit. Si autem per plura parva furta, uni vel pluribus facta, habeat intentionem paulatim ditescendi vel inferendi grave damnum, peccat graviter ea intentione, nam licet executio singulorum sit tantum venialis ex se, ut tamen substat tali intentioni, est continuata executio peccati mortalis; quia nocet graviter Reipublicae, et praxis illa valde perniciosa est societati hu-

(*a*) *Caeterum*, de Lugo, *concedit quemlibet posse accipere unum vel alterum pomum, aut duas uvas de vinea per quam transit.* - *H. n.* 24.

manae, v. g. si sartor particulam panni a diversis surripiat; si mercatores utantur brevioribus ulnis, etc. Interim hi excusantur subinde a gravi peccato. 1. Ex eo quod, ut jam dictum est superius, modicum furantur, non intendentes notabile aliquid acquirere. 2. Si id faciant, ut se servent indemnes, vel quia alias non lucrarentur, vel pretium augere deberent, et tunc non invenirent emptores. 3. Si alias non habeant, unde se vel suos alant. - 533.

Quaeritur 6. Quaenam censeatur materia gravis in furtis minutis?

R. Mihi videtur quod, si furtula fiant eidem per intervalla, aut diversis eodem tempore, requiritur et sufficit ad materiam gravem simplum cum dimidio, v. gr. sex Julii (tres franci). Si vero utrumque concurrit, nempe si fiant a diversis, et discontinuatim, censeo requiri duplo majus, scilicet octo (quatuor franci). Hoc tamen intelligitur modo furta non fiant per partes ex industria; et modo inter furta non interponatur magnum intervallum. Addunt *Laym., Lugo etc.* minuta furta non coalescere, si fiant a pluribus, et magno intervallo intercedente, videlicet anno. Imo *Sanch., Bon., Viva, etc.*, excusant a restitutione sub gravi, etsi furtula accipiantur ab uno, anno interjecto. Rejiciunt autem *Viva et Ronc.* opinionem *Dianae etc.*, qui excusant, si adsit intervallum 15. dierum, vel mensis, nisi, excipit *Viva*, materia sit valde modica. Hinc, magis mihi arridet quod sentit *Ronc.* scilicet, saltem requiri interpellationem duorum mensium, dum agitur de materia quae, licet non sit gravis, attamen proxima est materiae gravi. - 530.

Quaeritur 7. Si furtula, quae simul ad magnam quantitatem perveniunt, sint facta diversis dominis certis, an fur teneatur sub culpa gravi, eis restitutionem facere, vel an satisfaciat, debita illa pauperibus distribuendo?

R. (*a*) Ex una parte videtur dicendum, sub gravi restitutionem faciendam esse dominis, nisi excuset periculum famae amittendae, vel gravissimum damnum aut incommodum. Ratio, quia licet domini non sint graviter laesi, fur tamen certe non potest sibi retinere magnam quantitatem ablatam. Quapropter cum fur certe ad restitutionem teneatur, non videtur satisfacere, si restituat pauperibus; quia his restitutio facienda est tantum, quando creditores sunt incerti, non vero quando sunt certi. Sed *probabilius* mihi et aliis doctis junioribus dicendum videtur, quod hujusmodi fur non peccet graviter, si non restituat dominis certis, cum commode possit, et satisfaciat suae gravi obligationi, si debita pauperibus distribuat. Ratio, quia praeceptum non furandi, non tam intendit vitare emolumentum proprium, quam damnum proximi. Si ergo singuli domini non fuerint graviter laesi, fur non tenetur sub gravi obligatione eis restitutionem facere. Attamen, cum ipse notabiliter ditescendo ex bonis alienis, grave intulerit damnum Reipublicae, ideo Reip. restituere debet damnum. Eo igitur casu sub gravi tenebitur Reip. restitutionem facere; dominis vero tantum sub levi. Unde videtur quod sufficienter fur satisfaciet gravi obligationi ex praesumpto consensu Reipublicae, si restituat pauperibus, aut locis piis (*b*), qui sunt egentiores Reipublicae partes. Ideo *probabiliter* videtur dici posse,

(*a*) *Semper ac hujusmodi furta minuta simul unita deveniunt ad materiam gravem, sub gravi debet restitui. Haec est sententia* Communis. - *H. n.* 28. — (*b*) *Pauperibus aut locis piis loci.* - *H. n.* 83.

quod fur semper excusabitur a mortali, si pauperibus restituat; et etiam a veniali, si aliqua rationabilis causa adest. - 534.

Nota 1. Si plures simul vel successive plura furta parva alicui faciant, quae simul sumpta, graviter illi noceant, tunc si alter de altero non sciat, nullus peccat graviter. - 535. 2. *Probabilissimum* est, si plures modica furantur, neminem peccare graviter, etsi mutuo sciant grave damnum domino fieri, nisi ex communi consilio faciant. Ita *Habert*, *Lugo etc.*; et hoc etiamsi singuli eodem tempore furentur. *Less.*, *Sot.*, *Sanch.*, *etc.*; quia tunc nemo est causa damni, quod per accidens ab aliis domino evenit. - 536. 3. Si autem plures plura parva furentur, ita ut unusquisque moveatur exemplo alterius quamvis sine communi consilio, *Laym. etc.*, dicunt omnes peccare contra justitiam. Sed *probabilius Less.*, *Lugo*, *Salm.*, *Tamb.* tenent peccare tantum contra charitatem, et graviter, si materia sit gravis ratione scandali, non vero contra justitiam: quia exemplum non est causa positiva influens in damnum alienum, ut diximus *Tract. de Virt. Theolog. n.* 45. *communiter* cum *Sanch. etc.* - 537. 4. Si quis, post completam materiam gravem, furatur aliquid aliud leve, *Lugo*, *Croix etc.* tenent esse peccatum mortale toties quoties aliquid leve surripitur. Sed *Less.*, *Diana*, *etc.*, hujusmodi furtum leve dicunt non constituere peccatum mortale, nisi pertingat ad aliam novam quantitatem gravem; et hoc *Bon.* merito putat *valde probabile* (*a*). - 538.

Quaeritur. 8. Quid sentiendum de furtis domesticorum, vel amicorum? *R.* Licet vere furtum sit, si uxor, liberi, amici, servi Patrifamilias invito quid auferant, attamen plerumque major quantitas requiritur, ut sit mortale, cum plerumque hic dominus aut non rationabiliter invitus, aut saltem minus invitus sit, ut ab his quam ab aliis auferatur: vel etsi valde invitus sit, saepe tamen id fiat, non tam ratione rei acceptae, quam modi accipiendi clam, aut ratione finis, ob quem accipiunt, v. g. ad ludendum, potandum, etc. - 539.

Nota. Cum a gravi peccato furtum domesticum non potest excusari, tunc uxor tenetur restituere ex paraphernalibus, filius ex castrensibus, vel quasi, vel si ea non habet, post mortem patris afferre in divisionem haereditatis, si quantitas rei ablatae sit valde magna, nec Pater restitutionem tacite, vel expresse dimiserit. Famuli vero, si sine magna difficultate restituere non possint, jubeantur compensare officiis et obsequiis extraordinariis, quantum possunt. *Salm.* - 346.

Circa furta domesticorum et amicorum, vide alia plura in *Tract. de quarto praecepto*.

TRACTATUS XIII.

DE OCTAVO PRAECEPTO DECALOGI.

Prohibetur hic omnis injusta laesio famae, et honoris proximi, ac praecipue omnis falsitas et mendacium: ac laesio verbalis, quae fit tum in judicio falso accusando, vel verum celando, de quo supra; tum etiam extra, perniciose mentiendo, secreta revelando, ac denique detrahendo. Hic ergo:

(*a*) *Hoc est probabilius*. - *H. n.* 31.

De judicio temerario, Suspicione et Dubitatione. De Contumelia. De Detractione. De Secreto.

CAPUT I.

DE JUDICIO TEMERARIO, SUSPICIONE ET DUBITATIONE.

I. Judicium est *firma animi sententia seu assensus indubitatus.*

Hic non est quaestio de judicio prudenti, quod sufficientibus indiciis nititur; sed de imprudenti et temerario, quod iis destituitur. Majora autem requiruntur indicia ad judicium, quam ad suspicionem et dubitationem, de quibus infra.

Judicium temerarium, cum plena advertentia, de gravi malo proximi, communiter est mortale contra justitiam. Ratio, quia proximo fit gravis injuria, dum sine causa improbus habetur, cum habeat jus ad bonum nomen et famam: praeterea, ex his judiciis plerumque gravia mala sequuntur. In Confessione tamen non opus est explicare speciem mali judicati, cum omnia uni justitiae commutativae in specie infima adversentur.

Dixi *communiter;* quia si judicium habeat magnam probabilitatem, etsi non omnino sufficientem ad certitudinem, erit veniale; quia, moralis certitudo, et magna probabilitas non adeo distant, ut censeatur gravis injuria judicare certum, quod est valde probabile, v. g. si judices juvenem solum cum puella inventum in cubiculo, illicita tractasse.

Unde, peccas tantum venialiter remote judicando, 1. si non sit grave malum, quod proximo temere impingis. 2. Si sit grave quidem, sed non perfecte advertas. 3. Si advertas quidem te male judicare, non tamen advertas signa esse insufficientia, nec de his dubites. 4. Si signa sint sufficientia ad opinionem saltem probabilem. 5. Si de indeterminato tantum judices; quia nulli fit gravis injuria.

II. Suspicio est assensus inchoatus, quo quis inclinat in unam partem, judicans probabiliter latere aliquod fundamentum opinandi.

III. Dubitatio autem est quasi suspensio animi, in neutram partem inclinantis. Majora requiruntur indicia ad suspicionem, quam ad dubitationem. - 962.

Suspicio et Dubitatio temeraria ex genere suo videntur esse peccata tantum venialia, maxime si procedant ex errore intellectus, quo indicia ut sufficientia apprehenduntur. *Laym.*, ex *S. Thom.* Si tamen ex malevolentia in suspicione gravi persistas, erit mortale ob injuriae gravitatem. Idem est de dubitatione positiva, orta ex malevolentia absque causa: procedit enim ex contemptu alterius, proindeque gravis injuria reputatur. 963. Sic pariter Suspicio, sive Dubitatio temeraria, potest, juxta *probabiliorem* sententiam ad peccatum grave pertingere, si sine indiciis fiat de peccatis gravissimis. Ratio, quia forte major injuria iis irrogatur talia suspicando, quam si certum judicium haberetur illorum de delictis gravibus ordinariis. *Lugo, Mol., etc.* - 964.

Quaeritur. Quomodo discerni possit suspicio a judicio firmo, quando formido de opposito expresse non est conjuncta?

R. Cajetanus censet eum judicare, qui rogatus an habeat rem pro certo, respondet sibi certam, aut fere certam videri; eum vero suspicari, qui respondet se non esse moraliter certum, sed facile posse falli. - 965.

CAPUT II.

DE CONTUMELIA.

Contumelia est quando quis proximo praesenti malum aliquod aperte

objicit, cum intentione illum inhonorandi. - 1. 5., n. 80.

Contumelia etiam fit facto, tum indirecte, ut si imaginem, vel litteras alterius conculces, comburas; tum directe, ut si virum honestum fuste caedas, ad januam ejus cornua etc. apponas, vel repraesentes aliquid quod honorem alterius laedat. Huc spectat subsannatio, illusio et derisio quando fit signis, ut naso rugato, labiis extensis, etc., intendendo proximi confusionem, quae, si sit gravis vel saltem proximus ea graviter contristetur, mortalia sunt. - L. 5. n. 82.

Contumelia est ex genere suo mortalis, et gravior detractatione, de qua infra.

Quaeritur 1. Quando contumelia est peccatum mortale?

R. Apud *Matth. c.* 5, *v.* 22, habetur: *Qui dixerit fratri suo*, raca, *reus erit Concilio: qui autem dixerit*, fatue, *reus erit Gehennae ignis.* Explicant interpretes apud *Corn.* verbum *Raca* significare hominem vituperabilem, sive sputo dignum, illudque proferentem dici reum Concilio; quia in Concilio tantum gravia crimina deferebantur. Sub verbo autem *Fatue* intelliguntur cuncta convicia gravem injuriam irrogantia. Haec igitur verba contumeliosa per se sunt mortalia, nisi excuset circumstantia personae, vel inadvertentia; vel animi nolentis graviter laedere. - 966.

Quaeritur 2. Quando contumelia est tantum venialis?

R. Contumelia est tantum venialis, 1. Quando modus debitae correctionis exceditur, vel subditus gravius dehonoratur, quam per delictum meruit. 2. Si contumelia est parva, vel si sit tantum materialis, sine intentione dehonorandi; modo non sequatur laesio notabilis honoris proximi. Et sic excusantur, saltem a mortali, multi Parentes, cum filios vocant asinos, etc. Item, mulieres, pueri, et infimae sortis homines, conviciis se onerantes; quia cum fides iis non habeatur, non laeditur graviter honor.

Quaeritur 3. Quandonam licita sit contumelia?

R. Contumelia est licita, 1. Si joci causa, per convenientem recreationem leves defectus objiciantur; urbanitas est, secundum *S. Thom.*, dummodo alter non contristetur, nec ad iram moveatur. L. 5, n. 81. 2. Si fiat animo corrigendi, humiliandi, aliave ratione. Sic Christus vocavit Apostolos stultos; et Apostolus *Galatas* insensatos. Ita *S. Thom.* qui dicit: « Quod sicut licitum est aliquem verberare causa disciplinae, potest aliquis alteri, quem debet corrigere, verbum aliquod conviciosum dicere. » - 966. et l. 5, n. 81.

Quaeritur 4. Ad quid teneatur qui contumeliam injuriosam intulit?

R. Certum est quod, si honor publice sit ablatus per contumeliam, publice etiam restitui debet coram illis qui dehonorationi praesentes fuerunt, vel saltem per modum, quo satisfactio de facili ad ipsorum notitiam pervenire possit. Sufficit autem ut satisfactio fiat per aliam personam, quae nomine dehonorantis veniam petat, etc.

Quaeritur 5. Quando contumelia fuit occulta, debeturne satisfactio?

R. Negant Mol. Laym. Sed *affirmandum* reor omnino cum *communi* et *vera sententia*, quam tenent *Less.*, *Salm. etc.*, quia, in omni contumelia adhuc occulta, praeter injuriam, adest damnum honoris injuste laesi, cum quisque habeat jus ut debitus honor ei servetur. - 985.

Quaeritur 6. Quomodo facienda sit honoris restitutio?

R. Illam satisfactionem requiri, quae censetur sufficiens ad manifestandam aestimationem, juxta conditionem personae offensae. Si enim dehonorans fuerit Superior, sufficiet, si honora-

biliter dehonoratum salutet, domi invitet, benevolentiam ostendat. etc. Secus, si dehonorans, fuerit aequalis, vel inferior; tunc major satisfactio requiritur, nempe, ut praeveniat in salutando, cedat locum, veniam petat; qui modus quidem aptior est ad contumeliam compensandam : caeterum, talis petitio veniae non est necessaria nisi quando aliter satisfieri nequeat. Ita *Less.*, *Salm.*, *Caj.*, *etc.*; ideo addunt numquam teneri Praelatum veniam petere a subdito, herum a famulo, virum ab uxore, nobilem a plebejo - 986.

Quaeritur 7. An veniae petitio sit semper sufficiens satisfactio?

R. Affirmant Less. etc. Sed *negant Salm. etc.* : quando enim injuria est gravissima, ultra petitionem veniae, tenetur qui contumeliam intulit, veniam flexis genibus petere, vel aliam similem humiliationem ostendere : quae quidem sententia *probabilior est.* - 987.

Caeterum, quoad praxim, diligenter advertendum puto, quod multoties expedire continget, ut confessarius omittat monere poenitentem in bona fide existentem, qui alium inhonoravit, de satisfactione praestanda in pluribus casibus : 1. Si praevideat monitionem non profuturam, imo, potius obfuturam, juxta regulam infra dicendam in *Tract. de Sacr. Poenit. n.*610; dum experientia constat, quod poenitentes facile tales satisfactiones promittunt, sed difficulter in facto ea adimplent ob rubórem, quem postea in hoc sentiunt, vel apprehendunt. 2. Si *probabiliter* putet dehonoratum magis recusare quam cupere illam publicam satisfactionem, ne memoria injuriae acceptae apud alios redeat, aut ne ipse rubore magis afficiatur. Tunc vero, bene advertit *Lugo*, aliam esse quaerendam viam honorandi peculiariter offensum extraordinariis actionibus, in quibus aptius contineatur petitio veniae. 3. Idem dicendum si probabile periculum sit, quod in actu satisfactionis odia inter offensum et offensorem renoventur. 4. Si ex signis manifeste appareat remissio facta ab offenso, nempe, si iste sponte ad offensorem accedat, atque valde familiariter, et jocose cum eo tractet, et similia.

Notant autem hic *Salm.* non sufficere ad praesumendam remissionem, simplicem familiarem conversationem offensi; multi enim odium deponunt, et dissimulant injuriam acceptam, ad evitandam notam, vel aliud damnum, sed satisfactionem vere non condonant. - 988.

Quaeritur 8. Utrum, si tu offensus vindictam sumpseris, liberetur offensor ab honore satisfactionis pro contumelia illata?

R. Videtur quod non; quia non videris recuperare honorem tuum laesum per laesionem honoris offensoris tui. Sed *affirmandum* cum *Lugo* et *communi sententia*. Ratio, quia, per vindictam jam censeris tibi satisfieri. Recte vero censet *Lugo*, quod si injuria a te irrogata tuam primam offensam notabiliter excedat, teneris tu saltem secundum excessum satisfacere. - 989.

Quaeritur 9. Utrum, si offensor a judice publice puniatur, adhuc teneatur in conscientia pro injuria illata satisfactionem exhibere?

R. Probabilissime negat Lugo cum *communi*. Ratio, quia ipsa poena inflicta pro honore tibi ablato videtur satis honorem tuum resarcire. Ita etiam, si offensor a judice coactus debitam satisfactionem tibi praestiterit : tunc enim, licet coacte, jam vere testificationem exhibuit aestimationis tuae dignitatis. Dixi, *debitam*, nam si satisfactio imposita a judice non fuit sufficiens ad reparandum tuum honorem ablatum, adhuc remanet ei obligatio illum ad aequalitatem resarciendi. - 990.

Nota 1. Non necessarium est con-

tumeliae mortalis qualitatem in confessione explicare. - l. 5. n. 82. 2. Omnes tenemur contumelias tolerare, animum vindictae abjiciendo; quandoque tamen expediens erit contumelias repellere, nempe cum eorum tolerantia praevidetur adscribi obsistendi impotentiae, aut stultitiae; vel si obesse possit bono communi, prout si Praelatus tolerando redderetur contemptibilis, et sic petulantia subditorum augeretur. - 966.

CAPUT III.

DE DETRACTIONE.

Detractio est *alienae famae injusta violatio vel denigratio.* Dupliciter differt a contumelia, quae est injusta honoris diminutio, ut supra, 1. *objecto*, quia contumelia honor, detractione autem fama laeditur, quae est opinio, seu aestimatio de alterius excellentia, honor autem est testificatio alienae excellentiae animo conceptae. 2. *Modo*, quia contumelia instar rapinae fit aperte contra praesentem; detractio ut plurimum instar furti occulte, et contra absentem.

Detractio alia est directa et formalis, quae fit ex intentione famam laedendi: alia indirecta, et materialis tantum, quae fit ex levitate et loquacitate aliqua.

Detractio est ex genere suo peccatum mortale, etsi ex parvitate materiae, aut indeliberatione fieri possit veniale. Ratio, quia est gravius furto, quod est mortale, cum laedat proximi famam, quae est majus bonum quam opes. - 966.

Unde:

1. Regulariter non est mortale revelare naturales defectus animi, corporis vel natalium, quia tales non sunt morales; nec infamia apud prudentes reputatur, quod quis v. gr. sit stupidus, spurius, luscus, etc. Dico *regulariter*, nam per accidens fieri potest, ut narrando defectus etiam naturales, spectata conditione et statu alicujus, graviter ei noceas, et sic graviter pecces, ut si gravem, et optimi nominis Praelatum, aut Religiosum, mendaciis assuetum esse; virum gravem, ac consularem, illegitime natum, judaeum, etc. dicas. Idem est, si de altero nihil in particulari, sed tantum in genere dicas, v. gr. te scire aliquid de illo, quod si dicas, magno illum rubore sis affecturus.

2. Plerumque etiam levis detractio habetur, si alium infames generalibus nominibus peccatorum mortalium, v. g. esse iracundum, superbum etc., quia audientes plerumque interpretantur de naturali propensione, et defectu involuntario, nec oritur grave damnum famae: aliquando tamen potest esse gravis. Ita *S. Antonin., Sylv., Less., etc.*

3. Similiter non erit mortale communiter referre peccata mortalia, quae ob conditionem personae non notabiliter famam laedunt, v. gr. si dicas militem habere concubinam, pugnasse in duello, cogitare vindictam, adolescentem esse prodigium, deditum amoribus, etc. *Laym.* - 967.

4. Crimen aut defectum alicujus, modo verum, saepe licet prodere ob justas causas, v. gr. 1. Cum expedit Superiorem scire suorum defectus, ut emendentur. 2. Causa consilii vel auxilii capiendi; in quo tamen videndum ut cum minimo damno tertii fiat. 3. Cavendi causa alterius damni; ut si alicujus aestimatio falso concepta de ejus doctrina, probitate, est aliis perniciosa: dummodo nulla alia sit ratio commodior impediendi, et damnum quod proximo timetur sit majus aut saltem aequale damno, quod ex manifestatione defectus, aut criminis alterius ei obvenerit. *Less.* - 968.

5. Hinc pariter si quis injuste laedit famam tuam, nec potes eam tueri, nec recuperare alia via quam imminuendo quoque famam illius, id licet,

*

dummodo falsa non dicas, et solum in tantum, quantum ad tuam famam conservandam necesse est, nec magis laedas quam laedaris, collata tua et alterius persona. Secus tamen, si agatur in judicio, et tu nullo modo possis probare illius crimen; quia tunc infamatio illius nihil tibi prodest. Omnino etiam peccas, si falsa dicas, ex prop. 44. damnata *ab Innoc. XI.*, quae dicebat: « Probabile est non peccare mortaliter » qui imponit falsum crimen alicui, » ut suam justitiam, et honorem de» fendat. » - 972.

6. Si quis solatii tantum causa, et non intentione detrahendi, alicui amico narret injuriam ab alio sibi factam, non videtur esse mortale, etsi inde aliqua infamia proveniat auctori; ea enim ipsi imputanda est. *Salm.*, *Mazz. etc.* Hinc *probabiliter* ait *Mazz.* cum aliis, excusari posse saltem a mortali, famulos detegentes injurias illatas a dominis, uxores a viris, filios a patre, religiosos a Praelato, doloris tantum mitigandi causa. Cavendum tamen ne dicatur pluribus, vel apertius nominetur persona quam necesse sit ad consilium vel solatium. *Less.*, *Laym. etc.* Idem putat *Caj.* dicendum si crimen occultum reveles uni alicui viro prudenti et taciturno, cui dicere perinde sit, ac si nulli diceretur eo quod damnum illud censetur leve; et haec sententia est satis *probabilis*. Ratio, quia, cum fama consistat in communi aestimatione hominum, non censetur absolute diffamatus, qui apud unum vel alterum tantum suam famam amiscrit. - 973.

7. Crimen simpliciter publicum, sive sit notorium *jure*, sive *facto*, manifestare aliis qui id nesciunt, non est peccatum mortale injustitiae; quia hoc ipso auctor amisit jus ad famam, cum ratio justi judicii, et evidentia facti faciat ne de injuria juste queri possit. Quod confirmat consuetudo, mandans historiae publica crimina. - 974.

8. Similiter non est peccatum contra justitiam, saltem mortale, quaerere causam captivitatis alicujus, vel de ea loqui; sicut enim captivitas est publica, sic etiam causa videtur esse facta publica. *Trull.* eodem modo excusat eum qui refert delictum alicujus publicum, referendo simul poenitentiam et emendationem; secus, si taceatur poenitentia quam fecit. Sic ait peccare Historiographum, describendo peccata mortuorum publica, et non referendo poenitentiam, vel emendationem, si resipuerint.

9. Similiter manifestare crimen quod nondum est publicum, moraliter tamen certum est brevi fore publicum, sive per facti evidentiam, sive per sententiam judicis, non est mortale, quia parum nocet, nisi tamen ex ista anticipatione sequerentur gravia damna, v. g. in officio, etc. - 974. (*a*).

Nota. Ut autem aliquod crimen possit dici publicum, censent *Mol.*, *Lugo, etc.* sufficere, si in aliqua Communitate octo personarum, quatuor illud sciant; vel si centum personarum, sciant quindecim; vel si mille, sciant viginti in circa diversarum familiarum plusquam duarum: publicum autem esse in aliqua vicinia quadraginta personarum, si sciant octo ex diversis familiis. Item si in oppido quinque millium civium sciant quadraginta per illud dispersi. Addit *Stephan.* cum aliis, crimen dici

(*a*) *Delictum alicujus publicum uno tempore, non potest in alio in quo factum est occultum publicari sine gravi culpa saltem contra charitatem, nisi delictum esset publicum non solum notorietate facti, sed etiam notorietate juris'; idest, per sententiam judicis, vel rei confessionem in judicio. H. n.* 13.

famosum, si illius fama pervagatur per majorem partem Oppidi, Communitatis, Viciniae, vel Parochiae. Item, dicunt *Mol. etc.* dici infamatum in regno, qui jam infamatus est in curia vel in alio illustri loco, ex quo facile in regnum fama dimanet. - 975.

10. Infamem in uno crimine de altero valde affini infamare, est tantum veniale. De disparato tamen, et non connexo crimine infamare, est mortale, quia infamis in uno crimine non amisit jus famae in aliis virtutibus. - 976.

11. Detractio materialis ex loquacitate orta est mortale, si gravem proximi laesionem importet, idque advertatur; quia etsi non intendatur directe laesio alterius, ea tamen indirecte et implicite est volita, et aequivalet formali. Veniale autem tantum erit, si non sequatur laesio gravis, quia scilicet communiter non serio accipitur, nec creditur. - 977.

12. Mortuum infamare, minus grave est quam vivum; mortale tamen, et ad restitutionem obligans. *Less.*, *Bon.*, *etc.*

13. Non esse mortale de aliquo ignoto, vel indeterminato male loqui, v.g. in tali loco esse multos improbos, in tali Collegio unum Canonicum commisisse grave crimen, docet *Escob.* Quod *Trull.* limitat, si non sit tale, quod in alios redundet.

14. Gravissime autem peccant, qui Ordini seu statui alicui Religiosorum in communi, vel Monasterio detrahunt, dicendo, v. g. quod in eo male vivatur, non servetur observantia regularis, etc., nisi id sit plane notorium : quia, gravissime nocent, tenenturque sub mortali ad restitutionem toti communitati, a qua Superioris remissio non excusat. *Sot.*, *Nav. etc.*

15. Similiter mortale est, tacita persona, nominare Monasterium, vel Ordinem religiosum, ex quo aliquis grave peccatum occultum, v. g. adulterii vel fornicationis commiserit (*a*).

Nota 1. Explicandum est in Confessione, an apud multos, et quot circiter; an vero apud unum tantum alicui detraxeris. Ita *probabiliter Bon.*, *etc.* Sed *Lugo* negat, dicitque contrarium esse *probabilius*. 2. Nec omittendum, si quem infamaveris libello famoso; cum id sit genus detrahendi gravissimum, et ad plurimos pertinens. Non tamen necessario dicendum, in quo genere infamaveris; quia fama semper est ejusdem speciei in genere moris. *Lugo.* - 978.

Quaeritur 1. An ad vitandum grave tuum damnum, possis crimen occultum alterius revelare, si notitiam acceperis injuste per vim, aut fraudem, puta aperiendo litteras, etc.?

R. In hac quaestione plures sunt sententiae. Sed inter has tam varias, magis mihi arridet sententia *Lugonis*. Docet hic magnus Theologus te non posse, generaliter loquendo, uti notitia illa injuste accepta cum alterius damno ob quodcumque damnum tuum effugiendum. Ratio, quia actio injusta, qua tu secretum accepisti, obligat te ad restitueuda omnia damna propter illam proximo obventura. Tunc tantum, recte admittunt *Lugo etc.* te posse crimen manifestare 1. Si revelatio esset necessaria ad bonum commune Reipub. 2. Si alter teneretur ex justitia secretum revelare, ad damnum tuum reparandum. 3. Si ille injuste te vexaret. - 969.

(*a*) *Adverte quod delictum publicatum in uno Monasterio, non potest dici absolute publicum; unde, non potest alibi manifestari, et ne in alio quidem Monasterio ipsius ordinis, quod cum illo haberet frequentem communicationem.* - *H. n.* 12.

Quaeritur 2. An peccet mortaliter qui crimen in aliquo loco publicum manifestat in alio loco, ubi notitia ejus nondum pervenerit, nec perventura erit intra breve tempus ?

R. Tres sunt sententiae. *Prima* tenet eum peccare graviter contra justitiam, quia peccator ille in eo loco adhuc est in suae famae possessione. *Secunda sententia* tenet peccare graviter, sed tantum contra charitatem. Ratio, quia licet reus jam amiserit jus ad famam, graviter tamen ille tristaretur, si sciret crimen suum patefactum fuisse ubi erat occultum. *Tertia sententia communior* dicit non peccare graviter neque contra justitiam, neque contra charitatem. Ratio mihi *probabilior* videtur esse, quod publico bono conducit facinorosos non ignorari, ut ab eis caveant omnes; publicum enim bonum sane praeferendum est famae privati hominis. Haec tamen ratio valet tantum respectu illorum criminum, quae reddunt hominem perniciosum, et ab aliis vitandum, ut sunt crimina homicidii, proditorii, lenocinii, scandalosae impudicitiae et similium. - 974.

Quaeritur 3. An referre tantum peccata occulta alterius, ut ab aliis audita, sit mortale ?

R. 1. Non peccas mortaliter si ita referes, ut tibi probabile non sit ullam inde infamiam orituram, eo quod alii non sint credituri. 2. Si audita referas coram eis, qui *probabiliter* sint credituri ex sola sua levitate, vel malitia, non peccas contra justitiam, quia non es causa efficax damni, sed mere per accidens; et peccas contra charitatem, quia quisque tenetur impedire grave damnum proximi, quantum commode potest. 3. Si tandem ita referas, ut audientes probabiliter, et merito sint credituri, puta si asseras audivisse a persona fide digna, tunc peccas etiam contra justitiam, quia das sufficientem causam credendi malum. Ita *Less.*, *Lugo*, *Spor.*, *etc.* Addit *Less.* quod si referas crimen alicujus valde enorme, puta haeresis, sodomiae, etc., tunc peccas graviter, etiamsi dubitanter dicas, quia haec sola suspicio horum valde infamat, juxta dicta *n.*964. E converso, si referas crimen tanquam auditum a personis fide indignis, v. g., ab inimicis infamati, tunc non peccas mortaliter respectu infamati. *Salm.*-978.

Quaeritur 4. Quomodo peccet audiens detrahentem ?

R. 1. Qui inducit alterum ad murmurandum, certe peccat graviter, et contra justitiam. 2. Qui autem non inducit, sed tantum gaudet de detractione gravi, peccat graviter, non contra justitiam, sed contra charitatem, cum delectetur de gravi damno proximi. Ita cum aliis *S. Thom.* Excipiunt *Less.* et *Bon.* si ille non gaudeat de infamia proximi, nec de detractione, sed de auditione rei novae, seu de cognitione curiosa alienorum criminum. Imo, *Elbel*, *Ronc.*, *Spor.*, *etc.* dicunt non peccare graviter, etiamsi de ipsa detractione delectetur, non causa odii vel gaudii de alterius damno, sed ex curiositate seu vanitate (*a*). 3. Superior tam detrahentis quam detracti peccat graviter audiendo detractionem, si eam non avertat, cum commode possit; quia ipsi specialis obligatio incumbit corrigendi detrahentem, aut damno infamati obviandi. *S. Thom.*, *Lugo*, *Spor.* cum *commun.* - 979.

Quaeritur 5. An Superior tunc peccet contra justitiam, et teneatur ad restitutionem ?

R. Prima sententia affirmat, si Praelatus sit Superior detrahentis; quia, dicit ipsum teneri ex officio obstare, ne subditus alteri noceat. *Secunda sententia affirmat*, si sit Su-

(*a*) *Modo non sit Superior. H. n.* 17.

perior infamati, quia ex officio tenetur ad obviandum infamiae subditi, quae officit illi ad bonum spirituale in alios promovendum. *Tertia* tamen *forte probabilior sententia negat* peccare contra justitiam, neque Superiorem detrahentis, cum ipse non teneatur invigilare bono alterius non subditi; neque Superiorem infamati, cum ipsi non incumbat ex justitia bono temporali subditi attendere. Attamen Superior detrahentis non excusatur a culpa gravi contra charitatem, et etiam contra justitiam, si sit Episcopus, vel Parochus, et non corrigat, quia hi tenentur ex justitia ad corrigendos subditos juxta dicta n. 360. Bene autem advertit *Lugo*, quod si infamatus et infamans sint subditi, et infamatus imploret Praelati auctoritatem, ut fama ei restituatur, tunc ille ex justitia ad id tenetur, modo possit sine timore gravioris mali. - 980.

Quaeritur 6. An persona particularis peccet graviter, si detractionem, cum commode possit, non avertit?

R. Affirmant Bus., Lugo, Less., Bon., etc. Sed quia Auctores relatae sententiae plures addunt limitationes, censent absolute *Salm.* dicendum esse cum *communi* Thomistarum, privatam personam non nisi venialiter peccare, si ex verecundia, timore, vel negligentia detractationi non resistat, etiam cum commode possit; modo, praeter infamiam aliud damnum ex detractione non accedat, et non constet quod correctio sit profutura. Ita *S. Thom.* At quia in hac materia detractionis difficillime constare potest correctionem proficere, et aliunde facillime offenduntur detrahentes coram aliis correpti, imo, periculum est quod potius augeant vel confirment detractionem: ex omnibus his motivis simul congestis rationabiliter sustineri potest praefata *communissima* sententia excusans universe audientes a mortali, si correctionem omittant. Excusantur etiam apud omnes a veniali, qui, advertendo detractionem, discedunt vel sermonem divertunt, vel faciem avertunt, aut tristem ostendunt. Ratio, quia istae actiones sunt verae correctiones. - 981.

Quaeritur. 7. An liceat alium infamare ad tormenta gravia vitanda?

R. Licet, si crimen sit verum; quia nullam alteri facis injuriam, cum habeas jus illud in necessitate revelandi; sed non licet, si crimen sit falsum; quia esset mendacium perniciosum. *Sylvius* tamen et *Nav.* putant veniale tantum esse, si sola infamia sequatur, et post torturam revocetur, eo quod non sit infamia efficax. Vide infra *Tract. de praec. Part. n.* 277-982.

Quaeritur 8. An liceat se ipsum infamare?

R. Id non esse saltem mortale regulariter; quia non est contra justitiam, cum sis famae tuae dominus; nec contra charitatem, quia haec non obligat ad bona externa conservanda, nisi in quantum id exigit salus propria, vel proximi. Dixi *regulariter;* quia per accidens potest esse mortale; ut v. g. si tua fama sit necessaria muneri, vel si tibi damnum vitae, vel aliis infamia ex eadem sequeretur. - 985.

Quaeritur 9. An fama sit restituenda?

R. Nisi sit causa excusans patet ex natura justitiae, et ex dicendis de restitutione, famam injuste ablatam restitui debere. - 991. (*a*).

Quaeritur 10. Quomodo fama sit restituenda?

(*a*) *Confessarius curet, ut hujusmodi famae compensationes, cum commode fieri possunt, ante absolutionem fiant, quia postea difficulter adimplebuntur, licet caeteroquin hae minus difficultatis habeant, quam pecuniae restitutio.* - *H. n.* 18.

R. Cum fama est restituenda ab eo qui verum crimen propalavit, tres modi a DD. assignantur : 1. Si diffamator dicat *se male dixisse*, vel *quod injuste eum diffamaverit*. Sed hic modus vix hodie sufficiens est apud rusticos et simplices. 2. Si restitutio famae alio modo facta potius noceat quam prosit, tunc melius est indirecte occasione oblata, serio et pluries honorabiliter loqui de laeso, vel illum honorifice tractare. Hic modus *communiter* aptissimus creditur. 3. Si asserat *se falsum dixisse, errasse, se deceptum, vel mentitum fuisse*. Et licet hunc modum adhiberi posse negant *Sot., Caj., etc.* putantes haec esse vera mendacia, *probabiliter* tamen *Lugo, Sanch., Less., Ronc. etc.* censent praedicta verba non esse mendacia, sed veras amphibologias. - 992. Si autem fama est restituenda ab eo qui falsum crimen impegit, tunc diffamator tenetur id aperte retractare, adhibito etiam, si opus est, juramento.

Quaeritur 11. An infamator teneatur famam restituere non solum coram auditoribus immediatis, sed etiam mediatis ?

R. Prima sententia, quam tenent *Lugo, Nav., Less., etc.* distinguit : Si famam abstulisti apud auditores, quos putabas non revelaturos, non teneris restitutionem facere apud auditores mediatos, quia cum non praevideris damnum, non teneris illud reparare ; tale enim damnum, si evenit, per accidens evenit ; secus si praevideris alios facile evulgaturos. *Secunda* vero *sententia* tenet sufficere ut plurimum restitutionem facere apud immediatos; quia restitutio apud mediatos saepe est moraliter impossibilis ; et praeterea, per illam retractationem coram immediatis factam, jam iis imponitur obligatio se retractandi apud alios. Sed his non obstantibus, prima sententia est mihi *verior ;* quamvis enim ad nihil tenearis, si auditores tui jam se retractent apud alios ; quando tamen illi hoc facere negligunt, teneris damnum reparare, quantum est moraliter possibile. - 991.

Quaeritur 12. Ad quid tenetur qui detraxit libello famoso ?

R. Tenetur, ut efficax sit restitutio, eam facere contrariis scriptis, vel publica revocatione. - 995. Nota. 1. libellus infamatorius tunc conficitur, quando profertur scriptura, etsi brevissima, continens infamiam occultam alicujus, ut publica fiat. 2. Auctor libelli censetur, et poenis subjicitur etiam ille qui aliquod signum infamatorium appendit ad januam domus alicujus, quo publice eum infamet. 3. Adversus illos qui libellos conficiunt, adest excommunicatio ferenda, lata autem ipso facto, si libellus sit contra Papam, aut Cardinalem, vel contra Statum ordinum Minorum, aut Praedicatorum, aut aliorum communicantium. Non vero, si contra Religiosum particularem. - 996.

Quaeritur 13. Ad quid teneatur ille, qui bona fide, vel probabili errore ductus, sine formali mendacio falsum de alio dixit ?

R. Tenetur, intellecta postea materiali injustitia, ad restitutionem, licet non tam stricte quam qui infamavit per injuriam formalem : hic enim tenetur restituere cum detrimento famae suae etiam aequali ; alter non item, sed tantum quatenus sine suo notabili incommodo potest. - 993. Similiter, qui crimen narravit de uno, quod auditores ex errore intellexerunt de alio, talis materialis detractor si commode possit, tenetur statim ac advertit, famam restituere ex justitia. - 994.

Quaeritur 14. Si ex laesione famae, ortum etiam est alteri damnum fortunarum, tenetur ne diffamator illud reparare ?

R. Tenetur diffamator et famam re-

stituere, et damnum illud compensare, ad arbitrium prudentum juxta spei aestimationem. *Less., Lugo etc.*

Nota 1. Ad obligationem restituendi damna, omnino requiritur praevisio ipsorum, saltem in communi. Vide dicta in *Tract. de Injust. etc., n.* 613. 2. Obligatio restitutionis famae, cum sit pure personalis, non transit ad haeredes : obligatio autem compensationis damni fortunarum, cum habeat respectum ad bona infamatoris, transit ad haeredes. *Laym. etc.* - 996.

Quaeritur 15. Qui injuste alium diffamavit, crimen ejus verum manifestando, teneturne restituere integre damnum quod inde secutum est?

R. Negat Sot., dicens teneri tantum ad partem, cum damnum proveniat non solum ex manifestatione, sed ex ipso crimine commisso. Sed omnino oppositum tenendum ; quia hic et nunc sua revelatio injusta, est causa vera et unica damni, dum sine ipsa damnum omnino abfuisset. - 994.

Quaeritur 16. Quando quis excusatur a restitutione famae?

R. Excusaris a restituenda fama 1. Si plane sis impotens. Si autem nequis restituere totum, teneris quoad partem quam potes. 2. Si crimen occultum quod dixisti, vel simile, alia ratione fiat publicum. *Lugo, Less., etc.* 3. Si auditores non credant. *Salm.* 4. Si fama aliis modis jam recuperata sit, ut infamati purgatione, vitae probitate, testimonio prudentum. Sed reparanda sunt alia damna, si sint secuta. *Lugo.* 5. Si prudenter judicetur jamdudum rem oblivione deletam. Quo casu maxima prudentia opus est ; nam aliquando periculosius est retractare renovando memoriam. *Lugo.* - 967. 6. Si non possis absque periculo vitae, nisi alter ob tuam infamationem sit in eodem periculo. 7. Si adsit timor gravissimi damni temporalis, respective majoris quam famae. 8. Si fama restituenda sit minoris valoris quam fama detractoris, quia aliter non servaretur aequalitas. Et in hoc casu sufficit infamatum laudare, etc. - 1002. 9. Si infamatus sponte expresse vel tacite remiserit, modo tamen ejus infamia non redundarit in alios, ut familiam, statum, etc. Attamen, nihilominus ex charitate damnum resarcire aliquando teneris, si possis absque gravi incommodo. Vide insuper de hac quaestione in *Tract. de Injust. etc.* ex n. 696. - 1002.

Quaeritur 17. Quid agendum si dubium sit an infamatio fuerit oblivioni data?

R. Distinguunt DD. Si crimen, de quo alter est infamatus, fuerit verum, ait *Less.*, non esse facile revocandum ad memoriam, nisi evidens sit periculum quod infamia illa ex alia via ad memoriam redeat. Si vero crimen fuerit falsum, semper revocanda est infamatio, nisi constet de oblivione. Ita *Less., Caj., etc.* Hoc tamen advertunt procedere, si nullum sit periculum ut per retractationem criminis memoria renovetur ; nam *Lugo*, etc. dicunt aliquando multo magis periculosum fore, quoad servandam famam proximi, detractionem retractare, memoriam revocando, quae forte jam evanuerat, quam tacere. Hinc ajunt *Conc., Tournely, Mazz. etc.* sufficere ad omittendam retractationem, quod oblivio probabiliter credatur. Deinde censent *Less. et Salm.*, crimen praesumendum esse oblitum, si per multum tempus nulla de illo mentio facta fuerit.

Nota 1. Ad restitutionem famae requiritur moralis certitudo, quod detractor fidem obtinuerit apud auditores ; alias, ex regula generali nullum damnum dubium est de necessitate restituendum, prout dicimus in *Tract. de Injust. etc.* n. 562. Nec raro de facto accidit quod his detractoribus fides non praestatur ; maxime si detractor loquatur ex ira vel alia passione, et de-

tractio testimoniis aliorum, aut aliter non firmetur. 2. Retractatio per se affert infamiam retractanti; unde, quando dubitatur de oblivione infamationis, non videtur quis teneri damnum certum pati, ad reparandum incertum damnum proximi. Et licet injuria irrogata sit certa, et ideo possideat; attamen, quia restitutio non debetur ob solam injuriam, sed ob damnum vere illatum, ut dicimus cum *S. Thom.* in *Tract. de Injust. etc.*, n. 562., non videtur esse obligatio resarciendi damnum dubium cum damno certo restituentis, nisi quando solum periculum infamiae in aliquo casu magis aestimaretur, quam infamia certa, sive damnum detractoris. - 998.

Quaeritur 18. An liceat compensare famam cum fama?

R. Certum est. 1. quod si alter velit tibi famam restituere, teneris tu pariter restituere famam ei ablatam. Certum est 2. quod si alter tibi famam jam abstulerit, non potes deinde in compensationem famam illi auferre; quia tunc non esset haec compensatio, sed vindicta, cum fama tua non reparetur per infamiam illius. Ita *communiter DD.* Sed si alter nolit famam tibi restituere, tu potes, juxta sententiam *communiorem*, *imo communissimam*, *et probabiliorem*, compensationem facere, differendo restitutionem suae famae; quia hoc casu, non fit compensatio in reparatione proprii damni, cum utriusque partis damnum permaneat; sed fit in retentione debiti eo quod potes tu retinere famam alterius, donec ille famam tibi restituat. - 999.

Quaeritur 19. An, quando restitutio famae sit impossibilis, teneatur diffamator infamiam pecuniis compensare?

R. Prima sententia probabilis affirmat; quia, cum fama sit pretio aestimabilis, debet compensari pecunia, si aliter resarciri nequit. *Sylv.*, *Sot.*, *S. Thom. Secunda* tamen *probabilior sententia negat;* quia justitia tantum obligat ad reddendum ablatum, vel aequivalens; sed pecunia non est id quod per detractionem ablatum est, nec aequivalens famae ablatae, cum fama sit ordinis superioris ad pecunias, et ideo quibuscumque pecuniis nunquam satisfieri potest. Monent autem *communiter DD.* quod si infamator sit dives et infamatus pauper, tunc si nequit famam ille restituere, congruum est ut ille ex aequitate compenset infamiam cum aliqua pecunia, si alter libenter illam acceptat. - 1000.

Quaeritur. 20. An infamatus, si alter famam sibi restituere nolit, vel nequeat, possit pecuniis illius compensari?

R. Alii *negant*. Alii *affirmant*. In Tract. de *just. art. de Posses. dubiae fidei*, adhaeremus sententiae negativae - 1001.

Quaeritur 21. An restitutio famae licite condonetur?

R. Licite fit in iis casibus, in quibus seipsum licet infamare; in quibus autem, et quam graviter peccat se infamando, in iisdem, et tam graviter peccat condonando. Unde condonans famae restitutionem peccat mortaliter in sequentibus casibus: 1. Si infamia redundet in alios. 2. Si inde sequatur scandalum. 3. Si sit vir valde utilis Reip. et ex infamia fructus impediantur. 4. Si fama sit necessaria ad muneris gubernationem. - 1003.

CAPUT IV.

DE SECRETO.

Secretum triplex est, scilicet, ex sua natura, promissum et commissum.

1. Secretum *ex sua natura*, puta si casu aliquid scias, servare debes ex justitia, dum ex manifestatione graviter alter laederetur in fama, vel

bonis ; nemo tamen tenetur illud servare cum periculo mortis, nisi damnum alias imminens sit commune et grave. *Sanch., Salm., etc.* Sed vide mox dicenda, n. seq. 971.

2. Secretum *promissum* regulariter obligat graviter vel leviter, juxta intentionem promittentis. In dubio autem de illa intentione, dicendum puto, neminem censeri gravi obligatione obstrictum, nisi de illa constet.

Notandum, quod promissio secreti, etiam jurata, non obligat, quando tu revelare teneris ; unde judici legitime interroganti debes testari crimen alterius, etsi promiseris non detegere.

3. Secretum autem *commissum*, quod alias dicitur *rigorosum*, et absolute naturale, potest committi expresse vel tacite, prout Medicis, Advocatis, Obstretricibus, Theologis consultis. Et hoc secretum strictius obligat. Si secretum sit tibi commissum, et alias non est publicatum, teneris servare etiam legitime interrogatus, et potes respondere te nihil scire, scilicet, ad revelandum, quia judex nequit abrogare jus naturae, ex quo servandum est secretum commissum, nisi ex alia via res sit jam cognita, aut sit justa causa illam revelandi, ut infra. Ita *Lugo*, *Bon., etc.* - 970.

Quaeritur 1. An sit mortale rem gravem sub secreto commissam uni vel alteri viri probo sub eodem secreto revelare ?

R. Probabiliter negatur, cum *Lugo*, *Bon., Az., etc.* dummodo non detegatur personae, cui creditur quod secretum committens specialiter voluerit celari.

Quaeritur 2. Ex quot capitibus possit manifestari secretum commissum, saltem sine peccato gravi ?

R. 1. Ex praesumpto consensu principalis. *Salm., Lugo, etc.* 2. Ex parvitate rei sub secreto commissae ; vel si aliunde res sit cognita, vel publicata. 3. Ex inadvertentia, vel indeliberatione, sive ex suppositione quod res non sit gravis. Notant tamen *Salm.*, quod, ut revelans excusetur a mortali, debet certo credere rem non esse gravem. 4. Ex justa causa, nempe si servare secretum verteret non tantum in damnum commune, vel alterius innocentis, sed etiam ipsius committentis, quia tunc ordo charitatis postulat ut reveletur ; unde etiamsi jurasses, tunc detegere posses. Ita *communiter Salm., Moll., Bon., etc.*

Quaeritur 3. An quis possit revelare secretum commissum ad proprium damnum grave effugiendum ?

R. 1. Loquendo de secreto commisso sive rigoroso, *negat Alex.* cum *Soto, Sylv., etc.* Ratio, quia secretum servandum est semper ac sine peccato servari valeat. *Secunda sententia*, quam tenet *Mol.*, censet tunc posse tantum revelari secretum, quando ejus observantia vergeret in multo gravius damnum ipsius manifestantis. *Tertia* vero *sententia communior* et *probabilior*, quam tenent *Laym., Soto, etc.*, habet te posse aperire secretum ad vitandum tuum grave damnum, etiamsi inde alteri immineret periculum mortis, modo illud sine vi aut fraude excoperis. Ratio, quia non teneris cum tanto tuo incommodo damnum proximi vitare ; et non praesumitur quis ad tale onus se obligasse, nisi ex circumstantiis id certe appareat. Excipe tamen, ut *communiter* DD. docent, nisi ex tali revelatione immineat damnum commune grave. Dicimus *grave*, nam si esset leve, *probabiliter* etiam posses secretum revelare, ut grave damnum proprium vitares ; quia non videtur obligationem, ad vitandum leve damnum commune, te obstringere ad grave damnum tuum patiendum.

2. Loquendo vero de secreto promisso, quando non promiseris cum obligatione servandi secretum etiam

cum tuo damno, certum est te posse manifestare, cum nemo censeatur ad secretum se obligare cum incommodo gravi. Ita *Laym., Ronc., Spor., etc.* Si vero expresse promiseris secretum non revelare etiam cum dispendio vitae, affirmat *satis probabiliter Spor.* te posse tamen et teneri revelare in periculo mortis, quia nulli est licitum propriam vitam prodere. Sed cum sit etiam *valde probabilis et communior* sententia opposita, quod liceat ob honestum finem conservationem propriae vitae omittere, ob alterius vitam servandam; quia hoc non est directe sibi mortem inferre, sed vitam non tueri, quod licitum est ob justam causam : ideo *valde probabiliter* DD. dicunt in casu proprio te satis obligari ad servandum secretum etiam cum discrimine vitae, si id promiseris; aliud enim est prodigere vitam, aliud omittere, ut dictum est, ejus conservationem, ut promissum serves. - 971.

Quaeritur 4. Quomodo peccent aperientes et legentes litteras alienas?

R. Si aperiant litteras, ut sciant secreta alterius, est curiositas; et si fiat in re gravi, per se est mortale : quod, quia communiter ante aperitionem nescitur, *communiter* esse mortale docent *Tol., Nav., Mol., Laym., etc.* Dixi *per se esse mortale*, quia per accidens potest esse veniale vel nullum, si legitima auctoritate, justa ex causa fit. - L. 5, n. 69.

Unde :

1. Litteras alienas aperire et legere, saepe non est peccatum, si probabiliter scias scriptas esse in tuum injustum damnum, vel in injuriam tuam cedere, quam intendas avertere; quia potes tibi consulere. Sic Princeps potest aperire litteras non tantum hostium, sed etiam aliorum, quae tempore belli ex locis finitimis hostium veniunt. Item, Ministri publici, quoties bono publico necessarium esse judicant. Et hoc procedit non solum pro Principe et Ministris, sed etiam pro Privatis. *Lugo, Ronc., Sanch., Nav., etc.*

2. *Communiter* etiam peccatum non est, si consensus expressus vel tacitus saltem habeatur ejus a quo vel ad quem mittuntur.

3. Superior Religiosus litteras suorum subditorum, dummodo non mittantur ad Superiorem majorem, vel talem, quem Statuta eximant, nec ab eo veniant, licite aperit et legit; sive ex Religionis statuto aut consuetudine, sive ex suspicione probabili, quod mali aliquid contineant.

4. Nec est peccatum, si necesse sit, vel expediat ad injuriam alteri imminentem advertendam; dummodo non prius legatur, quam ad eum finem necesse est.

5. Qui aperit et legit, existimans non contineri res magni momenti, venialiter tantum peccat. Ita *communiter* DD. Dicit autem *Conc.* cum *Mol., etc.*, quod etiamsi materia lectionis sit levis, legens potest mortaliter peccare, si alter id accipiat ut gravem injuriam, contra charitatem, ratione gravis tristitiae quam ex illa etsi levi injuria alter patitur.

6. Si litteras ab alio dilaceratas, et in publicum a domino abjectas recolligas, et junctis partibus legas ex sola curiositate, peccatum veniale est : nullum autem per se, si ut ex illa notitia tibi provideas; quia quod pro derelicto habetur, in usum suum convertere licet; nisi dominus in minutas partes laceraverit; hoc est *probabilius.* Ratio, quia hoc ipso quod minutim dilaceravit, satis significavit nolle ut legantur, et ideo noluit cedere juri suo.

7. Qui furtive scripta alterius secreta, ipso invito legit, peccat. Et quidem peccato 1. curiositatis, etsi faciat animo discendi, et sine suspicione damni. 2. injustitiae, quia quisque habet

jus secreti in suis scriptis, quae aliis non vult esse communia. Potestque aliquando esse mortale, si nimirum fiat cum notabili damno; vel alter valde cupiat esse secreta, gravissimeque sit laturus.

8. Quicumque secretum violat absque justa causa cum alterius damno, vel qui litteras alterius injuste aperit, ex quo damnum alteri sequitur, tenetur ad restitutionem. *Bon. etc.* - L. 5, n. 70.

Nota. Duo praecepta nonum et decimum prohibent omnes internas concupiscentias, et delectationes voluntarias illorum operum, quae praeceptis secundae tabulae, praesertim sexto et septimo vetantur. Qua de re vide supra : et patet ex dictis in *Tract. de Pecc.* - 1003.

TRACTATUS XIV.

DE PRAECEPTIS ECCLESIAE.

Etsi praecepta Ecclesiae sint plurima, praecipue tamen toti Christiano populo communia quinque numerantur. Ex quibus hic agendum restat de tertio; quia de primo et secundum actum est in Praec. tert. Decal. De quarto et quinto infra agitur in *Tract. de Sacr. Euchar. et Poenit.* Nunc ergo :

DE TERTIO ECCLESIAE PRAECEPTO

De Conditionibus Jejunii et de ejus Obligatione. De Causis a Jejunio excusantibus.

CAPUT I.

DE CONDITIONIBUS JEJUNII ET DE EJUS OBLIGATIONE.

Jejunium ex praecepto Ecclesiae, obligante sub mortali, requirit tres conditiones. 1. Unica tantum comestio de die in ordine ad nutritionem. Quae ita necessaria est conditio, ut secunda comestione pecces mortaliter. - 1004.

2. Abstinentia ab esu carnium, itemque ovorum et lacticiniorum, eo quod ex carne originem trahant multumque nutriant. Unde intra Quadragesimam jure communi prohibentur. Intra eam tamen quibusdam locis consuetudo permittit, quae ubique notanda est. *Bon., Sylv., Nav., etc.* - 1005. 3. Certa hora refectionis, quae est circa meridiem, nisi aliud loci consuetudo ferat.

Quaeritur 1. An abstinentia ab ovis et lacticiniis in diebus jejunii obliget sub gravi ?

R. Certum est talem abstinentiam in Quadragesima obligare, et quidem sub gravi, ut *communiter* DD. ex prop. 32, damnata *ab Alexandro VII*, quae dicebat, « Non est evidens quod » consuetudo non comendendi ova » et lacticinia in Quadragesima obli» get. » - 1006.

Quaeritur. 2. An abstinentia a lacticiniis obliget etiam in Dominicis Quadragesimae ?

R. Negant Pasq. etc. Sed *sententia opposita est omnino tenenda.* Ratio, quia in *C. Denique*, universe praecipitur in diebus quadragesimalibus abstinentia a lacticiniis. Certum autem est quod dies Dominici, etiam Quadragesimae dies sunt : quare prima sententia sat *probabilis* non videtur, cum plures eam *imbrobabilem* putent. - 1007.

Quaeritur 3. An in diebus jejunii extra Quadragesimam teneamur sub gravi abstinere a lacticiniis de jure communi ?

R. Affirmat prima sententia. Secunda vero *communis*, quam sequimur, docet de jure communi non vetari lactricinia et ova. Ratio, quia contrarium, extra Quadragesimam, nullo jure probatur.

Quaeritur 4. An ubi viget consuetudo abstinendi a lacticiniis, in jejuniis extra Quadragesimam, talis consuetudo obliget sub gravi ?

R. Prima sententia negat. Secunda tamen, *sententia communis*, quam sequimur, communiter tenet esse obligationem abstinendi a lacticiniis in locis, ubi ab immemorabili talis viget consuetudo. Ratio, quia in hoc casu possessio non stat pro libertate, sed pro obligatione consuetudinis.

Quaeritur 4. An in jejuniis Quadragesimae liceat comedere in quacumque quantitate panes biscoctos ovis confectos ?

R. Affirmat Pasq. Sed *omnino negandum.* Ratio, quia substantia ovorum non deperditur per hoc quod farinae miscetur. Dicunt tamen *Salm.* quod DD. *communiter* admittunt, sine jejunii laesione posse edi tantum duos biscoctos. Sed mihi *probabilius* dicendum videtur hujusmodi cibi esum non excusari a peccato veniali, nisi saltem aliquis causa accedat. - 1009.

Quaeritur 6. An cui licitum sit edere lacticinia, liceat etiam edere laridum et sagimen ?

R. Affirmant Hostiens. etc. Ratio, quia dicunt laridum et sagimen revera non esse carnes, sed excrementum carnis. Sed omnino videtur non recedendum a sententia *communi*, quam docent *Sanch. etc.* Hi omnes dicunt laridum et sagimen veras esse carnes, cum vere de substantia carnis participent. Si vero adsit in aliquo loco diversa consuetudo, hanc servandam esse dicit *Bus.* - 1010.

Quaeritur 7. Quid sit hic licitum pauperibus ?

R. 1. Pauperes qui non habent, aut non possunt invenire aliud ad se alendum quam lacticinia, licite in Quadragesima passunt ea comedere, et praebere domesticis, ac operariis suis. Idem dicit *Sanch.* de pauperibus mendicantibus. Et idem asserunt *Sanch., Salm. etc.* de iter abentibus, si in via non inveniant pisces ad emendum. Contradicunt tamen *probabilius* huic Diana *etc.*, si hoc accideret tantum per unum diem ; nisi, ajunt, sit persona quae aliter non valeat commode refici. 2. In longa inedia per plures dies, ubi aliud quam panis haberi non possit, liceret vesci non solum lacticiniis, sed etiam carnibus. 3. Pauperes qui per notabile tempus, puta per hebdomadam oleo carentes, larido sibi herbas praepararent, non peccarent juxta *probabiliorem* sententiam. 4. Plures DD. censent quod qui in Quadragesima per plures dies careret piscibus, posset licite jam lacticinia tunc comedere. *Probabilius* tamen dicit *Ronc.* hoc tantum permittendum assuetis piscibus vesci, non vero rusticis, qui pane et herbis, aut leguminibus ordinarie aluntur; nisi tamen, ut recte notat *Bus.* etiam istis cibis carent ad sufficientiam. Cum autem tales tenues cibi parum substentent, minime tenentur ii ad unicam comestionem ; ut dicunt *probabiliter Ronch. Sanch., etc.* et idem recte docet *Sanch.* cum *communi*, si quis non haberet mane prandium sufficiens ad se pro tota die substentandum, vel si in die praecedenti inediam sit passus. *Tamb., Sanch., etc.* - 1008.

Quaeritur 8. Quorum animalium carnes judicentur vetitae in die jejunii ?

R. S. Thom. ait interdici carnes omnium animalium *in terra quiescentium et respirantium.* Sed ad discernendum quae animalia reputanda sint carnes, quamvis non leve judicium sit attendere, an illa diu extra aquam vivere soleant, magis tamen attendenda est communis aestimatio fidelium ac judicium Medicorum, si reputent carnes, vel pisces. Ita *Less., Conc., Elbel, etc.* Hinc, dicut *Tamb., Conc., Bon. etc.* non vetari carnes limacum, testudinum, ranarum, locustarum et concharum. Ratio, quia hujusmodi animalia saltem aequiparantur piscibus, cum vix habeant sanguinem, vel san-

guinem frigidum habent, vel nutruntur piscibus, aut in aquis ad instar piscium. Idem ajunt *Milante etc.* de viperis; quae similes sunt anguillis. Idem dicunt *Elbel etc.* de lustris; castoribus, fibris et de anatribus cujusdam generis. Aves tamen, licet aliquae nutriantur in aquis, habentur ut verae carnes, prout sunt fulicae, corvi marini, et similes - 1011.

Quaeritur. 9. Quibus pueris licite possint ministrari carnes?

R. Certum et *commune* est posse ministrari pueris usu rationis carentibus ante septennium, sicut et amentibus *Sanch. etc.* Idem dicitur de pueris qui adhuc post septennium ad usum rationis non pervenerint, ut *Croix* cum *communi.* E converso, nequeunt ministrari carnes pueris statim ac, completo septennio, usum rationis adepti fuerint, ut omnino tenendum cum *Sanch.* Pro pueris autem qui ante septennium jam habent usum rationis, *affirmat Sancius etc.* posse illis dari carnes. Haec sententia non videtur *improbabilis*, quia, ut dicunt, lex positiva tantum respicit communiter contingentia. *Sed communius et probabilius negant Sanch., Azor., etc.* Ratio, quia Ecclesia pro hujusmodi abstinentiae obligatione non quidem determinat tempus septennii, sed tempus quo pueri sunt capaces praecepti, et hoc sane evenit, quando usu rationis jam sunt compotes facti. In dubio autem an aliquis puer pervenerit vel non ad usum rationis, non possunt ei dari carnes, si attigit septennium; quia tunc praesumptio stat pro usu rationis, et consequenter pro obligatione. Secus, si non attigerit; quia tunc praesumptio stat pro opposito et ideo possessio stat pro libertate. *Salm., Holz.- etc.* - 1012.

Quaeritur 10. An dispensati ad carnes, possint vesci piscibus in eadem refectione?

R. Negandum ex declaratione *Bened. XIV.* Vide *Auctorem.* - 1013. *etc.*

Quaeritur 11. An dispensati ad carnes, possint sine laesione jejunii edere carnes non salubres, nempe porcinas et similes?

R. Affirmant communissime DD. et quidem *probabiliter.* - *Nota*, quod dispensatus ad carnes tantum, tenetur ad unicam comestionem; nisi dispensatio ad carnes concedatur ob infirmitatem aut debilitatem virium, ut docent *communiter* DD., et ut fuit declaratum a *Benedicto XIV.* - 1015.

Quaeritur 12. An antevertens notabiliter sine causa horam meridianam graviter peccet?

R. Prima sententia probabilis affirmat cum *Azor., Sanch.* Ratio, quia sicut datur praeceptum de unica comestione, sic etiam datur de comestionis tempore. *Secunda* vero *sententia communior* et *probabilior negat*, eamque tenent, *Less., Tol., Bon., etc.* Ratio, quia hora non est de essentia jejuni, ut ipsi contrarii fatentur; sed est circumstantia tantum accidentalis. - 1016 (*a*).

Quaeritur 13. Quaenam anticipatio sit notabilis?

R. Probabilius anticipatio unius horae. Caeterum, omnibus licitum est anticipare infra horam, etiam sine causa. - 1016.

Quaeritur 14. Per quantum temporis spatium prandium moraliter non

(*a*) *Quondam secundae sententiae adhaesi, re tamen melius animadversa, nunc illam* minime probabilem *censeo; quia, ex antiqua consuetudine constat praeceptum observandi horam esse grave, et quidem ad substantiam jejunii pertinere.* - *H. n.* 21.

interrumpatur, ita ut illud continuari possit?

R. Tam. etc. dicunt, etsi nulla adsit causa, non interrumpi prandium per quadrans cum dimidio, etiamsi decreveris non amplius comedere. Imo, *Elbel* concedit id etiam per semi-horam. Per horam procul dubio interrumpitur prandium. Quando vero intercedit negotium *Sanch.* cum aliis dicit, nec etiam per horam prandium interrumpi. Imo *Joan. Sanches* extendit adhuc ad duas; et quamvis hoc non admittant *Salm.*, attamen *Tamb. etc.*, absolute concedunt, et sane *probabiliter*, quando quis non sufficienter se refecit (*a*). Imo *Croix etc.*, adhuc *probabiliter* concedunt, quantumcumque sit sero, posse eum redire ad prandium, dummodo, addunt, retinuerit intentionem redeundi et non sufficienter se refecerit. Sed casu quo aliquis non posset tolerare jejunium sine magno incommodo, puto etiam sine illa intentione posse redire; quia Ecclesia nunquam intendit obligare ad diem transigendum sine sufficienti refectione.

Quaeritur 15. An quis, postquam surrexit a mensa animo non amplius comedendi, possit iterum ad comedendum redire?

R. Negat Nav. Sed *affirmant Less., Ronc., Bon., etc.*, qui merito *probabile* putant, si convivae adhuc comedant, vel si in mensa apponatur aliud ferculum quod ille ignorabat apponendum; quia adhuc moraliter censetur idem prandium durare. Id autem quod dicunt *Nav. etc.*, scilicet, quod qui causa itineris mane jentaculum sumpserit, non tenetur ad jejunandum, si postea non proficiscatur, recte id negant *Salm. etc.*, nisi quando per illam unicam comestionem non possit is reliquo die commode jejunare; nam, alias cum essentia non adhuc sit destructa, tenetur utique jejunium servare.

Quaeritur 16. Quamdiu liceat protrahere prandium?

R. Probabiliter respondet *Tamb.* cum *Croix etc.*, licere usque ad duas horas; imo *Elbel* cum *Gobat*, concedit usque ad tres vel quatuor horas, saltem pro Germanis, juxta eorum morem; sed *Croix* merito dubitat an haec consuetudo sit approbata; nisi, ut ait, post duas circiter horas apponantur sola bellaria, vel cibi leviores; maxime si postea vesperi omittatur refectiuncula; hocque ego nec approbo, nec reprobo. - 1020.

Quaeritur. 17. An frangatur jejunium per sumptionem lactis, jusculi et similium?

R. Affirmative sive sorbeantur, sive comedantur, quia habent rationem non potus, sed cibi, ac principaliter referuntur ad nutriendum; est *commune* apud *Salm. etc.* non licet pariter poma, pira, vel etiam uvas in magna quantitate sumere; quia habent rationem cibi, etiamsi solum succum deglutias. Idem dicit *Viva* de peponibus. - 1021.

Quaeritur 18. An potus vini frangat jejunium?

R. Potio vini non est interdicta si sumatur in comestione, vel extra, ad sedandam sitim, vel ad digestionem juvandam. Hoc est certum. Sic enim docet *D. Thom.*: « Non autem intendit ecclesia interdicere sumptionem potus... licet aliquo modo nutriat.»

Quaeritur 19. An vinum sumptum extra refectionem ad sedandam famem laedat praeceptum jejunii?

R. Prima sententia affirmat; quia licet bibens vinum ad famem extinguendam non peccet frangendo jeju-

(*a*) *Et jejunium sine gravi incommodo tolerare non potest.* - *H. n.* 1.

nium, peccat tamen frustrando finem jejunii. Haec sententia est *probabilis*. Sed *probabilior* est mihi *sententia opposita*. Ratio, quia ut ipse *divus Thom.* docet, « statutum positivae legis non » attendit intentionem observantis, sed » seipsum actum, eo quod modus virtutis non cadit in praecepto, sed » est finis praecepti.» Si igitur modus virtutis seu finis praecepti non cadit sub praecepto; ergo non peccat contra praeceptum, qui modum virtutis seu finem praecepti non observat, quia utitur jure suo. Ideo talis potus non est saltem culpa gravis, et forte per se nec venialis; quia potu vini non omnino frustratur finis jejunii, sicut frustratur per sumptionem cibi, qui ab Ecclesia vetatur.

Quaeritur 20. An frangat jejunium potus cervisiae ex hordeo, et cerasis confectae, aut aquae mixtae saccharo, et succo cinnamomi, vel mali cedrini?

R. Certe si cum parva aqua magna rerum harum quantitas misceatur, jejunium frangitur: secus si parva quantitas cum magna quantitate aquae, quia tunc judicantur isti veri potus, eo quod alia quae cum aqua miscentur, ita liquefiunt, ut videantur propriam naturam amisisse. Ita *communiter Etb., Ronc., etc.* - 1022.

Quaeritur 21. An potio cocholatis frangat jejunium?

R. Prima sententia negat jejunium frangere. *Secunda* vero *sententia* docet frangere jejunium. Prima sententia *probabilior* mihi est, sub limitationibus tamen, ut infra dicam. Ratio prima quia potus cocholatis eo modo quo admittemus, licet non habeat rationem potus, cum non deserviat ad extinguendam sitim, ut certe sentio, et licet aliquo modo nutriat, habet tamen rationem medicinae, quatenus juvat ad vehendum cibum, sive ad caput ac stomachum confortandum. Unde de hoc potu idem dici potest, quod dicitur de electuariis *n.* 1019. Ratio secunda extrinseca *universalior* et forte *potior*, est consuetudo jam hodie communiter recepta, quae negari non potest. Cum vero ratione consuetudinis potus cocholatis admittatur, censeo cum *Salm.* hanc consuetudinem non adesse nisi pro uno tantum cyatho in die, non toties quoties.

Quaeritur 22. Quaenam quantitas censeatur parva, et qualis juxta usum hodie permitti possit?

R. Spectata hodierna consuetudine, *P. Milante* sic scribit: « Dico in praesentiarum esse absolute licitam cocholatis potionem in moderata sesquiunciae quantitate, idest, unciae cum dimidia, quia parvitas materiae ex consuetudine introducta ab » Ecclesia omnino excusat a culpa.» Et quidem *valde probabiliter*, dum communis usus fert, ut mihi constat, non minus quam unciam cum dimidia cocholatiis in ordinariis cyathis solere immitti. - 1023.

Quaeritur 23. An electuaria frangant jejunium?

R. 1. Electuaria dicuntur ea, quae ex electis rebus, puta ex saccharo et junipero, aut cedro conficiuntur. Non autem intelliguntur potiones de *Kaffé*, et herba *Thé*, quae omnino ad libitum quidem permittuntur, ut bene ajunt *Croix etc.* cum *communi*. 2. De praefatis autem electuariis sic docet *D. Thom.*: « Electuaria, etiamsi aliquo modo nutriant, non principaliter assumuntur ad nutrimentum, sed ad digestionem ciborum: unde non solvunt » jejunium, sicut nec aliarum medicinarum assumptio; nisi forte aliquis in fraudem electuaria in magna » quantitate assumat per modum cibi.» 3. Si sumantur electuaria ob solam delectationem, negant *Salm. etc.* laedi jejunium; modo sumantur in parva quantitate. Sed *oppositum* tenendum

eum *Conc. etc.* Ratio, quia ideo electuaria licite sumuntur in parva quantitate, eo quod cum assumuntur ut medicamentum, adest sufficiens causa excusans a veniali; cum autem sumuntur ad delectationem, deficit causa, et propterea nequeunt sumi sine culpa. Caeterum ad excusandum sufficit quaelibet rationabilis causa, licet non tam gravis, puta ad digestionem ciborum, ut ait *S. Thom.*, sive ad confortandum stomachum, ad tollendum faetorem oris, ad conservandam vocem et similia. Et sic *probabiliter* excusantur ii, qui aliquid sumunt ne vires deficiant, quando prandium differre debent ultra horam communem.-1019.

Quaeritur 24. An liceat sine fractione jejunii sumere toties quoties libuerit aliquid cibi ante potum, ne potus noceat?

R. Affirmant Pasq. etc. Sed recte *contradicunt Salm. etc.*, qui id tantum vix pro vice una permittunt. Alii vero, *Elbel* cum *communissima*, id permittunt, si non fiat frequenter.-1018. (*a*).

Quaeritur 25. An solvatur jejunium per collatiunculam?

R. Non solvitur jejunium per collatiunculam vespertinam, etsi haec non ad somnum, sed ad nutritionem ordinetur; quia consuetudo permittit. Addo *vespertinam*, quia sine causa non licet illam sumere mane vel meridie: ex justa tamen causa licet utrumque, ut si fiat ratione debilitatis, negotiorum, studiorum; sine ea erit veniale tantum, cum non violetur substantia jejunii.-1024.

Quaeritur 26. Quid permittatur in serotinia collatiuncula?

R. In serotina refectione duo spectanda sunt; quantitas et qualitas cibi. Sed hic ante omnia animadvertendum praecipue in his attendendam esse consuetudinem locorum. Certum enim est quod ubi agitur de consuetudine tam circa jejunium, quam circa omnes alias Ecclesiae leges, quibus nemo negat per consuetudinem derogari posse, auctoritas Doctorum recentiorum, licet pauciorum, qui soli de posteriori moderna consuetudine testari possunt, pluris facienda est, et sine dubio praeferenda auctoritati, etsi communiori DD. antiquorum. Igitur 1. Quoad *quantitatem*, in collatiuncula *communiter* permittuntur octo unciae cibi; attamen qui majori nutrimento indiget, poterit majorem quantitatem sumere, ut *communiter* dicunt DD.; etenim juxta *Salm. etc.* duae unciae in refetiuncula non reputantur excessus gravis, ideo excusatur a culpa, licet per duas tantum uncias coenulam excedat. Caeterum, quantitas octo unciarum ita hodie usu recepta est, ut indistincte permittatur etiam iis, qui cum illa ad satietatem reficiantur, ut dicunt *Spor. etc.* cum *communi.*-1025. 2. Quoad vero *qualitatem* cibi, hodie *commune* est posse comedi panem, fructus, oleas, herbas, et dulciaria, sed prohibentur ova, etc.-1026.

Quaeritur 27. An in coenula permittantur pisces?

R. Id *absolute negant Salm. etc.*, etiamsi pisces sint parvi et siccati; quia, ut ajunt, nullibi est haec consuetudo. Attamen *Layman* concedit pisciculum sale coctum. *Tamb.* autem tenet pisces sale coctos sive parvos sive magnos hodie vetitos non esse. Caeterum *Bon. etc. probabiliter* ajunt hodie ex consuetudine jam apud nos recepta, quam mihi confirmarunt alii docti et probi juniores, posse sumi in coenula exiguam partem, v. g. duas vel tres uncias piscis majoris.-1028.

(*a*) *Vix potest permitti semel atque iterum in die.-H. n.* 11.

Quaeritur 28. Utrum liceat sumere octo uncias panis cocti cum aqua et oleo ?

R. Prima sententia affirmat. Secunda vero *sententia tenenda negat.* Ratio prima, quia esto panis coctus in aqua naturam non mutaret, attamen hujusmodi ferculum minime est consuetudine receptum. Ratio secunda, quia revera panis per decoctionem et fermentationem cum aqua aliam naturam acquirit, et ita fit quid unum panis et aqua, ut evadat una substantia major, et ab invicem separari nequeant. Tantum ipse censeo admitti posse, ut quis actu quo se reficit, infundens panem in aqua aut vino, statim ori admoveat : quia tunc non intervenit fermentatio, et liquor deservit ad vehiculum cibi. Nec improbo quod ajunt *Salm.*, nempe quinque uncias aut saltem quatuor, ut ait *Ronc.*, panis cocti non excedere notabiliter debitam quantitatem. Quod dicitur de pane decocto, fortius videtur posse dici de leguminibus, quae minoris sunt nutrimenti quam panis.

Nota 1. *Probabiliter* etiam licitum est in coenula edere jusculum ex herbis coctis cum aqua et aceto aut oleo, aut vino decocto ; advertendo tamen cum *Viva*, quod oleum, acetum et vinum decoctum computanda sunt in pondus octo unciarum, dum haec non habent rationem potus. 1029. 2. Dispensati ad carnes, in vespertina refetiuncula uti debent eo cibo, eaque potione quibus utuntur jejunantes rectae et meticulosae conscientiae. - 1015.

Queritur 29. Quaenam materia censeatur parva in violatione jejunii ?

R. Salm. etc. dicunt materiam parvam *probabiliter* excusantem a mortali esse quoad carnem octavam partem unciae ; et quoad alios cibos quartam tantum partem collationis serotinae, sive unam vel duas uncias sumere. Si autem saepius eodem die parum sumeres, peccares graviter, quia materiae illae coalescerent in unam magnam. - 1029.

Quaeritur 30. Utrum, qui in die jejunii culpabiliter bis comedit, in notabili quantitate peccet graviter, si iterum comedat ?

R. Affirmat prima sententia. Negat vero *secunda communis* et *probabilior*, quia essentia jejunii consistit in unica comestione, et destructa essentia jejunii, cessat praeceptum. Attamen *Less. etc.* cum *communissima* dicunt id esse veniale, eo quod est contra finem legis, qui est carnis mortificatio ; et quidem *probabilius*, quia contrarie fini legis est quaedam inordinatio, quae ab omni culpa non videtur excusari (*a*).

Quaeritur 31. Utrum, qui inculpabiliter bis comedit in die, teneatur abstinere a tertia refectione ?

R. Negant Bon. etc., quia, ut dicunt, adhuc in casu inadvertentiae jam destructa est essentia jejunii. Sed *affirmant Azor. etc.*, quia is qui jejunium inadvertenter fregit, materialiter tantum fregit, et non formaliter ; unde cum primum advertit ad jejunii legem, tenetur illam servare ne formaliter laedat (*b*). Utraque sententia est *probabilis :* sed juxta dicta in praecedente quaest. prima videtur *probabilior.*

Quaeritur 32. An liceat cauponibus

(*a*) Nota. *Si quis frangit jejunium, manifestare debet Confessario quomodo violavit illud, an pluries comedendo, an carne vescendo ; nam quoties quis vescitur carne aut lacticiniis, toties peccat ; dum e contra si comedat cibos communes pluries in quantitate notabili, non amplius tenetur ad jejunium. Ita* communiter *tenent* Azor., Caj., Suar., Tol. etc. - *H. n.* 20. — (*b*) *Hoc est* probabilius - *H. n.* 20.

*

in die jejunii indiscriminatim ministrare omnibus cibos et carnes ?

R. Affirmat Viva cum *communi*, etiamsi dubitent an aliquis petens excusetur, quin cum interrogent ; quia in dubio nemo praesumitur malus, et hoc admittimus. Vide etiam *Tract. de Virtut. Theol. n.* 69. - 1030. (*a*).

(*a*) Sacrae Congregationis responsa quaedam recentiora circa jejunium.

1. *Ad quaesitum : Utrum in diebus jejunii possit inverti tempus comestionis, sumendo serotinam refectiunculam intra horam X et XI matutinam, prandium vero differendo ad IV vel V horam vespertinam ;*

Sacra Poenitentiaria (*die* 10. *jan.* 1834.) *respondendum censuit, si inversionis supradictae rationabilis aliqua extat causa, Poenitentes, qui hoc more utuntur, non esse inquietandos.*

2. *Ad quaesitum : Se i padri di famiglia, quando nella stessa casa si trovi a stare una persona a cui sia stato concesso di mangiar carne, possano stendere questa concessione indistintamente a tutti gl' individui di questa famiglia ;*

Sacra Poenitentiaria respondendum censuit, infirmitatem et aliud quodcumque rationabile impedimentum de utriusque medici consilio, non vero gulam, avaritiam, sive generatim expensarum compendium, eximere posse a praecepto abstinentiae in diebus esurialibus.

3. *Ad quaesitum : Se in quaresima, quando il capo di famiglia ebbe permissione di mangiar carne, e ch' egli non possa o non voglia imbandir due desinari, uno di carni, l' altro di magro, i figliuoli di famiglia e le altre persone addette a' suoi servigi possano anch' esse mangiar carne ;*

Sacra Poenitentiaria (*die* 16. *jan.* 1834.) *respondendum censuit, posse personis quae sunt in potestate patris familias, cui facta est legitima facultas edendi carnes, permitti uti cibis patri familias indultis ; adjecta conditione de non permiscendis licitis atque interdictis epulis et de unica comestione in die iis, qui jejunare tenentur.*

4. *Ad quaesitum : Un Confessore domanda a Vostra Santità se per le persone che hanno ottenuta la permissione di mangiar carne ne' venerdì e sabbati dell' anno, ne' quali non v' è obbligazione di digiunare, la mescolanza di vivande sia permessa, non ostante la risposta data da Benedetto XIV. all' Arcivescovo di Saragozza per mezzo della Segretaria de' memoriali il* 5. *gen.* 1755 ;

Sacra Poenitentiaria (*die* 15. *feb.* 1834.) *proposito dubio diligenter perpenso, factaque relatione Sanctissimo Domino Gregorio XVI., de ipsius Sanctitatis suae mandato respondet, Permitti.*

5. *Ad quaesitum : Utrum in diebus jejunii, permissis lacticiniis, cui propter infirmitatem licitus est usus carnium, interdicta sit promiscuitas carnis et piscium ;*

Sacra Poenitentiaria (*die* 8. *jan.* 1834.) *respondit, affirmative nempe non licere ejusdem promiscuitatem.*

6. *Ad quaesitum : Utrum lege vetitae permixtionis cum carnibus comprehendantur pisces sale siccati* (*vulgo* salumi ; *id est* alici, mosciame, caviale, aringa, tarantella,) *aliaque his similia, an potius misceri possint ad instar condimenti alterius ferculi ;*

Sacra Poenitentiaria (*die* 16. *jan.* 1834.) *respondit : Pisces sale sicca-*

CAPUT II.

DE CAUSIS JEJUNIO EXCUSANTIBUS.

Quatuor sunt causae excusantes a jejunio, scilicet: 1. Dispensatio. 2. Impotentia, sive physica sive moralis, seu quando jejunium non sine gravi incommodo, sive sine magna difficultate, quae magno incommodo aequiparatur, sustineri potest. 3. Labor. 4. Pietas.

tos . . . . vetari miscere cum carnibus, quoties carnis et piscium mixtio vetita sit.

7. *Ad quaesitum: Utrum tempore jejunii, cui licitus est usus carnium liceat miscere testacea marina, quae improprie* fructus maris *dicuntur, sed vulgo pisces censentur* (*id est* ostriche, telline, patelle, cannolicchi, cappe, granchi *etc.*).

Sacra Poenitentiaria (*die* 16. *jan.* 1834.) *respondit: Testacea marina, quae improprie fructus maris dicuntur, sed vulgo pisces censentur, vetari miscere cum carnibus, quoties carnis et piscium mixio vetita sit.*

8. *Ad quaesitum: Le persone a cui è stata concessu la dispensa per riguardo alla qualità delle vivande, possono nei giorni di digiuno, per bene della loro salute, usar della sola minestra di brodo, e pel resto far magro, a fin di mantenere quanto si può la legge dell' astinenza;*

Sacra Poenitentiaria (*die* 8. *febr.* 1828.) *attente consideratis expositis respondet, Affirmative.*

9. *Coloro, che o per età, o per fatiche laboriose non sono obbligati al digiuno, ma possono mangiare più di una volta al dì, qualora per bolla della Crociata, o per indulto generale siano dispensati a mangiar carni o latticinj, potranno mangiar carni, e latticinj tutte le volte, che nel corso della giornata hanno bisogno di mangiare? E ciò stesso possono similmente gli obbligati* ad unicam comestionem *nei giorni di Domenica di Quaresima?*

Sacra Poenitent. de mandato fel. record. Pii Papa VIII. respondet, fideles, qui ratione aetatis, vel laboris jejunare non tenentur, licite posse in Quadragesima, cum indultum concessum est, omnibus diebus indulto comprehensis, vesci carnibus, aut lacticiniis per idem indultum permissis quoties per diem edunt. Dat. Rom. in S. P. die 16. *Januar.* 1834.

10. *Quando per la Crociata, o per altro motivo si concede l'indulto per lo strutto a solo titolo di condimento, si può questo usare sotto tale rapporto nella refezione della sera in giornate di digiuno, v.g. friggendo con esso qualche pesce?*

Sacra Poenitent. De expresso S. M. Pp. Leonis XII. oraculo respondet, quod ii, qui ad jejunium tenentur, licite uti possunt in serotina etiam refectione condimentis in indulto permissis, quia illa, vi indulti, olei locum tenent, dummodo in indulto non sit posita restrictio, quod ea condimenta adhiberi possint in unica comestione. Dat. Rom. in S. P. die 16. *Januar.* 1834. *E. Card. de Gregorio M. P.*

Hac evulgata declaratione, non defuere qui hoc dubium ad eamdem S. C. exposuerint: Genuina necne est haec Leonis XII. declaratio?

S. Poenitent. respondit die 28. *Martii* 1836. *Declarationem de qua in casu vere existere, eamque eos respicere, quibus ob olei caritatem Sanctitas sua laridi, et sagiminis usum condimentorum loco permittit. Quoad eos*

Unde :

I. *Dispensare* possunt sequentes :

1. *Papa* habet potestatem dispensandi a jejuniis in universam Ecclesiam, et quidem valide etiam sine justa causa, quamvis non licite. Nam, dispensando sine causa, plures censent Papam peccare graviter, ut *Concina etc.* Sed *satis probabiliter* dicunt tantum peccare venialiter *Sanch. etc.* modo tamen scandalum, vel aliud damnum absit. Ratio, quia eo quod non omnes conformentur in observantia legum humanarum, non videtur tam gravis inordinatio ut damnetur de mortali.

2. Episcopi possunt etiam dispensare cum subditis suis pro casibus occurrentibus (*a*); sed non nisi ex justa causa, alias dispensatio erit nulla. Si vero causa non videatur omnino sufficiens ad dispensandum, vel dubitetur an sufficiat, poterit Episcopus partim dispensare, et partim commutare jejunium in aliud pium opus. Vicarii autem Episcoporum non possunt dispensare, nisi ex speciali facultate ipsis concessa. Neque possunt dispensare Abbatissae, aliaeque Superiores monialium, cum ipsae nullam habeant jurisdictionem spiritualem. Vide *Tract. de Praecep. part. n.* 53 et 61.

8. Parochi, licet dubitetur inter DD. an ex vi juris communis possint dispensare in jejuniis, jure tamen consuetudinis certe id possunt ex justa causa cum suis subditis particularibus, non vero pro tota Parochia. Ita *communiter Laym. etc.* Imo valde probabiliter possunt Parochi in iis dispensare, etiam praesente Episcopo ; quamvis enim Parochi de jure hanc jurisdictionem non habeant, habent tamen ex consuetudine, quae satis potest jurisdictionem tribuere, *ex C. contingat de Foro.* Id possunt etiam Vicarii Parochorum, qui exercent actus parochiales jurisdictionem exigentes, nisi Parochi expresse repugnent. *Salm. etc.*

4. Possunt etiam dispensare cum suis subditis, et adhuc cum semetipsis, omnes Praelati Religiosorum etiam inferiores, atque Vicarii Superiorum localium. Ratio, quia regulares Superiores veram habent jurisdictionem spiritualem in subditos suos, ut eis provideant in illis, quae ad ipsorum bonum regimen pertinent (*b*).

Hic autem maxime advertenda est de omnibus hujusmodi facultatem dispensandi habentibus doctrina *communis*, quam tradit *D. Thom*, nimirum : « Si causa sit evidens, per se ipsum » licite potest homo statuti observan» tiam praeterire, praesertim consue» tudine interveniente, vel si non posset » de facili recursus ad Superiorem ha» beri. Si vero causa sit dubia, debet » aliquis ad Superiorem recurrere, qui » habet potestatem in talibus dispen» sandi. » - 1032.

II. Ex impotentia *physica* excusantur :

1. Infirmi, quibus jejunium timetur posse notabile damnum afferre. Hinc, dicunt *Elbel etc.* quod, si quis sibi persuadeat ex experientia, vel ex pro-

vero qui gratioso Cruciatae diplomate gaudent, eadem S. Poenit. respondet cum PP. Bened. XIV. (in Encyclica ad Archiep. Compost.) illius tenorem stricte, et considerate perpendant, ex ejusque sententia se gerant. Caveant autem ne inani quapiam excusatione sese solutos esse arbitrentur praescriptis ibi legibus. (E. N.)

(*a*) *Nam ad dispensandum cum integra Communitate circa qualitatem ciborum, Sedi Apostolicae reservatum est - H. n.* 22. — (*b*) *Isti Superiores nominati, excepto Papa, nequeunt dispensare nisi ex justa causa, alias dispensatio est irrita. - H. n.* 22.

babili ratione jejunium graviter nociturum, non tenetur jejunare. Et ideo etiam excusantur qui laborant febri tertiana vel quartana, vel qui ab ea immediate convaluerunt. Item debiles qui una vice alimentum sufficiens non possunt sumere. Item praegnantes, et lactantes, quibus aliquando permittuntur etiam carnes, si puer sit infirmus aut ei immineat periculum infirmitatis, vel si mater sit debilis. Imo praegnantes (*a*) peccarent, si pluries jejunarent, secus, si unum vel alterum jejunium aliqua mulier robusta ferre vellet.

2. Pauperes, qui non habent prandium perfectum pro unica congrua refectione. Ita *communiter Less.*, *Sanch. etc.* Hinc *valde probabiliter* dicunt *Sanch. etc.* quod, si quis non haberet nisi panem et legumina, aut herbas, non teneretur ad unicam refectionem, licet enim esset is ad hujusmodi obsonia assuetus, tamen ideo se sufficienter sustentat, quia pluries in die, et pluries in magna quantitate se reficere solet iis cibis, qui sunt modicae nutritionis. - 1033.

Ex impotentia *morali* excusantur :

1. Ii quibus jejunium affert gravem capitis dolorem. *Holz.*, *Elbel etc.*

2. Ii qui jejunando non possunt noctu calefieri, vel per notabile tempus somnum capere, ut *communiter* docent DD. An autem eo casu isti teneantur mane sumere collatiunculam, ut sero possint comedere, et sic servare jejunium? *Affirmant Ronc. etc. Sed valde probabiliter id negant Elbel., Tamb. etc.*; quia dilatio comestionis usque ad vesperam revera medium est non solum extraordinarium, sed grave afferens incommodum, cum in eo non leve perferatur incommodum, qua ratione derogatum est antiquae disciplinae, quae olim tam rigorose fuit observata.

3. Milites, sive sint in castris, sive in hospitiis. Ratio, tum quia ipsi magnos labores perferunt; tum quia statis horis non possunt comedere, nec congruum habent cibum pro jejunio.

4. Uxores, quae alias jejunando magnam paterentur indignationem a viris; modo jejunium non prohibeatur a viro in contemptum Religionis vel praecepti Ecclesiae.

5. Viri, si jejunando non possunt uxoribus debitum reddere; quia praeceptum justitiae, debet prevalere praecepto humano jejunii. *Sanch.*, *etc.* Sentit *Conc.* teneri virum prius precibus hortari conjugem ut a petendo desistat; si tamen hoc omitteret, non putarem eum peccare, saltem mortaliter. Si autem vir servans hoc Ecclesiae praeceptum, vel alia jejunia moderata ex devotione faciens, reddatur minus potens ad debitum reddendum, non tenetur ab eis abstinere, quia non tenetur cum spirituali jactura illa omittere ut potentiorem se reddat. *Sanch.*, *Soto*, *etc.* Non autem excusantur conjuges a jejunio, si cum illo debitum petere non possint. *Tamb.* tamen *probabiliter* excusat conjugem advertentem in altero, nisi petat, periculum incontinentiae, vel gravem suspicionem concipere, quod ipse adulterator fuerit, vel aliam diligat. - 1034.

6. Adolescentes usque ad annum vigesimum primum completum. Hi enim indigent majori et crebrieri cibo, tam ad augumentum naturae, quam ad vires solidandas. Si adoloscens compleret hanc aetatem hora tertia vel nona, *probabilius* teneretur eo die jejunare. - 1035.

7. Senes.

III. Omnes artes, quae exerceri non possunt nisi cum ingenti corporis agitatione, a jejunio excusant, eo quod in eis multi spiritus consummuntur.

(*a*) *Aut lactantes* - *H. n.* 23.

Unde :

1. Hujusmodi artes laboriosas exercere et a jejunio excusari, ex *communi* sententia dicuntur Fossores, Agricolae, Nautae remigantes, Fabri lignarii, ferrarii et murarii, Cursores, Sutores qui calceos conficiunt, non vero qui coria scindunt; Pistores, Coqui plures dapes et multis personis praeparantes, si fere per diem laborent; secus, si pauca fercula parent, vel tantum praesideant inferioribus ministris; Typographi praelum versantes, non vero typos componentes; Famuli, qui vehementer tota die incumbunt majoribus laboribus, non vero ancillae lanam aut linum nentes, aut similia levia servilia domus exhibentes; Secantes lapides, Percursantes urbem ad vendendas merces, Ornantes Templa, scalas circumferendo, etc. *Tamb.* autem bene advertit omnes hos laborantes non excusari a jejeunio, nisi laborent saltem per majorem diei partem, non vero si per duas vel tres horas.

2. Barbitonsores *communiter* non excusantur. Excipe, nisi aliquis artem suam sine refectione exercere non valeret propter laboris molestiam, vel propter complexionis debilitatem. *Palaus etc.* excusant Sartores; sed hoc non admittendum, nisi ipsi peculiari debilitate laborent, vel nisi aliquando deberent extraordinario labore etiam per magnam noctis partem suere, ut evenire posset, si aliqua festavitas immineret, et non possent necessarias vestes conficere.

3. Pictores et Scribae sive Notarii non excusantur, nisi labor sit talis, ut non possit exerceri cum jejunio, sine magna difficultate. Neque Horologiarii; sed excipe eos qui magna horologia conficiunt, ad quae construenda magnis viribus opus est.

4. Alii absolute excusant Molitores, Argentarios, et Sculptores; at *Concina* hos non excusat, nisi ob debilitatem personae. Sed melius puto dicendum in his attendi debere qualitatem laboris, an sit gravis, et cum jejunio incompatibilis. Regula enim *communiter* recepta est, quod qui sine magno incommodo nequit aliquam artem, etsi per se non laboriosam, exercere vel propter debilitatem personae, vel propter aliam peculiarem circumstantiam, is non tenetur ad jejunium. - 1041.

5. Ratione pariter laboris excusantur a jejunio iter facientes pedestre per majorem diei partem; Muliones, et Agasones pedestres mulas, aut asinos ducentes. Hoc tamen intelligitur, 1. nisi persona, completo itinere, et alia refectione non sumpta in notabili quantitate, jam postea satis se reficiat; tunc enim nequit secundam comestionem facere, nisi die sequenti iter prosequi deberet. Intelligitur 2. nisi iter commode differri possit, ut docet *D. Thom.* Quando autem incoepto itinere, jejunii dies intercurrit, non tenetur itinerans ab illo desistere ut jejunet, uti docent *Sanch. etc. communiter.*

IV. *Communiter* docent DD. propter causam pietatis posse hominem jejunium omittere, scilicet ob peragendam aliam piam Charitatis aut Religionis operam, quae sit majoris boni, quam jejunium. Ita *Salm.* cum aliis passim ex *S. Thom.*, unde excusantur sequentes :

1. Qui pluribus infirmis cum magno labore inserviunt in Hospitalibus, aut Monasteriis.

2. Peregrinantes ad loca sacra, modo ipsi vero zelo peregrinationem suscipiant, in magnum Dei honorem, aut magnam aedificationem communem, nempe si sint personae gravis auctoritatis, vel si peregrinatio vertat in magnam ipsius peregrini spiritualem uti-

litatem. *Sanch., Salm. etc.* (*a*). Quando vero peregrinatio jam suscepta fuit, et interim dies jejunii occurrit, non est obligatio intermittendi eam ut jejunium servetur.

3. Concionatores, qui praedicant quotidie sive frequenter in Quadragesima, quia actio concionandi est valde laboriosa, tum propter studium ad id necessarium, tum propter corporis agitationem. Et hoc maxime locum habebit pro Missionariis, qui diebus Missionis cum vehementi agitatione concionantur. Caeterum decet quidem Concionatores omnes, qui non solum verbo, sed etiam exemplo debent praedicare, ut quantum fieri potest, ad aedificationem populorum jejunia satagant observare, ut faciunt qui perfectionis amantiores sunt. Qui vero tantum ter vel quater in hebdomada conciones habent, excusantur si cum magno fervore concionantur, et ob corporis agitationem, et applicationem mentis ita debiles evadant, ut nequeant jejunium perferre; et hoc etiamsi ipsi concionentur causa lucri.

4. Cantores sive musici, qui jejunium observando vocem amitterent, nec possent suum officium exercere.

5. Lectores scientiarum, qui magno studio et labore indigerent: non vero qui dictant lectiones jam prius ordinatas, et saepius repetitas. *Sanch.* dicit Lectores Grammaticae excusari, si in die quatuor legant lectiones; sive si docent per quinque horas. *Palaus* autem et alii apud *Croix*, dicunt Magistros Grammaticae, qui per quatuor horas docent, non teneri jejunare plusquam tribus diebus in hebdomada.

6. Advocati, qui cum jejunio non possent satisfacere suis clientibus, propter studium quo indigent. Idem ajunt *Salm.* de Judicibus, qui egent studio ad sententias ferendas. Idem dicunt *Spor. etc.* de Medicis et Confessariis, qui magno indigent studio, ut suis infirmis aut poenitentibus satisfaciant: hi enim licet non egeant majori cibo, cum labor sit mentis, opus tamen habent cibo frequentiori, ut in eis reparetur spirituum consummatio.

7. Confessarii causa Confessionum excipiendarum *communiter* non excusantur, nisi extraordinarium laborem habeant, nempe si Confessiones audiant fere per totum diem, puta per septem, vel octo horas. Ita *Palaus etc.* Sed melius *Sanch. etc.* ad eos excusandos, ultra laborem extraordinarium requirunt, ut ipsi sint ita debiles, ut cum jejunio non possint satisfacere frequentiae poenitentium. *Tamb.* notat quod praedicti Professores, Lectores, Cantores, Advocati, Medici, et Confessarii non per se, sed tantum per accidens a jejunio excusari possunt, nimirum, si ratione alicujus gravis circumstantiae suis officiis jejunando non possint satisfascere. Et hoc maxime advertendum in hac materia; nam ubi labor per se excusat, in dubio praesumptio stat pro exemptione jejunii; e converso, ubi labor non per se, sed per accidens, nempe ob aliquam circumstantiam debilitatis personae, vel gravitatem laboris excusat; in dubio praesumptio stat pro obligatione jejunii. - 1049.

Quaeritur 1. An sexagenarii indistincte sint ab obligatione jejunii immunes?

R. Communiter docent DD. sexagenarios excusari in dubio de validitate virium, nisi oppositum constet. Ratio, quia in istis praesumptio in dubio stat pro imbecillitate virium, ut a jejunio excusari censeantur.

Quaeritur 2. An teneatur jejunare sexagenarius, qui certe robustus invenitur?

R. Prima sententia affirmat. Haec

(*a*) *Modo eam non possint commode differre - H n.* 34.

sententia est *probabilis*. Sed *non minus probabilis* est *sententia opposita*, quam tenent *Sanch.*, *Ronc.*, *Escob.*, *Viva*, *Salm. etc.* Ratio, tum quia sic fert universalis consuetudo, tum quia alias esset res multis scrupulis obnoxia, examinare an aliquis sexagenarius sit vel ne sufficienter robustus ad jejunium sustinendum ; et ratio potior, quia hujusmodi senes tam ob virium imbecillitatem, quam ob defectum caloris, nequeunt simul alimentum sufficiens sumere, egentque cibo frequentiori. Et licet nonnulli in tali aetate robusti videantur, eorum tamen robur est de facili illusivum et inconstans, cum negari non possit in hujusmodi senibus vires deficere et prolabi in interitum, ita ut si in morbum incidant, difficulter perfecte convalescant. Hinc commune adagium prodit : *Senectus ipsa morbus est.*

Quaeritur 3. An autem annus sexagesimus debeat esse completus ad excusandum ?

R. Affirmant Spor. et Elb. Sed alii dicunt sufficere ut sit inchoatus; quia *communiter* dicitur sexagenarius, qui annum sexagesimum inchoavit. Ita *Viva*, *Mazz. etc.* - 1036.

Quaeritur 4. An excusentur a jejunio feminae quinquagenariae ?

R. Prima sententia affirmat. Secunda vero *negat*, nisi adsit specialis circumstantia infirmitatis, vel debilitatis. Primam sententiam non audeo improbare, sed neque audeo *probabilem* dicere, dum video illam a *Laym.*, *Tamb. etc.* omnino rejici, et *Dianam* dubitare de sua probabilitate. - 1037.

Quaeritur 5. An qui voverit jejunare, puta semel in hebdomada toto vitae suae tempore, teneatur ad jejunium in aetate sexagenaria ?

R. Prima sententia negat, nisi quis expresse voluerit se obligare ad jejunandum post sexagesimum annum. *Secunda* tamen *verior sententia affirmat* teneri, nisi adveniat specialis ratio debilitatis. Secus autem dicendum, si quis voveat sine tali expressione et non advertat ad aetatem sexagenariam - 1038.

Quaeritur 6. An Religiosi sexagenarii excusentur a jejuniis Regulae ?

R. Affirmant Spor. etc. Sed *negant Azor. etc.* Ego distinguendum puto, et dico non excusari, si in Regula, quam Religiosi profitentur, expresse promittatur observantia usque ad mortem. Secus, si promissio sit sine illa clausula : *usque ad mortem.* - 1039.

Quaeritur 7. An jejunium subrogatum voto castitatis obliget voventem post sexagesimum annum ?

R. Negant Tamb. Affirmat vero La Croix. Cum res sit valde dubia, putarem hunc teneri ad impetrandam dispensationem, pro qua aetas illa est quidem sufficiens causa. - 1040.

Quaeritur 8. Quale iter, communiter loquendo, sufficiat ad excusandum?

R. *Pasq.* dicit satis esse iter septem milliarium, id est, duarum leucarum et mediae. Sed haec opinio ab aliis non recipitur, qui *probabiliter* dicunt requiri ad excusandum saltem iter quatuor vel quinque leucarum. Si tamen via esset tam ardua, aut tempus tam asperum, aut si itinerans esset adeo debilis, vel itineri non assuetus, ut non posset jejunare sine magna difficultate, ob has causas aliquando posset eum excusare a jejunio iter etiam sex milliarium vel minus.

Quaeritur 9. An iter facientes equis vel rhedis, excusentur a jejunio ?

R. Communiter DD. excusant qui sic itinerantur per plures dies. *Viva* tamen et *Laym.* requirunt ut tale iter sit saltem per octo dies; sed hoc videtur nimis rigidum. Bene autem advertit *Viva*, quod hujusmodi itinerantes sine magno incommodo posse jejunare. Praeterea, recte dicunt *Croix etc.* posse aliquando excusare iter etiam

unius diei, si agendum esset cum magna defatigatione, ut evenit cursoribus; vel si aequitans sit debilis, aut tempus sit asperum, vel iter arduum, aut extraordinarium. Iter autem octo vel decem leucarum putant non esse extraordinarium *Salm. etc.* Merito autem hic notat *Viva*, quod itinerantes, si non habeant cibos quadragesimales sufficientes ad sustentandum, potius debent refici lacticiniis, adhuc in quadragesima, et servare jejunium, quam aliis legalibus cibis levioribus vesci, et jejunium frangere, quia observantia jejunii praestat abstinentiae a lacticiniis. - 1047.

Quaeritur 10. An Artifices divites, qui ex officio exercent artes laboriosas, peccent, si in die jejunii labores assumunt?

R. Prima sententia probabilis affirmat, quam tenent *S. Antonin.*, *Conc. etc.* Verum *secunda communis sententia*, quam tenent *Sylvest.*, *Nav.*, *Salm. Viva*, *Conc. etc.* dicit hos non peccare, quamvis non indigeant pro sui vel suorum sustentatione. Probatur 1. ex decreto, sive Oraculo vivae vocis prolato *ab Eugenio IV*, anno 1440. - 2. quia valde interest Reipublicae ne causa jejunii, operarii intermittant exercere artes, quibus ex suo officio incumbunt. - 1042.

Quaeritur 11. An Artifices qui laborando sine gravi incommodo jejunare valent, teneantur ad jejunium?

R. Primo sententia negat. Ratio, tum quia consuetudo *communiter* a jejunio eximit omnes, qui laboriosas artes exercent; tum quia ab *Eugenio IV.* in praefata Declaratione omnes hi fuerunt dispensati. *Secunda* vera *sententia affirmat* teneri, modo tamen sit manifestum quod ipsi jejunando grave non subeant incommodum, cum ex una parte lex universe obliget omnes qui valent cum levi incommodo jejunare; et ex altera satis non constet *Eugenium* voluisse cum eis dispensare. Secus vero dicendum si dubium sit an jejunando grave perferant incommodum, quia ex communiter contingentibus, in dubio praesumitur jejunium non esse compatibile cum artibus laboriosis. Haec secunda sententia, speculative loquendo, videtur *probabilior*, sed in praxi vix reperietur unus qui ex hujusmodi labore non graviter relaxetur. - 1043.

Quaeritur 12. An excusentur a jejunio exercentes artes laboriosas in diebus, quibus vacant a labore?

R. Commune est inter DD., quod ii qui uno vel altero die non laborant, non tenentur jejunare; quia in primo die excusantur ad reficiendam lassitudinem propter laborem assumptum in die praecedenti; in altero, ad servandas vires propter labores in subsequenti die assumendos. Attamen, si quis posset in illis duobus diebus sine gravi incommodo jejunare, distinguendum puto ut in praecedenti quaestione; nempe quod si manifeste ipse grave incommodum ex jejunio non sustineret, teneretur jejunare. Secus, si non manifeste: in dubio enim excusatur, quia ex communiter contingentibus praesumptio stat pro necessitate alimenti, ut vel reficiatur a labore exercito, vel idoneus reddatur ad laborem exercendum. - 1044.

Quaeritur 13. An qui laborem assumit, ut eximatur a jejunio, excusetur a culpa?

R. 1. Non videtur dubitandum, quod hic postquam graviter est defatigatus, etiam malo fine et etiamsi praeviderit defatigationem illam fore incompossibilem cum jejunio, ad illud non tenetur, ut *communissime* docent *Laym. etc.*, quia jam ille est factus moraliter impotens ad jejunandum. 2. Sed *omnino* est *affirmandum* cum sententia *communi*, quod ille contra jejunii praeceptum peccet, impedimentum apponen-

do; quia licet is non peccet contra praeceptum jejunii, omittendo jejunium post defatigationem, peccat tamen, quia operatur in fraudem praecepti; omnis enim lex obligat ne quid fiat data opera, ut lex eludatur. - 1045.

Quaeritur 14. An peccent contra legem jejunii, qui sine justa causa laborem assumunt, quamvis non in fraudem praecepti?

R. Negant Ronc., Bon., etc. Sed *oppositum* pariter omnino tenendum, ut censent *Laym., Sanch. etc.* Notat autem *Sanch.* cum aliis, quod si quis non ad recreationem, sed ad finem utilem, licet non necessarium, assumit laborem, non peccat contra praeceptum jejunii, si postea non jejunet. Et idem ait de itinerante ex aliqua causa honesta, etsi non necessaria. Sed his non universe acquiesco; praesertim si sola delectationis causa iter, sive alius labor suscipiatur. Caeterum *probabiliter Elbel etc. communiter* excusant a culpa eos qui, licet ex proprio officio non laborent, attamen laborem aliquem magnum assumunt ob rarum lucrum. - 1046.

Quaeritur 15. An opera a jejunio excusantia possint suscipi sponte, et non ex officio, vel obedientia?

R. Negant Sylv. etc. Sed *probabilius affirmant Sanch. etc.* Idque expresse docet *D. Thomas*, modo, intellige, opera illa ex justa causa assumantur, et differri non possint. - 1048.

Nota quamdam doctrinam, quam tradunt *Spor., Laym. etc.* quod, si quis non habeat causam absolute sufficientem ad eum excusandum a jejunio Quadragesimali, et aliqua ratio ipsi probabilis et justa appareat, qua tantum bis vel ter in hebdomada jejunet, non est urgendus ad jejunandum, etiamsi causa illa non omnino sufficiat, sed relinquendus in sua bona fide, ne ipse forte deinde omnia jejunia culpabiliter omittat. - 1049.

Quaeritur 16. An Peregrinus teneatur ad jejunium, quod servatur in loco ubi reperitur non permanenter, sed per aliquod tempus, aut transeunter? Et quid, si sibi non servetur jejunium quod servatur in Patria?

R. Vide dicta *in Tract. de Leg., n.* 156. - 1050.

TRACTATUS XV.

DE JUSTITIA.

De Justitia et Jure, de Injustia et Restitutione.

PARS I.

DE JUSTITIA ET JURE.

1. Justitia definitur: *Virtus moralis firmans voluntatem, ad perpetuo tribuendum unicuique jus suum, seu quod ipsi jure debetur ad aequalitatem.*

Justitia dividitur in Legalem, Distributivam et Commutativam.

Justitia *Legalis* est illa, quae firmat voluntatem privatorum ad tribuendum ipsi communitati debitum; nimirum, procurando bonum commune, illudque praeponendo suo bono privato. Justitia *Distributiva* est illa, quae firmat voluntatem eorum qui Communitati praesunt, ad distribuenda civibus bona communia, nempe officia, munera, etc. pro ipsorum meritis, poenas pro demeritis, et onera communia pro ipsorum viribus, ita ut servetur aequitas geometrica. Justitia *Commutativa* est illa quae firmat voluntatem privati ad reddendum alteri privato jus suum, seu id quod ipsi stricte debetur ad aequalitatem arithmeticam, seu valoris rerum juxta hominum aestimationem, ut tantum domino reddatur, quantum ab eo surreptum, vel quantum damnum ei illatum est.

2. Jus recte definitur: *Potestas legitima disponendi de re tanquam no-*

stra, cujus potestatis laesio voluntaria, nobis rationabiliter invitis, vera est injuria.

Jus dividitur in *jus in re*, et in *jus ad rem*. Jus *in re*, est quando res ipsa habetur obligata, et ideo tribuit rei vindicationem, seu actionem in rem ipsam. Jus autem *ad rem* est quando res nondum est obligata, sed tantum jus habetur ad eam acquirendam; ideo jus *ad rem* tribuit tantum actionem personalem contra impedientem acquisitionem rei. - 486.

Variae sunt juris species, nempe dominium, et ususfructus. De quibus hic.

CAPUT I.

DE DOMINIO.

De Dominii Natura et Divisione. De ejus Objecto. De Modis quibus acquiritur.

ARTICULUS I.

De Dominii Definitione et Divisione.

Dominum est *jus in re, complectens potestatem disponendi de ipsa tanquam sua,* nisi prohibeatur vel lege vel pacto.

Dominium, aliud dicitur *altum*, et est jus quod habet communitas in bona et operas privatorum, de quibus, exigente bono communi, potest dispensare. Aliud *humile*, quod quisque privatus habet disponendi de rebus suis in propriam utilitatem.

Dominum humile dividitur in *plenum* seu perfectum, quod est jus disponendi de re, et de omnibus ejus commodis seu fructibus. Et in *imperfectum*, quod est jus disponendi vel de sola re, vel de solis hujus fructibus.

Unde, subdividitur in *directum*, quo habetur sola rei proprietas, quale dominium habet uxor in bona dotalia; et in *utile*, quod sola rei commoda et fructus complectitur; quale est dominium mariti in bona praedicta uxoris. - 487.

ARTICULUS II.

De Objecto Dominii.

De Dominio Filiorum, Uxorum, Clericorum.

§. I. - *De Dominio Filiorum.*

Filiorum peculium quadruplex est: Castrense, quasi Castrense, Profectitium et Adventitium.

1. *Castrense* dicuntur bona illa, quae filius acquirit in castris et in militia, sive haec sint debita ut stipendia, sive haec sint acquisita donatione a Praefectis militiae, vel a Parentibus, aut ab aliis occasione militiae. *Less., Lugo.* De his filius habet plenum dominium.

2. *Quasi Castrense* dicuntur bona quae filius acquirit in Officiis publicis, Judicis, Advocati, Lectoris, Medici, etc. De his pariter filius habet plenum dominium.

3. *Profectitium* sunt bona, quae proficiscuntur de rebus paternis, et filius lucratur in ipsis negotiando. De his Pater habet plenum dominium.

Nota. Bona profectitia etiam dicuntur, illa quae donantur filio intuitu patris: secus vero si donantur filio intuitu sui ipsius, etsi occasione Patris filius cognitus sit a donante. In dubio autem an aliquid sit donatum intuitu patris, vel filii, erit totum filii, si ipse bona fide incoeperit possidere; alias dividendum pro rata dubii. Bona vero donata filio a Patre in patrimonium ad suscipiendos Ordines sacros, non sunt numeranda inter profectitia, sed bene sunt conferenda cum aliis fratribus, cum ille haereditatis portionem exposcit. *Lugo etc.*

4. Peculium tandem *Adventitium*, sunt bona quae filiis proveniunt aliunde quam ex bonis paternis, vel intuitu Pa-

tris acquisitis. Horum bonorum filius proprietatem habet, Pater vero acquirit usumfructum, etiamsi sint bona majoratus. *Lugo.* Quandoque tamen filius etiam talem usumfructum acquirit, nempe 1. quando praecise ususfructus donatur filio, vel donatur aliquid filio, Patre contradicente. 2. Si filius una cum Patre succedit in haereditatem fratris vel sororis. *Less., Lugo.* 3. Addit *Lugo*, si filius accipit dotem, Patre se non obligante. Exceptis autem his casibus, filius de bonis adventitiis non potest dispensare sine consensu Patris, nec testari, etiam cum ejus consensu, nisi ad causas pias. Potest tamen universe testari de castrensi peculio. Ususfructus autem peculii adventitii erit Patris quamdiu vivit, etiamsi filius exierit a patria potestate, nisi filius electus sit ad magnam dignitatem: tunc enim totus ususfructus pertinet ad filium. Si vero Pater emancipet filium, dimidia pars ususfructus erit patris, et dimidia filii. Hoc intelligitur tamen, si emancipatio fuerit voluntaria patris, nam si filius emancipetur ratione matrimonii, tunc ususfructus erit totus filii; si vero ratione status religiosi a filio assumpti, ususfructus erit totus patris.

Notandum 1. Quod si pater permittat filio ut discedat e sua domo, non censeatur remittere praedictum usumfructum, nisi filius dimittatur ad quaerendum sibi victum, vel nisi filius, vidente et tacente Patre, fructus expendat. 2. Quod si bona sint usu consumptibilia, tunc pater possit de illis disponere cum obligatione reddendi filio tantumdem. *Lugo, Mol. etc.* (*a*).

Quaeritur 1. An quod lucratur filius ex bonis paternis, sit totum et semper profectitium?

R. Affirmant Syl., Azor. Dicunt

(*a*) *Filius familias dicitur Filius legitimus, qui nondum attigit annum majoritatis, nec per emancipationem a paterna potestate est liberatus. Majoritas autem est ad viginti et unum annos completos. Cod. novis.* Art. 441. *Filius autem minor emancipatur ipso jure per Matrimonium.* Art. 399. *Potest etiam emancipari voluntate paterna, quando attigit* 15. *annos completos, quadam observata formalitae in Cod. civ. expressa.* Art. 400. *Emancipatio autem est liberatio Filii a paterna potestate juxta legum praescriptum facta. In jure novo non valet distinctio bonorum Filii familias, prout in Auctore, sed ex* Cod. civ. *Pater, dum vivit, habet usumfructum bonorum sui filii usque dum attigerit annos decem et octo completos, aut usque ad emancipationem si fiat ante illam aetatem,* Art. 298. *et toto illo tempore tenetur Pater erga bona suorum filiorum ad ea ad quae tenentur usufructuarii; tenetur ad alimenta, ad vestitum, et ad educationem filiorum modo ipsorum fortunae convenienti.* Art. 299. *Mortuo patre mater habet dimidium hujus ususfructus usque ad filii majoritatem, vel emancipationem.* Art. 298. *Et quidem sub eodem onere, sed non nisi ad dimidium relate ad alimenta, etc.* Art. 299. *etc. Illud autem jus usufructus, quo pater vel mater donatur, non se extendit ad bona quae suo proprio labore, aut sua propria industria filii sibi comparant, neque ad ea quae ipsis fuere donata aut legata sub conditione excludente Patrem et Matrem a tali usufructu.* Art. 301., *etc. Pater etiam dum vivit, habet administrationem bonorum personalium suorum filiorum minorum, et tenetur rationem reddere quoad proprietatem, et quoad reditus eorum quorum non habet usumfructum, et quoad proprietatem tantum eorum quorum usufructu gaudet.* Art. 291. *et* 293 (*E. N.*).

vero *Gom.*, *Ang. etc.* esse partim profectitium, si filius nomine patris negotietur, adventitium vero si nomine suo, puta, si ipse furatus sit pecuniam a patre, vel si pecunia otiosa esset apud patrem. Certum autem est, ut docet *Lugo*, quod si filius negotietur extra domum patris, ex aliis bonis quam paternis, lucrum non sit futurum profectitium. In dubio tamen an lucrum provenerit ex bonis Patris, vel alterius, tum tantum profectitium praesumitur, cum filius administraret bona paterna. *Lugo* etc.

Quaeritur 2. An filius pro labore praestito in beneficium patris, possit stipendium exigere?

R. Affirmant Nav., Ang. etc. Negant vero *Mol.* et alii plures cum *Sanch. etc.* Recte autem distinguit *Lugo*, et ait, quod si filius extra domum patris habitet, nec a patre alatur, id quod lucratur est adventitium: profectitium vero, si in domo paterna degat, et a patre alatur, nec non obsequia illa sint patri debita; quae si tamen excedant, bene potest filius petere stipendium.

Quaeritur 3. Si praedicta obsequia fuerint excedentia, et filius non petierit stipendium, praesumitur ne filius illud remisisse?

R. Omnino affirmant Mol., Sanch., quia hoc praestat bono communi, ut inter parentes et filios frequentia jurgia vitentur. Sed *probabilius* docent *Lugo., Nav., Less. etc.*, quod, dum filius si potest, non petat, rationabiliter remisisse censetur. Secus si renuat poscere ex paterna reverentia; debet tamen eo casu detrahere alimenta a patre percepta. - 488.

§. II. *De Dominio uxorum.*

Bona uxoris alia sunt dotalia, alia paraphernalia.

1. *Dotalia* dicuntur, quae per contractum matrimonialem in dotem uxori constituuntur ad onera matrimonii sustinenda. *Paraphernalia* dicuntur ea quae uxor attulit, vel sibi reservavit ultra dotem. Bonorum *paraphernalium* uxor habet plenum dominium, et usum. Bonorum *dotalium* proprietas spectat ad uxorem, ususfructus vero et plena administratio ad maritum.

Nota 1. Uxor post mortem viri omnibus creditoribus personalibus praefertur. Et adhuc, vivente viro, si ipse vergit ad inopiam, potest uxor dotem repetere. 2. Si dos consistat in pecunia, vel rebus usu consumptibilibus, tunc dominium dotis plene transit ad virum, cum obligatione tantumdem restituendi, matrimonio soluto. 3. Si bona dotalia etiam stabilia dentur viro aestimata, animo ut aestimatio venditionem constituat, tunc vir etiam eorum dominium acquirit, et soluto Matrimonio, non tenetur nisi ad pretium reddendum. Et in praedictis duobus casibus, si pereunt dicta bona, viro pereunt. - 489 (*a*).

(*a*) *Sub duplici regimine constitui possunt sponsi quoad bona, videlicet, sub regimine Communitatis, et sub regimine dotali. Art.* 1345. *Solus maritus habet administrationem bonorum communium, durante Communitate.* Art. 1396. (E. N.).

II. Regimen dotale in eo praecipue distinguitur ab aliis, quod bona in dotem constituta integra semper remanere debeant. Art. 1367. *et finita societate, integra reddantur.* Art. 1377. *Maritus omnes bonorum dotalium administrationem habet, omnes eorum reditus percipit, eisque plene fruitur: uxor igitur solam illorum habet proprietatem, nisi aliquid ex reditibus in contractu matrimoniali sibi retinuerit.* Art. 1362. *etc. Cuncta alia bona uxoris,*

Quaeritur 1. An uxor, mortuo viro, teneatur ex bonis dotalibus solvere debita contracta ad alendam familiam?

R. Prima sententia affirmat, si vir erat pauper, dum debita contraxit, secus si locuples; quia pauper non tenebatur alere uxorem. Ita *Faj. etc. Secunda* vero *probabilior sententia negat*, sive vir fuerit pauper, sive locuples. Ratio, quia actio creditorum repetendi mutui facti est personalis, scilicet tantum contra virum; et licet in viro ratione inopiae suspensa erat obligatio uxorem alendi, non erat tamen extincta; quare si ex mutuo aluerit, suum debitum praestavit. Ita *Sanch.*, *Salm.*, *Mol.*, *Bon.*, qui tamen limitat, si vir contraxerit debita nomine uxoris, vel ipsa sciente; vel si vir protestatus sit se nolle, stante sua inopia, gratis eam alere. Et quod dictum est hic de alimentis uxoris, dicitur etiam de alimentis filiorum, ut *Salm.* 354.

Quaeritur 21. An uxor, ad secundas transiens nuptias, debeat filiis primi matrimonii reservare quidquid a primo viro accepit, retento tantum usufructu?

R. Affirma ex Auth. *ex Testam.*, si accepit titulo lucrativo; secus tamen, si oneroso, vel si acceperit ab extraneo. Et idem dicitur respectu viri de rebus donatis a prima uxore. - 355.

§. III. *De Dominio Clericorum.*

Clericorum bona quadrupliciter distinguuntur, videlicet: 1. patrimonialia, quae dicuntur ea, quae ipsis obveniunt ex quacumque causa profana. 2. Bona quasi patrimonialia, seu industrialia, et dicuntur ea quae Clerici acquirunt ex Ecclesiasticis functionibus sine beneficio, ut ex concionibus, missis, etc. 3. Bona mere Ecclesiastica, et sunt illa quae acquiruntur ex beneficiis. 4. Tandem, bona Parsimonialia, quae sunt illa quae Clericus ex reditibus Ecclesiasticis subtraxit de sua sustentatione, vivendo parcius, quam honeste vivere potuisset.

Quoad bona *Patrimonialia*, certum est quod Clerici plenum eorum dominium habent. Idem est de bonis *Industrialibus*, ut communiter docent DD. Idem, quod de bonis patrimonialibus et industrialibus, dicitur de *Parsimonialibus*, ita ut possit Clericus ad libitum de eis disponere, ut docent *Nav.*, *Less.*, *Cabass. etc.* Major difficultas est de bonis mere *Ecclesiasticis*, quae propriae sustentationi supersunt. Unde:

Quaeritur. 1. An Clerici de iis possint sine injustitia male disponere?

R. Certum est quod Beneficiarii teneantur sub mortali reditus superfluos suae sustentationi in usus pios, aut in pauperes elargiri. Ita *S. Thom.*, *Lugo*, *Sanch.*, *Salm. etc.* An vero ad id teneantur virtute justitiae, vel Religionis infra dicetur.

Quaeritur 2. Qui veniant nomine *pauperum?*

R. Veniunt quidem, non solum ostiatim mendicantes, sed etiam ii qui aliter nequeunt suum statum conservare. Veniunt etiam consanguinei, si vere pauperes sint, ita ut alias non possint proprium statum sustinere. *Sanch.*, *Laym.*, *Croix*, *etc. communiter*. Et patet ex *Trid.* Hos autem consanguineos indigentes potest Clericus praeferre aliis pauperibus, etiam gravius egentibus; quia, ut bene advertit *Viva* cum *Mol. et communi*, subventio propinquorum egentium pertinet etiam ad proprium

quae usu traduntur marito ad onera matrimonii sustinenda, dicuntur paraphernalia. De his plenam habet administrationem et proprietatem uxor, licet pro eis coram tribunalibus comparere, aut immobilia quocumque titulo alienare nequeat, sine expresso mariti consensu legitime dato, aut renitente marito, sine judicis auctoritate. Art. 1389.

statum Clerici servandum, cum illorum paupertas in ipsius dedecus redundet.

Quaeritur 3. An in distributione praeferendi sint pauperes loci in quo est Beneficium?

R. Satis probabile est bona superflua posse in quosvis pauperes, intellige, aeque egentes erogari; quia pauperes loci non habent, saltem non constat eos habere peculiare jus ad illa bona.

Quaeritur 4. An Beneficiarii possint reservare superflua in futurum ad usus pios?

R. Negat Nav. dicens ea statim esse distribuenda. Sed *verius* contrarium docet *S. Thom.* Bene tamen advertit *Holzm.* quod eo casu cautio adhibenda sit, ne morte adveniente, tales reditus forte a consanguineis diripiantur

Quaeritur 5. An Clericus qui habet ex suo, unde vivat, possit se sustentare ex reditibus beneficii?

R. Negant aliqui pauci. Sed *affirmandum* cum *Habert., Fag., Anacl. etc.* Et hoc sane est rationi naturali omnino consonum; justum enim est ut qui Altari servit, de Altari vivat, juxta illud: *Quis militat suis stipendiis unquam?* Ap. 1. *Cor.* - 491.

Quaeritur 6. An Beneficiarii, expendentes reditus superfluos Beneficii in usus profanos, teneantur ad restitutionem?

R. Duplex est sententia. *Prima probabilis et valde communior* inter recentiores *negat.* Hanc tenent *S. Antonin., Less., Mol., Cabass., Spor., Az., Sanch. etc. Secunda* vero *sententia probabilior* tenet Beneficiarium obligari ad restitutionem. Ita *Nav., Laym., Bon., Habert., Concina, Ronc. etc.* Attamen negari non potest primam sententiam esse *satis probabilem,* fundatam praesertim auctoritate *S. Thom.*, qui expresse docet, quod de bonis Beneficiorum eadem habetur ratio, quam de bonis Patrimonialium (*a*).

Quaeritur 7. An dono accipiens a beneficiario haec bona superflua, peccet graviter, et teneatur ad restitutionem?

R. Distinguo: si Beneficiarius ob talem donationem non reddatur impotens ad satisfaciendum praefatae suae obligationi, nihil tenetur restituere accipiens, cum *valde sit probabile* quod Beneficiarius bene habeat dominium fructuum superfluorum, etsi gravatum onere illos in pios usus elargiendi. Si vero per talem donationem Clericus reddatur impotens, dicimus *probabilius* accipientem teneri ad restitutionem juxta nostram sententiam, qua tenuimus, Beneficiarium obligari ex justitia dare superflua pauperibus. Dico *probabilius;* non enim nego posse accipientem excusari a restitutione propter probabilitatem contrariae sententiae, intellige, quoad partem juxta proportionem talis probabilitatis (*b*), si accepit cum dubia fide; quod si vero in bona fide acceperit, *probabilius* est non teneri eum ad id restituendum, juxta dicenda ubi de possessore bonae fidei.

Quaeritur 8. An accipiens peccet?

R. Non peccat, nisi petat, vel inducat ad donandum. Hoc est *probabilius;* modo cum bona fide accipiat. - 492.

ARTICULUS III.

De variis Modis Dominii acquirendi.

Tribus modis Dominium acquiri-

(*a*) *Exposita fuit sententia affirmativa tanquam* valde probabilior; *sed peracta meliori consideratione, sententia negativa videtur non minus probabilis in praxi, signanter ob auctoritatem et rationem S. Thom.* ex quaest. recenter retractatis, quaer. 10. — (*b*) *Debet majorem partem restituere pauperibus.* - *II. n.* 8.

tur; 1. Jure Naturali, seu Gentium; 2. Juri Civili, aut Canonico, scilicet per praescriptionem et usucapionem, 3. voluntate privata hominum per contractus, de quo modo agemus in *Tract. de contr.* Addi posset alius modus jure belli, sed iste magis pertinet ad jus Gentium.

§. I. *De Jure Gentium.*

Jure Gentium pluribus modis dominium acquiritur.

1. *Occupatione.* Quod enim ante nullius est, id naturali ratione occupanti conceditur. - 493. (*a*).

2. *Nativitate*, per quam nostra fiunt, quae nascuntur a propriis animalibus. - 494.

3. *Alluvione*, qua, si aliquid latenter et insensibiliter tuo fundo adjiciatur, tibi acquiritur. Secus autem si patenter adjiceretur pars de praedio alterius, tunc enim ipsa ad eumdem pertineret. - 495. (*b*).

4. *Specificatione*, quando forma datur in alienam materiam, v. g. si bona fide ex aliena lana vestem tibi conficias, dominus illius efficeris, domino lanae pretium solvendo. - 496. (*c*).

5. *Accesssione*, quando alicui rei accedit ornamentum licet pretiosius, puta si vesti tuae intexetur purpura aliena, purpura a te acquiritur. Limitant DD. nisi ornamentum facile divelli posset. - 497. (*d*)

6. *Confusione*, vel *commixtione.* Confusio est quando duo corpora liquida aut liquefacta, ejusdem sive alterius speciei ita coeunt in unum, ut post confusionem nulla pars assignari possit, quae de utroque non participet: utpote si misceatur vinum cum vino, aurum cum auro, vel argentum cum stamno. *Commixtio* autem est quando miscentur solida, ut nummi

(*a*) *Ea omnia, quae nullius jure sunt, communi Gentium occupatione acquiruntur. Sed jus Civile nostri Cod. noviss. statuit generaliter ad publicum demanium pertinere bona derelicta, et quae nullum habent dominum.* Art. 464. (E. N.).

Attamen, usu receptum est apud nos quod fiunt occupantis pisces, aves, animalia sylvestria, et aliae res mobiles quae dicuntur nullius, *ut v. gr. conchae, lapides quae inveniuntur in littore maris; etc. Quoad animalia fera et sylvestria, quae occupatione acquiruntur, fiunt capientis, quamdiu in ipsius custodia manent; sed rursus fiunt primi occupantis, si naturalem libertatem jam receperint. Si autem haec animalia sint usu mansuefacta, ad priorem dominum pertinent si revertendi consuetudinem non amiserunt. Examen apum ad dominum pertinet, quandiu id prosequitur; alioquin ad eum in cujus fundo sistitur.*

Insuper, vide quae infra adnotabuntur de rebus inventis, de venatione, etc. n. 692. etc. V. pag. in hoc compend. 249. — (*b*) *Sed non sic in jure novo; nam, juxta illud, si quis ex aliena materia novam in humano commercio rem efformasset, sive haec materia redire possit ad pristinam suam formam, sive non, dominus materiae hanc sibi vindicare potest solvendo manus factorae pretium.* Art. 495. *Excipe nisi forte opus longe superet valorem materiae, tunc enim qui fecit specificationem poterit eam retinere solvendo materiae praetium.* Art. 496. (E. N.). — (*c*) Art. 481. et 484. (E. N.). — (*d*) *Ex jure nostro tamen quando alicui rei accedit ornamentum, inscio hujus rei domino, hic petere potest separationem, licet ornamentum divelli nequeat absque deterioratione rei illius, cui accessit.* Art. 493. (E. N).

cum nummis, frumentum cum frumento, ita ut de quovis grano separato dici non possit, quod illud sit utriusque materiae.

Sed *nota* quoad *confusionem*, quod si confusio consensu dominorum, vel casu sit facta, tunc res erit communis, et Judicis arbitrio dividenda. Si vero confusio altero nesciente vel invito sit facta, tunc dominium rei tibi acquiritur, si opera tua facta sit confusio; et amplius sit tua major materiae pars, teneris tamen alienae pretium solvere; quia tunc aliena res habetur ut accessoria ad rem tuam. Non vero si tua pars esset modica. Quod si res sint aequales, tunc tota materia erit communis. Quoad *Commixtionem* autem, si haec sit pecuniae, habetur lex expressa, quod miscens alienam cum pecunia sua, animo dominium totius habendi, totius fit dominus, etiam altero inscio, vel invito. Hinc, quando mixtio, quae discerni non potest, facta sit mala fide, nummi fiunt accipientis, sive furis. Hoc tamen intelligendum, quando major pars pecuniae sit miscentis: secus, si minor, vel aequalis, quia tunc totus cumulus communis erit (*a*). *Lugo. Mol., Vasq. etc.* - 498

7. *Aedificatione.* Unde, si tu aedifices in solo tuo de aliena materia, cedit solo, sed teneris reddere duplum pretii illius materiae: et si aedificium ruat, posset dominus materiam illam sibi vindicare (*b*). E converso, si tu aedificas scienter ex materia tua in solo alterius, aedificium illius est, et tu materiae dominium amittis. Ex quo colligitur, in eo casu ne pretium quidem illius te posse repetere, quia praesumptio fit, te donare voluisse. Secus autem si constet te noluisse donare tunc enim, diruto aedificio, potes tuam materiam vindicare, et interim etiam pretium repetere ex aequitate, juxta utilitatis aestimationem. 500.

8. *Plantatione.* Unde, si tu ponas alienam plantam in solo tuo, illa tua fit: sic e converso, si ponas tuam in solo alterius, planta illius erit, si jam radices egerit. - 501. (*c*).

9. *Perceptione* fructuum, si facta sit bona fide, et fructus sint consumpti - 802. (*d*).

10. *Traditione*, per quam dominus vult in alterum alienare suae rei dominium. - 503.

§. II. *De praescriptione.*

Jure positivo civili canonico acquiritur dominium per Praescriptionem seu usucapionem, quae proprius dicitur de rebus corporalibus fieri.

Ad Praescriptionem quatuor requiruntur conditiones.

I. *Bona fides*, qua quis prudenter,

(*a*) *Caeterum dominus minoris partis semper potest ex cumulo accipere suum, ut dicunt* probabiliter Less., Salm., etc. *H.* 9. — (*b*) *Ex jure novo constructiones, plantationes vel alia opera quae in aliquo fundo facta sunt ex aliena materia, ad proprietarium fundi pertinent, cum obligatione solvendi pretium materiae et laboris, aut valoris augumentum pro variis casibus.* Art. 479. *Potest etiam exigere proprietarius ut tollantur si ab alio facta sint mala fide, secus vero si bona fide. Vide* Cod. civ. Art. 480. *etc.* — (*c*) *Ex articulo praecedenti patet cujus sint plantationes, quae in fundo factae sunt ex plantis alienis. Quod si plantationes fiunt prope confines fundi alieni, dominus exigere potest ut tollantur, vel ut rami succidantur, aut etiam ipse radices potest succidere. Vide* Art. 593. etc. — (*d*) *Ex jure novo praescribuntur fructus percepti a possessore, si adsit bona fides licet non consumpti. Vide* art. 474. *et hoc est* communius *apud DD.*

non jam ex ignorantia crassa, credat rem esse suam.

Unde :

1. Qui ab initio dubitat, an res sit sua, nequit incboare possessionem.

2. Si ad possessionem bonae fidei dubium supervenit, praescriptio non interrumpitur, modo interim diligentia adhibeatur ad veritatem inquirendam. *Anacl.* tanquam *communius et probabilius.* - 504.

Notat etiam *Dicast.* posse quemque praesumi bona fide incepisse possidere: et hoc valere pro foro interno, etiamsi bona fides sit ex ignorantia juris manifesta, dicunt *Lugo*, *Less.*, *Pal. etc.*, quia leges ideo tunc improbant praescriptionem, quoniam non praesumunt perfectam bonam fidem. Sed tamen *probabilior* videtur *sententia contraria*, quam tenet *Croix etc.*, quia ad praescriptionem non tantum requiritur fides theologice, sed etiam civiliter bona, cum tantum ex vi legum dominium acquiratur. Ait autem *Lugo*, quod si fides tua sit solum venialiter mala, potes praescribere. - 511.

3. Haeres possessoris malae fidei *probabilius* non praescribit, ut *ex communi* tenent *Mol. etc.* Nec haeres, ut *probabilius* tenent *Lugo*, *Croix*, *etc.* Secus vero dicendum de successore particulari, ut emptore, legatario etc. - 512.

4. Per bonam fidem potest quisque praescribere libertatem a solvendo debito, si invincibiliter illud ignoret. *Lugo.* Et sic etiam praescribet libertatem a solvenda mulcta, si intra certum tempus non exigatur, etsi sciat illam se debere. *Croix*, *Mol.*, *etc.* - 513.

II. *Titulus justus*, puta emptionis, donationis etc. saltem rationabiliter, sive probabiliter praesumptus, etsi revera non intervenerit.

Nota tamen, quod titulus non semper requiritur, sed tantum quando praesumptio est contra possessorem, ut mox dicemus.

Ad praescribendum autem sufficit titulus coloratus. *Croix* cum *communi.* Sufficit etiam titulus existimatus, puta si existimes rem patri tuo fuisse donatam. - 505.

III. *Continuata possessio* per tempus a jure definitum.

Dixi *possessio continuata;* nam praescriptio interrumpitur vel naturaliter, si praescribens amittat possessionem, aut ei superveniat mala fides, vel civiliter, si ab altero lis super rem intimetur; nisi alter injuste hoc faciat ad interrumpendam praescriptionem.

Unde :

1. Si adsit titulus, res usu consumptibiles seu mobiles triennio praescribuntur. - 506. (*a*).

2. Debita ex rebus mobilibus, sicut etiam fructus, pari modo ac mobilia praescribuntur, quia accessorium sequitur principale. Aliae vero actiones non praescribuntur, nisi per triginta annos. - 507.

3. Res vero immobiles non praescribuntur nisi per spatium decem annorum inter praesentes, et viginti inter absentes. Ita ex *communi Bon. Praesentes* autem dicuntur, qui in eadem Provincia; *Absentes*, qui in diversis Provinciis habitant, sive res sita sit in eadem Provincia sive alibi. *Anacl.* Sed *Lugo* dicit censeri *absentes* etiam eos, qui esto in eadem Provincia, in

(*a*) *Res mobiles praescribuntur per triennium sola possessione, et absque alio titulo, modo tamen sit bona fides. Vide* Art. 2186. *Res autem immobiles praescribuntur cum titulo per decem annos inter praesentes et per viginti annos inter absentes; praescribuntur absque titulo per triginta annos in omni casu, nec ulla in jure novo longior admittitur praescriptio. Vide* Art. 2171.

diversis tamen degunt locis, qui proprium Gubernatorem habent, licet eidem Principi vel Senatui subditum. Si quis autem partim fuerit praesens et partim absens, anni absentiae sunt duplicandi, v. gr. si fuerit praesens octo annis, et duobus absens, hi duo duplicandi sunt, et inde duodecim anni ad praescriptionem requiruntur. - 508.

4. Quando autem non adest titulus ad praescribenda sive mobilia sive immobilia, requiruntur triginta anni. Est *commune* cum *Anacl., Bon., etc.* - 509.

5. Ad praescribenda bona Ecclesiae vel locorum piorum requiruntur quadraginta anni. Imo quoad bona Ecclesiae Romanae requiritur praescriptio centenaria.

6. *Probabile* est etiam res mobiles Ecclesiarum etiam triennio praescribi. - 510.

Sedulo nota, quod aliquibus personis privilegiatis datur restitutio in integrum per quatuor annos post praescriptionis tempus, ad recuperanda ea quae praescriptione amiserunt, prout Minoribus et Ecclesiis, aut aliis locis piis. Item mulieribus et rudibus ut *probabile* putant *Pal., Less., etc.* Item uxoribus quoad bona dotalia. - 514. (*a*).

IV. *Ut res sit apta praescribi.*

Unde:

1. Res furtivae aut vi possessae nunquam praescribuntur a fure.

Res, quas bona fide tertius possessor a fure accepit, non praescribuntur adhuc cum titulo, nisi spatio triginta annorum inter praesentes, et quadraginta inter absentes. Si vero titulus non adsit, res furtivae nunquam a quocumque praescribuntur (*b*).

3. Res fisci tantum praescribuntur per quadraginta annos (*c*).

4. Quaedam autem res nunquam praescribi possunt, ut sunt res publicae, jura spiritualia etc. - 515.

Quaeritur 1. An in foro conscientiae valeat praescriptio?

R. Communis est sententia apud jurisconsultos et Theologos, quod etiam in foro conscientiae per praescriptionem acquiritur dominium. Ratio, quia bene potest lex humana transferre dominium de uno in alium ob bonum com-

(*a*) *Ex jure novo nulla datur restitutio in integrum post absolutam praescriptionem; sed aliquando praescriptio suspenditur et tempus non currit pro quibusdam personis. Vide* Art. 2157. *etc. Simplex tamen laesio locum praebet rescissioni in favorem minoris non emancipati cujuscumque conventionis, et in favorem minoris emancipati cujuscumque conventionis, in iis quae ipsius excedunt capacitatem.* Art. 1259. *Majores vero solum in casibus in lege expressis,* Art. 1267., *v. gr. in divisione haereditatis, si laesio excedat quartam partem,* Art 807., *in venditione immobilium, si venditor sit laesus ultra dimidium pretii, existimatione facta juxta rei statum tempore venditionis, etiamsi huic beneficio expresse renuntiaverit.* Art. 1520. *Item possunt petere rescissionem conventionis, et restitutionem in integrum Ecclesiae, interdicti, et uxores in omnibus iis quae earum capacitatem excedunt,* Art. 1258. *Minores tamen et interdicti habentur uti majores, vel non interdicti in alienatione immobilium, et in haereditatis divisione, quando adimpletae sunt formae quoad ipsos requisitae.* Art. 1268. (*E. N.*). — (*b*) *In jure novo locum non habent quae apud Auctorem dicuntur de rebus furtivis, quae possunt praescribi a tertio possessore, modo tamen is sit in bona fide. Vide.* Art. 2159. *et* 2165. — (*c*) *Res fisci aut Reipublicae eodem modo praescribuntur ac res privatorum, iis tamen exceptis, quae extra commercium sunt.* Art. 2133.

mune ad vitanda jurgia, et ne dominia rerum remaneant incerta.

Quaeritur 2. An in locis, ubi lex praescriptionis non viget in foro judiciali, possit quis illa uti in foro conscientiae?

R. Primo loco *Tamb.* dicit videri negandum, cum is tantum ex lege possit jus accipere rem retinendi. Deinde tamen enixe tenet talem bene uti posse praescriptione de jure communi saltem ante sententiam, ubi jus commune praescriptionis lege municipali non sit expresse abrogatum, et ego sic censeo. - 517.

CAPUT II.

DE USUFRUCTU.

Usufructus definitur, *jus alienis rebus utendi, fruendi, salva eorum substantia.*

Ab usufructuario differt usuarius, qui alicujus rei usum habet, v. gr. horti, ex quo colligere potest fructus pro sua familia, et suis hospitibus; non autem potest illos alienare. 2. Usufructuario incumbit solvere expensas pro fructuum perceptione et tributa, seu collectas super rem impositas. Deinde, tenetur rem bene colere, arbores novas mortuis substituere. Ad magnas autem expensas non tenetur ipse, sed proprietarius. - 487. (*a*).

PARS II.

DE INJUSTITIA ET RESTITUTIONE.

De Natura, Obligatione et Radicibus restitutionis. De his qui tenentur ad restitutionem. De his quibus restituendum est. De tempore et ordine restitutionis. De Causis excusantibus a restitutione.

CAPUT. I.

DE NATURA OBLIGATIONE ET RADICIBUS RESTITUTIONIS.

I. Restitutio definitur. *Actus justitiae commutativae, quo reparatur damnum proximo illatum per injuriam.* Dicitur 1. *Actus justitiae,* quia non omnis laesio quae proximo infertur, ut esset contra charitatem aut aliam virtutem, inducit obligationem restitutionis, sed dumtaxat illa qua laeditur jus quod proximus habet *in re* vel *ad rem* super aliqua. Dicitur 2. *justitiae commutativae,* quia laesio justitiae legalis, quae respicit legum observantiam, et distributivae quae respicit personarum merita circa praemia aut poenas, non inducit restitutionis obligationem. Dicitur 3. *Quo reparatur damnum proximo illatum per injuriam,* quia restitutionis obligatio non oritur tantum ex facto, sed etiam ex damno, quod fit proximo cum ejus injuria.

II. Restitutio est actus justitiae necessarius ad salutem necessitate praecepti. - 547.

III. Radices sive rationes restitutionis, quae communiter a moralistis assignantur, duae sunt: prima *ex injusta acceptione,* cui conjungitur radix *ex injusta damnificatione.* Secunda *ex injusta retentione,* cui annectitur obligatio restituendi *ex contractu.* - 548.

Nota. Alia est culpa *Theologica,* quae respicit conscientiam, et est eadem ac peccatum mortale aut veniale, alia *juridica* quae dividitur in *latam,* scilicet quando omittitur diligentia quam communiter omnes adhibere solent, in *levem* si omittitur diligentia quam omnes diligentes adhibent, in *levissimam* si omittitur diligentia quam diligentissimi ponunt. - 549. (*b*).

(*a*) *De rebus quae ad usuarium spectant, vide Cod. civ.* Art. 503. *et seq.* — (*b*) *Loquendo de hac culpa juridica dicunt DD., si contractus est in com-*

Quaeritur 1. Ex quali culpa oriatur obligatio gravis restitutionis in delictis?

R. Oritur tantum ex culpa lata conjuncta cum culpa gravi Theologica. *Less., Lugo, Sotus, Sanch., Viva etc.* Ratio, quia restitutio communiter accipitur ut poena, et ideo dicimus quod, ut debita aequalitas servetur, ad obligationem gravem restituendi rem gravis valoris, requiritur culpa Theologica gravis. *Theologica*, quia cum conscientia oneretur de obligatione, oportet ut in conscientia adfuerit delictum; *gravis*, quia ut conscientia teneatur ad gravem obligationem, oportet ut gravis fuerit culpa. - 550. Hinc qui damnum minime praevidet, nec intendit, certo ad nihil tenetur; etsi operam daret rei illicitae, uti fur, si penitus fortuito domum alienam incenderet. *Salm., Less., Bon.* et alii. - 549.

Quaeritur 2. Si quis committat culpam juridicam levem sive levissimam contra justitiam, sed cum animo nocendi graviter, an teneatur ad damnum ex illa secutum?

R. Affirmant Lugo., Salm. etc.; quia tunc ille pravus affectus efficit ut effectus damni secuti sit voluntarius. *Negant* vero *Sanch.. Ang., Nav. etc.;* quia ad obligationem restitutionis non sufficit solus pravus affectus, sed requiritur etiam actus externus complete injustus. Sed in hoc dubio mihi videtur omnino *vera* sententia *Lessii* qui sic distinguit: si ille prudenter dubitans, an ex sua actione damnum proximo obveniat, committit culpam levem, sive levissimam, omittendo eam diligentiam quam tenebatur adhibere, tunc peccat quidem graviter contra justitiam, et tenetur ad restitutionem. Secus si omnem debitam diligentiam adhibeat, quia tunc nullam culpam committit contra injustitiam, et ideo ad nullam tenetur restitutionem, licet aliunde ob pravum animum peccet contra charitatem. - 551.

Quaeritur 3. Utrum peccatum veniale contra justitiam inducat obligationem restituendi?

R. Si est veniale ratione parvitatis materiae, certe obligat ad restitutionem sub levi, si vero est veniale ratione inadvertentiae, sive indeliberationis, *prima sententia affirmat*, et hanc tenent *Vasq., Laym., etc. Secunda* tamen *sententia probabilior et communior*, quam tenent *Nav., Less., Sanch., Lugo, Salas, etc.* docet in eo casu nullam esse obligationem restituendi. Ratio, quia culpa venialis ex indeliberatione non est simpliciter delictum et injuria, et ideo non potest parere obligationem restitutionis, sicut ex contractu, ubi non adfuit consensus plene deliberatus, non oritur obligatio. Dixi *nullam obligationem*, nec sub gravi nec sub levi. Non sub gravi, quia obligatio gravis non habet proportionem cum illa culpa levi: non sub levi, quia levis obligatio non habet proportionem cum re gravi. - 552.

Quaeritur 4. Utrum ex peccato levi ob parvitatem materiae contra justitiam possit aliquando per accidens oriri gravis obligatio restituendi?

R. Affirmative, et casus est quando in ultimo furtulo, complente materiam gravem, non advertit fur ad furtula praeterita; tunc enim tenetur sub gravi ad restitutionem, saltem illius ultimi furtuli. *Lugo, Viva, etc.* Et haec obligatio non oritur ex illa ultima acceptione injusta, quae cum sit tantum culpa levis, non potest

modum recipientis rem, teneri recipientem de culpa levissima; *si contractus est in commodum habentis rem ut est depositum, depositarium teneri de culpa* lata; *si vero contractus est in favorem utriusque, tunc recipientem teneri culpa* levi. - *H. n.* 88.

gravem obligationem parere ; sed oritur ex gravitate materiae debitae propter illas leves ablationes formaliter injustas. Sufficit autem ad vitandum mortale, ut restituatur tantum materia illa parva, gravem meteriam complens, ut *probabilius* tenent *Sanch.*, *Less.*, *Vasq.*, *etc.* - 553.

Quaeritur 5. An etiam in contractibus requiratur culpa theologica pro obligatione restitutionis ?

R. Certum est tam leges, quam contrahentes bene posse se ipsos obligare ad restitutionem sine ulla culpa Theologica. Sed *valde probabiliter negant Sot.*, *Less.*, *Tol. etc.* de facto obligari, et consequenter requiri culpam Theologicam. Ratio, quia ex una parte non est aequum aliquem obligare ad poenam gravem sine sua gravi culpa, ex alia non praesumitur, saltem non constat, quod aliquis voluerit se obligare in conscientia ad satisfaciendum pro damno facto sola culpa juridica.

Unde :

1. Leges quae adducuntur in contrarium obligantes cum sola culpa juridica, vel praesumunt culpam Theologicam, vel obligant solum pro foro externo, vel non sunt receptae in alio sensu.

2. Illae vero leges quae in aliquibus casibus omnino praecipiunt restitutionem, istae quidem obligant, etiamsi absit peccatum, sed non ante sententiam judicis, ut *communiter* dicunt *Salm.* Vide dicta *in Tract. de Leg. n.* 100. - 554.

3. Pariter, in officiis est *probabile* ex eadem ratione, quod nemo tenetur ad restitutionem, nisi ex culpa lata conjuncta cum gravi theologica. Ita *Salm.*, *Vasq.*, *Sot.*, *Less.*, *Lugo.*

4. Tenetur tamen etiam ex culpa levi juridica, qui recipit stipendium vel qui promittit diligentiam majorem communi debita, vel si officium de se exigat magnam diligentiam ; sed semper intelligitur quod culpa juridica sit conjuncta cum gravi peccato, ut graviter obliget. - 555.

CAPUT II.

DE HIS QUI TENENTUR AD RESTITUTIONEM.

Seu de Possessore bonae, dubiae et malae fidei. De injusto Damnificatore. De Cooperatoribus. De Impediente a consecutione alicujus boni.

ARTICULUS I.

De Possessore bonae fidei.

Possessor bonae fidei est ille, qui prudenti persuasione credit rem alienam, quam detinet, esse suam.

Nota. Ex supra dictis, tenentur ad restitutionem qui injuriam damnosam intulerunt. Sed duplex est injuria damnosa, materialis scilicet et formalis. Est *materialis*, cum quis rem alienam destruit aut accipit aut retinet bona fide. Est autem formalis, quando quis rem alienam destruit, accipit vel retinet mala fide. - 556.

Quibus praenotatis, *dico :* qui bona fide damnum intulit, aut possidet aliquid de quo postea melius cognoscit, tenetur, ne incipiat esse possessor malae fidei, et detinere alienum, id tantum, et non plus restituere, quod ex ea re ipsi superest, una cum eius fructibus, si extent, vel quatenus inde factus est ditior ; nisi dominium sibi comparaverit per legitimam praescriptionem. Ita *communiter* DD. *Mol.*, *Sanch. Less.*, *etc.* - 607. (*a*).

Unde :

(*a*) *Ex jure novo, possessor bonae fidei sibi acquirit fructus rei tam extantes quam consumptos, modo perceptos durante bona fide. Vide* Cod. Civ., art. 474, *et est haec sententia* communior *DD. Gallorum.*

1. Si vestem v. g. bona fide donatam a fure aut alio portaveris, et fere attriveris, ac postea dominus compareat, teneris eam aut aequalem ei restituere, et insuper persolvere, quantum attrita est, si alias vestem aequalis valoris attrivisses; si autem amiseris, aut ablata tibi sit, etc., ad nihil teneris. *Bon. etc.*

2. Milites bona fide militantes, intellecta postea belli injustitia, id tantum restituere debent, quod adhuc habent ex praeda, et quo facti sunt ditiores. *Bon.* etc.

3. Qui bona fide rem vendidit dono sibi datam, tenetur restituere pretium, quia factus est locupletior, et satis debet esse illi non habere se minus quam ante. Quod si tamen apud alterum res sit, is reddere tenetur.

4. Si bona fide rem emeris, et vendideris sine lucro, nihil teneris restituere, sed solus is apud quem res est.

5. Si rem alienam bona fide donaveris, non donaturus aliam, si hanc non habuisses, ad nihil teneris, quia non es factus ditior; secus si aliam donaturus fuisses, quia tunc parcendo tuae, factus es ditior.

6. Si aliena re lucratus sis, tanquam instrumento, v. g. pecuniam alienam negotiatione exposueris, non teneris illud lucrum restituere, quia non est fructus rei alienae, sed tuae merae industriae: tales enim fructus dicuntur merae industriae, quos ipsa natura ex se nullo modo gignit, sed tantum concurrit ut instrumentum operantis. - 609.

7. Fructus vero rei, si sint mere naturales, hoc est, qui natura producuntur, sine ullo vix hominum labore, ut fetus animalium, arborum, etc.; sic pariter et civiles qui proveniunt a locatione domorum, etc., debent integre restitui (ablatis expensis) a possessore tam bonae quam malae fidei; hac differentia, quod possessor bonae fidei ad nihil tenetur si nihil percipit, aut si bona fide consumpsit, et in nihilo factus sit ditior. Sed possessor malae fidei integre debet fructus praedictos restituere, quamvis eos non perceperit, si dominus jam percepturus esset, si res apud se fuisset; et licet dominus exacturus non fuisset, etiam tenetur restituere, quando jam ipse percepit, quia res semper domino fructificat.

8. Fructus mixti, id est, qui partim ab industria, partim a natura proveniunt, debent restitui eadem regula, nempe bonae vel malae fidei, et quoad solum valorem correspondentem naturae, quia valor correspondens industriae possessoris, totus ei debetur.

9. Si tamen fructus isti reales bona fide possessi fuerint tempore a lege praescripto ad usucapiendum illos, nempe per triennium cum titulo et per triginta annos sine titulo, non sunt restituendi; quia usucapio transfert dominium. *Lugo, Less., Caj. etc.* Vide dicta n. 504. - 610.

10. Si a fure acceperis, sive bona sive mala fide, rem usu consumptibilem, v. g. vinum, oleum, etc. cum propriis ipsius furis rebus mixtum, ita ut discerni non possit, non teneris restituere, si ad restituendum fur sit potens; quia per commixtionem istius rei cum propria fur acquisivit ejus dominium, atque ideo illud tanquam verus ejus dominus potuit transferre. *Nav., Sanch., Less., Bon. etc.*

Quaeritur. 1. Sed quid, si per illam tuam acceptionem, fur factus sit impotens ad restituendum?

R. Sententia, quam *veriorem* putamus, et quam referemus n. 722., docet omnino peccare contra justitiam accipientem non a debitore non solvendo creditoribus, quia efficaciter influit in alienationem rei cum credi-

torum detrimento, tenerique accipientem domino rem permixtam restituere. - 612.

Quaeritur 2. Ad quid teneatur qui in mare projecerit gemmam, putans valere decem aureos, si illa revera valebat centum?

R. Prima sententia dicit eum teneri ad centum, quia injuste damnificans cum culpa mortali tenetur ad omne damnum factum, licet ignoratum. Ita *Lugo etc. Secunda* tamen *sententia*, quam sequuntur *Holz.*, *Pont.*, *Croix*, *Mazz.*, *etc.* dicit eum teneri tantum ad decem, modo invincibiliter credat gemmam non pluris valere, et ne in confuso quidem dubitet de ejus reali valore. Haec sententia *satis probabilis* mihi videtur. Rationem enim a principiis petendo, dico, quod secundum omnes ad restitutionem requiritur culpa theologica, et tanta est culpa, quanta invincibiliter apprehenditur; ita ut ille qui proximo damnum infert, plus aut minus peccet, quanto plus vel minus aestimat damni valorem. Si igitur culpa sit tantum pro decem, obligatio restitutionis nequet esse pro centum. Nec obstat dicere quod damnificans tenetur ad omne damnum illatum; hoc enim intelligendum est, modo damnum illud sit aliquo modo saltem in confuso animadversum, ut caeterum ordinarie accidit, non vero, si prorsus invincibiliter fuerit incognitum. - 613.

ARTICULUS II.

De Possessore Dubiae fidei.

Possessor dubiae fidei est ille, qui dubitat vel ineundo rei possessionem, jam bone fide inchoata et ad tempus continuata, an res illa sit aliena.

Quaeritur 1. An possessor bonae fidei, superveniente dubio, teneatur aliquid restituere pro rata dubii?

R. Si dubium est aequale pro et contra, *communis* est sententia possessorem ad nihil teneri. In pari casu *melior est conditio possidentis.*

Quaeritur 2. Quid si rationes contra possessorem sint validiores?

R. Prima sententia dicit quod licet ipse habeat rationem probabilem pro se, tenetur tamen in eo casu ad restitutionem pro rata illius majoris propensionis, quia conditio possidentis est quidem major in pari, non autem in dubio inaequali. Ita *Sanch. etc. Secunda* tamen *communior et probabilior sententia* docet ad nihil eum teneri, nisi moraliter constet rem esse alienam. Ita *Palaus*, *Lugo*, *Roncaglia*, *Layman*, *etc.* Ratio praecipua hujus sententiae est, quia per possessionem bonae fidei acquiritur verum jus, contra quod non praevalet nisi certitudo. Attamen ante diligentiam adhibendam ad veritatem assequendam, ipse tenetur rem servare; at post diligentiam, et veritate non assecuta, potest illam consumere, et etiam alienare, admonito rerum emptore de dubio vertente super re. Hinc *parum probabile* videtur id quod dicit *Ronc.*, nempe quod si rationes possidenti faventes sint tantum tenuiter probabiles, tunc ipse tenetur rem restituere, saltem quoad majorem partem; nam si contra possessorem rationes sint taliter probabilissimae, ut fundant contra ipsum moralem certitudinem, tunc ipse tenetur totam rem restituere; si autem secus ad nihil tenetur. - L. 1. n. 35.

Quaeritur 3. Quid si possessor bonae fidei, dubio superveniente, negligat culpabiliter diligentiam adhibere, sed postea non possit verus dominus amplius adinveniri?

R. La Croix, *Ronc.*, *Salm.*, *etc.* dicunt tunc possessorem teneri rem restituere pro rata dubii. Contra vero *Palaus*, *Tamb.*, *Bonac. probabile* putant, quod possessor quamvis pec-

caverit moraliter diligentiam omittendo, tunc tamen ad nihil tenetur, cum ex una parte damnum illatum sit dubium, ut ex alia jus possessionis bona fide acquisitum ipse adhuc retinet. *Verius* autem censeo dicendum quod talis possessor teneatur aliquid restituere vel domino vel pauperibus, si dominus sit incertus. Ratio est quia cum ipse culpabiliter dominum privaverit spe, quam dominus ad rem habere poterat, et illa spes erat quidem pretio aestimabilis, jam damnum certum est illatum domino, qui spem illam etiam certe possidebat. Puto tamen non esse faciendam restitutionem pro quantitate dubii, sed minus et forte valde minus. - L. 1. n. 87. (*a*).

Quaeritur 4. Ad quid tenetur possessor bonae fidei in dubio an factus sit ditior?

R. Ad nihil tenetur; quia tunc possessio est pro libertate. *Croix,Sanch., Tamb. etc.*

Quaeritur 5. Quid in dubio an debeat plus vel minus?

R. Tenetur tantum ad minus. *Croix.*

Quaeritur 6. Quid in dubio an sit cooperatus damno alieno?

R. Ad nihil tenetur. *Croix*, vide n. 562.

Quaeritur 7. Quid in dubio an restituenda sit materia gravis aut levis?

R. Teneris restituere sub gravi, ne exponas dominum periculo grave damnum sustinendi. *Croix*, *Card.* - 706.

Quaeritur 8. Ad quid tenetur certus de debito et dubius de solutione?

R. Tenetur solvere, ut *communiter* docent *Suar. etc.* - L. 1. n. 34.

ARTICULUS III.

De Possessore Malae Fidei.

Possessor malae fidei est ille, qui accepit, consumit, detinet tamquam suam, rem quam novit aut debuit agnoscere esse alienam.

Juxta supra dicta injustus damnificator debet restituere secundum quantitatem tum juris quod alter habet, tum damni quod injuste infertur, cui aequale reddi debet, nisi aliud de damnificati mente et consensu rationabiliter praesumatur.

Unde:

1. Si damnificatus habeat jus in re, in qua damnum est passus, restitutio ei facienda est in solidum. Si autem tantum habeat jus ad rem, restitutio facienda est pro quantitate juris consideratis circumstantiis; quia non debetur solidus valor rei quae expectabatur, cum tantum sit in spe, et multis modis possit impediri. - 614.

2. Caeterum ordinate injustus seu malae fidei damnificator, aut possessor tenetur non tantum restituere rem ablatam et fructus perceptos, exceptis expensis et industria, sed etiam resarcire damnum emergens et lucrum cessans; etiamsi haec damna sint ignorata, modo sint praevisa saltem confuse. Vide n. 610 - 618.

3. Si res aliena, dum injuste detinetur, crescat, aut si pretium ejus augetur, domino crescit, ac proinde id ei praestari debet. - 619.

Quaeritur 1. An tenetur fur ad restitutionem rei apud ipsum deperditae, quae aeque apud dominum peritura fuisset?

R. Distinguendo: Si res perit apud furem sine culpa sua, neque alterius, et eodem tempore ac periculo quo apud dominum fuisset peritura, fur non tenetur ad restitutionem; quia furtum licet fuerit commissum cum injuria, non tamen fuit efficax causa damni. Dixi 1. *sine sua culpa;* nam si fur rem consumpserit, vel ex negligentia culpabili perdiderit, antequam peri-

(*a*) *Facienda est pro rata spei, qua proximum defraudavit.* - *H.* n. 20.

culum illud eveniret, tenetur quidem ad restitutionem. Quamvis *Suar. etc.* excusent furem a restitutione, si rem ipse consumpserit eodem loco, et intra idem tempus, quo jam praeviderit rem apud dominum aeque perituram; quod *probabile* recte putant *Laym. etc.*, quia revera fur eo casu nec etiam est causa damni. Dixi 2. *sine culpa alterius*, nam, ut bene advertit *Elbel*, *teneretur* quidem fur ad restitutionem, si res periisset apud ipsum non casu, sed injuria alterius; quia tunc jam iste alter obligationem contraxisset restitutionis; unde remanet ad eam obstrictus fur, qui prius obligationem contraxit. Dixi 3. *eodem tempore et periculo*; nam, si translato periculo illo communi, fur non restituat, et postea res pereat in alio periculo, dicunt *Salm.*, *Less. etc.* furem teneri ad restitutionem, quia non restituendo, fuit in mora culpabili, sed adhuc *probabiliter*, *Croix* excusat furem a restitutione semper ac eveniat commune periculum in quo aeque apud dominum res peritura fuisset; recte enim ait *Croix* teneri tunc quidem furem ratione morae ad restituendos fructus, quos dominus ex re percepturus fuisset; quia mora fuit causa quod dominus damnum illorum fructuum pateretur; non tamen tenetur rem restituere, cum non mora, sed periculum fuerit vera causa, quod dominus rem amitteret. - 620. (*a*).

Quaeritur 2. Si quis occidat agnum alterius, qui nunc valeat quinque denarios, sed postea valiturus erat decem, ad quid tenetur?

R. Dicunt *Sotus*, *Salm. etc.* eum teneri ad restituendos decem denarios. Sed *probabilius Less.*, *Croix etc.* tenent ex *communi* restituendos tantum quinque. Bene tamen excipit *Croix* cum *Lugo*, nisi dominus pretio illo non possit emere similem agnum, vel quia caret pecunia, vel quia non habet amplius opportunitatem emendi; et hoc tamen sic intelligendum, si dominus eum reservaturus fuisset ad tempus incrementi.

Quaeritur 3. Si dominus consumpturus fuisset rem tempore vilioris pretii, fur vero consumpserit tempore incrementi, ad quid tenetur fur?

R. Sentiunt *Mol. etc.* furem non teneri nisi ad pretium vilius. Sed mihi videtur *omnino verior* opposita; quia res domino suo fructificat, licet dominus fructum non percepturus fuisset.

Quaeritur 1. Quid si dominus consumpturus fuisset agnum tempore vilioris pretii, et apud furem creverit valor, sed postea apud ipsum decreverit ad pristinum valorem?

R. Dicit *Concina* furem teneri ad restituendum vilius pretium, quoniam restitutio non obligat nisi ad mensuram damni illati. Sed id mihi videtur *penitus improbabile*; quoniam, cum pretium agni creverit a quinque in beneficium domini, et eo tempore culpabiliter agnum illi fur non restituerit, damnum non fuit in quinque, sed in decem, et mora furis fuit quidem causa hujus damni; quapropter non quinque, sed decem ille restituere debet. - 621.

Quaeritur 5. Ad quid teneatur emens rem alienam cum dubio, an sit venditoris, et postmodum, facta diligentia, dubium evincere non potest?

R. Dicunt aliqui eum teneri ad totam rem reddendam uni vel alteri, de quo dubitat an sit ejus, vel pauperibus, si ignoretur persona. Sed *probabilius* tenetur ad rem dividendam pro qualitate dubii, cum ex una parte non faveat illi possessio incepta cum dubia fide, et ideo nequit rem sibi totam retinere; ex altera parte non videtur aequum eum teneri totam restituere,

(*a*) *Contrarium tenet Cod. civilis, art.* 1256.

cum dubium est an res sit aliena. *Laym., Less. etc.* - 625.

Quaeritur 6. An autem si quis velit incendere domum *Titii* inimici, et incendat domum *Caii* amici, teneatur *Caio* restituere domum?

R. Prima sententia cum *Bon. etc. absolute affirmat.* Ratio, quia omnis actio contra justitiam executioni mandata cum advertentia parit onus restitutionis, nec excusat error personae domini, cum error sit tantum circa qualitatem non circa substantiam. *Secunda sententia* cum *Leand., Mol., Tamb., Spor., Lug., Croix,* et aliis doctis junioribus *negat* eum teneri ad restitutionem, modo is non intenderit ne confuse quidem incendere domum alterius, quam *Titii;* nempe si non fuerit sic animo actualiter saltem implicite comparatus, quod etiamsi scivisset domum esse *Caii*, adhuc incendisset, quia tunc censetur damnum intulisse *Caio*, non ut *Caio*, sed ut domino domus; et ideo tunc cuique domino damnum resarcire debet. Sed si nullum alium intenderit laedere, quam *Titium* inimicum, invincibiliter credens domum esse *Titii*, non tenetur ad restitutionem. Ratio, quia ad obligationem restitutionis, quae oritur ex damnificatione principaliter facta propter injuriam, requiritur injuria formalis; nec sufficit injuria materialis, et solum effectiva sine animo, sicut nec sufficit injuria tantum affectiva opere externo non completa ut esset haec.

Idem etiam dicunt de furto *Mol., Lugo, Spor. etc.* Sed huic doctrinae non acquiesco. In furto enim non attenditur cui voluerit facere injuriam, sed an vere voluerit rem accipere invito domino, cum in hoc videatur differre obligatio restitutionis ob damnificationem a restitutione ob furtum: nam in damnificatione principaliter intenditur injuria in personam domini, et accessorie illius damnum; in furto autem principaliter intenditur lucrum injustum, et accessorie injuria domini; et ideo error domini in casu furti, videtur esse circa qualitatem; in casu vero damnificationis circa substantiam. - 629.

Quaeritur 7. An fraudantes gabellas peccent, et teneantur ad restitutionem?

R. Prima sententia communissima, et probabilior affirmat. Hancque tenent *Sanch., Mol., Croix, Conc. etc.* Probatur 1. ex illo *Matth.* 22. *v.* 21.: *Reddite ergo quae sunt Caesaris Caesari:* et ex Apost. ad *Rom.* 13, *v.* 6. 7: *Ideo enim et tributa praestatis, ministri enim Dei sunt in hoc ipsum servientes. Reddite ergo omnibus debita, cui tributum tributum, cui vectigal vectigal.* Probatur 2. ratione, quia sicut Rex tenetur vacare saluti populi, administrationi justitiae, et aliis oneribus, sic contra tenetur populus ex justitia et de jure naturali solvere Principi vectigalia ad ejus sustentationem. *Secunda vero sententia negat,* et eam tenent *Nav., Angel. etc.* Ratio, quia licet subditi per se loquendo de jure naturae teneantur Principi congruum subsidium ministrare, non tamen tenentur sub culpa ad eas gabellas, quae ab ipso sub poena magna sunt impositae, cum juste praesumatur Princeps tunc nolle eos obligare ad culpam simul et poenam. Obligatio autem subditorum solvendi vectigalia Principi quotius ea defraudant, illi compensatur cum obligatione poenae, cui subditi subjiciuntur. Unde videtur Principibus satisfieri, si cum tanto eorum emolumento poena illa defraudantibus irrogetur. Quod eo magis praesumendum videtur, quod ut quidam doctus recentior dicebat, solutiones gabellarum certo excederent Principum necessitatem, si subditi integras impositiones solverent. Saltem, dubium

est an lex obliget sub culpa ad utrumque, scilicet ad solutionem gabellae et poenae, vel tantum poenae; et in dubio nemo tenetur obligationem certam subire. Nihil autem obstat dicere, quod talis defraudatio esset in damnum ementium hujusmodi tributa; nam respondetur subditos non plus teneri quoad gabellas erga ipsarum emptores, quam erga Regem vendentem; ipsi autem imputandum est, si non invigilent; nam sub tali conditione gabellas emunt, et si in alio amittant, in alio lucrantur propter poenam contraventionis. Haec dici possunt pro hac secunda sententia. An autem propter has rationes, quae caeterum non videntur contemnendae, ipsa sit *sufficienter probabilis*, sapientioribus me remitto (*a*).

Sentit autem *Sanch.* neminem, qui palam et recta via transit, teneri solvere vectigalia ratione transitus per portam vel pontem, quae imponuntur pro assecuratione viarum: durissimum enim esset obligare advenas ad scienda haec statuta in portis vel pontibus. Et hoc *probabile* putat *Sanch.*, etiamsi quis consulto merces aut se occultet, quia hujusmodi tributa ita sunt recepta, ut non debeantur, nisi petita. Generaliter vero loquando de omnibus vectigalibus putat *Lugo* cum *Mol.* monendos esse populos ad tributa solvenda; sed post factum non esse cogendos ad restitutionem tributi defraudati, si probabiliter sibi suadeant in tanta vectigalium multitudine se aliquid injustum solvisse, vel competenter contribuisse ad publicas necessitates.

Quaeritur 8. An teneantur solvere gabellas subditi deferentes res ad usum proprium?

R. Certum est de jure apud omnes nullum deberi vectigal de rebus cuique deservientibus ad usum proprium et familiae. Unde refert *Sanch.* cum *S. Antonin. etc.* hujusmodi vectigal non esse solvendum, nisi expresse imponatur etiam deferentibus bona ad usum proprium, quia cum sit res odiosa contra jus commune, expressa indiget mentione.

Quaeritur 9. An solutio hujus vectigalis possit per consuetudinem induci?

R. Prima sententia negat; et hanc tenent *Caj. etc.* quia, ut aiunt, injustum est gravare pauperiores, cum isti pluribus indigeant ad usum proprium. *Secunda* vero *sententia affirmat*, eamque tenent *Lugo, Less., Sanch. etc.;* quia non magis gravarentur pauperes, quam divites, dum divites, ob majorem copiam famulorum quos alunt, et majorem sumptuum largitatem, plus emunt quam pauperes. Dicunt tamen *Less., Sanch. etc.* ad talis vectigalis justitiam requiri causam urgentissimam, et non ingerendum scrupulum defraudantibus nisi de ejus justitia constet.

Quaeritur 10. An pauperes teneantur ad vectigalia?

R. Dicunt *Lugo, Sanch., Less. etc.*, quod si paupertas in aliquo eo deveniret, ut hic non posset alere se et suos etiam cum mediocri lucro ex negotiatione, vel quia habet multos filios aut debita, vel propter alias necessitates, non tenetur solvere gabellas; quoniam hoc postulat naturale jus, ut quis prius alat se et suos, deinde tributa solvat. Subduntque *Sa* et alii AA. citati etiam ministros posse eas remittere alicui ob nimiam paupertatem, cui ipse Princeps remittere praesumitur. - 616.

Quaeritur 11. An populi in dubio de justitia tributi teneantur ad ejus solutionem?

R. Plures sunt sententiae. In dubio

(*a*) *Ego non omitto primam sententiam suadere.* - *H. n.* 18.

negativo *affirmat* eos teneri *Less.*, *Sot. etc.* Ratio, quia in dubio praesumendum est pro justo praecepto Principis, cujus auctoritas est in possessione praecidiendi. Sed *negant. Mol., Diana, etc.*, cum *Lugo, Sanch., S. Antonin. etc.* Id tamen intelligendum putat *Lugo*, si adsit aliqua praesumptio de justitia tributi, quia tunc dubium illud non erit merum dubium, cum praesumptio fundet partem contrariam. Quando enim tributum nequit judicari justum, saltem probabiliter non videtur, ait *Lugo*, obligandus subditus ad solutionem, in dubio enim onus probandi justitiam tributi incumbit Principi qui petit illud. Hinc limitant praefati auctores sententiam suam ut procedat de tributis novis quorum scitur initium causae, non vero de antiquis quorum causae non est memoria, et ideo praesumenda sunt justa; nisi, ait *Mol*, semper adfuerit gravis suspicio, sive conjectura de ejus injustitia, vel de cessatione causae.

Dices: Lex in dubio praesumitur justa, ita et tributum.

Respondet *Lugo* non eamdem fieri praesumptionem pro lege, quam pro tributis, quorum plura a viris probis censentur injusta, quia ut notat *Mol.* « Rari sunt qui veritatem in hac ma» teria Principibus dicant, cupientes » eis placere: et populi non audent » se opponere, neque sufficienter au» diuntur. » Non est ergo, subdit *Lugo*, praesumptio illa ita fundata in Lege tributi, ut dubia expellet, cum tot gravissimi DD. dicant pauca esse tributa in quibus conditiones omnes ad eorum justitiam necessariae de facto concurrant. Neque obstare dicunt regulam illam, quod Superiori praecipienti in dubio parendum sit; omnes enim, dicit idem *Lugo*, fatentur subditum non teneri in dubio ad obediendum, quando praeceptum est nimis difficile, vel grave illi damnum affert; et ita etiam docent *Less.*, *Sot.*, *Sanch.*, *Salas*, *etc.* Ratio, quia in dubio favendum est ei, de cujus damno agitur; tunc enim difficultas illa una cum dubio de potestate imperandi praeponderat possessioni Superioris. Confirmant eamdem sententiam plures Juristae apud *Sanch.* dicentes, quod, cum tributum sit res odiosa, judicandum est in dubio non esse solvendum. Hoc in dubio negativo.

Sed quid in positivo, nempe cum *probabile* est tributum esse injustum, an teneantur subditi illud solvere?

R. Affirmant Suar. Vasq. etc. Sed *communissime negat Less.* cum *Nav. etc.*, asserens esse *communem* sententiam DD. Ratio, quia subditus juste tunc suo jure utitur ad non solvendum, dum probabiles rationes pro se habet.

Quaeritur 12. An peccent exigentes publica tributa in dubio an sint justa?

R. Affirmant Mol., Sanch., Nav. etc., nisi ipsi sint subditi, et a Principe ad has exactiones compellantur, ut iidem DD. limitant. Sed *Lugo, etc.* excusant etiam non subditos vel subditos non compulsos, si exigant judicando Regem esse prudentem, nec imponere tributa absque sapientum consilio. Imo *Lugo* sentit non peccare exactorem, quando ei de injustitia non constat; potest enim praesumere pro justitia tributi praesertim in tanta opinionum varietate.

Quaeritur 13. An creditor Regis, si nequeat debitum recuperare, possit non solvere gabellam alteri locatam?

R. Negant Corduba etc. Sed *affirmant communiter Less., Sanch., Mol. etc.*; quia conductor majus non habet jus, quam Rex. Idem dicunt *Less., Lugo etc.*, si gabella fuerit alteri vendita. Hoc tamen non procedit, ut recte ait *Lugo*, quando debitum contractum fuit a Rege, postquam gabella fuerit locata aut vendita.

Quaeritur. 14. An emens mercem a defraudante gabellam teneatur ad ipsam?

R. Affirmat Sylv. Sed *probabilius negant Sanch., Lugo, Spor.* Ratio, quia gabella non est onus stricte reale gravans mercem, sed est reale simul et personale, scilicet debitum quidem de tali re, et non a quovis habente rem illam, a solo venditore solvendum, qui, facta venditione, adhuc remanet obstrictus ad solutionem gabellae. Id tamen intelligendum, ut omnes dicunt, modo emptor non cooperetur positive ad defraudationem tributi. Item excipiunt *Lugo, Spor.*, si emptor adverteret ex hujusmodi frequentibus emptionibus fraudolentis, aliis passim tale exemplum sequentibus, Principi grave damnum evenire. - 617.

Quaeritur 15. Quis possit tributa imponere?

R. 1. Possunt Imperatores, Reges, Respublicae, omnesque principes supremam habentes potestatem. 2. Concilia, et Pontifex, ex potestate indirecta disponendi de temporalibus, quando id opus est ad regimen spirituale, ita *communiter Less., Mol., Lugo.* 3. Possunt etiam ii, quibus Princeps gubernandi potestatem impertitur, et expresse simul hanc dat facultatem tributa imponendi. *Lugo, Sanch.* 4. Possunt item civitates et communitates adhuc subditae aliquando imponere contributiones, sive *collectas*, ut vocant, ad sui gubernationem, si Princeps saltem non contradicat, quo tacite consentire videatur.

Quaeritur 16. An Principi infideli debeantur tributa a Christianis negotiantibus vel transeuntibus?

R. Debentur, si justo titulo ille Regnum possidet; secus si injusto, nisi praecedat pactum de aliquo tributo solvendo. *Sanch.*

Quaeritur 17. Quae requirantur conditiones ad justi tributi impositionem?

R. Tres requiruntur conditiones sequentes.

1. *Justitia causae*, quae non est quidem abundantia, vel utilitas Principis, sed necessitas boni communis, ad quod merito pertinet etiam sustentatio Principis juxta ejus dignitatem. Hinc si Princeps nequit alia via suae necessitati subvenire, etiamsi ipse sua culpa in talem necessitatem devenerit, adhuc tenentur subditi contribuere, ut *communiter* docent *Mol., Less., Sanch., etc.* Notant tamen praefati DD. debere tunc Principem moderari sumptus, quantum fieri possit, imo et resarcire damnum subditis, si ad pinguiorem venerit fortunam. Unde bene monet *Mol.* peccare utique Principes, si excessivis sumptibus et largitionibus periculo se committunt excedenter gravandi subditos.

2. *Proportio tributi* cum necessitate occurrente, nempe ut Populus non magis gravetur, quam ejus bonum postulat. Hinc ait *Lugo* non posse Principem, ut Regnum sibi conservet propter expensas belli subditos adeo gravare, ut eos in magnam paupertatem conjiciat; non enim Regnum est propter regem, sed rex propter Regnum; nisi, bene excipit, alter Princeps qui regnum invadit sit infidelis, vel haereticus, ita ut sub ejus regimine gravissima timeri possint Religionis damna subditis imminere. Notant autem *Less., Lugo etc.*, juste posse Principem subditis, qui rebellarint, absque alia necessitate novum imponere tributum partim ad compensandum damnum ab ipso propter rebellionem passum, partim in justam criminis commissi poenam.

3. *Aequalitas in personis*, nempe quod qui majores vires habeant, plus solvant, et minus qui minores.

Quaeritur 18. An assisia imposita ob utilitatem alicujus loci juste exigatur ab exteris?

R. Negant Sylv., Caj., Ang. Sed

Communiter et probabilius affirmant Sanch., Mol., Lugo etc. tum quia non apparet alius modus conveniens colligendi tributum, aliter difficulter poterunt exteri a Civibus dignosci; tum quia sic in populis invicem consuetudo servatur; incolae enim hujus loci, cum ad alios confluunt, etiam tributa illorum solvunt. - 615.

ARTICULUS IV.

De injusto Damnificatore in bonis corporis famae et animae.

§. I. *De injusto Damnificatore in bonis corporis per Mutilationem vel Occisionem, per Stuprum, per Adulterium.*

PUNCTUM I.

De injusto Damnificatore in bonis corporis per occisionem vel Mutilationem.

Injustus occisor aut mutilator in conscientia tenetur restituere pro damnis bonorum fortunae, quae ex tali occisione, vulnere, etc. directe ab eo causata sunt, juxta prudentis arbitrium. Praecise autem pro vita, membro, vel cicatrice, vide infra, quaer. 1. *n.* 627. - 626.

Unde :

1. Qui occidit ebrius alium, si ebrietas non fuit culpabilis et voluntaria vel licet fuerit talis, si tamen homicidium vel non praeviderit, vel diligentiam debitam adhibuerit ad cavendum, non tenetur ad restitutionem : tenetur autem, si praeviderit et non caverit. - 627.

2. In homicidio voluntario pro expensis funeris nihil restituitur, quia illa aliquando facienda tandem fuissent, nisi forte occasione illatae mortis, v. g. extra patriam, majores fieri oportuerit.

3. Restitui debent impensa facta in curationem et medicamenta vulnerati, vel occisi.

4. Item, lucra quae ex mutilatione, vel vulneratione cessarunt; non quidem tam in solidum, ut si de facto essent acquisita; sed pro majore, aut minore spe, quam laesus habuerit illa acquirendi. - 631.

5. Si laesus ante mortem omnia remiserit, ad nihil tenetur occisor : quia filiis non fit injuria in bonis, nisi quatenus laeduntur in Patre contra ejus voluntatem; volenti enim non fit injuria, ergo sicut per eum jus acquirunt, sic etiam id amittunt; etsi non recte faciat Parens (*a*), si filii valde egeant. *Salm., Sanch., etc. communiter.*

Nota tamen, quod facta remissione injuriae non intelligitur facta remissio damnorum. - 630.

Quaeritur 1. An impotens ad restituendum in uno genere bonorum, teneatur restituere in altero inferiori, puta, si quis hominem occidit, aut vulneravit, aut infamavit teneatur pecuniam dare, si nequeat aliter damnum compensare ?

R. Adest duplex *probabilis* sententia. *Prima affirmat* cum *Soto, Caj., Sylv. etc.*, et pro hac sententia videtur esse *D. Thom.*, qui sic habet; « Cum » aliquis alicui abstulit membrum, » debet ei compensare, vel in pecu» nia, vel in aliquo honore. » Idem dicit de restitutione famae. Ratio, quia qui non potest totum damnum, tenetur saltem compensare partem, quam potest. *Secunda vero probabilior et communior sententia negat ;* eamque tenent *Less., Lugo, Laym., Bonac., Sanch. etc.* Probatur 1. *Exodi* 21, v. 19. ubi dicitur quod, convalescente

(*a*) *Licet non bene efficeret Pater in remittendo ea damna in filiorum praejudicium. - H. n.* 86.

vulnerato, *innocens erit qui percusserit, ita tamen ut operas ejus et impensas in medicos restituat.* Probatur 2. ratione, quia justitia commutativa obligat ad restituendum juxta aequalitatem damni illati, ubi autem restitutio facienda sit in genere diverso, nulla adest aequalitas, nec ulla erit unquam compensatio damni; per quamcumque enim pecuniam damnum minime reparabitur neque in toto, neque in parte: et sic respondetur oppositae sententiae. Communiter tamen praelati auctores monent congruum esse, ut Confessarius imponat poenitenti pro poenitentia vel ex aequitate aliquid laeso elargiendum. 627. Vel pro salute occisi injungat eleemosynas et Missas.

Nota 1. Etsi praecise pro vita, membro, occisione non sit obligatio restituendi, ut *probabilius* superius dixi, per sententiam tamen judicis cogitur injurians satisfacere pro injuria. 2. Si occisus, vel mutilatus fuerit servus, vel animal, tunc etiam pro vita et membris facienda est restitutio; quia horum vita pretio aestimatur: ac proinde tantum debet restitui, quanti potuisset vendi, et pro mutilatione, vel cicatrice quanto pluris venderetur.

Quaeritur 2. Quibus haeredibus teneatur homicida restituere damna?

R. Certum est 1. quod haeredibus necessariis, ut filiis, parentibus, et etiam uxori, restituendum est damnum et lucrum cessans, non tantum illud, quod cessavit in vita occisi, sed etiam post ejus mortem; juxta tempus, quod defunctus verisimiliter victurus creditur, attenta aetate, valetudine etc. Sed hoc lucrum non est restituendum integrum in re, sed juxta spem. *D. Thom., Sanch., Nav. etc.* Certum est 2. quod restituendum est haeredibus non necessariis omne debitum reale contractum cum defuncto ante ipsius obitum, nempe damnum ejus bonis irrogatum per occisionem, et lucrum quod amisit vulneratus tempore quo vixit: non autem lucrum quod cessavit a tempore mortis, cum id non fuerit debitum reale cum defuncto contractum. - 631.

Quaeritur 3. An homicida teneatur restituere fratribus, consanguineis, vel aliis bona, quae occisus illis probabiliter daret, si viveret?

R. Tres sunt sententiae. *Prima universe affirmat;* quia illi quamvis jus non haberent ad talia bona, habent tamen jus ne vi impeditus fuisset defunctus quominus ea ipsis elargiretur. Ita *Vasq., Scot., Az. etc. Secunda* dicit restitutionem deberi tantum fratribus, praeter parentes, uxorem, et filios. *Tertia et quidem probabilior,* quam tenent *Bus., Less., Conc., Salm., Sot., Lugo, Bon. etc.* docet nihil deberi aliis, nisi parentibus, filiis, et conjugi, etiamsi homicida illorum damna praeviderit. - 632. Contra autem dicunt *Salm.* cum *Caj., Mol. etc.* teneri homicidam ad restituendum, si damna illorum intenderet. Tunc enim occidens jam opere injusto externo laedit illos, et ideo illum teneri eos indemnes praestare recte dicunt *Conc., Tamb., Less., etc.* - 633.

Quaeritur 4. An homicida teneatur restituere creditoribus occisi damnum eis illatum?

R. Tres sunt sententiae. *Prima* dicit eum teneri, si homicida praeviderit eorum damnum. Ita *Sanch.* et *Tap. Secunda* dicit eum teneri, sive praeviderit sive non; quia creditores jus habebant exigendi sua credita ab occiso. *Mol., Laym. Tertia* autem *sententia,* quam tenent *Tamb., Less., Soto, Salm. etc.* docet eum non teneri ad restitutionem, etiamsi praeviderit damnum, modo non intenderit, quia damnum illorum tunc evenit per accidens. Secus, si damnum creditorum directe intendisset; sic *Tamb., Viva;*

et hoc recte vocat *communiter* et *probabilius Conc.* - 634.

Quaeritur 5. An occidens *Cajum*, putans se occidere *Titium*, teneatur ad restitutionem?

R. Affirmat Bus. At *negant* alii, quia homicidium respectu *Caii* est mere causale; et involuntarium. De hoc vide dicta n. 629., quae ad idem coincidunt.

Quaeritur 6. An tenearis restituere damnum alteri obveniens ex tuo homicidio, nempe si illi crimen imputetur?

R. Dicit *Less.* quod certe ad nihil teneris si non advertas ad damnum illi eventurum. Sed si advertas, *Nav., Sanch. etc.* dicunt te teneri ad restitutionem; quia tunc fuisti causa efficax damni. *Probabilius* tamen *negant* te teneri *Less., Sot., Lop. etc.* Ratio, quia non censetur alteri injuriosa actio illa, ex qua provenit damnum non ex se, sed ex errore aliorum, licet error praevideatur; modo tamen, ut bene limitat *Less.*, cum *Tamb., Croix*, actio illa exterior non sit talis, ut ea ejusque circumstantiae proxime influant moraliter ad imputationem in tertium, puta, ut dicunt *Viva, Tamb., Croix,* si occidas indutus vestibus, vel armis *Pauli*, vel in domo, aut agro, aut cum famulis *Pauli*. Nisi, addunt tamen *Less. etc.*, quis hujusmodi actionibus utatur jure suo; quia tunc nemini infert injuriam, quamvis peccare possit contra charitatem, si tunc parum ipsius intersit jure suo uti. - 635.

Quaeritur 7. Sed quid, si non solum advertas, sed etiam intendas ut homicidium tuum alteri imputetur?

R. Lugo, cum *Caj., Ang. etc. affirmat* te tunc teneri ad restitutionem; quia licet actio tua sit causa remota imputationis tua tamen prava intentio nocendi efficit, ut sis causa moralis illius damni. Verum adhuc *probabilius* puto nec etiam eo casu te teneri, ut docent *Less., Sanch., Tamb., Croix etc.* Ratio, quia semper ac actio ex se, vel ex suis circumstantiis, non sit proxime causans imputationem, intentio prava juxta *communiorem* sententiam non efficit ut si injustum illud opus, quod de se externe et graviter non est injustum respectu tertii. Unde hic homicidium est tantum occasio imputationis, non vero causa, quia non influit proxime, et directe. - 636.

Quaeritur 8. An teneatur ad restitutionem damni invasus, qui excedit moderamen inculpatae tutelae?

R. Negant Sot., Mol., Sylv., Angl. etc.; quia tunc invasor censetur cedere juri suo. Attamen *Lugo, Croix, Sanch., Nav., Vasq.*, et alii *communiter probabilius* putant eum teneri ad totum damnum; quia excedendo jam gravem injuriam alteri infert, et invasor utique habet jus, ut a nemine ex privata auctoritate injuste occidatur. - 637.

Quaeritur 9. An provocans occidens acceptantem teneatur ad restitutionem damni?

R. Censet *Suar.* quod teneatur restituere damnum, quia provocatio fuit vera damni causa. *Sed probabilius* (*a*) contradicunt *Lugo, Vasq.*, et alii; quia licet provocans peccet contra charitatem, dum autem alter pugnam acceptat pugnando, non peccat contra justitiam. - 638.

Quaeritur 10. An in restitutione lucri amissi ob occiso propter occisionem, debeat detrahi pretium laboris, quem ille pro lucri obtinendo impendere debuisset?

R. Affirmant Mol. etc. Negant vero *communes* DD. Sed rationabiliter sententias conciliat *Bonac.* dicens illud tantum detrahendum, quod praesumitur occisus libenter daturus fuisse pro redemptione laboris. - 639.

(*a*) Probabiliter - *H. n.* 89.

Quaeritur 11. Quando reus morte plectitur, an haeres ejus teneatur restituere damna causata per crimen?

R. Negant Scotus etc. Sed *contrarium* est dicendum cum *Croix* et aliis *communiter*. Censet tamen *probabile Croix* excusari haeredem a restitutione, si compensatio damnorum non petatur, quia tunc partes praesumuntur condonare, nisi res adhuc extaret; vel nisi, ait *Lugo*, damnum esset valde grave. - 705.

PUNCTUM II.

De injusto Damnificatore in bonis corporis per *stuprum*, sine vel cum promissione matrimonii.

I. Qui virginem per injuriam defloravit, sine promissione matrimonii, tenetur tantum rependere damnum, quod ei ex tali injuria est secutum, idque vel matrimonio, vel damni aestimatione ad arbitrium prudentis. - 640.

Unde :

1. Si virgo libere consentiat, aut stuprum mansit occultum, *commune* est defloratem nihil teneri ei restituere pro sola virginitate. Vide n. 627.

2. Si vero quis vi, minis, aut fraudibus violet, hic tenetur tam puellae, quam parentibus omnia damna reparare honoris et fortunae.

3. Tenetur talis defloretor talem augere dotem, ut puella aeque bene nubat, ac si violata non fuisset. Ita *communiter Lugo, Sanch., Less., Ronc., Laym. etc.* Addunt *Salm.* teneri defloratorem etiam aliquid aliud dare puellae prudentum arbitrio, propter moerorem et periculum vexationis patiendae a viro, si corrupta cognoscatur.

4. Satisfacit tamen stuprator dotando, non tenetur enim eam ducere, si matrimonium non promiserit; ut *Less., Lugo, Salm. etc.* Verumtamen Judex bene potest eum obligare ad eam ducendam in poenam sui criminis. *Salm.* 641.

5. Quando defloretor non potest alio modo damnum restaurare, tenetur eam ducere, ut *communiter* dicunt *Less., Lugo etc.* nisi magnus sit excessus. Vide n. 643. Si autem ipse vellet eam ducere, et puella nuptias respueret, tenetur eam omnino dotare, ut recte dicunt *Less., Ronc., Lugo etc.* - 648.

6. Et idem dicendum etiam in dubio an puella fuerit prius vel non ab alio corrupta, quia praesumitur ipsa integra, donec certo oppositum probetur.

7. Item si vir rem habeat cum puella clam corrupta, vel cum vidua honestae famae, et ex suo injusto concubito ipsae famae jacturam faciant. Secus vero, si concubitus omnino occultus ramaneret, tunc enim ad nihil teneretur. *Laym., Ronc., Salm.*, ex *communi DD.*

Quaeritur 1. Si virgo libere consentiat, an teneatur in illo casu defloretor satisfacere injuriam parentibus puellae?

R. Adest duplex sententia *probabilis. Prima negat ;* et hanc tenent *Sanch., Lugo, Suar. etc.* Ratio, quia si ipsa puella cum sit domina sui corporis, nullam irrogat injuriam patri, si defloretioni consentiat utens jure suo, tanto minus irrogat defloretor. Tantum illa peccabit, et consequenter etiam violator contra pietatem patri debitam, et etiam contra obedientiam, si de tali crimine expresse prohibitionem a patre habuerit. *Secunda* vero *sententia affirmat* et hanc tenent *S. Antonin., Nav., Cordub., D. Thom. etc.* Haec secunda sententia docet tam puellam quam ejus violatorem dupliciter peccare, nempe contra charitatem et justitiam, at teneri defloretem restituere patri honorem ablatum per aliquod signum honorationis, veniae petitione, aut alio simili; nisi praesumatur pater talem nolle satisfactionem.

Quaeritur 2. An violator puellae

consentientis, restituere teneatur parentibus damnum bonorum ipsis obveniens propter dotem, quam augere debent ad filiam in matrimonio collocandam?

R. Affirmant Azor., Cordub. et alii. Sed *communissime negant Soto, Suar., Sanch, Less., Lugo etc.* Ratio, quia sicut puella, cum possit libere nuptias respuere, injuriam parentibus non facit, si ad illas minus aptam se reddat, consentiendo in suam defloratonem, ita neque injuriam eis facit defloror, ipsam consentientem violans. Excipitur 1. Si vir deinde facinus propalando puellam infamaverit; tunc enim ex justitia tenetur omne damnum ex infamatione proveniens puellae et parentibus resarcire, ut recte advertunt *Laym. etc.* 2. Si deflorator sit valde dives et puella pauper, tunc enim tenetur ipse dare ei aliquam saltem partem dotis, licet non promiserit, quia tunc censetur puella sub hac spe, et ex quodam implicito pacto suae defloratioui consensisse, *Salm.etc.* Quamvis *Dicast. etc.* dicant ad id teneri violatorem tantum ex consilio et aequitate. 5. Si judex, sequendo sententiam probabilem oppositam, damnet defloratorem ad poenam, propter injuriam parentibus illatam; bene enim contra ipsum competit parentibus actio pro injuria. *Lugo, Mol. etc.* Caeterum loquendo de legibus, quae in foro externo cogunt defloratorem ad puellam ducendam aut dotandam; eo quod leges ordinarie praesumunt, nisi oppositum probetur, virginem fuisse deceptam, recte dicunt *Salm.* ad ea non teneri in conscientia defloratorem, si puella revera sponte consensit. Leges enim quae fundantur in falsa facti praesumptione, non obligant in conscientia, ut diximus in *Tract. de Leg. n.* 100.-641.

Quaeritur 3. Quid, si virgo injuste violata postea aeque bene nubat?

R. Ad nihil teneri violatorem nisi ante matrimonium, per sententiam vel pactum dos fuerit puellae adjudicata, si enim puella, antequam nubat, satisfactionem petat, tenetur stuprator satisfacere, licet stuprum sit occultum. Alias nihil tenetur praestare non pro violatione virginitatis, quae irreparabilis est, nec pro damno, cum nullum secutum sit. Ita *Nav., Less., Lugo, Laym.*, cum *Dicast. etc.*, qui tamen advertunt, quod si mulier male tractetur a viro ob cognitum defectum, tenetur stuprator damna mulieri compensare.

Quaeritur 4. An qui precibus repetitis et importunis, vel muneribus aut promissis, virginem ad consensum defloratiouis induxit, teneatur eam ducere vel dotare?

R. Negant communissime Sanch., Less., Lugo, Salm., Vasq. etc. Ratio, quia preces illae aut promissa non tollunt quod virgo vere sponte consentiat, cum possit facile, ut decet, molestiam illam excutere. Excipiunt praefati auctores 1. si una cum precibus junctae sint minae, aut metus reverentialis. 2. Si preces essent adeo importunae et frequentes, ut puella majus detrimentum putaret vexationem illam quam virginitatis jacturam; tunc enim sollicitatio tam importuna vi comparatur. Tametsi bene addunt *Salm.*, rarissime id contingere, dum femina de facili possit, concepta ira vel aliter, a sollicitante se liberare. 3. Excipiunt *Ronc., Salm. etc.*, si vir incipiat tactibus et osculis vim puellae inferre, etiam si illa postea libere consentiat deflorari, quia per antecedentem illam violentiam vir constituit eam in proximo periculo consentiendi in copulam. 4. Excipiunt *Ronc., Salm. etc.*, si vir nolit discedere, et virgo consentiat, quia alias timet infamari, si cum illo ab aliis sola reperiatur. In his tamen et similibus casibus dicunt *Salm.* teneri violatorem tantum ad partem, non vero ad omnem damnorum reparationem. 642.

II. Qui per veram vel fictam promissionem matrimonii copulam extorsit a virgine, tenetur eam ducere, etiamsi possit aliunde damnum resarcire. Haec est sententia *communis* omnino tenenda, quam docent *D. Thom.*, *Bus.*, *S. Antonin.*, *Nav.*, *Sanch. etc.* Ratio prima est, quia aliter, si defloratur virginem deceptam non ducat, nunquam ei reddet aequale, nec damnum adaequate reficiet. Ratio secunda, quia in contractibus innominatis, *do ut des, facio ut faciàs*, quando alter ex sua parte implevit, tenetur alter implere ex justitia, quamvis ficte contraxerit. - 642.

Haec vero sententia limitatur. 1. Nisi femina ex verbis aut aliis conjecturis facile poterit advertere deceptionem promittentis. - 643.

2. Si timeatur ex matrimonio pessimus exitus, ut si puella noscatur nimis levis. *Bus.*, *Lugo*, *Sanch. etc.* Idem dicunt *Sanch.*, *S. Antonin. etc.*, si timeantur magna scandala, vel rixae inter consanguineos contraentium. Sed quoad hoc punctum vide quae dicemus de *Matrimonio* n. 851.-644.

3. Si vir feminam cognoverit, existimans eam esse virginem, sed corruptam invenerit. *Salm.*, *Sanch.*, *Spor.*, *Laym.* Et sic dicendum putat *Sanch.* pro quocumque alio notabili errore viri, in his tamen casibus putant *Sanch.*, *Spor.*, *Lugo*, teneri virum aliquid compensare feminae ratione copulae traditae, nisi femina eum deceperit fingens se virginem, quia tunc una deceptio cum altera compensatur. Ita praefati Auctores. Sed *probabilius* docent *Less.*, *Ronc.*, *Conc.*, in eo casu virum ad nihil teneri, nisi pactum praecessisset dandi aliquid; vel nisi ex copula illa mulier infamiam contraxisset, nam alias pro damno violatae honestatis *probabilius* nihil debetur, cum tale damnum nulla pecunia compensari possit, prout diximus pariter de restitutione vitae et famae ablatae. Vide dicta n. 627. Imo *probabiliter* ait *Elbel*, quod si puella ideo infametur, et a miliori connubio impediatur, quia ipsamet stuprum clam passum manifestat, ad nihil tenetur stuprator. Ratio, quia ipsamet sola tunc est causa sui damni.

4. Si vir ante copulam non ignoraverit feminam illam esse corruptam, tunc si fuit corrupta extra matrimonium, tenetur vir tantum ad damna, non vero ad matrimonium, quia revera matrimonium cum femina inhoneste corrupta est longe majus, quam copula exacta. Secus, si femina sit bonae famae, et fuerit corrupta ex matrimonio, tunc *verius* dicendum virum semper teneri ad eam ducendam. - 646.

5. Si non stet per virum, quominus matrimonium fiat, sed stet per puellam, quae defloratione consensit sub illa facta promissione; tunc enim vir ad nihil teneretur, etiamsi vere promisisset, ergo tanto magis, si ficte promiserit. *Sanch.* Sed recte excipit *Lugo*, si stuprator se finxerit melioris, vel aequalis conditionis feminae, cum fuerit inferior, quia tunc obligatur ad eam dotandam. Item si non stat per puellam, sed per ejus parentes, *verius* mihi videtur tenendum virum ficte permittentem teneri damnum compensare. - 647.

Quaeritur 1. An vir habens solos tactus cum virgine, teneatur ad nuptias ficte promissas?

R. Negative, quia soli tactus non afferunt tantam injuriam, quae proportionem habeat cum onere ducendi, nec sunt tanti ponderis, ut non ingerant mulieri suspicionem fictionis; modo mulier non sit nobilis, aut honesta, aut modo vir non requisiverit nisi solos tactus cum nuptiarum promissione, et propter illos jam patefactos, aut saltem, familiaritate divulgata, puella remaneat infamia notata. - 645.

Quaeritur 2. An teneatur stuprator ad nuptias ficte promissas, si ipse no-

tabiliter excedat in nobilitate vel divitiis conditionem mulieris, et illa jam noverit disparitatem ?

R. Pal., Pont., Croix, Laym. etc. tenent non sufficere solam inaequalitatem ad liberandum virum a matrimonio promisso, sed insuper requiri ut ex aliis circumstantiis puella potuerit deceptionem percipere, cum non raro viri feminas dispares ducant. Sed *valde probabiliter* eum excusant *Salm. Lugo, Sanch., S. Antonin. etc.* Ratio, quia ipsa disparitas conditioni de se ingerit motivum ad prudenter dubitandum de veritate promissionis. Quanta autem debet esse haec disparitas ad liberandum virum a matrimonio ? *Lessius* requirit ut vir sit longe nobilior, nempe si sit filius comitis, et mulier sit filia fabri ; sed *Sanch.*, cum *S. Antonin.* et *Nav.*, ait multo minorem disparitatem sufficere, nempe si nobilis ducere debeat filiam agricolae, vel si ipse sit notabiliter opulentior.

Quaeritur 3. An deflorator eo casu teneatur ad matrimonium, si puella omnino disparitatem ignoraverit ?

R. Affirmant probabiliter Less. etc. At *valde* adhuc *probabiliter negant Lugo, Sanch. etc.* Ratio, quia deflorator non obligatur nisi ad aequalitatem injuriae illatae. Si igitur vir multo melioris conditionis illam eo casu sibi matrimonio copularet, redderet plus quam aequale injuriae illatae, dum redderet id quod illa nec petiit, nec petere intendit, et ideo non tenetur eam ducere, sed sufficit si damnum reparet eam dotando vel de nuptiis providendo.

Quaeritur 4. Utrum casu quo mulier ob disparitatem cognitam, vel ob alias conjecturas potuit percipere deceptionem, teneatur saltem vir ad damnum compensandum ?

R. Affirmant Sot., Nav. etc.; quia ipse jam injuste puellam defloravit. Sed *probabilius negant Less., Lugo, Sanch.* cum *S. Antonin., Sylv. etc.* Ratio, quia quando puella deceptionem jam percepit, ut prudenter percipere debuit, tunc recte praesumitur libere consensisse. - 643.

Quaeritur 5. An vir habens votum castitatis vel Religionis, teneatur ducere virginem defloratam post veram vel fictam promissionem matrimonii ?

R. Si votum emissum fuerit post promissionem, *commune* est Doctorum teneri virum ad conjugium, quia tunc votum est nullum, cum factum fuerit in injuriam puellae. Si autem votum emissum fuerit ante promissionem, *prima sententia negat* eum teneri. Ita *Laym., Nav., Salm. etc. Secunda* vero *sententia probabilior*, quam tenent *Less., Sanch., Lugo etc.*, docet talem stupratorem omnino teneri ad matrimonium. Ratio quia, ut diximus, damnum deflorationis nunquam adaequate reparatur nisi per solum conjugium. Nec obstat votum emissum, quo vigente, videtur corruptor non potuisse ad matrimonium se obligare ; nam respondet *Lugo communem* esse sententiam, quod debita onerosa semper sint praeferenda debitis, quae obligationem trahunt ex libera voluntate hominis, prout sunt vota. Ita *communiter* docent *Less., Mol., Bon., Lugo, etc.*

Sed *dices :* Si hoc esset, ergo posset deflorator sine dispensatione matrimonium contrahere ?

R. Non desunt AA. qui dicunt eum posse, ut *Less., Spor. etc.* Sed praeterea dico cum *Lugo* quod licet talis vir nequisset matrimonium promittere, poterat tamen promittere se impetraturum dispensationem, et ad hoc stuprator jam se obligavit ratione deceptionis, copulam extorquendo sub promissione matrimonii ; unde tenetur ipse dispensationem impetrare. Haec secunda sententia mihi *certo et longe probabilior* videtur. An autem prima sententia sit *probabilis*, ego ipsam

nec probabilem nec improbabilem dicere audeo. - 649.

Quaeritur 7. Ad quid teneatur qui sub promissione matrimonii violaverit consanguineam ?

R. Duo casus in hoc sunt distinguendi. Primus casus est, si vir promiserit matrimonium expresse sub pacto impetrandi dispensationem ; et tunc quando impedimentum est tale, ut in eo Pontifex nunquam vel raro soleat dispensare, prout inter consanguineos in 1 vel 2 gradu transverso, utique promissio erit omnino invalida, atque ideo non erit alia obligatio, quam resarciendi damna. Quando vero impedimentum est tale, in quo *Papa* dispensare soleat, alii dicunt promissionem matrimonii esse invalidam. Alii tamen *communius* et *verius* docent talem promissionem satis obligare. Secundus casus est, si promissio matrimonii sit absoluta, nulla facta mentione dispensationis ; tunc dicit *Sanch.*, cum *Cov.*, *etc.* promissionem esse omnino nullam utpote de re bonis moribus adversa ; sed *verius* adhuc puto cum *Lugo*, *Croix*, *Lamb.*, *etc.* promissionem esse validam, si impedimentum promittenti jam notum fuerit, quia conditio de dispensatione impetranda subintelligitur.

Quaeritur 8. Sed quid, si stuprator ficte promisit matrimonium cum pacto impetrandi dispensationem ?

R. Recte distinguit *Lugo :* Si mulier prudenter advertere potuerit fictionem promissionis, vir ad nihil tenetur, quia tunc ipsa sponte decipi voluit. Secus si mulier non potuerit advertere ; quia tunc defloratur ratione fraudis tenetur ad matrimonium, et consequenter ad dispensationem impetrandam.

Quaeritur 9. At quid, si defloratur ficte, sed absolute conjugium promisisset consanguineae non advertens ad impedimentum ?

R. Si ipse culpabiliter non advertit, tenetur pariter ad matrimonium, qui jam fraudolenter agit. Si vero inculpabiliter, tunc dico quod, quando dispensatio non potest obtineri sine gravi incommodo, non tenetur ad matrimonium, quia ad hoc praecise non se obligavit, stante ignorantia inculpabili impedimenti ; sed bene tenetur ad damnum compensandum ratione defloratio-nis extortae ; et si non possit damnum compensare, adhuc tenetur ad matrimonium, prout tenetur quisque injustus defloratur. Ita *Lugo*, *et Tamb.* Si autem dispensatio facile impetrari potest, et sine gravi incommodo, tunc dico omnino teneri virum ad matrimonium. - 650.

PUNCTUM III.

De injusto Damnificatore in bonis corporis per *Adulterium*.

Cum ex adulterio damnificari possint conjux alter et proles legitimae circa sustentationem, haereditatem etc., patet quod uterque adulterans, nata eis prole, debeant, cum id damnum causent, eatenus restituere, quatenus possunt sine detrimento altioris boni, et causatione majoris mali. Est *communis*. - 651.

Unde :

1. Adulter tenetur restituere omnia damna, scilicet haereditatem relictam a viro adulterinae proli, et alimenta ab eo data puero a tertio aetatis anno. Nam usque ad tertium annum mater tenetur eum lactare. Dico *lactare*, nam ad alias expensas tenetur pater. Si vero mater non possit lactare, non ipsa, sed adulter tenetur subire expensas ad lactandum, ut dicunt *Salm.*, cum *communi ;* nisi pater sit impotens, quia tunc tenetur mater. - 655.

2. Adultera debet, si potest, damnum compensare, v. g. 1. diligentius

administrando rem familiarem. 2. De cultu corporis detrahendo. 3. Si habeat bona propria, plus legitimis, quam spurio relinquendo. 4. Eum inducendo ut, relicta haereditate vel ejus parte, amplectatur statum Ecclesiasticum vel Religiosum, sí idoneus sit, etc. - 652.

Quaeritur 1. An adultera teneatur se prodere, si sciat prolem non esse legitimam, ad evitandum detrimentum mariti et filiorum legitimorum?

R. Affirmant Adrian., Palud. Sed *negant Sotus* et alii, nisi ingens sit damnum, nempe regni, principatus et similis. Alii vero, ut *Caj,, Less., Sot., Vasq., etc., negant* ullo casu teneri matrem se infamare. Ultima tandem sententia *vera et satis communis,* quam omnino sequendam puto et tenent *Lugo, Soto, Cov., Mol., Tol. etc.* distingnit: si damnum famae multum praeponderet damno mariti et filiorum legitimorum, tunc non tenetur mater illud subire: secus vero, si infamia non sit tanta.

Hinc *infertur* matrem teneri se prodere in sequentibus casibus: 1. Si ipsa sit perditae famae. Et quod de femina malae famae dictum est, dicunt *Lugo* et *Less.* de femina vili, modo, addit *Lugo*, sit adeo abjecta ut non esset longe magis aestimabilis fama sua, quam damnum aliis inferendum. 2. Si alioquin timeatur publicum damnum, nempe si spurius sit perditis moribus imbutus, et succedere debeat regno vel principatui. 3. Si mater se manifestando filio spurio, verosimiliter speraret filium el creditурum bonisque cessurum, et non timeretur ulterius magna infamia aut vexatio matris, ut docent *Lugo, Ronc., S. Antonin., Less., etc.* 4. Si mater posset damnum vitare se manifestando soli marito; sed bene ajunt *Lugo*, et *Spor.* raro ad hoc teneri uxorem, eo quod raro ex tali manifestatione ipsa sit subitura magnam vexationem.-653.

Quaeritur 2. An eo casu teneatur spurius credere matri?

R. Affirmant Conc., Tamb., Vasq., etc. Si mater sit fide dignissima, spectatis circumstantiis, nempe amore in filium, et sua praesenti probitate: puta si tunc poenitentem vitam ducat, sacramenta frequentet, aut si sit in articulo mortis, et suum dictum juramento firmet. Sed *communissime* et *probabilius* filius non tenetur credere matri, etiamsi juramento id asserat. Ita *Lugo, Salm. etc.* Id probatur 1. quia filius est in possessione legitimitatis, cui cedere non tenetur, nisi convincatur esse adulterinus vel illegitimus. Probatur 2. quia nemo tenetur credere uni testi, etsi probatissimo. Secus tamen dicendum, ut bene ajunt *Lugo, Holz., Ronc., Spor., etc.* si adsint indicia ita vehementia ut filius in foro externo tanquam spurius condemnaretur, v. g. si mater clare ostenderet impotentiam vel absentiam mariti tempore procreationis. - 634.

Quaeritur 3. An si adulteri sint divites, et exponant prolem hospitalibus, teneantur reddere illis expensas factas pro nutrienda prole?

R. Affirmat prima sententia. Ratio, quia haec pia opera unice pro pauperibus sunt instituta. Ita *Salm., Mol., Less., Sanch., etc. Negat vero secunda sententia,* quam tenent *Henr. etc.* Eamdemque sententiam docet *Laym.* si hospitale sit opulentum; secus si pauper. Sed universe praefatam sententiam ego puto *probabiliorem*. Ratio, quia hujusmodi hospitalia non solum sunt instituta ad subveniendum pauperibus, sed etiam divitibus in infamiae periculo, in quo ipsi solent vel procurare abortum, vel prolem necare, ne infamentur; et huic malo intendunt hospitalia occurrere. Imo dico ista potius quam pauperibus, erecta esse pro pueris spuriis ad eos liberandos a discrimine mortis aeternae

et temporalis, quam facile subirent ob infamiae timorem, si adulteri ex proprio eos alere deberent. - 656.

Quaeritur 4. Ad quid teneatur adulter, si dubium sit an proles sit sua, vel mariti?

R. Communis sententia excusat ab omni restitutione adulterum, modo non sit certus prolem esse suam. Ratio, tum quia possidet matrimonium, et filius legitimus reputatur, nisi constet oppositum; tum quia melior est conditio adulteri possidentis bona sua, quibus non tenetur se spoliare pro obligatione dubia. Ita *Tourn., Elbel, Soto, Nav., Spor., etc.* - 657.

Quaeritur 5. Sed quid si dubium sit inter duos adulteros, cujus sit proles?

R. Propter eamdem rationem idem tenent valere *Sanch., Zach., Az., Less., Bon., Salm., etc.* Quae utique sententia, spectata ratione, et absolute loquendo, *probabilior* est. Nemo enim tenetur ad damnum, nisi certo moraliter constet ipsum fuisse causam damni, ut probabimus infra ex n. 562. Secus est de secundo adultero, qui sciens adulterium factum ab altero, cum adultera rem habet, avertens suo secundo adulterio fieri causam incertitudinis ne possint a primo adultero exigi alimenta; vel si plures adulteri ex communi consilio adulterium patrarent. Sed ut secundus teneatur, requiritur ut ipse advertat ad illud damnum quod evenire potest ex suo adulterio, et quia rarissima erit haec advertentia, rarissima etiam erit haec obligatio adulteri. Et ita mecum sentit *Elbel.* - 658.

Quaeritur 6. An adulter certus de prole teneatur ad damna, si ipse non fuerit causa suppositionis, scilicet si ipse non induxerit mulierem, ut supponeret viro suo prolem uti filium suum, sed negative se habuerit?

R. Tres sunt sententiae. *Prima* docet teneri eum semper ad omnia damna. *Secunda* vero excusat adulterum. *Tertia* distinguit et dicit quoad alimenta teneri patrem illa subministrare; quia pater tenetur de se alere filium. Quoad haereditatem vero proli relictam, dicit eum non teneri. Sed *longe probabilior* mihi est prima sententia. Ratio, quia licet adulter tantum permittat filium suum supponi, tamen filium procreando est causa proxima et directe moralis omnium damnorum, cum in moralem necessitatem supponendi prolem ponat adulteram, cui est inde moraliter impossibile prolem e domo ejicere propter infamiam quam subiret. Ita *Less., Conc., Croix, Elbel, Lugo, etc.* Secus autem dicendum, ait *Lugo* cum *Vasq.*, si adultera sine sua infamia, et periculo suppositionis possit prolem extra domum tenere et alere. - 659.

§. II. *De Injusto Damnificatore in bonis famae.*

Juxta dicta si restitui non possint bona ablata ex bonis ejusdem ordinis, non est obligatio faciendi ex bonis diversi ordinis. Vide dicta, n. 627.

Unde:

1. Pro fama restituenda est fama: cum id non potes, non teneris ad pecuniam et bona fortunae, nisi per sententiam a judice cogaris sic satisfacere.

2. Si tamen laedendo famam, in bonis etiam fortunae alteri damnum allatum est, constat ex supra dictis quid faciendum sit. De laesionae famae vide insuper n. 1000. - 660.

§. III. *De Injusto Damnificatore in bonis spiritualibus.*

Quod superius dictum est de famae injusto damnificatore, dicendum pariter de injusto damnificatore in bonis spiritualibus.

Unde:

1. Si quis alterum induxit ad peccatum suasione vel exemplo suo, tenetur quidem ex charitate, quoad potest, eum revocare ad meliorem statum, sed non ex justitia. *Less.*, *Laym.*

2. Si quis autem induxit fraude, dolo, injusto metu, etc., tenetur ad id ex justitia; quia quisque habet jus ne injuste laedatur in bonis spiritualibus. Unde si laedatur, debet id spirituale restitui, si possit. *Croix* putat injustum damnificatorem tunc teneri *probabiliter* ex justitia cooperari ut alter convertatur; sed non negat oppositum esse etiam *probabile*. - 661.

3. Si quis aliquem etiam Novitium abduxit ab ingressu religionis, tamen sine vi et fraude, etsi graviter peccarit id irrationabiliter faciendo, ac proinde teneatur ei rursus suadere ingressum ex charitate; non tamen ex justitia vel illi, vel religioni tenetur, quae nullum adhuc in eum jus acquisivit.

4. Si quis Religiosum ad apostasiam induxerit suasione aliave cooperatione, obligatur ex justitia Religioni ad restitutionem; non quidem ut ipse loco alterius ingrediatur, sed ut suadeat alteri, quoad potest, reditum, et compensent monasterio commoda quae ex haereditate, bonis vel industria alterius expectabantur.

5. Qui per vim, fraudem aut metum gravem impedit, vel avertit aliquem a Religione, graviter peccat contra justitiam. *Probabilius* autem est quod is qui hunc impedit, non teneatur alium adducere ad Religionem. Tenetur tamen reparare damna ob id Monasterio provenientia, *communiter* docent DD., et hoc dicendum *probabilius*, etiamsi ille aversus simplex esse Novitius. *Lugo etc.* - 662.

Nota. De restitutione facienda ob omissionem officii divini, vide in *Opere*, n. 663.

ARTICULUS IV.

De Cooperatoribus.

Tenentur ad restitutionem omnes illi qui quoquo modo sunt causa influens et efficax damni secuti; ac qui ex officio et obligatione justitiae obligati cavere damnum, non caverunt. Ita *communiter* DD. Concludunt ergo teneri ad restitutionem comprehensos sequentibus versibus:

Jussio, consilium, consensus, palpo,
recursus,
Participans, mutus, non obstans, non
manifestans.

1. *Mandans*, sive expresse mandet sive tacite, dicto nimirum vel facto, ex quo v. g. famulus colligat hero gratum fore, si faciat; non autem tenetur, qui ratum tantum habet opus suo nomine factum; uti nec mandans, si ante executionem mandatum retractet, idque mandatario innotescat; quia tunc non est vera causa. *Mol.*, *Less.*, *etc.*

2. *Consulens* precibus ac promissionibus ad damnificationem inducens. 558.

3. Qui suo *consensu*, calculo, vel suffragio est causa efficax damni, *Less. etc.* Ideoque ultimi, qui iniquum dant suffragium, peccant, sed non tenentur ad restitutionem, cum non sint causa damni, nisi ex condicto egerint.

4. *Palpo*, aut qui laude, adulatione exprobatione ignaviae, aliterve alium ad damnum inferendum excitat, animat; dummodo judicet sic ad damnum influere, licet non intendat. - 567.

5. Qui inferenti damnum praebet *recursum*, illum receptat, illius furta aut instrumenta occultat, vel ea emendo rapinas fovet, etc. Hi enim omnes, uti et is, cui res furtivae traditae sunt in custodiam, tenentur, non manifestato fure, restituere domino. Qui vero post delictum ipsum reum juvat ad fugiendum, non concurrendo ad

delictum, non tenetur restituere, modo non det illi spem refugii in posterum, tum quia non est causa damni, tum quia reo licet fugere, ut infra dicetur in *Tract. de Praecep. part. n.* 280. Nec tenetur restituere qui receptat furta vel furem, non qua furem, sed qua amicum, cognatum: vel ratione officii, uti stabularius, etsi recipiat furem ante delictum. *Conc., Salm.* ex *communi*. Hoc tamen intelligendum, modo ut diximus, non influat in furta futura, ut bene advertit *Croix*. - 568.

6. *Participans*, qui dupliciter intelligi potest, nempe in re furata, et in actione furti. Participans *in re furata* tenetur quidem restituere quantum de illa ad ipsum pervenit. Quoad participantem vero in *actione furti*, videndum an ipse concurrat ad totum damnum, vel ad partem, juxta dicenda *n.* 579.

7. Qui privative ad damnum alterius concurrunt; nimirum *mutus* sive non clamans, cum potest, *aut non obstans, non manifestans*; sed tunc tantum, quando tales ex aliquo pacto, vel officio, vel stipendio, etc. tenentur ex justitia damnum cavere. *S. Thom.*

Unde:

1. Princeps, Magistratus, vel Dux tenentur ad restitutionem damnorum, quae a feris, latronibus, militibus ob ipsorum culpabilem negligentiam dantur.

2. Tenentur Tutores, Administratores bonorum, etc. non impedientes damna Pupillis, Minoribus, Ecclesiis provenientia.

3. Tenentur custodes montium, vinearum, sylvarum, agrorum, piscinarum, qui damna non impediunt, vel facta non manifestant. - 573.

Quaeritur 1. An consilium dans, si postea revocet illud, teneatur ad restitutionem damni post revocationem secuti?

R. Prima sententia, quam tenent *Habert., Less., Lugo etc.*, cum *Tol., Laym.* et aliis *Communissime*, distinguit: si consulens dederit simplex consilium, vel falsum, vel modo auctoritativo, tunc consilium revocando, vel falsitatem ostendendo, excusatur a restitutione; secus si insinuarit motivum, sive modum inferendi damnum. Ratio, quia adhuc revocato consilio, haec pergunt semper movere. *Secunda* autem *sententia*, quam tenent *Conc., Salm., Az., S. Antonin. etc.* excusat a restitutione, semper ac consulens conatur postea meliori modo, quo potest, damnum dissuadere, saltem adducendo rationem salutis aeternae, quae debet Christiano praeponderare omnibus aliis rationibus mundanis. Hanc secundam sententiam *satis probabilem*, sed primam *probabiliorem* censeo. Recte vero notant *Salm. etc.* quod si consulens nequeat avertere executorem a damno inferendo, tenetur ex justitia monere laedendum ut sibi caveat. - 559.

Quaeritur 2. Secuto damno ex consilio, quisnam primo teneatur ad restitutionem?

R. Cum *Croix*, *Lugo* et *Less.*, si consilium sit utile illud praebenti, ipsum primo teneri; secus, si soli executori. Si autem sit utile utrique, utrumque teneri pro rata: et idem puto, si ex damno illato neutri utile evenerit. In defectu autem alterius, tenetur ille in solidum. - 560.

Quaeritur 3. An teneatur qui consilium dedit, restituere, si damnum etiam sine consilio evenisset?

R. Cum *Viva, Less., Mol., Vasq.* et *communi*, quod si executor de se erat determinatus ad damnificationem, tunc suasor ad nihil tenetur. Ratio, quia ubi intercesserit tantum injuria, sed sine damno nulla datur obligatio restitutionis, ut bene advertit doctus *Holzm.* cum *Elbel*. Secus autem recte ait *Viva*, si executor etiam a consilio

motus fuerit, quia tunc vere est efficax concausa damni.- 571.

Quaeritur 4. Utrum in dubio an tuum consilium sive mandatum, consensus, recursus, palpatio, taciturnitas, etc. fuerit causa damni aut mortis alterius, tenearis ad restitutionem?

R. Prima sententia valde probabilis affirmat, eamque tenent *Habert., Lugo, Sanch. etc.* Ratio I. quia in tali dubio possidet delictum pravi consilii. Ratio II. quia pro eo stat possessio, pro quo stat praesumptio; non praesumitur autem executor damnum intulisse sine consilio, quia nemo praesumitur malus. Excipiunt tamen *Sanch.*, et *Ronc.* nisi adsint aliae conjecturae quae contrarium suadeant, quia ut ait *Sanch.*, homicida erat acer inimicus occisi, vel necem jam minatus fuerat, et similia; item si executor fide dignus, affirmaret se non esse impulsum a consilio, ut dicunt idem *Sanch.*, *Habert.* et *Mazz. Secunda* vero *sententia satis etiam probabilis negat* in tali dubio obligationem esse restitutionis. Ita cum *Buss.*, *Less.*, *Nav.*, *Sylvest.*, et hanc videtur tenere *D. Thom.* Ratio hujus sententiae est illa regula generalis, quod nemo obligatur ad restitutionem, nisi omnino de tali obligatione constet, nempe quod ipse fuerit vera causa damni. *Concina* addit *tertiam sententiam* dicens, quod in tali dubio consiliator teneatur restituere tantum pro rata dubii. Sed huic obstat, quod vel certo possidet consilium, et tunc ille tenetur ad totum damnum; vel non certo possidet consilium, et tunc ad nihil tenetur, quia melior est conditio possidentis bona sua: quod in materia justitiae certum esse omnes docent, ut vidimus n. 547. Certum autem mihi est, quod si tu pravo consilio revera movisti aliquem ad damnum inferendum, teneris ad restitutionem, etiamsi certe alter non defuisset, qui idem illi persuasisset. Et ita *Concina* cum *communi*. *Commune* etiam est inter DD. in dubio an consilium datum sit, vel an damnum sit illatum, ad nullam restitutionem consulentem teneri.- 562.

Quaeritur 5. Quid si alter jam sit determinatus ad damnum, v. g. ad occidendum, et tu suadeas tantum modum, nempe ut occidat veneno non gladio, in illo non in alio loco, vel tempore?

R. Adest duplex sententia *probabilis*. *Prima* dicit te teneri ad restitutionem, quia suadendo modum, concurris ad substantiam damni; suadendo vero ut damnum citius inferatur, totius es causa damni, cum alter per illud tempus potuisset animum mutare. *Caj.*, *Viva*, *Mol.*, *etc. Secunda sententia* te absolute excusat a restitutione, modo certum sit alterum suum pravum animum non mutaturum. Ita *Lugo*, *Laym.*, *Less.*, *Spor.*, *etc.* Ratio, quia consulens tunc non est causa efficax mali quoad substantiam damni; et haec est mihi *probabilior*. Sic pariter *Holz.*, *Laym.*, *S. Antonin.*, *Sylv.*, *etc. probabilissime* excusant a restitutione eum, qui materialiter cooperatur ad damnum domini, quando scilicet alter, sine sua cooperatione, adhuc certe damnum intulisset, v. g. si quis teneat scalam ei, qui etiam ascenderet sine suo auxilio.- 563.

Quaeritur 6. An teneatur ad restitutionem suadens damnum ex ignorantia, sed cum culpa gravi?

R. Cum Viva distinguendo; si consilium dans ex suo statu, v. g. Advocati, aut Confessarii existimatur peritus, tenetur: quia tunc vere decipit. Contra tamen si noscatur ut rudis; quia tunc damni illatio magis imputatur ei, qui imprudenter sequitur ejus consilium, nisi cum consilio adfuerit etiam dolus, sive intentio damnificandi. Hoc tamen procedit, quando agi-

tur de damno solius petentis consilium : nam secus dicendum si agatur de damno tertii.

Notandum autem, quod dans consilium noxium, tenetur demum postea facere quantum potest, ne accidat damnum, etsi inculpabiliter egerit. Eodem modo ac qui sine culpa gravi ignem accenderit in domo aliena, tenetur ex justitia impedire, si potest sine magno incommodo, ne ex sua actione alter laedatur. *Viva, Sanch., Less.*, et *communi*.- 564.

Quaeritur 7. An parato inferre majus damnum possit suaderi minus adversus eamdem personam, v. g. volenti occidere aliquem suadere ut solum percutiat ?

R. Affirmant Sanch., Bon., Bus. cum *communiori*. Dixi *adversus eamdem personam ;* quia adversus aliam in particulari nequit suaderi damnum quantumcumque minus. Ita *Viva* cum *communi*. Addit *Viva*, quod solum in genere potest suaderi illi, ut potius minus malum faciat; vel etiam suaderi minus malum esse furari a *Petro* divite, quam a *Paulo* paupere. Imo concedit posse dici illi, qui vult furari a *Titio*, ut furetur ab alio in genere, quia sic avertitur ab illo furto, et nulli e converso in particulari fit injuria. Sed huic ego non acquiesco cum *Spor.;* quia sic jam suadetur damnum alterius. Concedit item *Viva*, volenti furari a *Petro* aliquid, ob quod ille in extremam redigeretur paupertatem, posse suaderi ut subripiat aliquantulum a *Paulo* ditissimo, qui aliter in hoc esset irrationabiliter invitus. - 565.

Nota. Si tu precibus vel consilio impedias *Titium*, ne ipse reparet damnum *Caii*, peccas contra charitatem, sicut peccaret *Titius*, si malitiose permitteret damnum illud, non vero contra justitiam : unde non teneris ad restitutionem (*a*). Secus dicendum, si impedis vi vel fraude. - 572.

Quaeritur 8. Utrum si quis dubitat an suum suffragium fuerit ex prioribus et necessariis ad damnum alicui inferendum, teneatur ad restitutionem ?

R. Adest triplex sententia. *Prima* dicit eum ad nihil teneri; quia in dubio melior est conditio possidentis exemptionem ab obligatione restitutionis. *Secunda* docet omnes teneri ad restitutionem in solidum, quia omnes isti fuerunt concausae totius damni. *Tertia* tamen *vera sententia* tenet, singulos teneri pro rata ad totum damnum reparandum (*b*). Ratio, cur non teneantur in solidum ad totum damnum est, quia hic dubium intervenit, an quisque illorum fuerit vel non causa damni; et in tali dubio nemo tenetur ad restitutionem certam. Ratio autem quod singuli teneantur pro rata, est, quia quisque saltem suo suffragio deterioravit jus, quod damnificatus habebat ad exigendam restitutionem damni ab aliis suffragium praebentibus. *Lugo., Spor., Mol.*

Notandum autem cum *Conc.*, quod si ille qui debet ferre ultimo loco suffragium, praevideat alios se revocaturos, tunc tenetur ad restitutionem damni, si ferre suffragium negligat. In dubio autem dicit hic auctor non praesumi alios non mutaturos consilium, consentio, si alii inculpabiliter erraverint: secus, si culpabiliter, quia tunc possidet prava eorum voluntas. - 566.

Quaeritur 9. Utrum emptor rei furtivae possit illam furi restituere ad recuperandum pretium ?

R. Prima sententia tenet quod possit, quia in hoc non infert domino

(*a*) *Modo non tenearis ex justitia illud damnum impedire.* - *H. n.* 58. — (*b*) *Vera sententia est, quod quilibet tenetur tunc pro sua rata ad damnum reparandum; et si alii non restituunt, teneris ad totum* - *H. n.* 50.

damnum, cum reponat rem in eumdem statum, in quo erat. Ita *S. Antonin. Lugo., Nav., Sylv. etc. Secunda* autem *sententia*, quam tenent *Caj., Conc., Mol., Laym. etc.* dicit teneri emptorem rem domino restituere; quia res erepta e manu furis, jam adepta est meliorem statum, et ideo si furi jam redderet, illam in deteriorem statum dejiceret, et sic injuriam domino irrogaret. Haec sententia est quidem *multum probabilis*, sed *non minus probabilis, et forte probabilior* est prima: et valde me urgent hae duae rationes, quas subdo. *Prima ratio*, quia non teneris rem domino servare cum tuo damno. *Secunda ratio*, quia cum quisque jus habeat ad sua bona recuperanda, nemini interdicitur actio illa, quae per se est necessaria, et directa ad suum damnum recuperandum, licet indirecte et per accidens damnum alteri eveniat. Advertendum tamen hanc sententiam tunc tantum posse habere locum, quando emptori nulla alia suppetit via recuperandi suum pretium, quam restituendo rem latroni. - 569.

Quaeritur 10. An possit rem furi restituere emptor malae fidei?

R. Negant hoc communius DD. Sed adhuc *affirmat Holz.* cum *Elbel, Tol., Sylv. etc.*, et hanc sententiam non immerito *Bus.* putat *absolute probabilem;* imo *Lugo* dicit forte *probabiliorem.* Ratio, quia licet iste peccaverit, rem mala fide emendo, attamen post emptionem, habet jus aeque ac emptor bonae fidei ad contractum rescindendum, rem furi reddendo, ut supra probatum est. - 570.

Quaeritur 11. Utrum, si participatio est *in actione furti*, excusetur a culpa et a restitutione ille, qui cooperatur aliquo modo ad illationem damni, ob metum gravis detrimenti?

R. Prima sententia inter recentiores *communissima*, quam tenent *Salm., Spor. etc.*, distinguit: si actiones cooperantis remote concurrant ad furtum, ut esset scalam tenere furi ascendenti, tradere ipsi claves sive instrumenta ad reserandam arcam; tunc cooperans ob metum mortis vel alterius gravis mali, excusatur tam a restitutione, quam a culpa; quia istae sunt actiones per se indifferentes, neque laedunt dominum, nisi ex malitia furis. Secus, si actiones sint proxime influentes in furtum, ut fores effringere, incendere domum, claves falsas conficere, res furatas per fenestram ejicere, pecora e stabulo abjicere, et similia; tunc cooperans non excusatur neque a culpa, neque a restitutione. Ratio, quia actiones hae utpote intrinsece malae, non possunt ob quemcumque metum excusari: ita AA. citati. *Secunda* vero *sententia*, quam tenent. *Bus., Sanch., Less.*, censet ejusmodi participantem non peccare, si ob metum magni detrimenti praestat.

Ego autem in hoc dubio, sic dico: peccatum hoc cooperantis considerari potest vel respectu domini damnum passuri, vel respectu furis damnum inferentis. *Respectu domini*, dico quod si tu solum times damnum facultatum, non poteris sine peccato concurrere ad damnum alterius, ut in propriis bonis te serves indemnem; nisi id facias animo compensandi, ut ajunt *Bon., Viva, Less. etc.* Si autem times malum superioris ordinis, quam bonorum, nempe mortem, aut mutilationem membri, vel gravem infamiam; tunc poteris sine peccato, si praeter tuam intentionem facias, cooperari ad damnum alterius, ut dicit etiam *Tournely;* quia tunc dominus tenetur consentire, ut adhuc cum jactura suorum bonorum, tu vitae, aut honori tuo consulas, alias esset irrationabiliter invitus. *Respectu vero ad peccatum furis*, secundam sententiam *probabiliorem* censeo. Ratio, quia omnes praefatae actiones tam

primi, quam secundi ordinis, sunt revera indifferentes, cum juxta finem quo fiunt, vel licitae vel illicitae esse possint. Si enim tu praestas illas cum pravo fine nocendi domino, certe erunt tibi illicitae; si vero praestas ad damnum tuum in vita, vel honore praecavendum, tunc licitae tibi erunt: et quod fur illis abutatur ad suam pravam voluntatem exequendam, hoc per accidens se habet, tuque solum materialiter cooperaris ad peccatum illius, quod ex justa causa licite permittis.

Nec verum est, quod formaliter tunc concurris ad peccatum furis: nam hoc esset, si positive tu influeres in ejus malam voluntatem; quando autem tantum actiones illas praestas, quibus fur postea abutetur ad damnum inferendum, non erit quidem causa damni actio tua, sed sola malitia furis, juxta ea quae fusius diximus *in Tract. de Virtut. Theolog.*, *num.* 63. Et quod actiones illae non sint formaliter influentes in peccatum furis, nec intrinsece malae, ut adversarii autumant, mihi videtur indubitabile; nam alias, si fur te cogeret ad arcam tuam confringendam ut tradas ei pecuniam ibi contentam, non posses sine peccato hoc facere, quia formaliter cooperares ad illius peccatum. Sed hoc quis sanae mentis asserere audebit?

Quaeritur 12. An talis cooperans teneatur ad restitutionem?

R. Affirmant omnes AA. pro prima sententia citati. Sed spectata ratione intrinseca, mihi *probabilius* videtur eum aeque peccare, neque ad restitutionem teneri.

Nota. Haec quaestio pendere videtur ab alia relata n. 520, scilicet, an surripiens bona alterius in extrema necessitate, illa cessante, teneatur ad restitutionem? Ibi diximus *veram* sententiam esse quod tenetur, si spe non fuerit pauper; quia cum possit ex proprio sibi subvenire, accipiendo aliena, quando non potest accipere proprium quod alibi habet, tunc evaderet ditior, et propterea tenetur. Secus, si pauper fuerit re et spe. Atque sic videtur dicendum in praesenti casu, nempe quod participans, si metu mortis vel gravis infamiae ad alienum damnum concurrat, tunc tantum eximatur a restitutione, quando tempore cooperationis erat absolute pauper non solum re, sed etiam spe.

Sed hic eadem ut supra distinctione utens, sentio quod si participans adjuvat furem ad inferendum damnum ob metum similis gravis damni in bonis propriis, eo casu teneatur ad restitutionem; quia nemo potest ad damnum alterius cooperari ut proprium damnum bonorum evitet. Secus puto, si is furem adjuvaret coactus metu mortis, vel gravis infamiae. Ratio, quia tunc iste non tenetur ad restitutionem, neque ex re accepta, neque ex injusta acceptione. Non ex re accepta, quia nihilo factus est ditior; non ex injusta acceptione, quia non peccavit, ut jam probavimus; nec alias obligatur offerre et substituere bona propria ad damnum alterius reparandum. Secus autem omnino dicendum censeo, si quis cooperaretur ad confirmandam vel augendam malam voluntatem furis, puta, si furi terga servaret, vel si annuntiaret ei horam opportunam furando et similia; quia sic influeret in ipsam pravam voluntatem furis, eum saltem animosiorem reddendo, et sic formaliter cooperaretur ad illius peccatum, quod numquam licet. Secus etiam dicendum, si quis cooperationes illas praestaret occisuro, tradendo gladium, sive claves ad occidendum, vide n. 697; vel humeros subjiciendo ad ascendendum, ad scalam deferendo, etc. Id tamen, recte dicunt *Salm.*, cum *Soto*, *Less. etc.* intelligi, si ille posset negare suam cooperationem sine periculo mortis,

aut aequalis gravis damni (*a*) ; quia aliter non tenetur impedire damnum alterius , etiamsi alter sit in extrema necessitate damni patiendi , cum aequali proprio detrimento. Hinc diximus in *Tract. de Virt. Theolog.* , n. 66., quod si dominus vellet ascendere ad stuprandam virginem , nullius damni metus , nisi mortis imminentis , possit famulum excusare in adjuvando dominum , scalam deferendo, subjiciendo humeros , etc. quia sola vita famuli praevalet virginis honori. - 571.

Quaeritur 13. An cooperatores teneantur singuli restituere in solidum, et quo ordine ?

R. Cum plures damnificantes vel seorsim singuli rem suam agere possint vel conjunctim , atque alii aliis plus minusve in damnum influere , hinc ex tali ordine , et mensura influxus, ordo et mensura restitutionis desumenda est. Ita *communiter* DD.579. Ordo autem restitutionis sic se habet apud cooperantes. 1. Tenetur restituere qui rem possidet. 2. Mandans , sive consilium dans alteri ad faciendum damnum in gratiam sui. 3. Executor. 4. Aliae causae positivae , ut consilium dantes in gratiam alterius , etc. 5. Causae negativae. - 580.

Unde :

1. Si plures absque consensu, quisque per se seorsim et casu concurrant ad damnum , singuli non plus tenentur restituere , quam quod quisque per se damni intulit. *Laym.*

2. Si plures cum consensu , et se invicem juvantes id fecerunt , tunc, si res est individua, ut incendere domum, occidere hominem, etc., quisque cooperans tenetur in solidum; et hoc etiamsi sine illo damnum eveniret. Ratio , quia tunc moraliter totus effectus a singulis procedit. Ita *probabiliter Salm., Soto , Bon., Sanch. etc.*, quamvis adhuc *probabilis* sit sententia *Nav.* , *Sylv. etc.*, qui dicunt teneri cooperantes tantum ad suam partem , si damnum etiam sine ipsis fieret , quia obligatio non debet esse major quam est ipse influxus ; et sicut partialiter quisque concurrit , ita partialiter obligatur. Secus autem omnino dicendum cum *Less., Salm., et communi*, si damnum sine ipsius ope non obveniret , quia tunc certe tenetur ad totum , etiamsi, ipso non opitulante, alter eamdem opem certe praebuisset.

3. Si autem res est dividua, ut furari vineam , thesaurum , etc. , tunc motor principalis tenetur ad totum ; cooperantes vero tantum ad partem suam , etiamsi communi consilio ad damnum concurrant. Ita *Lugo, Salm., Bon., Less., Nav. etc.*

4. Si vero omnes invicem se excitent , sive moveant ad damnum , ita ut singulis non concurrentibus damnum non eveniret , certe singuli tunc in solidum tenentur. *Bus., Ronc., Salm.*

5. Cum autem dubitatur, an quisque fuerit causa totius damni , non tenetur nisi ad partem suam , juxta id quod diximus supra , n. 562. - 579.

6. Si actio damnificans , fuit lucrativa , et apud aliquem ex cooperatoribus res ablata adhuc existit , aut is eam mala fide absumpsit , tenetur is primo loco restituere ipsam , vel aequivalens ; et si ille non facit, tenentur reliqui. *Less.*

7. Si actio damnificans non fuit lucrativa , quia res periit , et destructa est , tunc ante alios primo tenetur restituere qui mandavit , vel qui causa fuit primaria vel executor primarius , ut in bello Princeps, et Dux , et si is

(*a*) *Nemo potest cooperari ad damnum alterius , ut liberetur a suo , quando damnum est ejusdem ordinis ; unde etiam cum periculo mortis tenetur denegare gladium occidere volenti inimicum. - H. n.* 56.

non sit facturus, vel quia non vult, vel quia non potest, tenentur reliqui, v. g. caeteri milites.

Nota. Etsi hoc de militibus speculative verum sit, practice tamen ii excusantur per accidens, tum quia non possunt totum restituere, tum quia dominorum voluntas non est, nec expectatio ut plus restituant quam partem suam; ideoque si hanc possunt restituere, ad id tenentur : uti et si quid adhuc reliquum habent ex iniquo. *Laym., Caj., Mol.* Imo *Bon., Vasq. etc.* dicunt militem gregarium qui alios non iduxit, non teneri ad restitutionem totius damni illati a toto exercitu, sed tantum pro sua parte. - 580.

8. Si damnum passus condonet restitutionem principali damnificanti, etiam minus principales liberantur, non autem vice versa; quia ruente principali, ruit accessorium, non contra. *Laym.*

9. Si creditor promittat alicui ex aeque principalibus debitoribus se eum non molestaturum, censetur remittere partem illius; nam, si totum exigeret ab aliis, ille cogeretur ab illis ad restitutionem, et sic promissio frustanea esset. - 581.

Quaeritur 14. Utrum quando plures tenentur in solidum, quisque teneatur restituere totum, si dubium sit an socius restituerit?

R. Negant Salm., Ronc., dicentes praesumendum esse alios socios jam restituisse. Sed id mihi minime probatur. Advertendum tamen quod rudes, etsi teneantur in solidum, raro expedit obligare ad totum, cum difficulter isti sibi persuadeant se teneri ad restituendam partem a sociis ablatam. Quinimo satis praesumi valet, quod ipsi domini, quibus debetur restitutio, consentiant ut illi restituant tantum partem ab eis ablatam, cum aliter valde sit timendum, ut nihil restituant, si obligentur ad totum (*a*). - 579.

ARTICULUS VI.

De impediente a consecutione alicujus boni.

In hoc puncto attendendum an laedatur jus alicujus quod a natura, lege, vel aliter habeat; et an per vim, fraudem, calumniam, et mendacia quis alium impedierit, num vero aliter. Unde :

1. Qui alterum impedivit a consecutione rei debitae ex justitia, tenetur ad restitutionem. *Less.*

2. Si res non esset debita ex justitia, sed conferenda ex libera voluntate, tunc qui sine vi, fraude, et calumnia collatorem inducit, ut v. g. legatum non conferat ei, cui apud se constituerat conferre, etsi saepe is possit graviter peccare, non tamen tenetur ad restitutionem. - 582. Hinc *infertur*, quod si quis ex odio, sed sine vi vel fraude suadeat Episcopo, etiam determinato ad conferendum beneficium digniori, ut conferat minus digno, etiamsi *probabilius* sit, quod tam Episcopus, quam suasor graviter peccent, quamvis beneficium sit simplex; suasor tamen non tenetur ad ullam restitutionem, quia non laesit justitiam commutativam avertendo collatorem a conferendo beneficio, ad quod alter jus non habebat. Secus et *probabilius* si post concursum impediat digniorem a consequendo beneficio. - 585.

3. Si in re praedicta ex libera vo-

(*a*) *Hinc confessarius quemlibet istorum, praecipue si est conscientiae parum meticulosae, hortetur ut restituat quod habet, quin quantitatem explicet, sed remittens dictamini illius conscientiae.* - *H. n.* 54.

luntate conferenda, aliquis per vim, fraudem, vel calumniam collatorem induceret ne ei daret; aut eum a petitione, cum quivis habeat jus petendi, aut a consecutione talis rei, per vim, fraudem, calumniam, vel mendacium impediret, cum etiam quivis jus habeat ne inique impediatur, is teneretur ad compensationem damni arbitrio viri prudentis, juxta certitudinem vel probabilitatem, qua alter tale bonum alioqui assecutus fuisse existimaretur, dummodo tamen eo sit dignus: nam, si indignus est, non tenetur ad restitutionem, nisi famae, si eam forte laeserit. *Less., Mol.*

Nota. Censent *Salm.*, quod aequiparentur vi preces importunissimae, aut metus reverentialis, maxime si ei addantur verba aspera, vel torvus aspectus, vel preces. - 587.

Quaeritur 1. An qui impedit alium a consecutione justi boni ex odio, sed sine vi aut calumnia, teneatur ad restitutionem?

R. Adest duplex sententia. *Prima probabilis affirmat;* hanc tenent *Scotus, Salm., Caj. etc. Secunda* vero *sententia communis, et probabilior negat* eum teneri ad ullam restitutionem; eamque tenent *Less., Pal., Vasq., Nav. etc.* Ratio, quia ad damnum afferendum, non sufficit intentio, sed requiritur actio externa, quae non solum sit occasio, ut esset in praesenti casu, sed etiam sit vera efficax causa damni. - 584.

Quaeritur 2. An qui fraudibus impedivit ne fisco applicarentur bona, quae ob crimen v. g. non soluti vectigalis, essent fisco addicta, teneatur ad restitutionem?

R. Cum *Less., Sanch.*, et aliis *communissime*, quod post sententiam certo tenetur, secus vero ante sententiam; quia ante sententiam nullum jus acquirit fiscus ad poenam, quae non nisi post sententiam debetur. - 583.

CAPUT III.

DE HIS QUIBUS RESTITUENDUM EST.

In hoc punto attendendum est ad naturam justitiae, et si quis damnum patitur, quidve ratio, et leges ferant communiter. Unde:

Quaeritur 1. Quomodo facienda restitutio, si dominus rei est incertus?

R. Distinguendum, et videndum an res accepta sit bona vel mala fide. Si res accepta sit *mala fide*, tunc iterum distinguendum est: vel dominus incertus rei est ignotus tantum in particulari, prout, si sciretur rem spectare ad aliquem ex tribus, vel quatuor hominibus loci, sed ignoretur ad quem peculiariter spectet; tunc nequit restitutio fieri pauperibus, sed res dividenda est inter eos, quos inter defraudatus existit. Ita *Sylv., Less., Pal., Mol. etc.* Vel autem dominus est ignotus in generali, ita ut nequeat discerni inter loci habitatores, ad quem vel quos res pertineat; et tunc restitutio fieri debet pauperibus. Sufficit autem quod restitutio fiat pauperibus cujuscumque loci. Sufficit etiam quod fiat locis piis, ut *communiter* docent *Less., Nav., Salm. etc.*

Nota. 1. Id tamen locum habet, modo adhibita sit debita diligentia, ut proprii domini invenirentur; nam, si ante diligentiam adhibitam fieret restitutio pauperibus, et deinde domini comparerent, utique damnum ipsis resarciendum esset. 2. Praeterea id locum habet, cum defraudati pauciores sunt, nempe tres vel quatuor, ita ut si restitutio fiat quibuscumque illius loci indiscriminatim, res verisimiliter non sit ventura in manus proprii domini; et ideo restitutio tunc fieri potest pauperibus cujuscumque loci, ut *communiter* tenent *Sylv., Bon. etc.* Si autem plures et varii domini incerti alicujus communitatis damno affecti fuerint,

*

tunc omnino restitutio facienda est pauperibus ejusdem Communitatis laesae. Vide n. 595. - 589.

Quaeritur 2. Si res post debitam diligentiam adhibitam ad inveniendum dominum tradita sit pauperibus, et postea dominus compareat, utrum ei restituenda sit?

R. Negant Nav., Sot., Henr. etc. quia, cum debita diligentia est praemissa, pauper aut locus pius absolute acquirit dominium rei. *Communius* vero *Laym., Salm., Pal. etc.*, dicunt quod si res extat, pauper debet eam restituere domino competenti; si vero est consummata, tantum id in quo factus est ditior. Sed melius distinguendum cum *Lugo*, juxta ea quae de inventore rei perditae fusius dicemus infra, n. 603; scilicet, quando, spectatis omnibus circumstantiis, non est amplius possibile, quod dominus inveniatur, tunc pauper acquirit rei absolutum dominium, sine ullo onere restitutionis. Quando vero adhuc post diligentiam, adest aliqua spes inveniendi dominum rei, tunc pauper non acquirit ejus dominium et proinde debet eam domino servare, ipsique restituere, si compareat. Vide omnino dicenda, n. 603. Recte tamen excipiunt *Spor., Wigandt*, nisi pauper, aut locus pius bona fide rem jam praescripserit, quia virtute praescriptionis tunc dominium irrevocabile vere acquirit. - 590.

Nota. Super his debitis incertis bene potest fieri compositio cum Papa, vel poenitentiaria, quoties adest justa causa. Vide in *Opere*, n. 591.

Quaeritur 3. Cui restituere debeat ille qui multis minutis furtis, v. g. olei, panis, vini, etc., damnum intulit multis civibus?

R. Mol. Dicit cum teneri restituere non pauperibus, sed ipsis civibus, minoris deinceps vendendo, aut majore mensura, donec veniatur ad aequalitatem. Haec est sententia *communissima*, quam suadendam puto. Verumtamen censeo, juxta dicta n. 534, quod hujusmodi venditores non teneantur sub gravi restituere civibus; satisfaciunt enim suae gravi obligationi, si pauperibus restituant. Quapropter excusantur etiam a veniali, si restituant pauperibus, accedente aliqua rationabili causa; puta, si non possint restituere civibus sine aliquo notabili incommodo, vel si urgeat necessitas aliquorum pauperum valde indigentium, quibus praesumantur cives illi non esse inviti restitutionem fieri. - 595.

Quaeritur 4. Cui restituendum, quando bona sunt certa?

R. Bona certa ordinarie restitui debent possessori justo, a quo accepta sunt, vel cui damnum illatum, etsi is non sit immediatus dominus. Unde quod acceptum est a depositario, commodatario, conductore, custode, administratore, debet non domino, sed ipsis restitui; quia alioqui ipsis fieret injuria, si jure possessionis, detentionis, custodiae, aut utilitatis spoliarentur, et damnum atque lucrum cessans compensari deberent. Excipitur tamen 1. Si horum nihil interesset, ut si sine illorum damno, infamia domino restituantur. 2. Si probabiliter ipsi putarentur rem absumpturi, vel ablaturi cum injuria domini. - 596.

Quaeritur 5. Cum dominus scitur, sed ei mitti non potest res sine sumptu, cujus expensis tunc facienda sit restitutio?

R. Si res male accepta est, tenetur restituens expensis suis; si autem bene accepta est, non nisi expensis domini restituendum est. Quando nullo modo potest mitti, expectandum est ad tempus. At si adhuc non sit spes, reputatur debitum incertum. *Tol.* - 597.

Quaeritur 6. An fur teneatur restituere rem ablatam cum qualicumque suo damno?

R. Prima sententia affirmat cum *Caj., Vasq., Nav. etc.*, quia dominus debet servari indemnis, etiam cum furis detrimento, quod suae malitiae imputandum est. *Secunda* vero *sententia communissima, et probabilior negat.* Hanc tenent *Bus., Bon., Less., Mol., Salm. etc.* Ratio, quia justitia, cum sit virtus, et prudenter praecipiat ut aequalitas servetur, non potest obligare ad restitutionem quocumque gravissimo damno debitoris; quod esset contra charitatem, et alias dominus esset irrationabiliter invitus. Unde si res in individuo non posset ad dominum mitti nisi cum tanto damno, fur potest et debet eam vendere, et pretium domino transmittere. *Lugo, Croix.* Casu vero quo creditor simile damnum, vel parum minus sit passurus, tenetur omnino debitor ei satisfacere, ut *communiter* ajunt *Less., Tamb., Nav., Caj.* et *Lugo,* qui dicit in hoc attendendum non solum damnum emergens creditoris, sed etiam lucrum cessans. Bene tamen advertunt ipse *Lugo* cum *Croix etc.,* quod damnum creditoris et debitoris pensandum est comparative ad subjectum; fieri enim potest, ut damnum decem nummorum respectu debitoris inopis sit longe majus, quam damnum centum respectu creditoris opulentis, et sic vice versa.

Quaeritur 7. Caeteris paribus quaenam mensura damni assignanda sit, ut debitor excusetur a restitutione facienda creditori?

R. Distinguendum: si sit spes ut res vel pretium alio tempore restituatur domino, vel ejus haeredibus sine magno damno debitoris, tunc *probabiliter* dicunt *Bon., Lugo, Less.*, restitutionem posse differri. Si vero desit talis spes, ita ut dominus esset re privandus, et tunc adhuc *probabiliter* dicunt *Less. etc.,* quod si res parvi sit momenti, et damnum furis esset duplo majus, tunc posset restitutio applicari pauperibus, vel operibus piis, quia in hoc praesumitur dominus assentiri. Si tamen res esset magni momenti, *Sylv., Bon., etc.*, excusant furem a restituendo domino immediate, casu quo expensae faciendae essent aequivalentes rei valori. Sed hoc communiter non admittunt *Tamb., Spor., Croix, Lugo etc.* Excusant *Sotus etc.*, si sumptus essent majores debito. Sed *probabilius Spor., Tamb. etc.*, excusant solo casu, quo sumptus essent longe majores; imo *Lugo* obligat furem, etiamsi passurus sit damnum duplo majus. Quando autem damnum esset omnino excessivum, sufficit restituere pauperibus, ut *communiter* dicunt cum secunda sententia, ut supra relata, ipse *Lugo, Spor., Bon. etc.* - 598.

Quaeritur 8. Si quis accipit rem alienam a possessore bonae fidei, putante rem esse suam, cum non sit, debet ne accipiens illi possessori reddere rem?

R. Distinguendum: si intervenerit aliquod justum pactum, ut depositi, commodati, pignoris, etc. illi restituendum est, non domino, qui tamen ex charitate monendus erit, si id ei profuturum putetur sine alterius graviore incommodo, infamia, etc. *Vasq., Azor.* Si autem aliter accepta sit, tunc vero suo domino restitui debet, si eum noveris, et sine gravi incommodo fieri possit. - 599.

Quaeritur 9. Ad quid teneris, si bona fide rem alienam, v. g. equum emeris ab altero, v. g. *Petro,* et vendideris tertio, v. g. *Paulo,* et postea cognoscatur esse *Joannis,* eoque repetente a *Paulo, Paulus* repetat pretium a te?

R. Existimat *probabile Nav.*, non teneri te *Paulo* illud reddere; si in nullo factus sis ditior, sed sufficere si tuam actionem, quam habes in *Petrum,* ei cedas. Verum *Solus, Salon, Less., etc.*, rectius docent teneri te exi-

gente *Paulo*, contractum rescindere et pretium restituere saltem in quo factus es ditior. Vide n. 800, tum quia vendidisti rem vitiosam, tum quia teneris de evictione emptori, nec eum potes remittere ad illum, quocum nihil habet negotii. Quod si tamen *Paulus* cum possit, tibi non restituat equum, sed *Joanni*, et hoc ipso impediat, quominus pretium tuum possis recuperare, nec tu teneris ei pretium ab ipso acceptum restituere. *Bon.*, *Less.*, *etc.* Si vero res non evincitur, nulli tenetur venditor restitutionem facere; nec tenetur monere dominum, aut indicare emptori, quod res illa sit aliena, si post venditionem bona fide factam, id venditor resciscat, et non possit amplius pretium, quo ipse rem emit, recuperare; quia, cum rem illam amplius non habeat, nec sit causa quod dominus re illa privetur, non tenetur cum magno suo damno curare, ut dominus rem suam redipiscatur. - 601.

Quaeritur 10. Cui restituendi sive dandi sint thesauri, et alia inventa quae habentur pro derelictis?

R. Quando nullius domini sunt, jure Naturali et Gentium fiunt primi occupantis. Potest tamen per consuetudinem et leges aliter quid ordinari, quod servandum est.

Porro circa thesauros jura disponunt sequentia: 1. ut thesaurus si inveniatur in loco proprio, sit inventoris. 2. Si in loco alieno, sed inveniatur casu, dimidium sit inventoris, et dimidium domini loci: et ad hoc dimidium praestandum domino, inventor tenetur in conscientia, etiam ante sententiam judicis. Ratio, quia jus positivum potuit hoc disponere, non obstante jure naturae ob bonum commune. *Salm.*, *Lugo*, *etc.* 3. Si vero thesaurus inveniatur in loco alieno non casu, sed ex industria, inscio domino, tunc statuit lex, ut totus reddatur domino loci. Sed quia lex haec est poenalis, non obligat nisi post sententiam. Pars autem quae pertinet ad dominum loci, si locus habeat dominium utile, et dominium directum, inter ipsos dividenda est, nihil vero debetur usufructuario. 4. Si thesaurus inveniatur in loco publico, aut sacro dividendus est inter inventorem, et fiscum, aut Praelatum. 2. Si autem inveniatur per artem magicam, applicandus est fisco totus: quam legem ut poenalem non obligare nisi post sententiam, dicunt *Salm.* - 602. (*a*).

Quaeritur 11. An inventor rei perditae, domino non invento, possit illam sibi retinere?

R. Adsunt tres sententiae. *Prima affirmat*, modo inventor omnem debitam diligentiam adhibuerit ad dominum inveniendum. Hanc tenent *Sot.*, *Nav.*, *Dian.*, *Escob.*, *etc.* Ratio, quia domino non invento post omnem, ut dictum, est diligentiam adhibitam, res censetur domino carere, et ideo fit primi occupantis. *Secunda sententia valde communior* censet inventorem rei non posse sibi illam applicare, sed debere eam elargiri in usus pios. Ratio, quia praesumitur voluntas domini esse, ut si ipse rem perditam habere non possit, saltem illa pro anima sua erogetur. *Tertia sententia verior* et sequenda, quam tenent *Lugo*, *Holzm.*, *Croix*, distinguit et dicit: quando ad-

(*a*) *Jus nostrum Cod. noviss. art.* 636. *nullam distinctionem ponit, et absolute sic decernit. Proprietas thesauri est illius, qui illum invenit in proprio fundo: si autem inveniatur in fundo alterius, medietas erit inventoris, et medietas domini fundi:* - *et art.* 1686. *ait: Pars quae pertinet ad dominum loci, si locus datus sit ad emphytheusim, pertinebit tum ad emphyteutam, tum ad dominum directum.* (E. N.)

huc post diligentiam possibile est dominum invenire, tunc res vel pretium servari debet; quod si utrumque servari nequeat, res vel pretium omnino est erogandum in usus pios juxta praesumptam voluntatem domini, qui adhuc illius rei dominium retinet semper ac res potest in manus ejus redire.

E converso quando res, spectatis circumstantiis longitudinis temporis vel distantiae loci, vel eo quod res non possit amplius a domino pro sua recognosci, ut accidit in nummis ordinariis, non videtur possibile ut ad dominum redeat; tunc illa fit nullius, et ideo acquiritur a primo occupante, qui illam non tenetur dare juxta voluntatem prioris domini, cum ille impossibilitate eam recuperandi jus dominii prorsus amiserit. Ita *S. Thom.* Ratio a priori est, quia jus Gentium tribuit privatis dominium rerum non ad aliud, quam ut illis utantur; hinc quando est impossibile rem pervenire ad ipsorum usum, illa tanquam derelicta evadit nullius, et redit ad primaevum jus naturae, ac ideo fit primi occupantis sine ulla obligatione. - 603. (*a*).

Quaeritur 12. An et cui restituenda quae capiuntur venatione juste prohibita?

R. Id aestimandum partim ex jure naturae, partim ex consuetudine, et legibus ac juribus particularibus. Venator autem iniquus tenetur restituere saltem damna, quae segetibus, fructibusque infert.

Quaeritur 13. Si fera aut avis ab uno sit vulnerata, ab alio capta, ad quem pertineat?

R. Ex Leg. *Naturali* pertinet ad capientem, quia multoties fera vulnerata non capitur. Ex qua ratione *Mol.* et *Less.* inferunt eam pertinere ad vulnerantem, si constet feram manus vulnerantis effugere non posse; si vero sit dubium, dividenda est (*b*).

Nota 1. Quod legem prohibentem venationem tantum Reges ferre possunt, et alii quibus Rex tanquam privilegium tale jus concesserit. - 604. 2. Quae dicuntur de venatione, dicenda de piscatione. - 614.

Quaeritur 14. Utrum venatores in locis a Rege reservatis venando, peccent mortaliter, et teneantur ad restitutionem?

R. Affirmant Laym., Less., et dicunt eos teneri restituere Regi non feras captas, sed valorem ipsarum juxta spem quam Rex habebat capiendi. *Diana* tamen cum *Dic.*, et aliis excusant venatorem a restitutione et a peccato gravi, si loca non sint conclusa. Quod etiam admittit *Less.* si damnum non fuerit notabile, cum ferae non sint magni pretii, vel non sint multae, tunc enim dicit prohibitionem accipi ex communi judicio factam tantum sub veniali. Imo addit cum *Mol.*, quod semper excusari possint venatores a restitutione, quando poena injuncta est, quia illam tantum videntur tunc Principes intendere. - 605.

(*a*) *In* Cod. civ. Art. 637. *statuitur jus in res hujusmodi, legibus particularibus determinandum esse; unde si speciales existant leges, non dubium est quin sequendae sint; sed* Delvincourt *testatur se nullas hujusmodi leges cognoscere, et probabilius judicat res inventas post tres annos fieri inventoris, si dominus non compareat; quod satis supponere videtur* Cod. civ. Art. 2135. *Hoc pro foro externo; pro foro vero interno vide* Auctorem. — (*b*) *Quae tamen in retibus capiuntur, sunt illius qui ea tetendit.* - *H. n.* 71.

CAPUT IV.

DE TEMPORE, MODO, LOCO, ET ORDINE RESTITUTIONIS.

ARTICULUS I.

De tempore, modo et loco restitutionis.

Restitutio quamprimum fieri debet, et eo modo ac loco, quo jus et interesse damnificati requirit, et moraliter fieri potest sine gravissimo incommodo, quod quis pateretur in re sua propria ultra debitum. Vide n. 598.

Unde :

1. Qui non potest commode restituere aperte, faciat clam, et qui non potest per se, faciat per aliam personam interpositam. - 676.

2. Possessor malae fidei, v. gr. fur, debet suis sumptibus ad eum locum rem deferre, ubi alter eam habiturus fuisset, si non fuisset ablata, destructa vel inique detenta, deductis tamen expensis, quas alter eam servando vel deferendo debuisset facere. Vide dicta n. 597 et 599. - 677.

3. Bonae fidei possessor satisfacit, si restituat in loco ubi rem possidet.

4. Regulariter, praecisis pactis, solutio in contractibus, quoad locum, fieri debet in loco ubi contractus fuit initus, et expensis illius in cujus favorem fuit contractus. Quoad tempus autem, si de isto non sit conventum, non peccat graviter debitor, si non restituat donec moneatur ab altera parte : nisi illa ob timorem, oblivionem aut impotentiam omittat eum monere; vel nisi debitor obligarit se cum juramento, quia juramentum de se obligat quamprimum. Monent autem *Lugo etc.* non esse damnandum de culpa gravi, qui differt solvere debitum ex contractu sine gravi damno creditoris, licet iste petat, quia talis dilatio non videtur tunc graviter ei injuriosa. - 678.

6. Si quis possit quamprimum restituere totum, ad id tenetur. Excusatur a peccato gravi qui differt restitutionem per breve tempus, in quo dominus nec damnum patitur grave, nec graviter censetur invitus. *Salm., Lugo etc. Palaus*, ordinarie loquendo, spatium viginti dierum putat esse breve. - 679.

7. Si debitor habet justam causam differendi restitutionem, non tenetur restituere omne damnum quod creditor ex dilatione patitur, si debitum non sit ex delicto. Secus si sit ex delicto; hoc est *communius et probabilius*. Ratio, quia licet justa dilatio posterior non sit causa damni, attamen revera causa fuit illa prima injusta acceptio. - 680.

8. Qui scit se teneri ad restitutionem, et cum possit in vita, non vult restituere nisi in articulo mortis vel post mortem per haeredes, absolvi non debet, nec potest : quia semper est in actuali peccato, et impoenitens. *Sylv., Bon, etc.*

9. Certum est non posse absolvi, qui quando potest, non vult restituere, nisi in morte vel per partes. Excipe nisi adsit justa causa, nimirum scandalum, infamia, et similia, si statim fieret restitutio. - 681.

Quaeritur 1. Utrum sit absolvendus debitor antequam restituat ?

R. Prima sententia dicit eum bene posse absolvi, non solum prima, sed etiam secunda vice, si det vera signa doloris et propositi. *Viva, Nav., Val.* Sed mihi *omnino placet secunda sententia*, quam tenet *Conc.*, regulariter non esse absolvendum debitorem, nisi prius restituat, quando ipsi restitutio est moraliter possibilis, sicut non est absolvendus concubinarius antequam concubinam abjiciat ; experientia enim satis compertum est, quod debitores post absolutionem rarissime restituant, prout concubinarii rarissime concubi-

nas dimittunt. Caeterum, ait *Concina*, et quidem bene, si revera prudens Confessarius deprehendat debitorem sincere paratum esse restituere cum primum poterit, et restitutio non possit fieri cito, recte poterit eum absolvere pro prima vice : imo *probabilissime* id admittunt *Salm.* etiam pro secunda et tertia vice, si tales occurrant circumstantiae, ut Confassarius solo proposito restitutionis contentus esse debeat.

Quaeritur 2. Utrum, poenitens si in bona fide, et confessarius praevideat monitionem restitutionis minime esse profuturam, debeat eum monere?

R. De hoc vide dicenda *in Tract. de Poenit. n.* 614., ubi partem negativam probavimus cum *Lugo, Sanch., Laym.*, et aliis *communiter* contra paucos. Si enim Confessarius magna cum prudentia officio suo fungi debet, quomodo prudenter se geret, si poenitentem moneat, praevidens quod ille animae detrimentum sit passurus, et e converso damnum creditoris non sit amovendum ?- 682.

Quaeritur 3. Si fur mittat domino rem ablatam per Confessarium, aut virum fidelem, et iste sibi illam retineat, an teneatur iterum restituere?

R. Negant Castropal., Soto, Gob. Sed *oppositum* docet *sententia communis* et tenenda cum *Less., Lugo, etc.* Ratio, quia debitor ex delicto tenetur efficaciter, et cum effectu reddere dominum indemnem. Olim primam sententiam *probabilem* censebam, sed hodie de ejus *probabilitate* valde dubito ; at quia *Less., Spor., Tamb.*, non audent primam opinionem damnare, nec ipse audeo (*a*).

Quaeritur 4. Quid, si cum dominus sit certus, Confessarius imponat furi, ut det pauperibus pro anima domini, et ille det?

R. Hujusmodi satisfactioni nec etiam acquiesco, quamvis eum qui vellet hanc opinionem sequi, nec etiam audent damnare *Spor., et Tamb.* Secus tamen esset, dicit *Tamb.*, si Confessarius mala fide suaserit furi, ut restitueret pauperibus ; quia tunc videtur dominus nunquam consensisse in hoc casu, et rationabiliter invitus praesumitur.

Quaeritur 3. Quot peccata committat negligens culpabiliter restituere?

R. Prima sententia tenet eum topeccata distincta committere, quot intersunt occasiones restituendi, et quoties proponit non restituere : imo, quoties per somnum aut per alia distrahitur. Ita *Salm., Bon., Vasq. etc. Secunda sententia* docet eum unum peccatum committere, licet per annum, et amplius in eadem voluntate non restituendi perseveret. Ratio, quia tale peccatum, quamvis physice interrumpatur, moraliter tamen non censetur interruptum, quoties non retractetur mala voluntas, quae virtualiter semper permanet in affectu retentionis. Ita *Lugo, Nav., Gob., etc.* Hinc dicunt sufficere poenitenti confiteri omissionem restitutionis, quin tempus exprimat, quia diuturnitas temporis non est nisi circumstantia aggravans. Utraque sententia est *probabilis ;* sed haec secunda videtur *probabilior.* Vide *Tract. de Poenit.* n. 40. - 683.

ARTICULUS II.

De Ordine Restitutionis.

Certum est non necessario ordinem servari, quando debitor omnibus solvere potest; quando vero tantum non

(*a*) *Adverte tamen quod commodatarius, si rem commodatam mittit domino per virum qui communiter existimabatur fidelis, et res deperditur adhuc ob culpam emissarii, ad nihil tenetur.* - *H. n.* 112.

habet ut haeredibus relinquat, sequentes regulae sunt servandae.

1. Si debitor rem alterius apud se habet, quocumque titulo habeat, sive ex furto, sivè ex deposito, sivę inventione etc., debet prius restitui domino suo, vel eo deficiente, pauperibus. - 684.

2. Venditor rei, re existente, praeferendus est pro pretio aliis creditoribus emptoris, si non acceperit ab emptore nec pignus nec fidejussionem, neque fidem de pretio; quia tunc adhuc retinet rei dominium. Si autem acceperit pignus vel fidejussionem, nullam habet praelationem, quia tunc jam est securus de pretio. *Lugo.* Quando vero venditor rem tradidit, et de pretio tantum fidem accepit, adhuc *probabilius* est nullam ei praelationem deberi; quia cum dominium jam translatum sit, venditori remanet tantum creditum personale erga emptorem. - 685 (*a*).

3. Quamvis *probabilis* sit sententia quod prius restituenda sint debita certa quam incerta; attamen, etiam *probabile* est quod si debitor non possit utraque restituere, restitutio fiat pro rata, etiam pauperibus pro debitis incertis; quia de jure naturae pauperes succedunt in locum creditorum incertorum. - 687.

4. *Communius* et *probabilius* est quod debita ex delicto et ex contractu, solvenda sint pro rata, nisi adsit res in specie, vel hypothecata: quia ex nullo jure habetur in his aliqua praelatio facienda. *Lugo, Less., Bon. etc.* - 688.

5. Debita ex titulo oneroso prius solvenda sunt, quam quae debentur ex gratuito, v. g. ex promissione; quia haec includunt tacitam conditionem, nisi quid obstet. Hinc debita defuncti solvenda sunt ante omnia legata, etiam pia. *Nav., Sylvest.*

6. Si debita sunt omnia onerosa, 1. debet satisfieri debitis, quibus obligata sunt bona debitoris cum expressa hypotheca. 2. Debitis, cum hypotheca tacita, et haec inter praeferendae sunt uxorum dotes. 3. Depositis in manu debitoris deperditis. 4. Debitis privilegiatorum, nempe pupillorum, locorum piorum, etc. 5. Caeteris debitis personalibus. Sed omnibus istis creditoribus, licet expressam haberent hypothecam, debent semper praeferri qui pecuniam dedit ad rem emendam, aut ad domum reparandam, aut ad campum colendum et custodiendum, aut ad colligendas fruges.

7. Quoad creditores hypothecarios, nulli dubium quin praeferendi sint anteriores etiam ex hypotheca tacita, qui si tempore antecedant alios creditores ex hypotheca expressa, adhuc praeferendi sunt, ut tenent *Communius Lugo, Mol., Vasq., etc.*

8. Inter creditores vero personales, *communior et probabilior est sententia* praeferendos esse anteriores ex regulis juris: *Qui prior est tempore, potior est jure.* - 689. et 690.

9. *Probabilius* est debitorem impotentem satisfacere omnibus suis creditoribus personalibus, non posse praeferre pauperiorem diviti, vel non egenti. Excipiunt *Salm.* si creditor esset extreme vel graviter indigens; tunc certum esse dicunt istum esse praeferendum ex charitate. Et sic revera tenendum casu quo creditor jam teneatur ex charitate cedere solutionem illam sibi debitam, habens superflua statui, ut pauperi subveniatur; alias non tenebitur ipse ex propriis pauperi illi succurrere cedendo solutionem. - 691.

10. Solvens scienter posteriori praeterito illo, qui habet hypothecam prio-

(*a*) *Hodie ex lege positiva, res intra octo dies tantum repeti potest. Vide* Cod. civ., art. 1971.

rem vel privilegiatam, peccat, teneturque priori de damno, qui etiam potest recuperare solutum.

11. Si ex pluribus creditoribus personalibus aequalibus aliquis exigat solutionem in judicio, *communiter* dicunt DD. posse illum exactum retinere; quia leges dant praelationem etiam in conscientia et qui prius obtinuit sententiam, et post eam etiam debitor debet ei solvere in conscientia, eo quod lex det creditori hoc privilegium propter reverentiam judicii publici. Si vero is petat extra judicium et exigit, *Salm.* recte dicunt *probabilius* esse quod possit etiam illud retinere.

12. Debitor sciens statum suum labentem, non potest non petenti integre satisfacere, sed debet omnibus personalibus solvere pro rata. Nec potest uni solvere, omissis aliis, nisi secundum ordinem supradictum. - 692.

13. Creditor, cui facta est solutio integra, non potest illam retinere, si debitor sit impotens aliis satisfacere; sed tenetur in conscientia alias pro eorum rata satisfacere. Hoc est *verius;* quia ex jure naturali nullum jus habet ut sibi integre solvatur, cum debitor non possit satisfacere omnibus. Nec prodest quod acceperit in bona fide; nam licet accipiendo non fecerit injuriam aliis creditoribus, facit tamen retinendo cum damno ipsorum, qui saltem aequale jus habebant ad bona debitoris. - 693.

Quaeritur 1. Utrum famuli possint recipere salarium a domino debitis gravato?

R. Recte possunt, si bona fide famulatum praestiterint.

Quaeritur 2. An famuli teneantur discedere, si advertant dominum ex tali famulatu impotentem reddi ad satisfaciendum debitis?

R. Affirmant Nav. etc. Negant tamen *Mol. etc.;* nam ipsi neque contra justitiam peccant, si a domino rogati famulentur, et mercedem accipiant; neque contra charitatem, si defuturi non sint alii ad famulandum. Sed vide dicta, n. 712 et 722. - 694 (*a*).

Quaeritur 3. Utrum filii et uxor possint accipere alimenta a debitis gravato?

R. Affirmant Laym., Sanch., Croix etc., etiamsi Paterfamilias alias debita contrahat ad eos alendos, cum ipse ad eos alendos ex justitia teneatur; modo isti non habeant aliunde sustentationem. Imo docet *Laym.* cum *Vasq., Nav. etc.*, quod uxor possit vivere ex bonis viri usurarii, qui non est solvendo, licet alere se possit bonis propriis, vel propinquorum; quia vir non minus tenetur alere uxorem, quam usuras restituere. Nequit tamen uxor uti ad sustentationem familiae pecuniis a viro datis ad solvenda debita, nisi in casu quo familia graviter egeret; tunc enim huic prius vir succurrere tenetur, ideoque uxor tunc utitur jure suo. Ita *Laym.*, qui subdit mercedes operariorum ad necessarios usus debitoris praeferendas esse etiam creditoribus hypothecariis. Vide n. 354. - 695.

CAPUT V.

DE CAUSIS EXCUSANTIBUS A RESTITUTIONE.

Causae a restitutione excusantes, aliae se tenent ex parte debitoris, aliae ex parte creditoris.

I. *Ex parte debitoris:* excusant a restitutione ea quae faciunt ut creditor rationabiliter debeat esse contentus, etsi de facto non sit contentus. *Communit.* DD.

Unde:

(*a*) *Tenentur discedere, si non sint necessarii, nec possunt prosequi ad exigendum.* - *H. n.* 115.

1. Excusaris in foro conscientiae, juxta sententiam probabilem, a compensatione damni, si illud datum sit sine tua culpa theologica gravi, hoc est, mortali peccato, nisi aliud cum altero pactus sis, vel inde sis factus ditior. Vide n. 549. et 550.

2. Excusaris a restitutione incertorum, si fecisti compositionem cum Papa. Vide n. 591-696.

3. Excusaris, si non possis restituere nisi cum notabiliter graviori damno tibi, aut Reipublicae inferendo, quam aestimari debeat commodum ex restitutione creditori obventurum: tunc enim differre potes, dum cesset ista impotentia. *Laym., Sylv. etc.* Idque verum est, etsi debitum sit ex delicto. Vide n. 598. Cessationem autem lucri dicunt *Salm.*, non esse causam justam differendi solutionem, nisi excipit *Beia*, creditor inde non patiatur. Quod si creditor ex dilatione aequale damnum subire debeat, tu potius quam is sustinere debes, cum ejus conditio sit melior. Vide n. 702. etc.

4. *Probabilissime* excusaris restituere rem, qua dominus est abusurus ad peccandum: imo si ille praevidetur abusurus in damnum tertii, peccares restituendo, quando posses negare sine tuo graviori, vel saltem aequali (*a*) gravi damno, justa dicta n. 571. Et tunc peccares restituendo non solum contra charitatem, sed etiam contra justitiam, ut docent *Salm.*, *Conc.*, *Lugo*, *Less.*, *etc.*; quia proximus habet jus, ne tradas aliquid alteri in ejus perniciem.

5. Excusaris, si fieri nequit restitutio absque periculo salutis animae tuae, vel absque periculo salutis tuorum.

6. Excusaris, si non possis restituere absque periculo vitae vel notabili detrimento famae, cum alias plus damni sustineres quam intulisti: nisi jactura famae sit minima respectu damni in bonis creditoris. - 698.

7. Excusaris, si cedas bonis, quia leges concesserunt, ut qui contraxit multa debita, nec habet unde solvat, possit cedere bonis, ea relinquendo in manibus creditorum, et tunc maneat liber, ita ut etiam in coscientia sit tutus, retentis instrumentis artis, et quae ad sustentationem sunt necessaria. Quod si tamen postea redeat ad pinguiorem fortunam, tenetur adhuc restituere. *Nav.*, *Bon.*, *Less. etc.* Imo ex *Laym.* remanet obligatus ad laborandum et acquirendum ut solvat.

Nota 1. *Trull.* dicit cessorem bonorum teneri restituere, si acquirat plus quam ad decentiam status est necessarium. Nisi tamen debita proveniant ex delicto, v. gr. furto, eo enim casu tantum posse retinere quae simpliciter necessaria sunt ad victum, docent *Nav.*, *Less.*; etsi hic concedat, ea quae post cessionem juste acquiruntur, licite teneri, si ad statum sint necessaria. 2. Etsi cessionem dictam non habere locum in bonis ex delicto provenientibus *communiter* teneant Doctores; contrarium tamen docet *Trull.* ex *Less.*, *Diana etc.* (*b*). 3. Denique, etsi debitor principalis cesserit, non ideo liberantur fidejussores. - 699.

II. *Ex parte creditoris*, excusaris a restitutione in sequentibus casibus: 1. Si is, cui debet restitui semel remiserit expresse vel tacite, v. gr. si laceravit tuum chirograpgum, vel tibi reddiderit. Remissio autem haec debet

(*a*) *Nunquam licet, etiam ad vitandam propriam mortem, gladium restituere volenti inimicum occidere.* - *H. n.* 116. — (*b*) *Notandum tamen talem cessionem locum habere in debitis ex delicto; quamvis* Less., Nav., Sala, *etiam concedant furi cedere bonis, retinendo sibi quantum ei ad victum satis est.* - *H. n.* 117.

esse libera, non metu, fraude, vel mendacio extorta. *Less.* 2. Excusaris in foro conscientiae, si solvisti ei, cui debebat tuus creditor. *Less.* 3. Si compensatio facta est creditori per commodum aequivalens. - 700.

Queritur 1. Quando debitor in necessitate constitutus excusetur a restitutione ?

R. Distinguenda est primo necessitas gravis ab extrema, et dicendum quod si debitor aliter sibi non potest subvenire, nisi per bona quae restituere deberet, tunc non tenetur ea restituere, et in extremam necessitatem se conjicere, etiamsi creditor in eadem necessitate constituatur, nisi debitum ei restituatur. Haec est sententia *communis;* et hoc, etiamsi extet res debita in specie. Ratio, quia tunc omnia fiunt communia, cessatque potestas dominii jure gentium introducta. Excipe tamen, nisi praecise ob subtractionem illam dominus in extremam necessitatem sit conjectus, quia auferre alicui rem sibi ad vitam necessariam est idem ac eum occidere; unde in casu melior esse debet conditio domini prius possidentis.

Quaeritur 2. An transacta hujusmodi necessitate, debitor teneatur ad restitutionem ?

R. Distinguit *Less.*, et ait, quod si restitutio debebatur ex contractu, tunc quando per illam dominium rei jam translatum fuerat in debitorem, certe debet tantumdem restitui, quia tunc debitor consumpsit quod erat suum, unde debitum perseverat; si vero res non fuerat translata in dominium alterius, ut in deposito, precario etc., tunc adhuc *probabile* esse dicit *Less.* cum *P. Navar.*, non teneri debitorem ad restitutionem. Si autem restitutio facienda erat ex delicto, *Less.* dicit *probabile* esse adhuc cum eodem *P. Navar.*, non esse obligationem restituendi: sed *probabilius* ipse recte cum *Soto, etc.*, putat restitutionem esse faciendam. At vide *n.* 520., ubi distinximus pauperem in re et in spe. Id autem quod licitum est auferre pro necessitate propria, licet quoque pro necessitate suorum, nempe uxoris, parentum et filiorum. Ita *Less.* cum *Tol.*, qui admittit etiam pro necessitate fratrum. - 701.

Quaeritur 3. An debitor in gravi necessitate constitutus excusetur a restitutione ?

R. Plura distinguere oportet, et dicendum 1. quod si solus debitor est in necessitate gravi constitutus, certe potest restitutionem differre, quando debitum est ex contractu, ut fatentur omnes apud *Croix.* Si vero ex delicto, *negant* posse differri restitutionem, *Sotus, Mol. etc.*, sed *communiter affirmant Pal., S. Antonin., Lugo etc.* Quod si necessitas praevideretur perpetua, in eo casu putat *Croix* debitorem teneri restituere saltem diversis vicibus parcissime vivendo. Citat autem *Ills.*, qui dicit eum posse excusari etiam in perpetuum, si damnum subeundum a debitore esset notabiliter majus damno creditoris. Et idem sentit *Lugo*, qui subdit tamen quod ad excusandum debitorem ex contractu, deberet is subire damnum duplo excedens debitum; ex delicto, damnum quadruplo excedens debitum et damna creditori obvenientia ex omissione restitutionis, ad quae fur procul dubio tenetur.

Dicendum 2. quod pariter excusabitur debitor, si restituendo decisurus sit e suo statu juste acquisito, ita ut in gravem necessitatem incidere debeat. Ita *Palaus, Viva, Tamb. etc.* Dixi *juste acquisito*, nam secus dicendum, si status injuste acquisitus fuisset ex usuris etc., ut *communiter* limitant *Pal., Salm.*, cum Auct. citat. Sicut etiam limitant *Pal.* cum *Sylv. etc.*, si debitor propria culpa, nempe ludis et comessationibus in illum miserum statum devenerit. Sed in hoc casu mihi et aliis doctis junioribus durum videtur

damnare debitorem ad restituendum, si ille statum juste jam acquisierit. Hic autem bene advertunt *S. Antonin.*, *Elbel etc.* cum *communi*, quod, licet tunc debitor ad restituendum non teneatur totaliter mutare statum, tenetur tamen illum minuere quantum potest, scilicet, dimittendo splendorem equorum, famulorum, etc. - 702.

Quaeritur 4. An in gravi necessitate debitoris et creditoris sit obligatio restituendi?

R. Si creditor jam necessitatem gravem patitur, et debitor tunc ea non laborat, sed laborabit restituendo, certe tenetur restituere, quamvis in necessitatem gravem sit constituendus; quia in aequali necessitate gravi praeferendus est creditor, ut magis ab ea eximatur ipse creditor innocens quam debitor, sive hic sit ex delicto, sive ex contractu. Ita *communiter Less.*, *Salm. etc.* Si vero debitor jam constitutus sit in necessitate gravi, qua etiam tunc laborat creditor, *prima sententia affirmat* debitorem teneri restituere. *Secunda* vero *sententia* tenet in eo casu posse debitorem etiam ex delicto differre restitutionem, dummodo res ablata non extet in specie, et modo non praecise per illam ablationem creditor in gravem necessitatem sit conjectus. Ita *Less.* Et revera videtur *sua probabilitate* non carere illa secunda sententia; quia in eo casu si restitutio facienda esset, non tantum aequale damnum debitor sustinere deberet, sed multo majus quam creditor; cum enim is gravi necessitate jam laboret, certe non posset restituere nisi cum gravissimo incommodo, ita ut quasi in extremam necessitatem se conjicere videretur. - 703.

Quaeritur 5. An talis debitor restituere differens ex justa causa, teneatur reddere creditori interesse quod hic patitur ex dilatione?

R. Negant Pal. etc., quia damnum creditori tunc non obvenit ex illa prima injusta acceptione, sed ex retentione posteriori quae juste fit. Sed *probabilius* dicendum cum *Viva etc.*, quod si debitum sit ex contractu tunc non debetur interesse, quando juste differtur solutio; secus vero si ex delicto, quia tunc prima injusta acceptio revera fuit culpabilis causa damni. Vide *n.* 680. - 704.

Quaeritur 6. An liceat tibi rem alienam retinere, vel accipere ex praesumpta voluntate domini, quod si peteres, libenter ille donaret?

R. Affirmative cum *sententia satis communi*, quam tenent *Sanch.*, *Nav.*, *Lugo*, *Sylvest. etc.* Ratio, quia malitia furti non tam consistit in ditescendo ex re aliena, quam in ditescendo cum damno domini graviter inviti, cum hoc praeceptum non furandi tantum ordinetur ad charitatem erga proximum servandam, ut diximus *in Tract. de sept. Praecept.*, *n.* 531. Unde ut excuseris in tali casu a peccato, sufficit ut dominus non sit positive invitus, saltem ad te excusandum a peccato gravi; nam, si putes dominum invitum quoad modum, tunc non excusaberis a veniali, ut recte docet *Sanch.*, cum *Nav.*, *Caj. etc.*

Quaeritur 7. An debitor aliquid donans suo creditori immemor debiti, excusetur a restitutione?

R. Negat prima sententia cum *Sanch.*, *Laym.*, *Spor. etc.*; quia cum is sit debitor, tum ex titulo justitiae, tum ex titulo donationis acceptatae, non potest una solutione his duobus obligationibus ex diversis titulis ortis satisfacere. *Secunda* vero *sententia*, quam tenent *Card.*, *Croix*, *Tamb. etc.* *affirmat* talem donantem bene satisfacere suo debito ex justitia, quia in omni liberali praestatione quisque praesumitur prius velle satisfacere obligationibus justitiae. Prima sententia est *communior*, et quidem *valde proba-*

bilis; sed haec secunda sua probabilitate non caret. - 700.

TRACTATUS XVI.

DE CONTRACTIBUS IN GENERE ET IN SPECIE.

CAPUT I.

DE CONTRACTIBUS IN GENERE.

Contractus est pactum, sive consensus duorum, quo scienter, libere, et legitime uterque se vicissim, vel nimirum saltem una pars se alteri acceptanti obligat, quocumque signo externo id fiat; ut v. gr. in contractu mutui, ex una parte mutuans se obligat non repetere mutuum ante certum tempus, ex altera parte mutuatarius se obligat tunc illud reddere; et sic de aliis. In promissione autem et donatione absoluta, una pars tantum obligatur post alterius acceptationem.

Contractus alii sunt *nominati* ut emptio, mutuum, etc.; alii *innominati*, quorum quatuor dantur species, scilicet: *Do, ut des, Facio, ut facias; Do, ut facias, Facio, ut des.* Alii sunt contractus *nudi*, alii *vestiti*, nimirum stipulatione, juramento. Pro *nudis* autem regulariter non conceditur actio in foro externo. - 707.

Quaeritur 1. Quot modis contractus perficiuntur?

R. Quatuor modis perficiuntur: 1. *Consensu*, ut in emptione, locatione, etc. Et si in istis convenitur de scriptura, ista magis ad probationem quam ad constitutionem deserviet; nisi partes intendant suspendere consensum, donec scriptura fiat; et hoc esse judicatur, quando ab initio de scriptura conveniunt. 2. *Verbis*, prout in stipulatione. 3. *Scriptura*, ut in contractu census. 4. *Traditione*, ut sunt mutuum, donatio, depositum, commodatum, pignus: qui omnes contractus, nisi tradita re, non perficiuntur. Ita *communiter Lugo, Less., Mol., etc.* Hinc in contractibus qui solo consensu perficiuntur, nequit una pars, altera invita, resilire. Secus si contractus scriptura aut traditione indigeant. Caeterum in foro conscientiae contrahentium intentioni standum est. Ita *communiter DD.* - 708.

Quaeritur 3. An si quis externis signis contraheret, sed sine contrahendi animo, in conscientia teneretur ad contractum?

R. Negative ex *communi* cum *Sanch., Lugo, etc.;* nisi in aliquo contractu oneroso alter contrahens jam partem suam praestiterit; tunc enim teneris tu implere tuam, etiamsi ficte promiseris, juxta dicta de stupratore ficte promittente Matrimonium. Vide dicta, n. 642.-709.

Quaeritur 3. An qui sciens obligationem contractus, velit quidem contrahere, sed nolit se obligare, remaneat obligatus in conscientia?

R. Adest duplex sententia probabilis. *Prima sententia affirmat* cum *Less., Soto, etc. Secunda* vero *probabilior negat* cum *Sanch., Bon., Salm., etc.* Ratio, quia conditio opposita contraria substantiae contractus contractum invalidat. - 710.

Quaeritur 4. Utrum contractus sine debitis solemnitatibus celebratus obliget in conscientia?

R. Triplex datur *probabilis* sententia. *Prima negat*, quia leges irritantes tales contractus fundantur in praesumptione non solum doli, sed etiam periculi; et ideo potest lex humana omnino tollere naturalem obligationem contractus initi. Ita *Less., Lugo, Salm., etc. Secunda omnino opposita*, quam tenent *Sotus, Mol., Sa, S. Antonin., etc., etc.*, et merito *probabilem* vocant *Lugo, etc., affirmat* hujusmodi contractus obligare; quia in illis humana lex, quamvis neget actionem civilem, non tamen tollit

naturalem obligationem, ad quam solus quidem consensus sufficit. *Tertia sententia*, quam sequuntur *Sanch., Henr., Cabass., etc.* docet in his contractibus praeferendum esse possessorem, donec per sententiam judicis condemnetur ad restituendum. Hanc sententiam non solum puto *probabiliorem*, sed in praxi omnino tenendam, eo quod juxta principium in hoc libro toties statutum, cum possessio jus certum tribuat, nequit possessor re expoliari, nisi constet de jure alterius. Haec autem tertia sententia supponit secundam *satis* esse *probabilem*. Procul tamen dubio tenetur possessor stare sententiae Judicis, si damnetur ad restituendum. An vero possit judex eo casu judicare contra possessorem, si *probabilior* sit judicis opinio possessori opposita? *Probabilius nego*, juxta dicenda in *Tract. de Praec. part.*, *n.* 210. Hic autem nota, quod si haeres jam tradiderit rem ex fideicommisso relictam in testamento non solemni, nequeat postmodum eam repetere. - 711.

Quaeritur 5. An inducat obligationem pacta de turpi, puta de patrando homicidio, adulterio, furto, sacrilegio, fornicatione, et similia?

R. Certum est quod ante patrationem peccati nullus sit contractus, et nullam pariat obligationem, quoniam justitia nullo modo potest obligare ad illicitum; unde certum est quod eo casu nec promittens teneatur dare pretium conventum, nec alter retinere possit pretium acceptum. Post autem patrationem peccati dico quoad meretrices, *commune* esse, et certum inter DD. quod possint retinere pretium meretricii praestiti. Pro aliis vero maleficiis, puta pro ferenda sententia injusta, vel patrando homicidio, adulterio, fornicatione, etc., duplex est sententia *probabilis*. *Prima negat* esse obligationem solvendi pretium, aut posse illud retineri; quia actio illicita nullo pretio digna est, cum peccatum non sit vendibile. Et in hac suppositione *probabilius* et *communius* tenet *Less.* cum *S. Anton. etc.*, restitutionem pretii accepti erogandam esse pauperibus, vel locis piis; absurdum enim est, et contra mentem legum, ut illi fiat restitutio, quem potius leges punire quam juvare intendunt. *Secundo* vero *probabilior sententia* et *communis*, quam tenent *Sanch., Less., Salm., Croix*, et alii *communiter*, docet teneri promittentem solvere pretium; et contra, recipientem non teneri ad restitutionem. Ratio, quia in quocumque contractu oneroso, *do ut des, facio ut facias*, ut statuimus ex *communi* sententia, n. 642., lex naturalis dictat, quod cum quis partem suam praestiterit, teneatur alter suam implere, quam licite praestare possit. Unde, si alter opus suum, etsi illicitum, jam praestiterit, teneris tu pretium promissum ei satisfacere. Certe actio illa peccaminosa nullo pretio est digna, quia illicita est, sed bene pretium meretur, quia est temporaliter laboriosa, vel ignominiosa, vel periculosa illam praestanti. Et quamvis ignominia illa, sive periculum nullo pretio compensari possit, cum sint res diversi ordinis, inter quas nulla datur proportio; posito tamen contractu, et praestita ab altero actione peccaminosa, teneris tu pretium promissum solvere, non jam ad compensandum damnum alterius, sed ad implendam obligationem naturalem, ex qua, ut diximus, quisque tenetur suam partem promissam implere, postquam alter suam praestitit. Alias recte ait *Lugo*, non videtur quomodo possit obligari stuprator, qui virginem violavit sub ficta promissione matrimonii, ad eam ducendam, ut diximus n. 643. ex *communi* sententia. - 712.

Nota. Promittens prodige aliquid

feminae ob copulam, *probabilius* non tenetur post copulam dare. Ita *Sot., Salm., etc.*, etsi adfuerit juramentum, quia promissio non tollit dationem prodigam esse illicitam; ideo, res promissa reducenda est ad aequalitatem juxta communem aestimationem; et si res est indivisibilis, nihil debetur. Vide *Tract. de matrimonio* 851. Non negandum tamen, quod femina honesta pro usu sui corporis potest recipere quanto plus, ut docet *Less.* - 735.

Quaeritur 6. An, si vir donet aliquid feminae ad extorquendam copulam, possit illa retinere, copula non concessa?

R. Si adfuerit pactum de copula explicitum, vel implicitum, tunc certe tenetur restituere. Secus vero si donum datum sit ad animum alliciendum, quia datio illa fuit omnino liberalis. Bene tamen advertunt *Salm.* difficulter excusari mulierem accipientem tale munus a peccato scandali, quia munere accepto, vir ardentior, et audacior redditur ad eam concupiscendam. Unde dixit *D. Thom.* ex *D. Hieronymo.* « Matrona non est casta, » quae, cum rogatur, munera acci- » pit.» - 714.

Quaeritur 7. Si actio sit debita ex alia virtute quam ex justitia, puta jejunium in quadragesima, an restituendum sit pretium pro illa actione acceptum?

R. Affirmant Less. etc. Sed *communius et probabilius negant Sot., Lugo etc.* Ratio, quia praesens pretium tunc acquirit jus quo antea carebat. - 715.

Quaeritur 8. An dolus vel error invalident contractum, et quandonam?

R. Dolus vel error aut est circa substantiam contractus, aut circa qualitatem rei. Si circa substantiam contractus, nullus est contractus. Est *commune Less., Sal., etc.*, et hoc etiamsi dolus aut error non dederit causam contractui, id est, etiamsi patefacto errore, pars adhuc contraxisset: quia semper deficit actualis consensus. *Salm., Sanch., Bon., etc.* Si autem error est circa qualitatem rei, et non dederit causam contractui, *communis* e converso est sententia contractum esse validum. *Less., S. Antonin., Soto, Caj.* Hinc ait *Less.* quod licet una pars decepta fuisset in pretio ultra dimidium, contractus non posset rescindi, altera nolente, sed solum ad aequalitatem reducendus esset; *Salm.* tamen dicunt posse rescindi. - 714.

Quaeritur 9. Si dolus vel error fuit tantum circa rei qualitatem, sed dedit causam contractui, ita ut, illo manifestato, pars non consensisset, utrum validus contractus remaneat?

R. Negant Concina, etc. Ratio, quia licet qualitas in *esse* physico sit quid accidentale, in *esse* tamen morali habet rationem substantiae. *Oppositum* tamen *est communiter traditum* a DD., et *probabilius;* quia contractus hic non est invalidus neque de jure positivo, neque naturali; nisi ut bene advertunt *Buss., Tournel., etc.* contrahens expresse consentiat sub conditione, si talis adsit circumstantia; quia tunc qualitas transit in substantiam. *Communiter* autem DD., ut ait *Concina*, docent semper posse irritari talem contractum a decepto ratione injuriae, et defectus consensus, et teneri deceptorem ad damna ex deceptione orta. Et quando res adhuc integra est, ajunt *Less., Laym, etc.*, quod si error fuit invincibilis, non tenetur deceptus in conscientia implere contractum, etiam onerosum, postquam noverit gravitatem, quae si ab initio ei nota fuisset, minime consensisset; ratio, quia haec est tacita mens contrahentium non se obligandi ad contractum, quando se deceptos deprehendunt: idque dicunt confirmari a consuetudine recepta. Quando vero res non est integra,

nempe si altera pars jam implevit, tunc si illa non erat conscia erroris, licet non habeas actionem ad rescissionem, adhuc tamen contractum potes rescindere in conscientia, si res est magni momenti, et deceptio fuit causa contractus, ut *Sylv.*, *Nav.*, *etc.* Si autem altera pars conscia erroris erat, tunc potes contractum irritare, ut supra, etiam in judicio. *Nota* tamen, quod in conscientia altera pars errorem tibi manifestare non tenebatur. *Less.* Intellige, modo non decipiat, sive ipse non sit causa erroris, prout dicit idem *Less.* - 715.

Quaeritur 10. An contractus per metum gravem injustum initus, sit ipso facto invalidus?

R. Adest triplex sententia probabilis. *Prima affirmat.* Ratio, quia si hujusmodi contractus naturaliter esset validus, ex injustitia oriretur justitia, cum ex contractu per injuriam extorto oriretur obligatio, quae est actus justitiae. *Secunda* tenet contractus gratuitos esse invalidos, non vero onerosos. Ita *Sot. etc. Tertia* vero *probabilior* et *communissima*, quam tenent *Lugo*, *Less.* et alii innumeri, docet talem contractum esse quidem rescindibilem, non vero invalidum, neque de jure naturali, neque positivo. Non jure naturali, quia metus non tollit simpliciter voluntarium. Non jure positivo, dum in L. *Si mulier etc.* praecipitur judicibus ut tales contractus rescindantur, ergo per se lex habet eos ut validos. Excipe tamen matrimonium per metum gravem initum, quod certe per se est nullum ex jure canonico. Cui adjunguntur 1. Professio religiosa. 2. Electio Praelati. 3. Auctoritas Tutorum extorta per metum. 4. Traditio rerum ecclesiasticarum. 5. Jurisdictio Ecclesiastica per metum acquisita, et etiam civilis. 6. Absolutio a censuris, non vero inflictio illarum. 7. Renuntiatio Beneficiorum. - 716.

Quaeritur 11. An metum passus possit pro suo arbitrio rescindere contractum sine auctoritate judicis?

R. Negat Croix. Sed *affirmat communis sententia* tenenda, quam tradunt *Less.*, *Spor.*, *etc.* Unde inferunt quod metum passus bene potest occulte sibi compensare, intellige si petat, et alter nolit contractum rescindere. Et contra, qui metum incussit, tenetur restituere rem extortam, statim ac alter petat. Ita *Pal.*, *Viva*, *etc.*

Nota. 1. Idem quod dictum est de contractibus initis ob metum gravem, dicendum de initis per metum reverentialem, qui necessario induit timorem alicujus gravis damni imminentis ex obedientia non praestita, puta diuturnae indignationis, etc. 2. Quoad preces importunas *Verius* dicendum illas non constituere metum gravem, nisi addantur metui reverentiae erga superiorem. Ita *Sanch. etc.* et bene advertit *Sanch.* non omnes preces assiduas dici importunas, sed tantum quae sunt instantissimae et saepius inculcatae. 3. Personae autem respectu quarum datur metus reverentialis, sunt: proprius Pater, Episcopus, Magistratus; his addit *Sanch.* cum aliis, Socerum, Avum, Curatorem, Matrem, si tamen sit austera, et minas soleat exequi; et etiam Fratrem majorem, aut Patruum, si cum eis habitetur, et ab eis alimenta praebeantur. - 717.

Quaeritur 12. Utrum contractus ex metu levi initus, sit rescindibilis arbitrio metum passi?

R. Prima sententia affirmat in foro interno; nam in externo non datur actio. Ratio, quia quicumque metus injuriam infert, ex qua incutiens commodum reportare non debet. Ita *probabiliter Less.*, cum *Nav.*, *Sot.*, *Sylv. etc.*, bene tamen excipiunt matrimonium, et professionem religiosam. *Secunda* vero *sententia* mihi *probabilior*, quam tenent *Pont.*, *Tamb.*,

Viva etc., dicit neque in foro externo neque interno rescindi posse contractum initum ex metu levi. Ratio, quia non praesumitur consensisse ex metu, sed vere sponte, qui noverit esse levem, et cum facile potuisset, non rejecit. Excipienda tamen censent *Salm.* omnino esse sponsalia, quae etiam per metum levem contracta rescindi possunt per judicis sententiam, ex maxima libertate quam sponsalia requirunt. - 718.

Quaeritur 13. Utrum, si interfuerit metus gravis injustus dans causam contractui, et res pervenerit ad tertium possessorem bonae fidei, possit metum passus ab illo rem revocare, et ille teneatur restituere?

R. Negat Laym. Sed recte *communius affirmant Salm., Lugo etc.*; quia, res semper transit cum vitio suo, etiamsi metus non sit ab illo tertio incussus.

Nota. Non possunt contrahere, qui bonorum suorum administrationem non habent, quales fere sunt prodigi, furiosi, Filiifamilias, Uxores, Religiosi, Pupilli Minores; exceptis quibusdam casibus. 719. (*a*).

CAPUT II.

DE CONTRACTIBUS IN SPECIE.

De Promissione, Donatione, Testamento, Commodato, Precario, et Deposito, Mutuo et Usura, Emptione et Venditione, Censu, Cambio, Locatione et Conductione, Emphyteusi, Feudo et Libello, Sponsione et Ludo, Societate, Assecuratione et Fidejussione, Pignore et Hypotheca, Tutela.

ARTICULUS I.

De Promissione.

Promissio est spontanea et deliberata fidei obligatio de re quadam honesta et possibili praestanda aut facienda.

Nota. Quae huc spectant, facile colliguntur ex dictis supra de voto, in *Tract. de secundo Praec.*; attamen:

Quaeritur 1. An promissio secundum se spectata, a promissario acceptata, obliget sub mortali, si materia sit notabilis?

R. Non convenit inter DD., ideo tres sunt sententiae omnes *satis probabiles. Prima* dicit, quod quaevis promissio acceptata obliget sub gravi et ex justitia; quia fidelitas promissa jus praebet promissario ad rem promissam. *Sanch., Laym., S. Antonin. etc. Secunda* dicit, quod qualis sit obligatio pendet ex voluntate, quam promittens habuit. *Bus., Spor., Holzm., Lugo etc.* In dubio tamen ait *Lugo* non censeri factam obligationem, nisi per verba obligatoria sit expressa. Imo, *Sa* ait, non censeri, nisi addatur juramentum, aut instrumentum. Caeterum, in dubio an quis voluerit se obligare ex justitia vel ex fidelitate, an graviter vel leviter, *probabilissimum* mihi dicendum videtur cum *Lugo*, *Mol. etc.*, eum non esse obligatum nisi sub levi. Et hic advertunt *Sanch.*, *Spor.*, et alii *communiter* apud *Tourn.*, quod ad constituendam materiam gravem in promissione requiri materiam quadruplo majorem, quam in furto mortali, quia promissor agit de proprio, fur de alieno. *Tertia sententia*, quam tenent *Salm., Caj., etc.*, dicit simplicem promissionem non obligare, nisi sub levi, quia tantum obligat ex

(*a*) *Ex codice civili inhabiles sunt ad contrahendum, Minores, Interdicti, Uxores in certis casibus lege expressis, et nonnullae aliae personae in specialibus quibusdam contractibus. Vide* Cod. civ. art. 1078.

fidelitate. Et probant ex *S. Thom.*, qui docet promissionem obligare tantum secundum honestatem, non autem secundum jus civile, id est secundum justitiam, ut explicant *Salm.*, et huic adhaeret *Conc.* sentiens raro esse obligationem ex justitia in simplici promissione. Dixi *secundum se*, quia certum est quod per accidens possit obligare sub mortali, v. g. ratione gravis damni quod alias promissarius pateretur, ut si promissus dare ei mutuum, et ille tibi confisus, aliunde sibi non prospexisset.

Notandum autem ut certum, quod quaevis promissio etiam acceptata, non obliget si postea promissum reddatur impossibile, seu valde nocivum vel illicitum vel inutile; et generaliter loquendo quoties supervenit notabilis mutatio rerum, quae si praevisa fuisset, non fuisset facta promissio, quia semper promissio facta praesumitur sub tali tacita conditione Ita *communiter Viva, Salm., D. Thom. etc.* 720.

ARTICULUS II.

De Donatione.

Donatio est gratuita rei aut juris concessio facta a donatore, donatario acceptante.

Quaeritur 1. Quinam sint inhabiles ad donandum?

R. Inabiles sunt ad donandum sequentes: 1. Carentes usu rationis. 2. Muti et surdi nati; secus, si tantum sint surdi vel muti, licet utrumque, si norint scribere. 3. Senes deliri, sive bis pueri; secus si sint judicio vegeto. 4. Pupilli vel impuberes nisi ad pias causas: donationes tamen eorum in foro conscientiae sunt validae. 5. Damnati criminis capitalis. 6. Qui praesunt civitatibus, Universitatibus, Reipubl. etc. Hi non possunt facere donationes, nisi remuneratorias, vel in eleemosynas. Imo, si Reges et Principes nimis sint profusi in donationibus, in praejudicium regni vel status; vel praesertim si debitis gravati iis satisfacere non possunt, vel subditi nimium graventur exactionibus, possunt eae revocari a successore, 721. 7. Aere alieno gravati. Neque tu juxta *sententiam veriorem et communem* potes ab eis donum accipere; alias mala fide accipiens omnino teneris ad restitutionem damni quod obvenit creditoribus. *Ratio prima*, quia creditores etiam jus personale habent ad bona donata. *Ratio secunda* magis urgens et convincens, quia sicut donans laedit justitiam se reddendo impotentem ad solvendum, quod nemo dubitat; ita etiam laedit accipiens qui positive cooperatur actioni donantis injuste cum damno creditorum. 722. 8. Conjuges inter se. Potest tamen conjux retinere vel distrahere rem donatam, si donans sciat, et non contradicat. Semper tamen talis donatio juramento firmatur. Firmatur etiam morte donantis, modo iste ante donatarium decedat, et modo res in vita tradita sit. Imo, ab initio valida est donatio inter conjuges, si sit remuneratoria, vel fiat causa mortis; vel si ex illa donans non fiat pauperior, nec donatarius ditior, item si vir sit prodigus, vel si uxor donat viro ut consequatur aliquam dignitatem, etc. 723. (*a*). 9. Pater erga filium sub patria potestate adhuc manentem. Sed est *communis* quod talis donatio juramento firmatur, vel morte patris. E contrario, similiter est valida in casibus ut supra mox enumeratis pro donatione inter conjuges;

(*a*) *Ex jure novo donationes in contractu matrimonioli*, Art. 1046. *durante matrimonio in conjuges, licitae et validae sunt, sed revocabiles. Cod. noviss. Art.* 1050. (E. N.)

vel si fiat causa studiorum, vel causa matrimonii, vel si filius sit tantum naturalis; vel si Pater fructus peculii adventitii filio donet. Haec tamen intelliguntur, nisi donatio sit inofficiosa, vide n. 740, scilicet laedens aliorum filiorum legitimas, vel creditores (*a*) (*b*).

Nota 1. Donata a patre studiorum causa filius non tenetur computare in legitimam: tum quia fuerunt loco alimentorum; tum quia, si detrahantur, non sunt donata contra hypothesim. Sed *Trull.* limitat, nisi constet contrariam intentionem patri fuisse; quod si tamen de ea non constet, praesumendum esse de pietate patris, ideoque tales expensas ordinarie post mortem patris non venire in collationem bonorum, nec debere conferri in commune, nisi pater protestatus fuerit se velle in legitimam computari. *Vide n.* 955. 2. Si pater officium filio emit, debet pretium computari in divisione cum fratribus: non autem, si illud gratis a Principe obtinuit; uti neque si filio intuitu meritorum patris sunt donata, quia sunt quasi castrensia. - 724.

Quaeritur 2. An donatio ante acceptationem pariat obligationem?

R. Non parit obligationem, ne naturalem quidem; potestque revocari (*c*). Praesenti autem et tacenti facta, censetur ab eo acceptata; quia in favorabilibus habetur pro consensu (*d*). Pro altero vero nemo potest acceptare sine speciali commissione. - 725.

Unde:

1. Etsi acceptes donationem verbalem, qua tibi Caius, v. g. dat equum absentem, non acquiris jus in re, et dominium equi ante traditionem. Unde si interea Caius det, aut vendat eum alteri, eique tradat, is dominium acquirit; tu autem habes actionem in Caium pro injuria, ratione juris quod habebas ad rem. Ac sic donatio pure verbalis ante realem, hoc est, rei traditionem, vix differt a promissione. - 732.

2. Si donationi apponatur modus tacite vel expresse, non quidem obligando, sed tantum desiderando, sperando, etc. aliquid alterum facturum; vel animo eum ad hoc inflectendi, valet donatio, etsi finis non sequatur:

(*a*) *Donatio facta filiis valet, nec de ista facienda est collatio in divisione haereditatis, dummodo expresse sit facta titulo antepartis, seu praelegati.* Art. 835. (E. N.) — (*b*) *Pater nihil unquam a filio minore accipere potest per donationem inter vivos, cum minor sit incapax donandi, imo nec per testamentum ante annum decimum sextum;* Art. 1078. *et* 818. *Cum vero pervenerit ad hanc aetatem filius disponere per testamentum potest usque ad dimidium bonorum, quae lex majori disponere permittit.* Art. 820. *Ipse autem filio minori donare potest, modo servet conditiones lege praescriptas.* Art. 818. 827. *et* 824. *Mulieres conjugatae dare possunt inter vivos cum expresso maritorum suorum consensu, vel cum auctoritate tribunalis justitiae primae instantiae.* Cod. civ., Art. 821. *Pariter, semper donare possunt per Testamentum, sine mariti consensu, et absque judicis approbatione.* Art. 905. (E. N.). — (*c*) *Nisi facta esset infanti; tunc enim pro ipsis acceptat lex. - H. n.* 130. — (*d*) *Donatio inter vivos perfecta non est, nec donatorem obligat nisi fuerit acceptata verbis expressis in ipso actu donationis, vel in alio posteriore et authentico, quem insuper donatori notificari necesse est. Unde patet non satis esse si fiat donatio praesenti et tacenti, vel acceptetur per litteras aut post mortem donantis. Vid.* Cod. civ., Art. 856. etc.

v. g. dat aliquis puellae ad ejus consensum alliciendum; si postea non consentiat, non tenetur datum reddere. Secus esset, si vere intendisset eam obligare, et hac conditione dedisset. *Vide* n. 712. Bene autem advertunt *Salm.*, quod puella accipiens donum post illicitam petitionem, difficulter excusabitur a peccato scandali, ex *D. Thom.* - 734.

3. In similibus donationibus allectivis potest aliquis, v. g. praedicta puella, sine injustitia acceptare, etsi non intendat praestare quod donator sperat, cum donatio sit absoluta animo alliciendi, non obligandi. Unde, si spe frustatus repetat, dicens se non dedisse nisi sub tali obligatione, non tenetur puella credere : quia eo ipso quod donator non expressit conditionem, praesumitur sine ea dedisse, et repetere vel animo vindictae, vel ut consensum extorqueat. - 736.

4. Quando donans intendit ad aliquem finem obligare, si finis est principalis, debet donatarius illum praestare, nisi ab alio impediatur. Si vero finis sit secundarius, tunc donatio non est irrita, sed potest a donante irritari. Ita *Less.*, imo addit quod si detur aliquid Monasterio sub aliquo onere, non potest repeti, si onus non impleatur, sed tantum cogi Monasterium ad implendum, si possit. - 734.

5. Non tenet donatio ob causam praeteritam, vel praesentem, quae vere non est, ut v. g. si dem tibi aliquid, quia apud Principem causam meam transegisti, vel quia pauper es, et revera non ita es : teneris restituere, cum sit error in formali causa, et principali. Aliud est, si error sit tantum in causa secundaria, ut v. g. si vere pauper sis, et simules insuper sanctitatem, ad hominum misericordiam provocandam ; quia tunc primaria intentio dantium est dare pauperi. Docet tamen *Less.*, quod si error sit circa causam secundariam, licet donatio non sit irrita, est tamen irritabilis a donante ; imo si donatarius sit causa erroris, tenetur ipse errorem detegere, nisi donans ita sit affectus, ut censeatur non revocare donationem, etsi errorem agnosceret. In dubio autem ait *Less.*, restituendum esse pro rata dubii. - 737.

Quaeritur 3. Utrum donatio facta ad pias causas, ante acceptationem valeat ?

R. Affirmat Less., quia acceptatio requiritur tantum de jure positivo et civili ; non autem de jure naturali, et canonico. Sed *probabilius negant Sanch., Salm., Pal., etc.* Ratio, quia ad donationem de ipso jure naturae, requiritur acceptatio, sine qua nulla adest donatio. Secus vero dicendum, si donatio sit facta Deo, videlicet : *Promitto Deo dare tali Ecclesiae etc.*, quia cum intentio feratur in Deum, tunc donatio valet ut votum ; non autem si promissio immediate sit facta Ecclesiae. Notant tamen *Salm.*, quod donatio Ecclesiae facta potest a quocumque particulari acceptari nomine illius (*a*). Notant praeterea *Lugo*, et *Sanch.*, in dubio de intentione donantis, praesumi habuisse animum vovendi ; quia in causis piis, dum in absentia promissio fit, communiter intentio fertur in Deum. - 726.

Quaeritur 4. Utrum ante acceptationem revocari possit donatio juramento firmata ?

R. Negat Laym., quia juramentum servandum est semper ac sine peccato servari potest. Sed *communiter affirmant Sanch., Viva etc. ;* quia juramentum sequitur naturam actus, scilicet donationis, quae de se revocabilis est, donec acceptetur. - 727.

(*a*) *Hoc est* probabilius. - *H.* 131.

Nota. Donatio facta absenti, si per nuntium fiat, potest revocari, donec coram nuntio acceptetur : non enim sufficit, si acceptetur coram aliis. Si vero donatio offeratur per litteras, *Viva* dicit sufficere ut litterae ad donatarium perveniant. At *Less.* et *Salm.*, dicunt requiri amplius ut remittantur litterae, vel nuntius acceptationis, ut donatio sit valida. - 728.

Quaeritur 5. Utrum post mortem donantis possit donatio valide acceptari ?

R. Distinguit *Less.*, si donatio jam facta est, et donans ante mortem mittat nuntium aut epistolam, tunc censet posse acceptari. Ratio, quia donatio permanet virtualiter in litteris, vel nuntio misso. Sed *probabilius* hoc *negant Lop. etc.*, quia post mortem donantis nequit voluntas ejus uniri cum donatarii consensu, ut ad acceptationem requiritur.

Quaeritur 6. An donatarius possit rem retinere, si donationem acceptarit post mortem donantis ?

R. Ex his sententiis mox relatis ambabus *probabilibus*, dico quod si acceptavit in bona fide, cum jam acquisierit legitimam possessionem, juste posset retinere. Secus, si cum mala vel dubia fide, juxta dicenda, n. 761, ubi tenemus non posse cum dubio, etiamsi positivo, inchoari praefatam legitimam possessionem. - 729. Si autem, ajunt *Lugo*, *Less.*, *etc.*, donatio nondum sit facta, sed mandata fieri a nuntio, per illum etiam munere misso, tunc donatio post mortem donantis amplius acceptari nequit. *Sa* tamen dicit donationem posse acceptari, quia hoc mandatum, cum sit gratia quaedam facta, non expirat morte mandantis et hoc *Less. etc.*, merito *probabile* putant. Hinc juxta primam sententiam dicunt *Sanch. etc.*, quod si res culpa nuntii non sit tradita ante mortem mandantis, nuntius tenetur ad duplicem restitutionem, nempe haeredibus defunctis, ratione rei quae ad ipsos pertinet, et donatario, ratione damni illati. Sed juxta secundam sententiam tenetur tantum restituere donatario. Advertendum tamen cum *Lugo etc.*, quod si donatio facta fuerit a nuntio, inscio mortis mandantis tam nuntio quam donatario, tum donatio valebit. - 730.

Quaeritur 7. An mortuo donatario ante acceptationem, haeres possit donationem acceptare ?

R. Affirmat Sanch., quia haeres repraesentat personam defuncti. *Negant* tamen *probabilius Less. etc.*, quia haeres succedit in juribus realibus defuncti, non autem personalibus, ut est jus acceptandi donationem. Concedit tamen *Less.*, quod si haeres sit filius donatarii, ex aequitate posset acceptare, cum satis praesumenda tunc sit mens donatoris. - 731.

Quaeritur 8. Quibus casibus donatio possit revocari (*a*) ?

R. Donatio inter vivos, hoc est, qua quis vult, se vivo, rem absolute alterius esse, potest revocari, etsi res jam tradita sit, tribus casibus sequentibus ; nisi tamen donatio fuerit remuneratoria, aut facta sit Ecclesiae, vel Monasterio. 1. Si donatarius enormiter ingratus sit : debet tamen ingratitudo coram judice probari, ante cujus sententiam donatarius non tenetur restituere. - 738. 2. Si donanti proles orta

(*a*) *Donatio inter vivos absoluta et acceptata revocari potest ex novo jure, ob triplicem causam.* 1. *Ob inexecutionem conditionum appositarum.* 2. *Ob ingratitudinem donatarii.* 3. *Ob prolem donatori supervenientem. Sed per sententiam solum judicis ob primam et secundam causam*, *Vide* Cod. civ. Art. 878. et 881.

est, qua prius carebat; intelligitur cum donatio de magna bonorum parte fuisset, et cum fit extraneis; quia si fuisset in alicujus ascendentis beneficium facta, aut ad causas pias, tunc potest solum revocari in quantum est necessarium ut filii suam habeant legitimam. - 739. 3. Si donatio fuerit inofficiosa contra officium paternae pietatis, nempe si laedit filios in legitima: tunc enim post mortem patris possunt filii revocare, imo etiam vivente patre: et si facta sit donatio a patre extraneis animo pravo, in totum revocatur; sed si sine tali animo, aut est facta aliis filiis, revocatur solum in partem. Donatarius attamen nihil tenetur restituere ante judicis sententiam (*a*).

Nota. Licet parentes nequeant donationibus minuere filiorum legitimas, possunt tamen contractibus onerosis, et donationibus remuneratoriis. Imo *Cardenas* cum *Nav. etc.*, dicunt patrem posse insumere sua bona in opera pia, etiam in prejudicium legitimae filiorum, modo illi non priventur alimentis jure naturae debitis; sed huic opinioni contradicunt *Sanch. etc.* (*b*). Utraque sententia videtur *probabilis.* - 740.

Quaeritur. 9. Quid sit donatio mortis causa?

R. Donatio mortis causa est, qua qui sic donat, ut velit rem esse alterius primum post suam mortem, vel si dicas: *do tibi hoc post mortem meam*, vel *cum moriar:* vel *quia timeo me nunc moriturum.* In dubio donatio est censenda inter vivos, et irrevocabilis.

Quaeritur 10. An donatio mortis causa possit revocari?

R. Affirmative, et potest revocari usque ad mortem in tribus casibus:

1. Si donatorem poeniteat donationis 2. Si dedit ratione alicujus periculi impendentis, ex quo metuit mortem; superato enim periculo, censetur tacite revocata donatio. 3. Si donatarius moriatur ante donatorem, ipso jure revocata est: ut etiam accidit in testamentis et legatis. - 741.

Quaeritur 11. Quomodo haec donatio fieri debeat?

R. Fieri debet in praesentem; nec valet in absentem sine nuntio ad hoc destinato vel epistola; licet valeat ut fideicommissum, si fuerint adhibiti testes; valet autem *probabilter* etsi donatarius praesens tacuerit. - 742.

Quaeritur 13. Quibus competat talis donatio?

R. Donare mortis causa possunt omnes et soli qui possunt testari, excepto filiofamilias, qui quamvis testamentum condere nullo modo possit, cum hoc sit juris publici, donare tamen mortis causa, cum id sit juris privati, potest, si adsit patris consensus expressus: imo sine ejus consensu donare eum posse, non tantum de castrensibus, sed etiam de adventitiis *probabile* censet *Diana*, si nimirum filius ex concessione patris habeat de istis usumfructum, et administrationem, ut *Salm. etc.*, intelligunt. Hinc donare sic possunt minores viginti annis etiam sine consensu sui curatoris. Contra vero invalida est donatio usurarii, nisi prius usuris satisfecerit; potest tamen ad causas pias. Nec valide donat surdus, et mutus a natura; secus si a causa superveniente, vel si surdus sit aut mutus tantum. - 743.

(*a*) *Donatio inofficiosa reductibilis est, non vero invalida, et quidem solum post mortem patris.* Art. 829 et 837 etc. — (*b*) *Haec sententia videtur* probabilior; *quia leges civiles observari debent, ubi a jure canonico non sunt correctae.* - *H. n.* 133.

ARTICULUS III.

De Testamento.

De Testamento. De Renunciatione haereditatum. De Executoribus Testamenti. De his qui testari et Haeredes institui possunt.

§. I. - *De Testamento.*

Testamentum *est voluntatis justa sententia de eo, quod quis post mortem suam fieri vult, cum directa haeredis institutione.* - 919.

Testamentum est duplex : in scriptis seu clausum, et nuncupativum (*a*). Testamentum *clausum* est illud quod testator facit sive sua, sive alterius manu scriptum, et offert coram septem testibus idoneis, non defectuosis, non caecis, non surdis, mutis, nec furiosis, prodigis, infantibus, religiosis, cognatis qui in testatoris potestate sunt, fratribus, patre testatoris, haerede, sed non legatariis, tutoribus, et infamibus de jure ; sed masculis, puberibus liberis, ad id rogatis et vocatis, profitendo id esse suum testamentum. Quod testamentum, si possit, manu sua subscribit, alioqui octavus pro eo testis, dein omnes et singuli septem testes eodem tempore subscribunt, si possint per seipsos, proprioque vel alieno aut communi omnes sigillo consignant. Testamentum *Nuncupativum* est illud, quod minorem solemnitatem requirit, scilicet tantum, ut septem testes idonei supradicti convocati audiant, et intelligant testatoris voluntatem, coram eis scriptam, vel voce articulata prolatam.

Nota 1. Nullum est testamentum scriptum ab ipso haerede, saltem post sententiam. 2. Si testamentum careat solemnitate debita, dubiteturque utrum testator voluerit conficere clausum, an apertum, valet ut nuncupativum ; haec enim praesumitur testatoris voluntas, ne actus omnino corruat. 3. Praeter has solemnitates jure communi requisitas, aliae sunt partialium locorum, quas singulis locis norunt periti Notarii : qui proinde, ne impingatur, utiliter adhibentur. - 920. 4. Aliud est quasi testamentum imperfectum, *Codicillum* nominatum, quod fit non ad instituendum haeredem, sed ad aliquid in testamento explicandum, addendum, mutandum, detrahendum, vel ad legata instituenda. Ad codicillum sive nuncupativum, sive in scriptis, sufficiunt quinque testes etiam non rogati et feminae, quamvis ad Codicillum in scriptis requiritur testium subscriptio. Ad codicillum vero inter liberos et milites, sufficiunt duo testes. - 919.

Quaeritur 1. Quibus de causis nullum sit testamentum?

R. Ex triplici capite. 1. Ob defectum solemnitatum substantialium. 2. Ob defectum complementi, nam si testator moriatur, vel loquelam amittat, antequam testamentum compleat, testamentum est nullum etsi haeredem instituerit. Hoc tamen currit, si constet testatorem voluisse instituere alios haeredes, vel legata ordinare ; in dubio autem testamentum valet ; sicut etiam valet, si haeres sit causa pia, vel si in eo sint scripta legata pia. 3. Ob defectum libertatis, eo quod testator non libere egit, vel non compos mentis, vel deceptus, vel coactus vi aut precibus importunissimis, vel metu reverentiali. - 921.

Quaeritur 2. An testamentum sit validum cui desunt solemnitates a jure civili requisitae?

(*a*) *Ex jure novo Testamentum est triplex: Holographum, solemne, et Mysticum.* Vide Cod. civ. etc. art. 891, *in quibus reperies uniuscujusque regulas.*

R. 1. Si agatur de testamento ad causas pias, certum est quod si constat haeredi voluntas Testatoris, sive per verba, sive per nutum, aut scripturam, tenetur haeres in conscientia, vel cedere haereditatem loco pio, vel legata solvere. Ita *communiter Lugo, Concina etc.* (*a*). Unde infertur quod si testator dedisset tibi aliquid, ut tanquam pauper retineres vel ut in pias causas distribueres, tute id faceres, etiam inscio et invito haerede. - 923. Caeterum si contra non constet haeredi voluntas testatoris, docet *Laym.* quod ex certa regula omnium consensu recepta, non tenetur haeres in suo praejudicio credere uni testi, quamvis probatissimo, dum in C. *Rel. etc. Testament.* expresse dicitur: « Tribus aut » duobus testibus requisitis »; et in C. *Licet, de Testib.* dicitur: « Licet quae» dam sint causae, quae plures exi» gant testes, nulla tamen est causa » quae unius testimonio quamvis le» gitimo terminetur. » Hoc enim necessarium fuit ad bonum commune, ut fraudes evitentur. Hinc, docet *Laym.* quod haeres non tenetur credere soli Parocho, nisi alius adsit contestans. Idem dicunt *Viva* et *Croix.* - 924.

2. Si agatur de testamento ad causas non pias, triplex est etiam sententia, prout diximus de Contractibus, *n.* 711. *Prima* tenet illud valere in conscientia, et naturalem parere obligationem. Ita cum *Bus. Less., Mol., Sa, Sylv. etc. Secundam* vero *omnino oppositam* tenent *Suar., Bon., Salm. etc. Tertia sententia*, quam amplectuntur *Cabass., Sot, Sanch., etc.* tenet praeferri debere possessorem. Primam et secundam sententiam *probabiles* censeo, sed hanc tertiam *probabiliorem*, et in praxi omnino tenendam; quia potius omni jure est jus possessionis; unde omnino dicendum puto quod haeres non tenetur solvere, et contra legatarii, si bona fide legatum acceperint, non tenentur restituere; observa attente quae diximus, *n.* 711. Id tamen intelligendum, nisi accedat sententia judicis. - 927.

Nota 1. Si testamentum factum est ad causas non pias, hominibus rusticanis quinque testes sufficiunt, si plures haberi nequeant, nec subscriptionibus opus erit, si litterati non sunt. - 925. 2. Tempore pestis non est opus nisi duobus vel tribus testibus, inter quos potest esse femina, et Notarius ipse modo non sit consanguineus vel affinis defuncti, et quidem non rogati. Imo dicit Mol. tunc temporis vim habere testamenti voluntatem aegroti scriptam ab ipso Parocho coram unico teste. - 926. 3. Miles in castris, vel in loco ipsis propinquo cum facultate ducis testari valide potest, coram duobus testibus idoneis etiam non rogatis; neque opus est eorum subscriptione in conspectu testatoris; imo et testari ille potest solo nutu, etc. - 929. (*b*). 4. Testamentum nullum quoad causas non pias, valet tamen juxta *communiorem* sententiam, quoad legata pia. - 925. 5. Testamentum ad causas pias principaliter factum, si solemnitates desint, valet etiam juxta *communiorem* sententiam, quoad legata profana. Attamen *Lugo* negat, et ejus sententia est sa-

(*a*) *Nullum admittitur discrimen in jure novo quoad forum externum inter dispositiones pias vel profanas. Vide* Cod. civ., art. 837. et 842. *Ut si testator expresse declarasset suam esse intentionem, ut legatum aliquod solvatur in aliorum praeferentiam, praeferentia haec locum habebit, et hoc legatum non reducetur, nisi valor aliorum legatorum non sit sufficiens ad complendum, quod lex reservat defuncti successori.* art. 844. (E. N.). — (*b*) *De Testamentis militum, vide* Cod. civ., art. 907.

tis *probabilis*, quia respectu laicorum Papa nihil disponit. - 6. Testamentum ad pias causas non solemne revocat aliud solemne, etsi hujus mentionem non faciat. - 922.

Quaeritur 3. An legatum relictum puellis ut nubant, possit dari eis, quae fiunt Religiosae?

R. Si legatum sit relictum personae determinatae, certum est posse dari, nisi aliter constet de mente testatoris (*a*). Si autem legatum sit relictum personis indeterminatis, *prima sententia negat* deberi illud puellis Religionem ingredientibus. Hanc tenent *Sanch., Mol., Ronc. etc. Secunda vero sententia*, quam tenent *Salm., etc. affirmat* deberi legatum. Hanc secundam sententiam reprobare non audeo, sed prima mihi videtur certe *probabilior*, cum expresse constet hanc fuisse mentem testatoris, et contrarium cedere in damnum aliarum. *Probabiliter* autem dicit *Conc.*, quod si non extarent puellae quae nubere vellent, tradendum esset legatum Religionem ingredientibus.

Quaeritur 4. An legatum relictum civibus loci possit dari extraneis?

R. Negandum, nisi isti animum habeant ibi perpetuo manendi, tunc enim ab initio pro naturalibus habentur, vel nisi sine tali animo ibi per decennium manserint. Hic addendum id quod tradunt *Sanch., etc.*, quod legatum relictum puellis originariis, non est dandum eis quae casualiter natae fuerint in eo loco.

Quaeritur 5. An legatum relictum orphanis, possit dari pauperibus habentibus parentes inutiles?

R. Non concurrentibus vere orbati parentibus, videtur receptum apud omnes, quod dari possit. *Ronc. etc.*

Quaeritur 6. An concurrentibus vere orbatis parentibus, hi sint praeferendi?

R. Affirmant praefati auctores. Attamen videntur *non omnino improbabiliter negare Bon. etc.*

Quaeritur 7. An legatum relictum puellis ut nubant, possit dari eis, quae sine dote jam nupserint?

R. Affirmandum, si sit relictum puellis determinatis, quia praesumitur testator voluisse ipsis omnino providere ob peculiarem erga illas affectum, vel ut nubant, vel ut nuptae decenter vivant. Secus vero si indeterminatis, quia tunc censetur potius testator voluisse subvenire nubendis, ut periculum prostitutionis vitarent. Quando autem legatum est relictum pro dotandis puellis pauperibus, bene potest dari nuptis; nam tunc perseverat finis testatoris, nempe sublevandi ipsarum indigentiam. Ita *communiter*, *Sanch.*, *etc.*

Quaeritur 8. An legatum relictum feminis in matrimonium collocandis possit tradi viduis iterum nupturis?

R. Affirmandum, si non sint aliae feminae aetate nubiles. Secus si adsint; quia nomine mulieris in matrimonium collocandae, proprie intelligitur ea quae nunquam nupsit, vel si nupsit, invalide nupsit, aut matrimonium non consummavit. *Salm* tamen recte addunt, quod si legatum sit relictum pro nubendis feminis pauperibus, viduis etiam dari potest, quia verbi significatio utrisque convenit tam virginibus, quam viduis.

Quaeritur 9. An legatum relictum virginibus nubendis possit dari virgini etiam corruptae?

R. Distinguendum: si publice constet de ejus corruptione, non potest

(*a*) *Legatum relictum personae determinatae ut nubat, ei non acquiritur ex jure novo, si fiat religiosa; quia corruunt legata si conditiones non impleantur.* art. 995.

tradi, quia non adimpleretur finis testatoris volentis tantum subvenire iis, quae vere virgines sunt: secus si clam sit corrupta; quia in communi aestimatione haec pro virgine reputatur, nec censetur testator voluisse, quod puella manifestet suam turpitudinem. Ita *communiter Conc. etc.*

Quaeritur 10. An puella clam corrupta possit tale legatum petere?

R. Affirmant Salm. Sed *probabilius negant Conc. etc.* Conveniunt tamen *Conc. etc.* ad dicendum posse illam petere et eligi, si desint aliae vere virgines.

Quaeritur 11. An legatum relictum puellae ut remaneat virgo, debeatur ei si nubat?

R. Affirmandum; quia multum interest Reipublicae ut proles augeantur. Secus dicendum, si legatum relinquatur viduae, ad viduitatem servandam; quia honestum est a secundis nuptiis abstinere. *Salm. etc.*

Quaeritur 12. An legatum relictum puellae, ut nubat, transeat ad ejus haeredem si ante nuptias illa moriatur?

R. Recte distinguit *Lugo:* si legatum relictum sit puellae intuitu subventionis illius personae, ut possit nubere, tunc transit ad ejus haeredem: secus si nullo habito respectu ad personam, sed tantum ad operam piam peragendam; quia tunc est convertendum ad dotandam aliam pauperem; vel si legatum sit relictum sub conditione necessaria, ut puella nubat, sine intentione faciendi operam piam, quia tunc legatum erit profanum, et fiet caducum, ac ideo transibit ad haeredem testatoris.

Quaeritur 13. An debeatur legatum relictum puellae sub conditione nubendi cum aliquo viro, si illa cum alio nubat?

R. Per se loquendo certum est non deberi; excipitur tamen si pater ei legitimam denegaret, vel si ipsa inducatur ad nubendum cum indigno: quia tunc conditio illa rejicitur tanquam turpis, et debetur ei legatum, si ipsa nubat cum alio. Ita *communiter Salm. etc.* - L. 6. n. 853.

Quaeritur 14. An legatum relictum pro fabrica Ecclesiae, possit expendi in ornamenta et alia divino cultui necessaria?

R. Negant Panormitanus etc. Sed *probabiliter affirmant Sanch. etc.;* quia nomine fabricae intelliguntur omnia necessaria ad usum Ecclesiae, nisi aliter constet de mente testatoris.

Quaeritur 15. Quomodo distribuendum legatum relictum pauperibus?

R. Si legati executio relicta sit ad electionem haeredis, potest ipse dare cuicumque vere pauperi. Si vero non est haeredi electio commissa, tunc praeferendi sunt sequentes: 1. Conjuncti testatoris, et inter eos praeferendi sunt proximiores. Id enim exposcit ordo charitatis; atque hoc, ait *Conc.*, etiamsi adsint alii pauperiores. 2. Pauperes concives testatoris praeferendi sunt caeteris extraneis. 3. Magis indigentes, et etiam nubiles. 4. Pauperes probatioris vitae. Hinc dicunt *Laym. etc.* praeferendos esse Religiosos, qui ex eleemosynis vivunt. Recte vero censet *Conc.*, non venire nomine pauperum Religiosos, qui habent reditus sufficientes unde vivant. 5. In aequali paupertate praeferendae sunt feminae, quatenus istae majori periculo peccandi sunt expositae.

Nota. 1. Cum testator dixerit legatum inter pauperes distribuendum, non potest uni tradi. 2. Dicunt *Laym. etc.* executorem posse etiam sibi aliquid applicare; nisi testator noverit ejus paupertatem, quia tunc censetur, quod si voluisset illi subvenire, aliquid expresse reliquisset. Sed *non improbabiliter Ronc.* hanc exceptionem non admittit, quia non praesumitur te-

stator eum voluisse inferioris conditionis facere, quam alios pauperes; et si aliquid ei non reliquerit, id evenire potius censendum vel ex oblivione, vel inadvertentia, vel quod noluisset testator ruborem executori inferre, si inter pauperes eum numerasset. - 930.

Quaeritur 16. An Summus Pontifex possit sine justa causa valide commutare ultimas voluntates testatorum?

R. Nulli dubium quod Papa potest cum causa ultimas voluntates commutare; sed an possit sine causa? Tres sunt sententiae: *Prima affirmat* quia omnia legata intelliguntur implicite relicta ad arbitrium Papae, vel Principis. *Secunda sententia* id admittit de potestate absoluta, non autem ordinaria. *Tertia sententia verior et communior, omnino negat* posse Pontificem aut Principem sine justa causa commutare testatorum voluntates; quia licet dispositiones testatorum censeantur commissae Papae, vel Principi, non tamen ut domino, sed ut boni communis, aut piarum causarum dispensatori committuntur; et *Trid.* ponit tales commutationes posse fieri a Sede Apostolica non nisi ex *justa et necessaria causa.*

Quaeritur 17. An Episcopi cum justa causa possint commutare pias dispositiones?

R. Prima sententia affirmat 1. quia *communis* sententia, ut asserit *Croix,* tenet apud Episcopos esse hujusmodi facultatem ordinariam commutandi; 2. quia licet Episcopus nequiret hoc facere ex potestate ordinaria, potest tamen ut Sedis Apostolicae Delegatus, modo adsit justa causa judicio Episcopi. *Secunda* vero *sententia probabilior negat* posse Episcopos, etiam cum justa causa commutare ultimas voluntates. Ratio, quia *ex Cap. Tua de Testamentis,* et ex Trid. imponitur Episcopis exequi exacte ultimas voluntates; et hoc etiamsi commutatio fieret in melius. *Valde* tamen *probabiliter* censet *Laym.*, quod si aliqua causa superveniat, vel si fuerit testatori ignota, quam si ille cognovisset, aliter disposuisset, tunc Episcopus cum haerede potest ex epikeja interpretari voluntatem testatoris, et legatum in alium usum convertere. Quando autem legata pia nullo modo possunt applicari ad usum a testatore intentum, illa non sunt caduca, sed applicanda sunt in alium pium usum, arbitrio Episcopi et executoris.

Quaeritur 18. An in commutationibus ab Episcopis faciendis, requiratur etiam consensus haeredis et legatarii?

R. Abbas etc. dicunt requiri consensum haeredis. Sed si haeres nollet consentire, Episcopus solus potest commutationem exequi. Dicit autem *Petr. de Ubaldis* quod insuper requiritur consensus Ecclesiae, cui factum est legatum; sed si neque Ecclesia vellet consentire, Episcopus solus commutare potest.

Quaeritur 19. Quae sint causae ob quas Episcopus ultimas voluntates commutare valeat?

R. Illae causae sunt. 1. Quando pecunia legata ad aliquem usum non sufficit. 2. Quando usus legati non potest adimpleri. 3. Si legatum est factum ad usum non ita necessarium, tunc enim poterit Episcopus commutare in alium pium usum magis eidem Ecclesiae necessarium. Vide mox dicta *in quaest.* 16. Imo etiam ad alium usum fructuosum, si causa sit gravissima, et ita praesumatur mens testatoris. - 931.

§. II. - *De renuntiatione haereditatum.*

Renuntiatio futurae haereditatis, nisi juramento firmetur, nullius roboris

est. Ratio, quia ita jure cautum est propter bonum publicum (*a*). Excipe 1. nisi quis in ipso testandi actu renuntiet juri successionis, vel post testamentum conditum, in quo praeteritus est, praeteritionem sui approbet. 2. Nisi haeres necessarius, post debitam sibi portionem integram a patre acceptam, reliquae haereditati renuntiet; qui tamen, si bona patris postea augeantur, legitimam eorum portionem poterit exigere. - 942.

Nota. 1. Renuntiatio haereditatis, cum odiosa sit, et contra jus commune, strictae interpretationis esse debet. - 933. 2. Omne pactum, vel donatio de alterius viventis haereditate ipso jure irrita est. Ratio, quia tales pactiones odiosae sunt, et plenae periculis, ob insidias quae parantur ejus vitae, super cujus bonis fit pactio. Excipe 1. nisi consentiat is de cujus haereditate agitur, et in eo consensu usque ad mortem perseveret. 2. Nisi renuntiatio fiat in favorem communitatis seu collegii; hic enim cessat praesumptio, vel periculum insidiarum. Nisi quis ob constitutiones Ordinis, de omnibus bonis et juribus acquisitis et acquirendis disponere debeat, idque in favorem communitatis piae, vel etiam certae personae pauperis. 4. Nisi fiat pactum circa haereditatem personae incertae. - 934.

Unde :

1. Non obstat renuntiatio haereditatis etiam jurata a filio facta, quominus ab eodem patre, mutata iterum voluntate, possit institui haeres.

2. Si filius renuntiavit in favorem fratris, eo mortuo ante patrem, is qui renuntiavit in prima haereditate, succedere potest; imo etiam institui debet, quia causa renuntiationis cessavit.

3. Filius post juratam renuntiationem, nihilominus succedere potest in iis bonis, quae pater ad secundas nuptias transiens, liberis ex priore matrimonio susceptis, relinquere cogitur. Ratio, quia in his filius non succedit jure sanguinis cui renuntiavit, sed propter civiles constitutiones et favores.

4. Etsi filia accipiens dotem a patre, dicat se ea contentam, et renuntiare paternae haereditati; pactum tamen illud est invalidum, eoque non obstante, potest postea petere complementum legitimae portionis suae.

5. Si parentes dent filiae dotem infra portionem legitimae debitae, inducantque eam coactione vel fraude, seu dolo ad renuntiandum legitimae, non sunt in conscientia tuti, sed tenentur illi restituere libertatem. Et licet filia, si renuntiationem juramento firmaverit, eam servare teneatur; si tamen dolus vel motus intervenerit, licebit relaxationem juramenti injuste extorti petere; eaque obtenta, non tenebitur pacto, quod ex injusta coactione processit. - 933.

Quaeritur. Quousque se extendat constitutio *Tridentini* irritans donationes et renuntiationes, etiam juratas, quae fiunt ab ingredientibus Religionem, nisi fiant cum licentia Episcopi sive Vicarii, intra duos menses proximos ante professionem, et professio postea subsequatur?

R. 1. Hanc constitutionem non habere locum in codicillis, testamentis, aut donationibus mortis causa : quia hujus constitutionis ratio est, ne per renuntiationem haereditatis novitiis imponatur necessitas profitendi, haec enim ratio cessat in his ultimis voluntatibus, quippe quae usque ad professionem revocabiles sunt. Quare valet

(*a*) *Renuntiatio futurae haereditatis, vel quaelibet circa eam stipulatio, omnino prohibetur in jure novo. Vide* Cod. civ. Art. 708.

adhuc hodie testamentum a novitio conditum, neque rumpitur secuta professione, etsi Monasterium in eo fuerit praeteritum. Qui autem licite a Religione recedit, recuperat omnia bona cuicumque ante donata intuitu ingressus in Religionem. 2. Ea constitutione non prohiberi donationem modicam, quia cessat ratio. 3. Ea comprehendi renuntiationem Beneficii Ecclesiastici, quia haec est amissio magni juris ob quam libertas egrediendi a religione impeditur. 4. Per eamdem etiam irritari renuntiationes, quae fiunt ante ingressum religionis, intuitu vel causa impulsiva ingredieudi; qualis intentio in dubio praesumitur, si non multo ante ingressum factae sint. Ratio est, tum quia Concilium absolute loquitur, tum quia alias non sufficienter consuluisset libertati novitiorum. *Nav.*, *Less.*, contra *Sanch.*, cujus tamen sententia est *probabilis*. Unde sic donatum tuto retineri potest, donec per sententiam judicis rescindatur. 5. Irritam etiam esse donationem, seu renuntiationem bonorum, sub conditione professionis edendae factam, ita ut, ea non secuta, corruat; quia donantes, seu renuntiantes aegre contristant donatarios ut eos de possessione semel capta dejiciant; et Monasteria quae tales donationes acceperunt, omnes modos adhibent, ut tales ad professionem inducantur. 6. Non obstante hac constitutione, validas esse renuntiationes aut donationes ante vel post ingressum Societatis JESU factas, juxta ejus constitutiones; quia *Tridentinum* societatem diserte excipit. Dixi, *juxta constitutiones;* quia in iis donationibus quae contra constitutiones fiunt, non videtur habere locum; *Tridentinum* enim id voluit in favorem Societatis. Quod autem ob gratiam alterius conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum. *Mol., Sanchez, etc.* - 935.

§. III. - *De Executoribus Testamenti.*

Executores testamenti a testatore nominari pussunt unus vel plures ex haeredibus vel non haeredibus; nec tantum masculus, sed etiam femina; non tantum laicus, sed etiam Clericus et Religiosus. Hic tamen non sine sui Praelati licentia. At Fratres de Observantia nullo modo. Quod si tamen Religiosus contra Canonum decreta executor testamenti sit, acta ejus valent. Et ratio est, quia spectato jure naturali, sufficit voluntas testatoris executoris: nec Canones executionem Religiosi infirmant, sed prohibent tantum.

Nota. 1. Licet impubes executor esse non possit, potest tamen minor, si expleverit annum decimum septimum. 2. Nullus autem cogi potest ut sit executor. Detrectans tamen hoc ipso perdit legatum, saltem quod in praemium muneris ei relictum fuit, ceditque hoc aliis executoribus. 3. Si nullus a testatore nominatus est executor, executio pertinet ad haeredem, etiam quoad legata pia: quo tamen casu Episcopus jure communi ad se pertrahere potest. 4. Executor non potest officio suo fungi per alium, nisi testator ei permiserit, aut nisi committatur executio nudi facti jam declarati. - 936.

Quaeritur 1. An Religiosus executor legatum in pias causas Monasterio suo applicare possit?

R. Potest. Ratio, quia nihil obstat.

Nota. Ad pias causas legata dicuntur, quae intuitu pietatis relicta sunt, nimirum 1. loco vel personae sacrae, 2. hospitali, 3. confraternitatibus, 4. pupillis et orphanis, 5. causa alimentorum, iis qui indigent, 6. causa studii, saltem Theologici, 7. ad constructionem monumenti, 8. ad utilitatem publicam, et ad caetera multa. - 937.

Quaeritur 2. Quomodo legata incerta executioni sint mandanda?

R. 1. Si incertitudo sit ex parte le-

gatarii, jure civili corruit legatum : v. g. quia sunt duo ejusdem nominis, et amicitiae erga testatorem, jure civili corruit legatum : in foro conscientiae tamen tenetur executor inter eos dividere aequaliter, si in id consentiant. 2. Legata ad causas pias ob incertitudinem loci vel Ecclesiae, non fiunt caduca, sed plerumque pauperiori Ecclesiae, vel xenedochio danda erunt. 3. Si incertitudo sit ex parte rei legatae, videndum an terminos a natura habeat, ut v. g. bos et equus; vel ab arte et industria, ut domus, vestis, etc. Si a natura habeat, danda est una ex mediocribus ; si ab arte, electio ad haeredem pertinet, qui rem in eo genere minimam dando satisfacit. Idemque dicendum est de legatis in numero, pondere et mensura consistentibus 4. Si executores acceperint summam pecuniae distribuendam pauperibus, non tenentur dare pauperioribus ; possuntque etiam dare hospitalibus, Ecclesiis, quae ornamentis vel fabrica indigent, Monasteriis, vel iis qui secundum statum non possunt vivere, sive ii sint opifices, sive altioris conditionis, etiam nobiles, dummodo tamen non constet, vel ex signis colligatur aliam fuisse intentionem testatoris,quae semper attendenda est. Possunt etiam sibi ipsis, vel suis cognatis, si vere sint pauperes et praesertim si testator id ignoraverit, eam applicare.- 938.

Quaeritur 3. An legata ad certas pias causas possint ab executore, vel Episcopo commutari in alium pium usum?

R. Si voluntas testatoris impleri potest juste et honeste, non licet eam commutare in opus quantumcumque melius. Vide n. 931- 939.

Quaeritur 4. Intra quod tempus, quo ordine et modo haeredes et executores defuncti voluntatem exequi debeant, et quis cogere possit?

R. 1. Teneri statim post aditam haereditatem, confectumque inventarium, etiam infra annum, nisi justo impedimento excusentur. Imo in legatis piis intra sex menses : idque etiamsi haereditas non sit adita, eo quod haeres vel ante fuerit mortuus, vel eam repudiarit. Unde si differant notabiliter, praesertim solutionem piorum legatorum, aut negligant exequi, graviter peccant, tenenturque damnum, quod alii ipsorum culpa acceperunt, compensare.

2. Ab utroque Judice Ecclesiastico et saeculari compelli possunt, si tamen laici sunt. Quod si post annum a monitione judicis vel Episcopi exequi negligunt, omni commodo, excepta tota legitima, si haeredes necessarii sunt, ex testamento ipsis proveniente privantur. Imo si intra annum negligant exequi, jus executionis devolvitur ad Episcopum, nec admittitur purgatio morae, sed tenetur Episcopus exequi, removendo illos ab executione et emolumentis expoliando; atque in defectu Episcopi idem potest Metropolitanus.

3. Executor tenetur omnia exequi secundum mentem testatoris ; ad hoc tamen executor particolaris non potest vendere bona defuncti, nisi hic ita statuerit ; universalis autem potest. Neque potest unquam, invito haerede, rem legatam dare legatario : quia non potest nisi per Judicem spoliare haeredem sua porsessione, licet teneatur monere Episcopum, ut haeredem cogat. Quod si bona non sufficiant ad legata omnia solvenda, distribuenda sunt omnibus aequaliter pro rata, etiamsi sint pia, et licet uni res certa et individua sit legata ; nec licet uni praealiis gratificari, quia par omnium est ratio et jus.

4. Tenentur executores reddere rationem executionis, idque *probabiliter* etiamsi testator eos hoc onere liberasset, exceptis iis, quae testator jussit

erogari secreto. Possuntque ad hoc cogi ab Episcopo, vel Capitulo, Sede vacante, nisi sint Regulares plene exempti, quos cogi posse alii *negant*, *affirmant* alii.

5. Denique non debetur iis salarium, cum sit officium voluntarium amicitiae: si tamen damnum ex eo patiantur, vel sint etiam administratores bonorum, debet assignari a Judice. - 941.

§. IV. - *De his qui testari, et haeredes instituì possunt.*

1. Omnes homines liberam de suis bonis testandi facultatem habent, nisi naturali aut positivo jure prohibeantur. Naturali autem jure testari vetantur infantes, furiosi, amentes, nisi tamen lucida intervalla habeant vel in una tantum materia dèlirent, et in aliis non. Jure autem positivo testari vetantur surdus simul et mutus a natura, prodigus, servus, usurarius publicus, filiusfamilias de bonis adventitiis, et jam de consensu patris, nisi ad causas pias, siquidem ante Clericatum advenerint; impubes, captivus apud hostem, damnatus ad mortem, si bona ejus confiscantur, professus Religionem. - 942.

2. Haeredes institui possunt omnes homines, etiam amentes, surdi, muti, servi, imo et Communitas, nisi specialiter prohibeantur.

Quaeritur 1. Qui, secundum jura, haeredes institui non possunt?

R. Incapaces sunt, secundum jura, sequentes: 1. Apostatae et Haeretici, eorumque receptores, defensores, fautores: licet *probabile* sit eos ante sententiam judicis ad restitutionem non teneri, eo quod hoc jus in eo rigore non sit receptum. 2. Civitas hostium et communitas Judaeorum. 3. Damnatus ad metalla; persecutores et percussores Cardinalium, et qui ob crimen active intestabiles sunt. 4. Haeres et legatarius, qui testatorem occiderunt. 5. Is qui prohibuit testatori testari, aut testamentum revocare, aut si ad uxorem testatoris accedat. 6. Is qui cum haeres esset, testatoris mentecapti curam non habuit, vel si captivum redimere neglexit. 7. Professi religionem, quibus permissum non est bona immobilia in communi possidere. - 944. (*a*).

Quaeritur 2. Quaenam sit divisio haeredum?

R. Haeres alius est ex testamento, alius ab intestato. Haeres ex testamento, vel est universalis sive ex asse, vel partialis seu ex parte tantum v. g. ex triente, vel dodrante, vel quadrante. Uterque horum vel est haeres necessarius, qui necessario institui debet, ut sunt omnes in recta linea descendentes, et post hos ascendentes, nisi sit causa justa exhaeredandi; vel non necessarius, quem testator potest instituere et non tamen cogitur.

Quaeritur 3. An testator teneatur sub gravi obligatione relinquere bona cognatis, qui non sunt haeredes necessarii, si ipsi graviter indigeant?

R. Loquendo de fratribus aut sororibus, *negant Salm.*, et dicunt esse obligationem tantum sub levi, nisi illi sint in extrema paupertate. Sed *Sylvest.*, *Sa*, *Bon.*, *etc.*, asserunt absolute esse obligationem relinquendi bona fratribus graviter egentibus, saltem quantum sufficiat ad sublevandam ipsorum indigentiam, juxta praeceptum charitatis; et cum haec sit materia gravis, non videmus qua ratione possit negari, quod charitas ad hoc graviter obliget. Et hoc non tantum ex generali praecepto charitatis, sed ex obligatione speciali pietatis, quam ha-

(*a*) *De his qui ex jure novo sunt incapaces accipiendi per donationem aut per testamentum, vide* Cod. civ. art. 824 et seq.

bemus erga fratres, et propter quam certum est laesionem in fratres habere specialem malitiam in Confessione explicandam, ut *communiter* dicunt DD. Hinc censemus omnino dicendum cum *Spor., Ronc., etc.*, quod idem vinculum pietatis graviter obligans ad fratres non laedendos, obligat etiam sub gravi ad subveniendum eis in gravi necessitate prae omnibus aliis pauperibus sive operibus piis. Addit *Ronc.*, quod si fratres sint pauperes, etiamsi gravem indigentiam non habeant, adhuc est saltem veniale eos praeterire. Erga vero alios consanguineos remotiores cum sit sententia *communis*, quod peccata contra ipsos speciem non mutent; hic non videtur adesse gravis obligatio ipsos praeferendi aliis pauperibus. E converso, quia offensa cognatorum extra fratres saltem aggravat culpam, esto speciem non mutet; ideo puto non excusari a veniali praeteritionem ipsorum, si graviter indigeant, cum erga ipsos etiam adsit aliqua, licet non ita stricta, obligatio pietatis. - 946.

Quaeritur 4. Quantum haeredibus necessariis debeatur?

R. Jure novo legitimam portionem descendentium esse trientem haereditatis, si non sint plures quam quatuor liberi; si plures, semissem. Similiter ascendentium portio, etsi unus tantum sit, est triens haereditatis, sive tertia pars; idque absque ullo gravamine, modo et conditione; alioqui pro non appositis habentur. Quod si autem alicui ascendentium, vel descendentium portio legitima non relinquatur, competit ei actio ad petendum complementum, vel ad rescindendum testamentum, ut ipso jure nullum, maxime si causa idonea exhaeredationis non sit inserta et probata. - 947. (*a*).

Quaeritur 5. Quandonam filius exhaeredari potest?

R. Exhaeredari potest. 1. Si cum peccato gravi, manus injiciat in parentem, aut ei contumeliam dicat, aut eum conetur occidere. 2. Si accuset parentem, aut sit testis vel procurator contra eum in causis criminalibus mortis, exilii perpetui, vel infamiae, aut damni gravis; nisi crimen sit haeresis vel laesae Majestatis. 3. Si rem habeat cum uxore, vel unica concubina patris. 4. Si nolit fidejubere ad liberandum patrem a carcere. 5. Si prohibuit patrem testari. 6. Si filia, recusato justo Matrimonio, luxuriose ut meretrix vivat; hoc est *probabilius*, non vero si nubat contra parentum voluntatem. - 948. (*b*).

(*a*) *Ex jure novo, qui unicum, vel plures habet filios, de dimidia parte bonorum suorum disponere potest;* Cod. civ., art. 829. *Qui ascendentes in quacumque linea habet, de dimidia tantum parte bonorum suorum disponere potest; vid.* Cod. civ., art. 831. *Qui ascendentes aut descendentes habet, uni ex illis eam dare potest bonorum suorum portionem, de qua erga extraneos disponere potest.* (*E. N.*). — (*b*) *Ex jure novo, filii et omnes alii, quibus debetur legitima, possunt exhaeredari. Filii quidem I. Si contra genitorem saevitias, vel quodcumque delictum commiserint. II. Si irrationabiliter ei alimenta negaverint. III. Si sine cura dereliquerint genitorem furiosum effectum. IV. Si eum, cum potuissent, captivum apud hostes, non redemerint. V. Denique si filia contra patris voluntatem meretricium exercuerit.* art. 849. - *Patres et matres exhaeredari possunt a filiis. I. Si filium captivum apud hostes non redemerint, cum potuissent. II. Si ei sine causa alimenta negaverint. III. Si filium furiosum effectum sine cura dereliquerint. IV. Si pater matri vel mater patri venenum de-*

Quaeritur 6. An parentes possint exhaeredare filiam nubentem cum indignis ?

R. Affirmant Baldus, etc. Sed *omnino negandum* cum *Sanch., etc.*; quia in *Authentica* expresse declaratur eo solo casu posse filiam exhaeredari, quo filia minor viginti quinque annis, rejectis nuptiis a Patre oblatis, luxuriose vixerit.

Quaeritur 7. An in casibus enumeratis possint parentes filiis etiam alimenta denegare ?

R. Affirmant Vasq., et Sylv. Sed *communius* et *longe probabilius negant Salm., etc.*, si filii aliunde alimenta non habeant ad vitam necessaria : ista enim semper debentur saltem ex jure Canonico, et naturali, et etiam dico de jure civili, ex quo tamen exhaeredare filium conceditur Parentibus, non autem alimenta denegare.

Quaeritur 8. Si pater justam causam habens, de facto tamen non exhaeredet filios, an possint isti privari haereditate ?

R. Negandum cum *communi*; quia exhaeredatio non ex jure naturali, sed vim habet ex jure civili; quo insuper sancitur, ut causa exhaeredationis non solum in testamento inseratur, sed etiam legitime probetur.

Quaeritur 9. An possit pater exhaeredare filium ob causas similes enumeratas ?

R. Affirmant Tamb., Vasq., etc. Sed *negant probabilius Salm., etc.*; cum in poenalibus non fiat extensio de casu ad casum : maxime quia in Jure prohibetur exhaeredatio ob alias causas quam expressas.

Quaeritur 10. An pater recipiens filium in suam gratiam, et injuriam remittens, possit adhuc exhaeredare ?

R. Negandum cum *Salm. etc., communiter :* quia remissa injuria, pater non habet amplius justam causam exhaeredandi.

Quaeritur 11. An si filius poenitentiam agat de crimine patrato contra patrem ante ejus mortem, possit pater eum exhaeredare ?

R. Probabilius affirmant Lugo, etc., quia poenitentia in foro humano a poena delinquentem non liberat. - 949.

Quaeritur 12. Quando testamentum infirmetur ?

R. Infirmatur in sequentibus casibus : 1. Ob posthumi praeteritionem. 2. Frater et soror possunt infirmare testamentum, si persona infamis instituta sit. 3. Si filii inaequaliter haeredes instituantur. Et peccant parentes si sine justa causa alios aliis praeferant. Justae autem causae hujus inaequalitatis erunt merita, et obsequia majora,

derit, vel atroces injurias intulerit. V. Si quis eorum vitae alicujus de propriis filiis attentaverit. - Istis de causis exhaeredari potest quicumque alius ascendens. art. 850. - *Successionis vero incapaces sunt I. qui nondum est conceptus, et II. puer natus non vitalis.* art. 646. - *Indigni sunt I. Damnatus, quia defunctum occiderit, vel occidere tentaverit. II. Qui defunctum de crimine capitali accusaverit. III. Qui testatorem ad disponendum coegerit, cum nollet, vel disponendum diversimode, quam vellet. IV. Qui violenter defunctum impedierit, ne testamentum conderet. V. Haeres major, qui conscius de sua haeredis qualitate, intra* 6. *menses a die scientiae non denuntiaverit justitiae defuncti occisorem, ab ipso cognitum. Excipe, si publicum Ministerium jam ex officio processisset, vel si quis non denuntiasset, quia interfector fuisset aliquis ejus ascedens, vel descedens, vel in eodem gradu affinis, vel conjux, frater, soror, patruus vel nepos.* art. 648. *et* 649. (*E. N.*).

si pupilli magno sumptu in studiis ali debeant; si quis plus egere videatur; si quis in studiis sustentatus sit Doctor, possitque lucrari, et ali secus; imo pater id quod habet supra partes legitimas filiis debitas, potest de rigore relinquere extraneo. - 950. (*a*).

Quaeritur 13. An filii illegitimi possint succedere parentibus?

R. Ante omnia advertendum filios illegitimos alios dici naturales, alios spurios. *Naturales* dicuntur ii qui nascuntur ex parentibus solutis, inter quos matrimonium bene contrahi poterat, vel tempore conceptionis, vel tempore nativitatis. Omnes alii dicuntur *spurii*, nempe si nascantur ex parentibus incestuosis, vel adulteris, vel voto solemni ligatis.

Dico 1. Certum est autem quod parentes tenentur alimenta praestare filiis etiam spuriis, si isti nequeant aliunde sustentari. Et in hoc jus canonicum merito correxit jus civile, ex quo vetitum erat spuriis etiam alimenta praebere. 2. Quoad successionem vero, filii naturales, si pater careat filiis legitimis, de jure novo communi, possunt succedere patri in omnibus bonis. Si autem pater habet filios legitimos, potest ipse relinquere naturalibus duodecimam partem bonorum; et deficientibus filiis legitimis, naturales succedunt ab intestato patri, non relinquenti tamen uxorem, in sextam partem haereditatis, dividendam cum matre. 3. Ipsi vero filii naturales succedunt matri aeque ac legitimi, non solum ex testamento sed etiam ab intestato, *art.4.* Filii autem spurii, praeter alimenta nihil penitus ex quocumque titulo possunt recipere a patre neque inter vivos, neque ex testamento, aut ab intestato; et si quid acceperint, tenentur in conscientia restituere haeredibus patris. Ita *Communiter Salm. etc.* 5. Non est *improbabile* posse spurios succedere matri; cum lex loquatur tantum de solis parentibus. Ita *Less.*, qui sententiam contrariam *veriorem* tamen putat. - 951. (*b*).

Quaeritur 13. Si pater instituat haeredem amicum cum pacto ut bona reddat spurio, et haeres acceptet, an iste teneatur reddere in conscientia?

R. Adsunt tres sententiae *probabiles*. *Prima* dicit talem haeredem posse retinere, et pro suo arbitrio posse dare spurio ex sua gratuita donatione, et contra posse negare, si velit: quia ex una parte promissio illa contra leges eum non obligat; et viceversa vere est haeres, et dominium acquirit haereditatis. *Sanch. etc. Secunda sententia* mihi *probabilior* dicit haeredem teneri bona restituere haeredi ab intestato, quia ex una parte non tenetur illa tradere spurio, cum non teneatur gravamen illud observare, utpote oppositum contra legem; ex altera non potest haereditatem retinere contra voluntatem testatoris, qui nunquam in-

(*a*) *De causis testamenta infirmantibus*, *vide* Cod. civ., art. 927. — (*b*) *De jure nostro novissimo filii etiam spurii jus habent ad alimenta*, art. 678. - *Filii naturales succedunt semper matri aeque ac legitimi.* Art. 674. - *Patri vero, si sint ab eo legitime recogniti, succedunt ordine sequenti. Si adsint defuncti filii, aut descendentes, aut ascendentes legitimi, succedunt in medietate illius partis, quam ipsi accepissent, si legitimi fuissent: Besem consequentur, si adsint propinqui collaterales in gradu successionis; Totum habebunt, si nulli existant legitimi haeredes, et si praemoriantur eorum filii, et descendentes, omnia poterunt exposita jura repraesentare. Sed nullum habebunt jus super bona propinquorum patris, et matris, quamvis sint legitime recogniti.* Art. 674. 675. *et* 677. (*E. N.*).

tentionem habuit ut apud eum bona remaneant. *Sot. etc. Tertia* vero *sententia*, quam ut *non minus probabilem* enixe tuentur *Salm.*, et non immerito, tenet haeredem bene acquirere haereditatem, sed ex justitia pacti initi teneri eam reddere spurio. Ratio, quia promissio illa facta in pretium haereditatis promissae, satis obligat haeredem ex justitia postquam haereditas est tradita; maxime, si ideo haeres aliquam partem bonorum sibi acquisiverit. - 952.

Quaeritur 14. Qui haeredes succedant ab intestato, aut testamento rupto, vel irrito (*a*)?

R. Succedunt haeredes ab intestato, aut testamento rupto, sequentes: 1. Ante omnes alios patri succedunt legitimi liberi, et in demortuorum locum nepotes. 2. Deficientibus descendentibus, Pater et Mater defuncti, et in eorum locum, Avi et Avae. 3. His quoque deficientibus, Fratres et Sorores ex utraque parte conjuncti: idque aequis portionibus, exclusis iis qui ex solo Patre vel Matre conjuncti sunt. 4. Si ex Fratribus vel Sororibus utrinque conjunctis unus mortuus liberos reliquerit, succedunt hi loco parentis sui cum patruis, non in capita, sed in stirpes. Si tamen Fratres et Sorores utrinque conjuncti omnes mortui sunt, tunc eorum liberi, exclusis patruis ex una tantum parte conjunctis, non in stirpes, sed capita, adeoque aequis proportionibus succedunt; quia duorum fratrum filii, non suorum parentum loco, sed jure propriae conjunctionis succedunt. Cum ergo aequaliter juncti sint, aequales etiam in proportione haereditatis esse debent. 5. Deficientibus Fratribus et Sororibus utrinque conjunctis eorumque liberis, succedunt Fratres et Sorores, ex una tantum parte conjuncti, hoc tamen discrimine ut qui ex parte Patris sunt juncti, succedunt in bona a Patre provenientia, in reliquis aequaliter omnes. 6. Si Fratres et Sorores, eorumque filii deficiant, succedunt propinquiores collaterales usque ad decimum gradum: et fit talis successio in capita, nulla habita ratione an ex altera parte, an ex utraque sint conjuncti. 7. In horum defectu succedit uxor, et denique in illius morte fiscus saecularis in bonis omnibus laici ab intestato defuncti; fiscus autem ecclesiasticus in bonis clerici. - 953. 8. His adde, si uxor, susceptis ex priori marito liberis, ad secundas nuptias transit, quidquid a priori marito, donatione aut testamento acquisivit, ejusdem matrimonii liberis cedit. Similiter maritus, si alteram uxorem ducat. - 960.

Quaeritur 15. Quomodo facienda sit inter Fratres collatio bonorum a parente defuncto provenientium?

R. Haec collatio, licet de Jure antiquo locum haberet tantum, quando filii ab intestato patri succedebant; de jure tamen novo, tenentur semper filii conferre bona a Patre obtenta, nisi pater expresse eos a collatione exemerit; vel nisi aliquis eorum nolit ha-

(*a*) *Primo loco succedunt proles legitimae, et alii descendentes.* Cod. civ., art. 668. etc. *Si non adsint descendentes, succedunt Pater et Mater cum Fratribus et Sororibus, vel ab iis descendentibus.* Art. 671. etc. *Tertio loco succedunt alii ascendentes.* Art. 669. *His omnibus deficientibus, succedunt alii collaterales usque ad gradum duodecimum civilem, qui idem est ac sextus in jure canonico.* Art. 673. *Si defunctus nullum reliquerit propinquum in gradu successionis, neque filios naturales, ejus haereditas ad conjugem pertinebit.* Art. 683. *Denique si neque conjux supersit, Statui erit haereditas.* Art. 684. (*E. N.*).

bere cum aliis portionem, contentus iis quae in vita de bonis defuncti habuit; poterit tamen petere, si aliquid a Patre in dotem, vel causa matrimonii, aut simili ei fuerat promissum, nisi promissione illa aliorum legitima laesa fuerit. - 954. (*a*).

Quaeritur 16. An sumptus a Patre pro filii studio, libris, doctoratus gradu facti, debeant in collationem, et portionem bonorum afferri?

R. Negandum cum *communi;* quia haec cedunt in bonum cummune. *Salm., Nav., Mol., etc.* Nisi dicunt *Nav., Sylv., etc.*, in manu Patris aderant bona propria filii, v. g. castrensia vel quasi castrensia; tunc enim censetur de illis filium in studiis sustentasse. Extendunt hanc doctrinam supra dicti Theologi 1. ad expensas factas pro aliqua dignitate; tunc enim praesumitur Pater potius eas donasse; nisi aliud expresserit aut sumptus scripserit in libro rationum cum filio, quia ex hac contrarium judicatur. 2. Ad expensas factas, ut filius militiam ingrediatur, vel obtineat beneficium vel ut liberetur a vinculis aut a poena criminis. 3. Ad expensas factas pro filii honesta recreatione. - *Nav., Syl., etc.* - 955. (*b*).

Quaeritur 17. An conferri debeat patrimonium a Patre filio datum ad sacros Ordines suscipiendos, si donatio laedat aliorum legitimam?

R. Negant Gomez etc., Affirmant vero *probabilius Lugo, Vasq., Mol., etc.*, quia donatio, quae laedit aliorum jus, est jure naturali illicita. - 956. (*c*).

Quaeritur 18. An filius conferre teneatur quae de bonis paternis male expendit in ludis, meretricibus, etc.?

R. Affirmant Nav., Sylv., Bon., Vasq., etc., modo expensae fuerint in magna quantitate et pater eas non remiserit. *Negant* vero *Salm., Mol., Sot., etc.*, modo filius plus non consumpserit male, quam Pater contentus fuit, ut in suam sustentationem, et honestas recreationes expenderet. Secus, si expensae excessissent. His autem limitationibus utrinque positis, facile hae duae sententiae conciliantur. - 957.

Quaeritur 19. An expensae factae a Patre in die nuptiarum sint in collationem adducendae?

R. Negandum cum *communi;* etiamsi filius habeat bona propria, nisi aliud expresse constet de voluntate Patris. *Nav., Mol., Bon., etc.* 958. (*d*).

Quaeritur 20. An mobilia, vestes pretiosae, et similia data a parentibus, sint in collationem afferenda?

R. Affirmandum, nisi parentes expresse aliud disposuerint. Et idem de arrhis et muneribus dicunt *Salm.* cum *communi*, etc. Idemque dicunt de vestibus pretiosis datis a viris uxoribus, constante matrimonio. Secus vero dicendum de vestibus ordinariis. - 959. (*e*).

Nota. Haeres adeundo haereditatem, non commoda tantum et jura, sed etiam debita et onera realia defuncti in se transfert. Ita tamen ut duplici beneficio gaudeat 1. ut supra vires haereditatis non obligetur (*f*) 2. Ut deductis expensis funeris, et solutis debitis, quartam partem haereditatis obtinere debeat; et si eam non habet, legatis, non tamen piis, detrahere potest beneficio legis (*g*). Ut autem hoc beneficio frui possit haeres, conficere tenetur inventarium intra triginta dies, et per alios sexaginta concludere, nisi

(*a*) *Vide* Cod. civ., art. 762. *et seq. item* art. 676. — (*b*) *Vide* Cod. civ., art. 771. — (*c*) *Vide* Cod. civ., art. 762. — (*d*) *Vide* Cod. civ., art. 771. — (*e*) *Vide* Cod. civ., art. citat. — (*f*) *Vide* Cod. civ., art. 719. — (*g*) 7??. 931. et 937.

adsit legitimum impedimentum (*a*). Ab hoc tamen onere et ab obligatione reddendi rationem potest liberari a testatore. - 961.

ARTICULUS IV.

De Commodato Precario et Deposito.

I. Commodatum est contractus, quo aliquid gratuito conceditur ad usum pro tempore determinato. - 744.

Unde :

1. Commodator non potest repetere absque injustitia rem commodatam ante definitum tempus, nisi damnum sibi impendeat, licet ex repetitione rei simile damnum commodatario immineat.

2. In re commodata, expensae ordinariae debent fieri a commodatario; expensae autem extraordinariae a commodante. - 747.

II. Precarium est contractus, quo gratuito conceditur petenti res utenda, non ad certum tempus, in quo differt a commodato, sed donec concedens repetat.

Precarium cessat per mortem accipientis, non autem per mortem dantis, si ab haeredibus non revocetur. - 745.

III. Depositum est contractus, quo aliquid traditur custodiendum ut integrum reddatur. - 746.

Unde :

1. Depositarius non potest uti re deposita, sine domini saltem praesumpta voluntate.

2. Si depositum sit res usu consumptibilis, non videtur depositarius peccare saltem graviter ea utens, si certus sit se tantumdem ejusdem bonitatis habiturum, quando repetetur. Secus, si pecunia tradita fuerit sacculo vel archa inclusa, vel munita sigillo.

3. Depositarius utens mala fide re deposita, tenetur restituere valorem usus; at si ea utatur bona fide tenetur restituere id in quo factus est ditior, quando intelligit id domino displicuisse. - 748.

4 Depositarius tenetur rem sibi creditam ea diligentia custodire, quam solent adhibere homines diligentes. Quod si res deposita pereat sine ipsius culpa Theologica, *probabile* est quod non teneatur ad restitutionem. Vide dicta n. 554 - 749.

5. Depositarius dubitans an sua culpa depositum perierit, non tenetur in conscientia ad restitutionem, quia in dubio non praesumitur delictum. - 751.

6. In casu incendii, naufragii, depositarius non tenetur depositi conservationem suis bonis praeferre, nisi esset res multo praestantior sua; in quo casu potest sibi rei suae valorem compensare. - 752.

7. Depositarius potest depositum domino in quatuor casibus denegare. 1. Si per sententiam sint addicta omnia bona depositantis. 2. Si habeat ipse certam causam compensationis (*a*). 3. Si comprehendat certo rem esse furatam. 4. Si prudenter certo timeat illum abusurum re deposita contra justitiam, puta gladio ad occidendum, quia tunc peccaret gladium reddendo non solum contra charitatem, sed etiam *verius* contra justitiam, cum valde proxime cooperaretur ad homicidium. Vide dicta, n. 697.

8. *Verius* est etiam cum *Less.* red-

(*a*) *Ex jure nostro conficere tenetur intra* 3. *menses computandos a die, in quo aperta fuit successio. Item ipsi conceduntur alii* 40. *dies ad deliberandum, an velit acceptare, necne. In casu impedimenti judex potest illi concedere novum terminum.* Art. 712. et 715. (*E. N.*). — (*b*) *Ex jure nostro compensatio fieri non potest retinendo rem depositam vel commodatam.* Art. 1247.

dentem peccare contra charitatem, si deponens re abusurus sit non contra justitiam, sed contra alias virtutes; nisi non reddendo, grave timeat incommodum. - 753.

ARTICULUS V.

De Mutuo et Usura.

I. Mutuum est contractus, quo rei alicujus numero, pondere, vel mensura constantis, dominium a mutuante in mutuatarium transfertur, cum obligatione restituendi eamdem vel similem specie et bonitate. Proprie autem mutuum fere est in rebus usu consumptibilibus, inter quas etiam est pecunia, quae licet non absumatur, nec pereat in se, perit tamen exponenti.

Unde:

Mutuans obligatur monere de vitio rei, alioqui ad damnum tenetur in conscientia.

2. Obligatur non repetere rem ante tempus, nisi ipse sit in pari necessitate. - 754.

3. Si non est praefixus terminus ad restitutionem, debet mutuatarius mutuum reddere, quando a mutuante interpellatur; intellige, post aliquod tempus competens arbitrio prudentum. Tenetur reddere etiam non petitus, si non petatur ob oblivionem, reverentiam aut distantiam; mutuans vero non petens, cum facile possit, censetur indulgere dilationi.

4. Tenetur mutuatarius praestare casum fortuitum, cum penes hunc rei dominium sit, et rem eadem quantitate et qualitate reddere suo tempore.

5. In vero mutuo lucrum aliquod accipere non licet, quia est usura. - 755.

Nota. 1. Mutuum praestitum Ecclesiae, causae piae aut Universitati non potest repeti, nisi probetur in utilitatem illius conversum fuisse. Et idem dicitur de mutuo dato Minori, qui alias non tenetur, etiam major factus, restituere. Si tamen Praelatus cum consensu Capituli, recipiat mutuum nomine Ecclesiae, ipsa semper tenetur solvere; dum Praelati cum Capitulo recte alienare possunt res Mobiles Ecclesiae. *Less., etc.* 756. 2. mutuum datum filiisfamilias ut sic putatis, et carentibus bonis castrensibus, sine saltem tacito consensu Parentum, neque ab illis postea restituendum est in foro externo, quo privilegio uti possunt etsi ei renuntient, neque *probabilius* in foro interno; quia lex potest cum justa causa naturalem obligationem auferre, et sic fecisse judicatur in hoc casu ad providendum damno parentum, et nequitiam foeneratorum avertendam: non videtur autem posse negari quod Potestas suprema humana, ob altum dominium quod habet, bene potest propter bonum commune transferre dominium rerum ab uno in alterum, ut patet in lege praescriptionis. Vide dicta n. 517. Ita *Less., Sanch., Laym., Pal., Salm., etc.* Excipitur 1. si mutuum sit in aliis rebus, quam in pecunia, de qua lex loquitur. 2. Si filius juravit solvere: quamvis post solutionem habeat actionem ad repetendum; imo potest relaxationem juramenti sibi procurare. 3. Si mutuum datum sit, sciente et non contradicente patre, aut si conversum sit in utilitatem patris, aut filiorum in rebus, quas pater eis praebere tenebatur (*a*): item, si res mutuata adhuc extet; vel si pater solitus fuerit solvere debita filiorum. *Salm.* - 757.

II. Usura est lucrum immediate proveniens ex mutuo: ita ut mutuans supra sortem, id est, summam capitalem, lucretur aliquid, quod sit pecunia aestimabile, et lucrum tale praecise intendatur ratione mutui - 758.

(*a*) *Tunc pater tenetur ad satisfaciendum.* - H. *n.* 141.

Duplex est usura, realis et mentalis

Usura *realis* est illa, quae pacto exprimitur. *Mentalis* autem est illa, quae intentione concipitur, sed sine ullo pacto exteriori. Aliquando usura implicite tantum fit, et vocatur usura *palliata;* cum videlicet contrahentes praetendunt alium contractum emptionis, locationis, etc. in quo tamen usurarium quid revera intervenit. - 761.

Certum est usuram esse prohibitam jure Naturali, Divino et Ecclesiastico, ut *communiter* docent Theologi et Juristae; quia cum in mutuo rei usu consumptibilis, ut vini, tritici, pecuniae, dominium rei in mutuatarium transfertur, injuste exigeretur aliquid pro usu hujus rei, cum exigeretur pro re quae non extat - 759.

Quaeritur 1. Quando ex usura mentali oriatur obligatio restitutionis?

R. Oritur 1 quando usura mentalis est ex parte utriusque, ita ut mutuans accipiat lucrum tanquam pretium mutui, et mutuatarius ut tale, etiam solvat, tunc certe lucrum restituendum est. 2. Quando usura mentalis est ex parte solius mutuatarii, qui dat lucrum ut pretium, et mutuator accipit bona fide ut gratis datum, tunc non tenetur hic restituere ex injusta acceptione, sed tantum ex re accepta, cum noverit mutuatarium non gratis praestasse. 3. Quando contra usura est solum ex parte mutuantis, eo quod mutuatarius dederit gratis, et mutuans recepit ut pretium, tunc si noverit illum liberaliter donasse, potest retinere.

Quaeritur 2. In dubio an mutuatarius dederit aliquid ultra sortem gratis, vel ut pretium mutui, utrum mutuator possit illud retinere?

R. Certum est licite posse mutuantem accipere a mutuatario dona liberalia, ut docent omnes cum *D. Thom.;* si vero dubium sit, an mutuatarius dederit gratis vel non, *Less.* et *Salm.* docent, quod si mutuans accipit munus in bona fide, potest, superveniente dubio, illud retinere; secus vero si accepit cum dubio, licet dubium sit positivum, id est, cum probabilitate verae donationis, ut *communiter* et recte docent *Less.*, *Salm.*, *Sot.*, *Bon. etc.;* quia cum tali dubio nequit mutuator inchoare possessionem rei alienae. Item, quia in dubio mutuatarius regulariter praesumitur coacte dedisse, quia difficulter homines gratis sua largiuntur. Caeterum in hoc dubio deferendum est illi parti, pro qua est potior praesumptio; hinc aiunt *Salm.*, *Less. etc.,* praesumendum esse mutuatarium moraliter certo donasse, si non sit pauper, aut avarus, aut non dederit impulsus ex metu, neque ex molestia, vel petitione mutuantis. Idem dicunt *Salm.* si mutuatarius per scripturam asserat liberaliter se donasse, nisi constet in fraudem usurae id scripsisse. Oppositum vero praesumitur cum *Salm.*, si mutuas ante donationem significaverit velle aliquid ut sibi debitum, aut si mutuatarius sit pauper, vel non solitus donare, vel si solvat ante redditionem mutui: quia tunc facile praesumitur dare, ne cito cogatur ad mutuum reddendum. Idem rationabiliter censeri dicunt *Nav. etc.*, si mutuatarius acceperit mutuum ad usus necessarios, quia talis necessitas tollit, aut saltem infirmat praesumptionem, quod ille omnino gratis donaverit. - 761.

Quaeritur 3. An liceat dare mutuum sub spe lucri?

R. Si mutuum datur principaliter ob spem lucri, ut esset si alias sine tali spe mutuum non daretur, non licet; cum Evangelium dicat: *Mutuum date, nihil inde sperantes. Lucae*, c. 6. Bene autem ait *Concina* minime peccare mutuantem, qui mutuum dat ad captandam alterius benevolentiam, etiamsi haec benevolentia sit principale motivum mutuandi, quia beneficium gra-

tuitum ex se pertinet ad conciliandam mutuam benevolentiam. Imo addo, etiamsi secundario speretur aliquod lucrum, ita ut lucrum sit causa impellens ad mutuandum: non tamen, si hac spe deficiente, mutuum non daretur, quia tunc saltem praesumitur usurarium. - 762.

Quaeritur 4. An mutuans possit retinere quod mutuatarius dedit non ex mera gratitudine, sed ex timore ne alias mutuatio ei negetur in futurum, aut ne aestimetur ingratus?

R. Negant Caj., Nav., et alii. Sed *affirmant Laym., Lugo etc.*, quia ex *S. Thom.*, et *communi*, requiritur ad usuram, ut detur ex vi pacti, sive ut debitum ex justitia; dari autem ex tali timore non efficit ut detur in pretium: lex enim mutui non prohibet ut alter nolit ingratus apparere. - 863.

Quaeritur 5. An obligatio antidoralis, seu gratitudinis possit unquam in pactum deduci?

R. Omnino negandum; nam id quod in pactum deducitur, jam dicitur debitum. Et clare infertur ex prop. 42. damnata ab *Inn.* XI. - 764.

Quaeritur 6. Utrum adsint tituli propter quos exigi possit aliquid ultra sortem?

R. Quatuor sunt tituli ordinarii, propter quos mutuans potest aliquid ultra sortem exigere, nempe lucrum cessans, damnum emergens, periculum amittendae sortis, poena conventionalis.

1. *Lucrum cessans*, id est, volebas cum tua pecunia lucrari negotiando v.gr. et poteras; sed mutuando, hoc lucro te privas. In hoc casu potes accipere aliquid ultra sortem, in compensationem lucri cessantis. Sic *S. Thom.*, et alii *communiter* DD.

2. *Damnum emergens*, id est propter mutuum pateris damnum, in hoc casu pariter potes percipere aliquid. Ita omnes cum *S. Thom.* - 768. Ad hujusmodi tamen interesse exigendum ratione *lucri cessantis*, aut *damni emergentis*, tres requiruntur conditiones: 1. Ut interesse ab initio in pactum deducatur. 2. Ut non plus exigatur, quam sit lucrum, quod speratur ex alio contractu licito, juxta aestimationem spei et periculi, et deductis expensis 3. Ut mutuum vere sit causa damni vel lucri cessantis: nam si mutuans aliam habeat pecuniam, quam ad negotiandum substinuit, vel si lucrum quod amittit ob mutuum, ex mercatura facienda, potest et vult sibi comparare ex alia via aut arte, cui mercando non potuisset vacare; tunc nequit exigere aliquid, nisi esset pro majori molestia subeunda in illo alio lucrando. - 769.

3. *Periculum amittendae sortis*, modo sit verum et extraordinarium, non autem commune; et insuper non recuses assecurationem sortis, et non cogas mutuatarium ad tale periculum transigendum. Unde bene potes exigere a mutuatario id, quod alter tibi daret pro assecuratione sortis, licet mutuum postmodum integre tibi reddatur. Ratio, quia te exponere tali periculo, vere est pretio aestimabile. Haec est sententia *probabilior*, et *satis communis*, quam tenent *Buss., Less. Sylv., etc.* et alii innumeri. - 765.

4. *Poena conventionalis*, nempe pactum, quod, si mutuatarius non satisfacit solutioni intra tempus praedefinitum, solvenda erit ei aliqua summa ultra sortem. Talis titulus etiam *communiter* censetur justus. Ita *Lugo, Tourn., Holz., Less., Anacl. etc.* Ratio, quia talis poena apponitur ut contractus firmitati consulatur, et avertatur negligentia mutuatarii. Sed ut licite hoc pactum apponatur, requiritur 1. ut mora debitoris sit notabilis et culpabilis. 2. Ut absit animus lucrandi per poenam appositam: qui animus praesumitur, si oneretur debitor ad restituendum pro tempore, quo scitur eum solvere non posse. 3. Ut poe-

na sit moderata, et culpae proportionata. - 766. *Probabilius* autem est quod talis poena debeatur ante judicis sententiam, quia haec poena magis habet rationem pacti, quam poenae. - 767. (*a*).

Quaeritur 7. An pro obligatione cui se submitteret mutuans non repetendi mutuum nisi post multum tempus, possit aliquid ultra sortem exigere, etiamsi nullum incommodum ex dilatione ei eveniat?

R. Adsunt tres sententiae: *prima communis negat*, et hanc tenent *Less., Laym., etc.*, quia talis obligatio est de se intrinseca mutuo. *Secunda sententia* dicit quod, licet in mutuo sit obligatio expectandi solutionem per aliquod tempus; quando tamen obligatio est de non repetendo nisi post multum tempus, puta per triennium, tunc, cum illa non sit intrinseca mutuo, potest aliquid licite exigi. Haec sententia vere non videtur *sua probabilitate* carere. Si enim licite aliquid exigere potest qui obligatur ad mutuandum infra longum tempus, ut DD. docent *communius*, cur non potest, qui obligatur non repetere suum nisi post diuturnum tempus? *Tertia sententia* parum huic sententiae dissimilis, quam tenent *Salm. etc.* dicit quod licet, adhaerendo primae sententiae, exigere aliquid praecise pro tempore sit usura; attamen, cum sit moraliter impossibile quod per multum tempus expectando mutuans non patiatur aliquod periculum, damnum vel incommodum, aut saltem non impediatur ab exercendo aliquem actum liberalitatis, aut alterius decentem operationis, idcirco potest aliquid ultra sortem recipere et pacisci. Hinc si mutuans aliquid accipiat pro obligatione expectandi solutionem, v. gr. per tres annos, rite accipit non ratione commoditatis, qua privatur, sed ratione oneris ex pacto sibi impositi, quod onus utique est pretio aestimabile. - 760.

Quaeritur 8. An in contractu mutui, necesse sit praemonere mutuatarium de vero damno, vel alio titulo justo, pro quo possit exigi aliquid ultra sortem?

R. Prima sententia negat, quam tenent *Lugo, Sot. etc.; Secunda* vero

(*a*) *Vide in in fine Compendii Sanctae Apostolicae Sedis Responsa circa lucrum ex mutuo, ex quibus decretis inferes sequentia:*

1. *Licet haec responsa definitivam non contineant S. Sedis decisionem, attamen, qui consuetam agendi rationem Ecclesiae romanae norunt, persuasum habere debent S. Sedem contrarias decisiones nunquam edituram esse* 2. *Doctrina tamen Ecclesiae, et notanter Encyclicae Benedicti XIV. circa usuram, manet inconcussa; in ea enim consistit ut nihil percipiatur ex mutuo vi mutui; at praefatae decisiones et resolutiones supponunt aliquem existere titulum ipsi mutuo extrinsecum. Firmiter ergo persuasum habeo lucrum lege taxatum, ex mutuo charitate non debito, nunc prohibendum non esse, et praescribendam esse nemini restitutionem, modo paratus sit judicio definitivo Sedis apostolicae se subjicere. Imo cum nulla sit ratio judicandi talem restitutionem aliquando locum habituram, arbitror poenitentes in bona fide existentes de hoc non esse interrogandos, si praevideatur eos admonitos non futuros esse paratos mandato S. Sedis apostolicae obtemperare, quia tunc monitio ad nihil prodesset, et multum obesset. Caveat ergo confessarius, ne sua nimia rigiditate poenitentes detrimentum patiantur; et caveat sibi, ne poenitentes ad se simpliciter et cum fiducia recurrentes, a lucro retrahens, obligationem hoc detrimentum reparandi incurrat.*

sententia verior docet monitionem esse necessariam. Ita *Bus., Less., Conc. etc.* Ratio, quia mutuatarius putans contractum usurarium, non consentit in contractum justum, in quem forte consentiret, si novisset justum titulum; putans enim titulum esse injustum, forte contrahit sperando non solvere usuras, vel solutas eas sibi compensare, vel saltem quod alter tempore mortis restituat; alioquin, bene ait *Concina*, posset forte evenire quod ille majus detrimentum ex mutuo, quam commodum retraheret. Sed ratio magis universalis est, quia ad contrahendum non sufficit voluntas interpretativa seu conditionalis, ut dicemus n. 773, sed requiritur voluntas actualis aut virtualis, aut saltem aliquando habita, et non retractata. Ergo mutuans, si lucrum sibi cessat, imputet suae negligentiae. Ait enim *S. Thom.*: « Debebat sibi ca» visse, ne detrimentum incurreret, nec » ille, qui mutuum accepit, debet da» mnum incurrere de stultitia mutuan» tis. » Secus tamen dicendum, si revera existeret titulus justus, et tam mutuans quam mutuatarius in contractum consentirent omni meliori modo, quo possint, ut mox dicemus, n. 773-769.

Quaeritur 9. An mutuans licite exigat interesse lucri cessantis, vel damni emergentis, si mutuet non compulsus alterius precibus, sed ipse se offerat ad mutuandum?

R. Negant Contradus et alii quidam, *sed probabilius affirmant Less., Mol., Nav. etc.* Ratio, quia mutuator tunc non offert mutuum absolute, sed sub conditione ut ei compensetur lucrum cessans; et sic mutuatarius acceptando mutuum, est vera causa cessationis lucri. - 769.

Quaeritur 10. An liceat mutuanti pacisci ab initio de certa pecunia solvenda, quando damnum emergens, vel lucrum cessans est incertum, seu tantum probabiliter futurum?

R. Verius censent *Salm., Tamb., Nav. etc.*, licite posse mutuantem pacisci de aliqua certa quantitate solvenda, debita servata proportione juxta timorem damni, vel spem lucri futuri; quia debita aequalitas jam bene servatur. Nec refert quod damnum eventurum postmodum non accidat, quia pactum de auctario non fit pro damno futuro, quod forte eveniet, sed pro periculo ejus pro probabili, quod actu supponitur, et actu est pretio aestimabile. Ob eamdem rationem *probabiliter* ait *Bon.*, mutuatorem, qui non certo, sed tantum *probabiliter* erat destinaturus pecuniam ad negotiationem, posse aliquid exigere pro rata probabilitatis. Quod si solum animo pendeat, velit an non negotiari, adhuc *Tamb., Lugo* cum *Salm.* affirmant posse aliquid exigere; quia pariter est pretio aestimabile privare se in gratiam mutuatarii hac potestate deliberandi, destinandique pecuniam ad negotium, cum non teneatur gratis ea spe et potestate privari. Et hoc *nec improbabile* videtur; cum haec privatio obligatoria est pretio aestimabilis.

Nota. Quamvis sub initio liceat in pactum reducere, ut diximus, damnum eventurum, vel lucrum cessandum incertum, nunquam tamen licebit ab initio per pactum exigere hujusmodi interesse, ut *communiter* docent *Lugo, Azor. etc.* Ratio, quia, si mutues centum, et pro cessante accipias decem, non jam mutuas centum, sed nonaginta: privare autem mutuatarium ex pacto ante tempus commoditate pecuniae mutuatae, onus est, et illud imponere est usura. - 770.

Quaeritur 11. An possis exigere lucrum cessans ob mutuum pecuniae destinatae ad negotiandum, si aliam pecuniam habeas non destinatam, quam tamen negotiationi substituere possis?

R. Si illam aliam pecuniam reservasses ad usum familiae, nimirum ad

familiam alendam, filias dotandas, senectutem solandam, vel ne tuum statum periculo exponas; tunc licite exiges lucrum cessans, quia non teneris ratione mutui tuam providentiam negligere. Ita *Less.*, *Nav.*, *Salm.*, qui hoc ut certum supponunt. Si autem sine tali incommodo posses aliam pecuniam supponere, sunt qui *probabiliter negant* tunc te posse aliquid exigere, quia tunc tibi non cessat lucrum ex causa mutui. Sed *Less.*, *Tamb.*, *Spor*, *Mor.*, *Laym.*, *Less*, *Croix etc. affirmant*, posito quod statueris illam solam pecuniam negotiationi et periculo exponere, licite posse te petere lucrum cessans; quia vere mutuatio est causa ut tibi cesset lucrum speratum ex illa pecunia; nec teneris in gratiam mutuatarii pecuniam non destinatam negotiationi exponere. Hoc tamen non admitterem, nisi cum mutuum das, vere habeas animum pecuniam illam reservatam negotiationi non substituendi. - 771.

Quaeritur 12. Utrum, si quis bona fide ineat contractum usurarium, et lucrum exigat, re postea cognita, possit illud retinere, si vere poterat contrahere ex justo aliquo titulo, nempe ratione periculi, lucri cessantis, etc.?

R. Prima sententia affirmat; quia, quisquis bona fide contrahit, semper intendit contrahere modo licito quo potest; ideo enim hoc tali modo contraxit, quia licitum putavit; quare virtualiter intendit contrahere quocumque licito modo, quo contractus cohonestari poterat. Ita *Lugo*, *Sa*, *Dian. etc.* *Secunda* tamen *verior sententia*, quam tenent *Salm.*, *Less.*, *Conc. etc. negat* posse eo casu mutuatorem lucrum perceptum retinere. Ratio, quia minime dici potest ipsum voluntatem virtualem sive implicitam habuisse, cum non de alio contractu quam de usurario cogitaverit; eo casu tantum habuisse voluntatem interpretativam, quae non sufficit ad contrahendum, diximus supra n. 769. Nec obstat dicere quod mutuator iste potest retinere lucrum, tamquam possessor bonae fidei, qui tenetur tantum ad id in quo factus est ditior; nequit autem dici ditior factus ille cui ratione mutui cessavit lucrum, quod juste percipere poterat. Nam respondetur quod ad juste exigendum in mutuo aliquid ultra sortem, omnino requiritur ut mutuatarius de justo titulo moneatur, ut diximus supra n. 769: aut saltem, ut tam mutuator, quam mutuatarius expresse vel implicite consentiant in titulum justum, saltem explicite intendentes contrahere omni meliori modo quo possunt: quod e converso sat *probabiliter* sufficit ad exigendum id quod licite exigi poterat ex illo justo titulo, quamvis non expresso. - 773.

Quaeritur 12. Quaenam pacta licite apponi possunt in mutuo?

R. Prae omnibus in hoc attendenda est generalis illa regula tradita a *S. Thom.*, quod omne onus pretio aestimabile impositum in mutuo, tanquam debitum ex justitia, vera sit usura. Secus, si exigatur res quae pecunia non mensuratur, ut benevolentia, amicitia, et similia. *S. Thom.* Item certum est nec etiam esse usuram exigere ex mutuo rem alias ex justitia jam debitam. Hinc licite in mutuo potest exigi, ut alter cesset a vindicta privata, vexactione injusta, etc. Ita *Less.* *Salm.*, *etc.* - 774.

Quaeritur 14. An liceat obligare mutuatarium ad ea quae lex gratitudine tenebatur praestare, ut emat sibi necessaria a mutuante, suam domum locet, etc.?

R. Omnino negandum, non solum si haec exigantur ut debita ex justitia, sed etiam ut debita ex gratitudine, juxta prop. 42. damnatam ab *Innoc. XI.* *Salm.* autem dicunt, quod simpliciter rogare mutuatarium haec

libere praestanda ex amicitia, de se non esset illicitum; et in hoc videtur expresse consentire *D. Thom.* Haec autem doctrina currit speculative loquendo; sed in praxi recte dicunt *Salm.* esse valde periculosam. Nec admittendum id quod ait *Laym.*, licitum esse obligare mutuatarium ad haec praestanda, si obligatio imponatur non ut onus, sed ut conditio sine qua non daretur mutuum; quia acceptata conditione, reipsa jam onus imponitur, et mutuatarius obligatur ad illud, quod nunquam licet; ex *D. Thom.* - 780.

Nota. Ex *Divo Thoma*, licet mutuatarium obligare ad remutuandum eodem tempore mutui; quia potes ab altero petere officium amicitiae, quod ille a te postulat, modo illud non sit illi magis onerosum. Et sic pariter posses petere ut eodem tempore domum tibi locet, etc. Secus autem, si obligares in futurum. - 781.

Quaeritur 15. An liceat pactum ut reddatur res mutuata in eadem specie, et quantitate, quando creditur pluris valitura?

R. Certum est 1., quod licet, si aeque dubium est an valor rei sit augendus vel minuendus. Certum est 2. quod si rem servaturus eras usque ad tempus, quo ejus valorem augendum esse certo credas, potes petere ut reddatur res in eadem quantitate, vel ejus incrementum, deducta tamen aestimatione periculi, vel expensarum in re servanda. Certum est 3. quod licet mutuare vetus frumentum, ut reddatur novum, quod non creditur pluris valiturum, nec melius veteri. Sed quod possis petere ut tibi reddatur res quam non es servaturus, in eadem quantitate, eo tempore, quo credis eam pluris valituram, *affirmant Sot*, *Mol.* Sed docet *Less.* hanc sententiam tunc esse *probabilem* cum fuisset dubium, an pretium foret augendum, vel an tu rem servasses; in quo casu etiam puto rem valore jam auctam cum aliqua detractione reddendam esse, juxta praedicti dubii aestimationem, ne quid ex mutuo lucreris, posito quod non fuisses certo rem servaturus; nam alioqui recte dicit *Less.* non videre quo jure possis aequalem mensuram recipere. *Salm.* autem praedictam sententiam approbant, si ex vi pacti attendatur tantum ad rei substantiam, praecisa consideratione valoris et incrementi. Sed haec praecisio non video quomodo licite possit fieri, quando res non foret servanda pro tempore redditionis, et certo vel probabilius pluris valitura creditur; pretium enim rei de se necessario semper pertinet ad rei substantiam. Certum autem puto e converso, quod, si certo vel probabiliter res tempore restitutionis censeatur minus valitura, poteris majorem mensuram petere, ut te serves indemnem. Haec dubia tamen locum habent, quando cogitatur et creditur res pluris valitura; si vero bona fide nulla habeatur consideratio de incremento vel decremento rei, bene potes pacisci ut res in eadem quantitate tibi reddatur. Ita *Less.*, *Conc. etc.* Hoc tamen non dici posse de mutuo pecuniae, tenent *Salm.*; quia in pecunia, principaliter attenditur valor; sed *Azor.* et alii ajunt bene valere pactum ut reddatur pecunia in eadem specie et numero monetarum, quando nullum cogitatur nec intenditur incrementum, et sic expresse sit conventum: horumque sententia est mihi *probabilior*, saltem si commune sit periculum incrementi vel decrementi. Pactum autem reddendi pecuniam in alia specie quam traditur, omnino usurarium est, quia imponitur onus pretio aestimabile.

Hucusque de pactis; circa quae bene advertit *Anacl.* cum aliis *communiter*, quod contractus in aliqua regione usitatus, et a viris probis celebrari solitus, non est facile damnandus. - 782.

Quaeritur 16. Utrum usurarius acquirat dominium lucri usurarii?

R. Affirmant Lugo, Scot., Sa, Nav., etc. Sed *oppositum tenendum* cum *S. Thom. et communi;* quia contractus usurarius est omni jure nullus. Nuda autem traditio rei dominium non transfert. - 783. Circa autem fructus acquisitos per usuras acceptas, docet *S. Thom.*, quod, si percepti sint ex re usu consumptibili, tunc restitui non debent, quia sunt fructus industriae. Secus si percepti sint ex re non usu consumptibili, puta ex domo, agro, etc., « quia (*verba S. Thom.*) sunt fructus » rerum, quarum alius est dominus, » et ideo ei debentur. » Et hoc valet etiamsi usurarius fructus non percipiat, si alias dominus percepisset. Quoad vero fructus quos dominus non fuisset percepturus, sed usurarius percepit, *Lugo* dicit non esse restituendos, quia ex sua sententia usurarius dominium usurarum acquirit, et tantum tenetur mutuatarium indemnem servare. Sed nos contrarium in nostra sententia, ut supra, dicendum putamus cum *Salm., Tourn., Conc.* - 784.

Quaeritur 17. Utrum dans consilium pro usuris, aut praebens pecuniam usurario ut mutuet, teneatur ad restitutionem?

R. Negant Lugo, Sa, Tol., Sylv., Mol.; quia hi non sunt causa efficax damni, cum possit postea debitor solutionem usurarum negare. Sed *longe probabilius*, saltem quoad suadentem usuras, teneri *affirmat Bus., cum Less., Lugo, Salm., etc.*, quia vere ipse tunc est causa injusti contractus: et licet debitor posset non solvere, si tamen solvat, ex causa sua injuste solvet. *Commune* autem est quod non peccat, nec ad restitutionem tenetur, qui in gratiam mutuatarii illa faceret; et ideo ex illa ratione prima sententia est *satis probabilis*, quia rationabiliter in illis mutuatarius praesumitur consentiens. Quoad autem eum, qui tradit pecuniam usurario, ajunt *Conc., Less., Salm., etc.*, peccare, et teneri ad restitutionem; quia proxime cooperatur ad damnum mutuatarii. Sed *Lugo* recte excipit, ob eamdem rationem, nisi praestet pecuniam in gratiam mutuatarii, vel nisi, addendum dico, non posset ipse pecuniam tradens eam negare sine damno superioris ordinis, quam esset mutuatarii damnum, juxta dicta n. 571. - 785.

Quaeritur 18. An peccet et teneatur ad restitutionem deponens pecuniam apud eum, quam scit abusurum ad usuras?

R. Less., Salm., Pal., Lugo, etc., dicunt quod is peccaret utique contra charitatem, si usurarius non haberet alias unde usuras exerceret; sed non teneretur ad restitutionem, quia in hoc injuriam non irrogaret mutuatariis. Teneri tamen sentit *Conc.* ex *D. Thom.* Sed *verius* mihi dicendum videtur, quod deponens non teneatur ad restitutionem: sua enim actio non est injuriosa, sed potius gratiosa mutuatario, cum inde in necessitate sibi providere possit. Posito ergo quod in hoc mutuatarius non sit invitus, deponens, licet sit particeps injustitiae, quatenus laedit virtutem justitiae in generali, juxta sententiam, quam tenuimus *in Tract. de Virt. Theol., n.* 46, ubi diximus praebentem occasionem peccandi non solum laedere charitatem, sed etiam virtutem ad quam laedendam proximum inducit: non tenetur tamen ad restitutionem, quia non laedit justitiam in particulari, nempe peculiare jus alterius, nec ei injuriam irrogat, cum ille respectu deponentis non sit invitus. - 786.

Quaeritur 19. An Princeps, judices, advocati, qui sunt causa ut usurae solvantur, teneantur ad restitutionem?

R. Tenentur, sicut tenentur etiam illi

qui non excludunt a suis locis usurarios, imo excommunicantur ipso facto; nisi tamen ob bonum publicum hoc permittere expediret, *Less.*, *Salm.*, *etc.* - 787.

Quaeritur 20. An peccent famuli cooperantes dómini usuris?

R. Certum est quod famuli minus principales, qui tantum scribunt, enumerant pecunias, deferunt pignus et similia, non tenentur ad restitutionem, nec peccant. Ita *Salm.*, *Croix*, *Tamb. etc.* Quoad autem eos qui exigunt usuras, et ad solutionem cogunt, *Sa*, *Sylv.*, *etc.*, licet dicant peccare, excusant tamen a restitutione, quia isti non sunt vere causa exactionis, vel tantum sunt materialis, et remota. *Salm.* autem cum *Pal.*, *etc.*, putant teneri, cum vere sint causae injustae proxime cooperantes: et hoc videtur *probabilius* si ipsi cooperantur in re ingrata debitoribus, prout esset, si cogerent eos ad solutionem, subscriberent apodixas. Secus, si in re illis non ingrata, nempe si eos hortarentur simpliciter ad solutionem, vel exigerent usuras sine coactione; quia in hoc debitores non censentur inviti. Sed non excusarem exigentem a peccato cooperationis ratione solius famulatus. - 789.

Quaeritur 21. An haeredes usurarii, vel alterius debitoris teneantur ad restitutionem in solidum?

R. Distinguendum: si debita sint hypothecaria ex contractu, *communis* est sententia omnes in solidum teneri. Si vero debita sint personalia defuncti ex delicto, adhuc teneri in solidum docent Canonistae cum *Sylv.*, *Salas*, *etc.* Sed *satis probabiliter Tournely*, cum *Az.*, *Caj.*, *Tol.*, *Bon.*, *etc.*, dicit hos haeredes teneri solum pro rata, nisi ipsi delicto defuncti cooperati fuerint. - 790.

Quaeritur 22. Quae poena sit usurariorum et cooperantium?

R. Usurarius publicus, sive notorius non debet admitti ad Communionem altaris, nec absolvi, donec restituat usuras, nec sepeliri in loco sacro; et qui scienter sepelit, ipso facto est excummunicatus. Addit *Laym.*, ejus testamentum ipso jure irritum esse, nisi ante mortem restituerit (*a*). Item usurarius est infamis. - 792.

Quaeritur 23. Quid intelligas per *Montes Pietatis*, et an liciti sint?

R. 1. *Montes Pietatis* sunt thesauri quidam, qui in refugium pauperum, a Republica vel Principe reponuntur, unde pauperibus gratis mutuetur, ita tamen, ut parum retribuant pro expensis, quae fiunt in ministros et conservationem talium montium. 2. Liciti sunt *Montes Pietatis*, et approbati fuerunt a Concilio *Lateranensi* sub *Leone X*, sub hac limitatione; « Concedit tantum accessionem, ad solas » ministrorum expensas, et aliarum » rerum ad illorum conservationem, » ut praefertur, pertinentium pro eo» rum indemnitate dumtaxat ultra sor» tem, absque lucro eorumdem mon» tium. » Hinc advertunt *Conc.*, et *Tourn.*, quod ut licite tales *Montes* erigantur, duae conditiones requiruntur: 1. Ut pecunia tradatur pauperibus intra limitem certae summae, pro tempore determinato restituendae. 2. Ut pignus a debitoribus exhibeatur, illudque custodiatur a ministris, et tempore praefinito vendatur sub hasta, ac retento pretio, quod *Monti* debetur, reliquum restituatur domino pignoris vel pauperibus, si hic inveniri nequit, vel etiam eidem *Monti*, si *Mons* sit pauper, et prematur necessitate succurrendi pauperibus.

Nota. 1. Cum *Conc.* peccare divites, qui sine necessitate accipiunt mutuum a *Monte*, ut alias lucrentur, et ideo tenentur illico pecuniam resti-

(*a*) *Lex irritans testamenta usuriarorum non valet in jure novo.*

tuere. Hoc autem intelligendum, si *Mons* sit pauper; quia tunc deficeret subventio pauperum, pro quibus isti *Montes* sunt instituti. 2. Affirmare *Less.*, privatis licitum esse hujusmodi *Montes* instituere. - 765.

ARTICULUS VII.

De Emptione et Venditione in genere et in specie.

§. 1. - *De Emptione et Venditione in genere.*

Emptio est contractus, quo pretium pro merce solvitur, completurque mercis traditione: venditio contra. - 793. Justitia ejus in hoc consistit, ut pretium sit justum, sive exaequet valorem rei, et contra. Alias, si sine legitimo titulo secus fiat, committitur injustitia gravis, vel levis pro gravitate excessus, qui proinde ad restitutionem in conscientia obligabit; etsi in foro externo ad restitutionem fere non cogatur quis, nisi ultra dimidium defraudaverit. - 793.

Unde:

1. Ut contractus emptionis sit validus, requiritur determinatio pretii, quae si remittatur ipsi emptori, nullus est contractus. Secus, si remittatur tertio, sive judicio prudentum. - 794.

2. Contractus emptionis solo consensu perficitur, nisi ante emptionem convenient partes conficere scripturam. Sed dominium rei non transit ad emptorem, nisi facta traditione, ut est *commune.* - 795. (*a*).

3. Imo non transfertur dominium rei etiam emptori traditae, donec ab emptore pretium solvatur, vel offeratur, aut saltem praestetur pignus, vel fidejussio, aut saltem fides de illo. - 796. (*b*).

4. Quando venditio est conditionata, impleta conditione, contractus retrotrahitur ad diem venditionis; ideoque fructus interim percepti pertinent ad emptorem. Hoc tamen est, quando conditio adjecta est casualis; secus, si protestativa, scilicet, cujus impletio sit in potestate empotoris. - 797.

5. Periculum et commodum rei regulariter spectat ad dominum rei; sed in contractu venditionis, emptione perfecta, spectat ad emptorem, semper ac est vendita res determinata, etiamsi res non sit tradita, vel tradita sine habita fide de pretio; nisi aliter conventum sit, aut venditor sit in mora tradendi, aut res culpa sua fuerit destructa vel deteriorata (*c*).

6. Si autem res sit ideterminata, ut si quis emerit decem modios tritici ex granario, aut si emat rem determinatam quidem, sed ad mensuram, ut acervum totum tritici uno floreno in singulas mensuras, tunc ante rei tra-

(*a*) *In jure novo derogatur juri Romano, juxta quod dominium rei venditae non transibat ad emptorem nisi facta traditione, nam juxta istud ad transferendum dominium sufficit conventio de re, et de pretio, etiam sine traditione rei, et solutione pretii.* art. 1428. *Excipiuntur tamen res quae degustari solent, vel ad mensuram venduntur, aut sub conditione. Vide* Cod. civ., art. 1432 *et* 1430. (*E. N.*) — (*b*) *Quamvis dominium emptori transferatur absque traditione, attamen venditor, si pretium non solvatur, non tenetur rem tradere, et licet jam tradita sit, potest obtinere rescissionem venditionis.* Cod. civ., art. 1458., *et* 1500. — (*c*) *Sed praeter hos casus exceptos, sicut periculum rei spectat ad emptorem, ita ei debentur fructus illius, et leges civiles oppositae in hoc puncto, reprobatae sunt a jure Canonico, prout favorabiles lucro usurario, ut dicunt Salm. - H. n.* 169

ditionem, aut mensurationem, periculum spectat ad venditorem, nisi emptor sit in mora ne res sit dimensa. Nota tamen, quod incrementum, et decrementum rei etiam indeterminatae spectat ad emptorem. - 828.

7. Perfecta emptione, nisi aliter conventum sit, fructus rei pendentes spectant ad emptorem, etiam in foro conscientiae. Dicit tamen *Tourn.*, cum *Lugo*, quod hoc valet quoad aestimationem quam habent fructus tempore emptionis : si vero fructus tempore venditionis erant immaturi, cum postea sunt maturi, certum est quod, re non tradita, eorum incrementum debetur venditori.

8. Quoad fructus rei futuros, juxta *communem et veriorum* sententiam, illi fructus spectant etiam ad emptorem, nisi aliter conventum sit, licet res nondum sit tradita, vel tradita sit sine pignore, aut data fide de pretio, ita ut dominium rei adhuc sit apud venditorem. Qui sentit onus, debet sentire et commodum. Porro periculum rei, ut jam dixi, est penes emptorem, ergo etc.

9. Quando res non est tradita, vel tradita est sine pignore aut fide de pretio, venditor, juxta sententiam *communiorem et probabiliorem*, potest pacisci ut fructus ad ipsum spectent donec pretium solvatur. Quia venditor juste potest dominium directum transferre in emptorem, et reservare sibi dominium utile, ut fructus percipere valeat donec pretium solvatur; et tunc percipit, non ratione solutionis dilatae, sed ratione ipsius venditionis hoc pacto initae. - 798.

Quaeritur 1. Cujusnam sit res empta pecunia aliena ?

R. Res empta pecunia aliena pertinet ad emptorem, si emat nomine suo, nisi pecunia sit Ecclesiae, minoris et militis. Quia tunc illis res acquiritur. - 799.

Quaeritur 2. An valeat contractus, si vendatur res aliena ?

R. Si vendatur res aliena, valida est venditio quoad translationem dominii, non quidem rei, sed pretii. Unde vendens mala fide acquirit dominium pecuniae, sed tenetur emptori omnia damna restituere : qui autem vendit bona fide, non tenetur ad damna, neque ad evictionem, sed tenetur quidem pretium restituere emptori, etiam si cum eo convenerit non teneri de evictione; aequum enim non est ut venditor lucrum faciat cum jactura emptoris. Nisi 1. expresse fuerit conventum de non restituendo pretio. 2. Nisi venditor in nihilo factus sit ditior. 3. Nisi emptor scienter rem alienam vel alteri obligatam comparaverit, modo expresse de evictione non convenerit. Attamen bene advertit *Pal.*, quod in hoc casu, pretium non potest a venditore retineri, sed in foro conscientiae emptori est restituendum; et in foro externo fisco adjudicandum in poenam sui criminis. - 800.

Quaeritur 3. Cujus sit res vendita uni, et postea tradita secundo emptori ?

R. Si res sit vendita uni, et postea tradatur secundo emptori, istius fit (*a*). Nisi 1. hic secundus emptor sit conscius prioris venditionis, tunc tenetur iste eam reddere primo emptori, sed non ante sententiam Judicis, modo ipse non induxerit venditorem ad rem ei secundo vendendam. 2. Nisi primus emptor sit privilegiatus, nempe locus pius, aut universitas. 3. Nisi res sit tradita secundo titulo gratioso. Haec tamen restitutio non debetur, nisi alius emptor petat intra annum. - 827. (*b*).

(*a*) *Post pretii solutionem, aut post datam fidem pretii.* - *H. num.* 190. — (*b*) *Si res duobus vendita sit immobilis, priori debetur emptori, si iste*

Quaeritur 4. An quando data est arrha, liceat danti resilire a contractu?

R. Quando data est arrha, licet danti, ex consuetudine, resilire a contractu cum jactura arrhae; nisi arrha data sit pro majori securitate contractus jam initi. In dubio autem an arraha data sit pro securitate, negat *Lacroix* licere danti resilire; sed affirmat *Concina*. Et hoc verum mihi videtur in iis contractibus, ubi regulariter talis est consuetudo; quisque enim praesumitur velle contrahere juxta consuetudinem, qua regulariter fiunt contractus. - 794.

Quaeritur 5. Quodnam sit pretium rerum?

R. Duplex est pretium rerum, aliud taxatum a lege vel magistratu, aliud a communi aestimatione hominum. In primo casu, id est, si pretium sit taxatum a lege vel magistratu, venditor communiter debet vendere juxta illud, et hoc in conscientia, nisi res notabiliter mutentur, vel nisi taxa a majori parte populi non servetur, sciente principe, et non puniente, vel nisi annus sit sterilis. In secundo casu, id est, si nullum est pretium taxatum in lege, sed ex morali hominum aestimatione pendeat, tunc sciendum 1. quod illud pretium non consistit in indivisibili, ut anxie scrupulari oporteat, sed dividitur in infimum, medium, et summum, sive ut alii vocant, pium, moderatium et rigorosum, ita ut intra latitudinem hujus pretii vendere et emere liceat, nunc summo, nunc infimo. - 803. Sciendum 2. quod hoc pretium variari potest juxta diversas circumstantias.

Unde:

1. Pretium rerum vilium minorem latitudinem habet, quam pretiosarum: vinum enim aut simile quod valet quinque, potest vendi sex vel quatuor, aut si valet decem potest vendi duodecim vel octo; aut si valet centum, potest vendi centum et quinque, et nonaginta quinque. Domus autem, aut villa, quae forte vendita est pro viginti millibus, post annum emi poterit pro duodecim millibus. - 804.

2. Pretium variari potest ratione temporis et loci. Hinc res pretiosa potest parvi emi, ubi parvi aestimatur; et res vilis magni vendi, ubi magni aestimatur. Vide n. 808. E contrario venditor non potest alicubi rem vendere pluris, quam ibi aestimatur, licet emerit carius, et multum expenderit ad illam vehendam.

3. Si aliqua res minoris valeret in uno loco, et majoris in alio, potest majoris vendi in loco minoris pretii, dummodo venditor assumat in se periculum transvehendi rem ad locum pretii majoris.

4. Res quae non sunt necessariae ad communem convictum, ut gemmae extraordinariae, equi pretiosi, aves indicae, picturae singulares, et similia; item, cantus, saltationes, abusus mulieris, *probabilius* est non posse vendi quanti plurimi, quia tametsi pretium talium rerum magnam recipiat latitudinem, aequum vero est quod habeat quamdam taxam juxta arbitrium prudentum; attamen contrariam sententiam recte *probabilem* vocant *Salm.* Excipio tamen abusum mulieris honestae, qui cum sit pretio inaestimabilis, illa poterit sine injustitia pro eo quamplurimi accipere.

5. Concursus emptorum et penuria mercium auget pretium rei: paucitas

contractum probet, quamvis secundus emptor prius contractum in publicis hypothecarum tabulis transcripserit. art. 2081. *Si vero res sit mobilis, et jam tradita posteriori emptori, ad illum pertinet, modo bona fide posse-derit.* art. 1091. (*E. N.*).

*

contra emptorum, et copia mercium minuit pretium. - 801.

6. Res in manu mercatoris ratione sui laboris et operarum pluris aestimantur, quam in manu alterius. Attamen non est illicitum alteri rem vendere tanti quanti venditur a mercatore.

7. Pretium rei decrescit, quando res est parum utilis emptori, et hic in gratiam venditoris emit; est *communis* sententia. Hinc fit, quod merces ultroneae licite possunt vilius emi, ut *communiter* docent *Conc. etc.*, et hoc est *verius*, quia regulariter in hujusmodi ultroneis venditionibus pauci inveniuntur emptores. Idcirco in his venditionibus, juxta sententiam *probabiliorem*, res ultro oblata vilescit pro tertia parte.

8. Sentiunt *Busemb.*, *Caj.*, *Nav.*, *etc.*, idem esse de mercibus ob pauperatem venditis; sed negant *Tournely*, *Salm.*, *Nav.*, *etc.*; quia hoc videtur adversari charitati, et justitiae, nisi, ajunt *Salm.*, res ematur tantum in gratiam venditoris, ita ut alias non emeretur. Haec sententia est quidem *aequior et suadenda;* sed spectata ratione, prima sententia non videtur *improbabilis*, dummodo res emenda non sit de iis quae communiter emuntur, et offeruntur, ut frumentum, vinum, etc. Secus de aliis quae non ita facile venduntur. Neque in eo casu officit, quod emptor re illa indigeret, quia id per accidens esset, et casus non mutat pretium rerum. Sed nota quod quando alter vendit coactus a necessitate, et tu non emis mere in gratiam sui, facile potes peccare contra charitatem emendo tanto vili pretio, quanto emeres mere in gratiam venditoris.

9. Qui venderet in gratiam emptoris, sentio non posse vendere plus pretio supremo, nisi concurret aliqua extraordinaria circumstantia, nempe raritas rei, multitudo emptorum, incommodum venditoris, vel specialis ipsius venditoris affectus ad rem, ut dicemus infra: alias, si adesset tantum commodum vel effectus emptoris ad rem, utique non liceret augere pretium, quia utilitas emptoris tota est ipsius, non venditoris. Vide in Opere n. 806.

10. *Communiter et verius* affirmant *Less.*, *Lugo*, *etc.*, posse venditorem pluris vendere rem, ratione specialis affectus, quem habet ad eam; quia privatio rei, erga quam est quis specialiter affectus, vere est pretio aestimabilis. - 807.

11. Emptor potest emere minoris, ex eo quod multa simul emat; quia tunc venditorem liberat multis curis, et expeditum facit ad alia nova comparanda, unde merito pretium decrescit. Est *commune* cum *Less.*, *etc.* - 802.

12. Qui res minutim, et in parva quantitate vendunt, possunt aliquando carius vendere, quam qui in magna quantitate; quia debent majores labores, expensas etc. impendere ad eas conservandas, et sic quidem excusantur caupones et stabularii, qui avenam, foenum, paleas etc., carius vendunt quam alii; dummodo pretium non sit illis taxatum. - 809.

13. Si tam emptor quam venditor ignorent pretium rei, tunc justum erit pretium illud quod convenitur, quia uterque tunc exponitur periculo jacturae.

Quaeritur 6. An liceat carius vendere precise ob dilatam solutionem, aut vilius emere, precise ob anticipatam solutionem?

R. Non licet, quia in venditione, quae fit credito vel in anticipata solutione, est virtuale mutuum, ideoque usura, si quid supra sortem exigatur. Licet tamen, si interveniat titulus ex numeratis de usura, nempe damnum emergens etc.; et hoc etiamsi pretium sit a Principe taxatum; quia taxa respicit tantum rem secundum se. Sed tunc de hoc monendus est emptor,

Notant tamen *Salm.*, non excusari qui tantum habent copiam mercium, quod opus ei sit partem earum ad creditum vendere, vel qui habent superabundantem copiam pecuniae, ut semper servent aliquid in deposito. Sed de hoc, vide dicta n. 771. Recte etiam notant raro his venditoribus contingere hoc lucrum cessans, quia, si venderent pecunia numerata, tantas merces non distraherent, et sic jam lucrantur pecunia credita, quod lucrarentur numerata. Ex quo dicunt, eis satis esse vendere ad creditum pretio summo id quod alias infimo venditurі essent, sed non amplius. - 810.

Quaeritur 7. An juxta consuetudinem loci, praeciso alio quocumque litulo, liceat carius vendere rem ad creditum, quam venderetur pecunia enumerata?

R. Prima sententia negat; quia quidquid exigatur ob dilatam solutionem est usura. *Secunda* vero *sententia probabilis* asserit licitum esse; ratio, quia communis aestimatio justum reddit pretium rerum, quae communiter ad creditum venduntur, cum plures emptores ad sic emendum conveniant, et ideo res pretio augetur.

Ex dictis pariter est *probabile* licitum esse rem vilius emere numerata pecunia ob anticipatam solutionem, si talis alicubi sit consuetudo. Quia tunc pauci sunt emptores qui emant anticipata solutione, et contra multi sunt venditores tali modo vendentes, ex quo oritur quod merces de se crescant.-811. Certum est etiam rem posse carius vendi, si pretium tradendum sit tempore quo res pluris est valitura, modo a venditore usque ad illud tempus res esset servanda; sicut contra, potest vilius emi, si res tradenda sit tempore quo minoris valebit - 810.

Quaeritur 8. An venditor teneatur praemonere emptorem de vitio rei?

R. Venditor tenetur praemonere emptorem de notabili vitio rei, quod ei obesse potest. At triplex esse potest vitium in re vendenda: 1. circa substantiam, 2. circa quantitatem, 3. circa qualitatem. - 818.

I. Si vitium est circa *substantiam*, certe contractus est nullus.

Unde:

1. Venditor tenetur vel contractum rescindere, si alter vitio manifestato non emisset, vel saltem excessum pretii reddere. Idem contra, si emptor emat gemmam pro vitro, tenetur supplere pretium, saltem infimum, si dolum ipse non adhibuit. Excipe, si uterque sorti se committant ob ignorantiam valoris, ut diximus n. 802.

2. Qui emeret scienter argentum pro stanno, petendo a venditore ignorante ut condonet quod amplius valet, injustus esset; quia talis donatio, cum procedat ex ignorantia, nulla est: secus, si venditor ob ignorantiam rem venderet infimo pretio. - 819.

3. Si res mixta venditur ut pura, quando vere sit res perfectior aliis et post mixtionem aliis non sit deterior, *probabiliter* vendi potest, vitio non manifestato, pretio communi: modo, facta mixtione, merx vere adaequet alias quae communiter venduntur.

4. Fatentur graves DD. idem dicendum posse de vino mixto cum aqua; et *satis probabiliter* videtur, nisi ex mixtione vinum acesceret, vel servari non posset ab emptore, qui ad servandum emeret. Saltem in hoc non videtur esse gravis injustitia. - 820.

5. *Probabile* est quod non sit injustitia vendere quid pro quo, ut solent pharmacopolae, si quod traditur sit aeque, vel fere aeque utile, dummodo exigatur justum pretium rei traditae. Recte tamen advertit *Tamb.*, quod ut venditor in hoc excusetur, debet esse certus, non dubius de tali aequalitate virtutis. - 821.

II. Si vitium est circa *quantitatem*,

tenetur venditor de compensatione, et *valde probabiliter* excusant *Lugo, Laym., etc.*, eum qui utitur mensura diminuta ut consequatur justum pretium alias non consecuturus ob injustam taxam vel injustum monopolium ementium; quia tunc iste vexationem suam juste redimit. - 822.

III. Si vitium est circa *qualitatem*, quando est de se patens, non tenetur venditor illud manifestare, modo illi non constet ignorantia emptoris, et modo qualitas non transeat in substantiam, puta, si emptor expresse dixerit: *nolo vinum, si non est vetus.* Sic *Tam.*, cum *Dic.*, qui etiam notat quod venditor dolo decipiens emptorem circa qualitatem, si res aeque illi non sit, vel fere aeque utilis, tenetur vel contractum rescindere, vel damnum resarcire ad arbitrium emptoris. Quando autem vitium rei occultum est nocivum emptori, recte dicit *Bus.*, teneri ex justitia illum de vitio monere. Notat etiam *Viva*, quod si emptor interroget, an res habeat certum defectum, tenetur venditor manifestare, alias venditio est nulla: secus autem, si interroget in genere, tunc, si res est utilis ad finem emptoris, venditio est valida. Notat pariter *Tamb.*, quod si venditor protestatur se nolle rationem dare de quocumque defectu, tunc ad nihil tenetur. Unde merito approbat *Tam.*, consuetudinem quae alicubi viget praesertim in nundinis magnis, quod ita venduntur animalia, etiamsi vitia sint occultissima. Ratio, quia ad tollendas lites ob bonum commune satis hoc cohonestari potest a consuetudine: dummodo, intelligendum, non vendatur res ultra justum pretium, saltem supremum, quanti valet res, habita ratione illius vitii occulti. - 823.

Hic etiam advertendum, quod communiter non praestatur fides mendaciis vendentium, dum satis noscuntur haec esse communia stratagemata; unde ipsi regulariter non tenentur ob id ad restitutionem (*a*). Dico *regulariter*; quia si aliquando venditor certe animadverteret emptorem mendaciis credere, et ideo majoris emere, tunc quidem ab injustitia is non est excusandus. - 865.

Quaeritur 9. An venditor sciens pretium mercis mox minuendum, possit tamen illam vendere pretio currenti?

R. Prima sententia negat, quia tunc res illa ex tali circumstantia minus valet; et hanc sententiam recte vocant *probabilem Salm. Secunda* vero *sententia affirmat*, modo absint mendacia, fraus et dolus; ratio, quia non est respiciendus valor futurus, sed praesens, qui non variatur ex notitia particulari, sed ex communi aestimatione. Et hanc sententiam veriorem censeo, si vere notitia sit particularis, non autem si communis. Sic pariter contra, licet cuique emere merces pretio currente scienti pretium brevi augendum, quamvis hoc ignorent venditores. Item dicendum bene te posse emere pecunia, quam private scis brevi prohibendam; modo semper intellige, absint mendacia, vis aut fraus.

Quaeritur 10. Utrum emptor aut venditor eo casu peccent contra charitatem, qui vendunt aut emunt cum tanto alieno detrimento?

R. S. Thom. dicit: « Abundantioris » esse virtutis, si pretium minuat ven» ditor. » Sed si non minuit, nec emptor aut venditor in hoc casu peccant regulariter contra charitatem, quia utuntur jure suo, consulentes juste rebus suis; quamvis alii per accidens damnum inde patiantur. Dico *regulariter*, nam excipiunt 1. *Tourn.*, et *Ronc.*, si tali venditione emptor redu-

(*a*) *Si pretium non excedit supremum.* - *H. n.* 172.

ceretur ad extremam vel gravem necessitatem. Excipit. 2. *Ronc.*, si is posset mercem suam pluribus vendere, et vendit uni ; vel posset vendere alicui qui statim iterum venderet aliis rem consumpturis, dum venderet alteri rem servaturo usque ad tempus diminutionis pretii. An autem in his casibus venditor semper graviter charitatem laederet, dubito, si attendatur ratio ab iisdem auctoribus citata, nempe quod charitas non vetat ne sibi quis consulat, utendo jure suo, licet alteri per accidens damnum obveniat. - 824.

Quaeritur 11. Si scias occulte debitorem tuum non esse solvendo, potes ne debitum illud vendere pretio ordinario his qui id ignorant ?

R. Negative, tum quia est dolus, tum quia vitium intrinsecum crediti non revelatur. - 824.

Nota. Si credita in posterum exigenda sunt certa, dicunt *Bon.*, *etc.*, ea minoris emere, solutione anticipata, esse usuram, secluso tamen lucro cessante et damno emergente ; quia accipitur aliquid supra sortem ex mutuo. Haec sententia est quidem suadenda ut *communior* et *tutior ;* sed contrariam sententiam, nempe quod liceat emere pretio minori quam infimo creditum liquidum, reprobare non audeo, modo absit omnis animus usurarius ; nam, cum talia chirographa ad venditionem exponuntur, minoris communiter aestimantur, quam praesentes pecuniae propter difficilem exactionem, a qua communiter solent non esse immunia. Alia enim est ratio mutui, alia emptionis (*a*). Si vero credita sunt incerta, periculosa et litigiosa, aut cum difficultate exigenda, licite is, qui non est causa istius difficultatis, minoris emit, prout difficultas vel incertitudo solutionis minor est vel major ; quia cum tali periculo et difficultate minoris valent. Imo creditum incertum vel difficilis executionis licite potest minoris emi, etsi ementi sit facile illud integre exigere, quia pretium sumitur a communi aestimatione, non ex circumstantia particulari ementis. - 829.

Quaeritur 12. An tradita sibi re ad vendendum, pretio designato, possis tibi retinere quod plus, ex ea retrahis ?

R. Certum est nihil te posse retinere, si sis famulus stipendiatus domini rei, sive pretio conductus ad vendendum ; si autem non sis famulus, neque pretio conductus, neque potes, juxta *veram* sententiam, retinere illud pluris quod ex venditione retrahis. Ratio, quia assignatio illa facta est a domino ne infra, non autem ne supra res vendatur. Si autem dominus commiserit vendere in uno loco, et tu facta ibi diligentia, plus vendas in alio valde distanti, tunc tantum potes retinere pretium tui laboris, non autem totum excessum retractum ex re, quae semper domino suo fructificat. Idem dicendam si tibi alter commiserit aliquid tanti emere, et tu minoris emas, adhibita diligentia extraordinaria ; eo casu praeter valorem tui laboris, non poteris plus a domino exigere, quam impendisti, cum nomine suo non tuo rem emisti.

(*a*) *Chirographa, licet sint liquida, possunt* probabiliter *minoris emi, quia aliud est habere pecuniam, aliud est emere actionem ad illam ; quae actio communiter existimatur minoris, quia hae actiones in praxi non sunt immunes ab aliquo periculo exactionis, aut saltem molestiae aut expensae ; dico tamen excipienda esse chirographa, quae vulgo nuncupantur* fides crediti, *pro quibus nullum morale periculum adest, modo ob distantiam, incommodo aut periculo sibi non esset exactio, propter eum qui ad exigendum mittendus est.* - *H. n.* 179.

Unde bene poteris excessum ex re vendita retractum tibi retinere in sequentibus casibus : 1. Si res tua industria sit meliorata, et ideo pluris vendas. 2. Si tacite cum domino conveneris nihil ei dare ultra pretium designatum ; quod utique intervenire asserunt *Lugo etc.*, si dominus pro tuo labore nullum assignet stipendium. 3. Si lucrum sit parvi momenti ; quia tunc facile praesumitur dominus consentire ut modicum illud lucrum tibi retineas. 4. Si tu facta communi diligentia, et pretio majori non reperto, rem tibi emas, et postea pluris vendas, solvasque domino solum assignatum *Lugo etc.* Et idem ait *Lugo*, si alter tibi commiserit aliquid emere tali pretio, et tu invenias rem pretio minori, poteris tunc rem tibi emere, et postea eam vendere illi alteri pretio majori, dummodo postea, adhibita diligentia ordinaria, non invenisses occasionem rei emendae nisi illo majori pretio. Additque *Lugo* tunc censeri, quod tu volueris rem tibi emere aut vendere, quoties habueris animum retinendi tibi excessum, et simul assumendi periculum rei, si forte periisset. Id tamen bene advertit *Lugo* non esse licitum Clericis, quibus interdicta est negotiatio, si ipsi ideo emant, ut postea non mutatam carius vendant, ut infra fusius declarabimus *in Tract. de Praecept. part.*

Queritur 13. Sed quid, si tu gratis te obtuleris ad vendendum vel emendum?

R. Nihil te posse retinere, dicunt *Mol. etc.* Sed *Conc. etc., probabilius* dicunt te posse retinere tibi pretium tui laboris, si non habueris animum donandi, modo dominus jam prius statuisset vendere rem illam, et modo alter non fuisset qui gratis rem domino venderet. Sic enim fuisti quidem mendax, et non fidelis, sed non fuisti injustus, cum tuus labor jam pretio dignus erat. - 825.

Quaeritur 14. An liceat sartoribus ementibus pannum pro his quibus vestes conficiunt, partem pretii remissam sibi retinere?

R. Quando his minoris venditur quam aliis, eo quod sint parochiani mercatorum, vel saepe ab eis emant, possunt partem pretii remissam sibi retinere, dummodo alias fideliter agant et moralem diligentiam adhibuerint ad emendum ab aliis mercatoribus pretio minori, quia nulli fit injuria; et cum mercatorum plurimum intersit, ut tales ad ipsorum potius quam ad aliorum officinas veniant, censentur in ipsorum gratiam remittere, iisque donare eam partem. Caute tamen hoc permittendum est sartoribus ; nam aliquando mercatores revera potius simulant ipsis donare, quam donent, ita ut si dominus ipse adiret, pro eodem pretio rem obtineret. - 826.

§. II. - *De Emptione et Venditione in specie.*

De venditione sub hasta. De Reventione. De Monopolio.

PUNCTUM I.

De Venditione sub hasta.

Res quae venduntur sub hasta aut per venditrices possunt quanti carius vendi, et quanti vilius emi : modo absit fraus, et pretium non sit a lege taxatum ; quia tunc Potestas publica approbat pro justo pretium illud, quod publice emptorum concursu probatur. Dico, *modo absit fraus*, quae vel potest intervenire ex parte venditoris, nempe si celet occultum vitium rei, aut si immittat fictos licitatores ; vel ex parte emptoris, si dolo, minis aut precibus importunis impediat ne alii plus offerant. Hi enim peccant et tenentur ad restitutionem, donec ad justum pretium perveniatur. Ita *communiter Tourn.* cum aliis passim. Idem-

qué recte docent de Proxenetis, vel de aliis quibus commissa sit venditio rei, qui merces vendendas aut bona hastae exponunt eo tempore, quo sciunt paucos emptores esse adfuturos, ut res amicis suis adjudicetur.

Quaeritur 1. Utrum exposita re ad licitationem, possit emptor alios rogare, precibus tamen non importunis, ne plus offerant, ut ipse pretio infimo rem obtineat?

R. Negant Cabass. etc.; quia dum alii parati erant plus offerre, venditor impeditur ne majus pretium consequatur. *Affirmant* vero *communissime Tourn., Lugo, etc.;* ratio quia licite emptor hoc casu utitur sua diligentia, ut sibi consulat.

Quaeritur 2. An liceat emptori pacto convenire cum aliis licitatoribus, ne plus offerant?

R. Videtur *Diana etc., affirmare.* Sed mihi et aliis doctis junioribus videtur negandum, saltem casu quo per sententiam judicis res ad subhastationem exponitur. Ratio, quia tunc dominus rei tenetur omnino rem tradere plus offerenti; ideoque injuriam ei emptor irrogat, si solum pretium infimum, aut medium offerendo, impedit venditorem a consecutione pretii supremi, ad quod jus habet, scilicet ne impediatur ab illo consequendo. - 808.

PUNCTUM II.

De Revenditione.

Licitum est vendere rem cum pacto de retrovendendo, id est, ut emptor teneatur tibi statuto tempore, vel cum volueris, eam revendere modo vera et non ficta emptio fiat, nec palliata usura intercedat; sed cum istis conditionibus. 1. Ut pretium minuatur juxta aestimationem gravaminis, quod sic emptori imponitur. Hinc pretium rei venditae cum pacto retrovendendi, alii dicunt decrescere usque ad quartam partem, alii usque ad tertiam; alii ad arbitrium prudentum. 2. Ut non apponatur pactum quod pluris vel minoris retrovendatur, licitum autem est pactum, ut retrovendatur eodem pretio, licet res pretio augeatur. Ideo enim minoris venditur, quia venditor libertatem habet reemendi rem eodem pretio, quando res pretio augetur. 3. Quod non apponatur ut periculum rei venditae sit apud venditorem, cum illud per se spectet ad emptorem, nisi augeatur pretium juxta aestimationem periculi. 4. Ut res retrovendatur sicut traditur, vacua vel cum fructibus. *Probabile* autem est quod ob pactum retrovendendi venditor habeat actionem in rem, etiamsi emptor alteri eam vendiderit. - 812. (*a*).

Quaeritur 1. An sit licitum pactum reemendi ad arbitrium emptoris?

R. Prima sententia negat, quam tenent *Hab., Cant., Tourn. Secunda* vero *sententia communissima affirmat*, et hanc tenent *Less., Lugo etc.* Hanc secundam sententiam *certe probabiliorem* puto, cum his tamen conditionibus: 1. Ut adsit verus animus emendi et vendendi, non autem foenerandi. 2. Ut emptor majus pretium solvat juxta aestimationem hujus oneris quod imponit venditori, reemendi rem quando ipsi emptori placuerit, in quo omnes conveniunt. Hoc autem onus putant aliqui aestimari usque ad tertiam partem pretii. 3. Ut non obligetur venditor reemere eodem pretio majori quod recipit. Hic censeo non posse

(*a*) *Lex nova prohibet ne facultas bonum aliquod redimendi ultra quinquennium extendatur, unde, si in conventione tempus non fuerit determinatum, aut longius spatium fuerit statutum, ad quinquennium necessario reducitur.* Art. 1506. et 1507.

emptorem in tali contractu obligare venditorem, nisi ad solvendum solum pretium, juxta valorem rei tempore venditionis, et si res sit deteriorata, juxta valorem rei tempore reemptionis (*a*). Excessus enim justi pretii datus venditori, totus ad illum spectat, ratione oneris ipsi impositi reemendi ad arbitrium emptoris. Hic conditionibus servatis, nequaquam mihi illicitum videtur praefatum pactum reemendi: sicut enim licitum est pactum retrovendendi in beneficium venditoris cum diminutione pretii, sic contra cum pretii augumento licitum dici debet pactum reemendi in beneficium emptoris, cum ita gravamina utrinque compensentur. Neque dicatur hoc esse mutuum virtuale, cum sit vera emptio et venditio, disparem quidem habens naturam a natura mutui; in mutuo enim res oppignorata perit mutuatario, sed hic, si res pereat, emptori perit, aut deterioratur.

Quaeritur 2. Quid sit contractus *Moatra*, et an licitus sit.

R. 1. Contractus *Moatra* est quo quis emit a te mercem majori pretio credito, cum pacto explicito vel implicito, ut tibi retrovendat minori pretio numerata pecunia. 2. Hic contractus est vetitus, quia patet esse palliatam usuram. Adest de hoc prop. 40. damn. ab *Innoc. XI.* « Contractus *Moatra* licitus » est etiam respectu ejusdem personae, » et cum contractu retroventionis » praeviae inito cum intentione lucri. » Caeterum, si res sine ullo praevio pacto retrovendatur, etiam pretio infimo, eidem venditori, de se contractus licitus est, modo absit animus usurarius. Ita *Less.*, *Tourn.* cum *Salm. et communi.* Imo addit *Lugo* non esset illicitum venditori, si creditor vendat mercem, et dicat emptori: « Si vo» lueris eam viliori pretio vendere pe» cunia numerata, ego paratus sum » emere. » Speculative loquendo, hoc neque videtur illicitum; sed practice puto difficillime hunc venditorem carere animo usurario. - 813.

PUNCTUM III.

De Monopolio.

Monopolium idem sonat ac venditio unius; nam *Monopola* sonat unicus venditor; et adest, quando unus vel plures id efficiunt, ut ipsi soli aliquid vendant; vel cum mercatores conspirant non minoris vendere. - 814.

Quaeritur 1. Quot modis possit contingere Monopolium?

R. Quatuor modis sequentibus: 1. Si Princeps alicui concedat privilegium ut solus vendat aliquod genus mercium, et hoc certe licitum est. 2. Si mercator impediat ne aliae merces advehantur, ut ipse merces suas vendat cum damno Reipublicae, et hoc certe est illicitum, et tenetur ad damni restitutionem. Et idem dicendum de eo qui falsam notitiam spargit naves esse submersas, aut similia mendacia. 3. Si unus vel pauci omnes merces emant, ut deinde vendant quanti plurimi. 4. Si venditores conspirent inter se de pretio, ut non minoris vendant. De duobus modis ultimis agitantur quaestiones sequentes. - 815.

Quaeritur 2. An unus vel pauci mercatores, qui tempore messis aut vindimiae emunt omne triticum, aut vinum pretio vili tunc currente, ut postea carius vendant, peccent contra justitiam?

R. Certum est 1. id licitum esse si emantur merces non necessariae ad vitae sustentationem, vel ad communem Reipublicae statum, ut sunt gemmae pretiosae, equi generosi, ornatus mulierum et similia. Certum est 2. licitum esse emere triticum, vinum, etc.

(*a*) *Et contra, si res crescit, crescit vendenti.* - *H. n.* 181.

ut postea vendantur Reipub. pretio communi, quo venderent alii negotiatores ea de longe asportantes, vel ut vendantur civibus moderato lucro, postquam cives jam emerint sibi necessaria et convenientia. Sed si emantur omnes illae res necessariae ad sustentationem, ut postea vendantur carius ad suum libitum, in hoc casu, juxta *communem* et *veram* sententiam, emptores tenentur ad restitutionem damni arbitrio prudentum, caeteris emptoribus, et Reipublicae, si merces vendant carius quam juxta fori aestimationem pretium curreret, si ipsi monopolium non fecissent. Ita *Sot., Sylvest., Cont. Tourn., Viva, Croix, Salm. etc.* Ratio, quia isti sunt causa, cur pretium injuste augeatur. Caeterum *probabiliter* censent *Lugo etc.* non peccare contra justitiam tales emptores, si vendant pretio summo, quod curreret si monopolium non praecessisset. Ratio, quia quisque jus habet ad rem suam vendendam pretio rigoroso. Imo *Lugo* cum *Holz. etc.* censent hujusmodi venditorem, qui merces illas sic congregavit et vendit pretio summo, non peccare contra charitatem, modo alios non inducat ad carius vendendum; nam, alioquin nemo tenetur negligere commodum suum, ut damnum alienum evitet, quando non tenetur avertere - 816.

Quaeritur 3. An mercatores inter se conspirantes ut merces vendant pretio cariori, teneantur ad restitutionem?

R. Certum est teneri, si conveniant vendere pretio ultra supremum: sicut pariter peccant contra justitiam artifices illi et similes, qui inter se conveniunt de non locando operas suas, nisi pretio summum excedenti. Si autem conveniant tantum merces vendere pretio summo, duplex est sententia: *prima affirmat.* Ratio, quia per medium iniquum cogunt alios emere pretio illo supremo. *Secunda* tamen dicit hos non peccare contra justitiam. Prima sententia est quidem *probabilis*; videtur et forte *probabilior*, tum auctoritate DD. qui eam tenent, tum ratione, quia non apte dicitur quod venditores convenientes vendere pretio summo, cogant alios ad sic emendum, cum isti voluntarie emant; si coguntur, non coguntur a venditoribus, sed sua propria necessitate, quae non potest dici vera coactio ex parte venditorum emanans. Recte igitur loquendo, dicendum per talem conventionem emptores potius impediri ab emendo pretio minori. Cum autem sic impediuntur, irrogatur eis injuria, nisi impediantur minis et mendaciis, sicut accidit in omni alio contractu; aliter si aliquis tantum suaderet venditori, ut venderet pretio summo, etiam peccaret contra justitiam, et teneretur ad restitutionem; quod negant qui sunt etiam pro prima sententia. Hinc, posita probabilitate hujus secundae sententiae, *probabilius* est hos venditores non teneri ad restitutionem. Non dubitatur quidem quin judex eo casu possit pretium supremum reducere ad medium. Nec dubitandum quin praefati venditores sic conspirando graviter peccent contra charitatem. Ratio, quia licet charitas non te obliget ad vendendum infra pretium summum, videtur tamen te obligare ad non dissuadendum aliis ne mitiori pretio vendant.

Quaeritur 4. An facto monopolio de pretio injusto a mercatoribus, liceat aliis merces eodem pretio vendere?

R. Negant Tapia etc., quia pretium illud injustum est. Sed *affirmant Salm.* cum *Bon. etc.*, quia illud pretium jam commune est et currens; et per accidens se habet quod ex injustitia aliorum auctum sit. Prima sententia mihi *omnino melior* videtur, semper ac, intelligo, pretium sit ultra supremum; quia pretium illud per injustitiam adauctum, semper et per se

injustum est et ad justitiam reducendum. - 817.

ARTICULUS VIII.

De censu.

Contractus census est, quando certa summa pecuniae, v. gr. centum florenis, emo a te jus percipiendi quotannis ex bonis tuis, aut ex certa aliqua re tua utili sive fructifera, certam aliquam pensionem seu censum, v. gr. florenos quinque vel sex, prout consuetudine vel lege taxatum est : ita ut hic non sit mutuum et usura, si alias pravam intentionem non habeas, sed vera emptio et venditio, quia emitur non praecisa ipsa pensio, sed jus eam percipiendi. - 839.

Quaeritur quae conditiones requirantur ad licitam censuum constitutionem ?

R. De jure naturali duae tantum conditiones desiderantur : prima ut sit aequalitas inter censum et pretium. Secunda, ut pacta praeter naturam census adjecta, juste compensentur. De jure autem canonico, juxta Bullas *Nicolai V.* et *S. Pii V.*, ubi sunt receptae, vide *in Opere.* - 845.

Unde:

1. Non solum licitus est hic contractus census realis, sed etiam saltem ex natura rei, census personalis et constitutivi immediate super persona, quae sua opera et industria utilis sit et fructum aliquem pariat, vel bona in spe vel re habeat, unde pensio deduci possit ; alioquin jus quod venderet non esset pretio aestimabile. Haec est sententia *communior* et *probabilior*, quia, si quisque potest operas suas locare, potest etiam et vendere, et licet *Pius V.* in Bulla *Cum onus* prohibeat censum constitui nisi in re quae natura sua sit frugifera, ea tamen prohibitio non viget nisi ubi Bulla recepta est. - 840.

2. Hic contractus est injustus, si non servetur pretium justum a lege vel consuetudine probatum. - 839.

3. Iniqui sunt venditores seu censuarii qui emptoribus sive censualistis obligant rem non potentem reddere fructus, saltem tot, quot pensio exigit aut reddentem quidem, sed jam aliis censibus venditos. - 840.

4. Sicut in emptione res perit damno emptoris, sic etiam in censu reali, si res super quam impositus est census, pereat, vel fructus ejus absque culpa venditoris, tunc enim perit census, ita ut emptor sive censualista non possit amplius recipere fructus, sive censum, quia qui emit, suo periculo emit. - 841.

5. Licitum est contractui census adjungere aliud pactum assecurationis, ut si res, super quam fundatus est census, pereat, id fiat damno venditoris, ideoque nihilominus obligatus sit vel super aliis bonis suis eum statuere, vel restituta sorte, eodem pretio redimere. Debet tamen hoc pactum venditori compensari, augendo pretium census ; vel quod in eodem recidit, minorem pensionem designando. - 842.

6. Ex natura rei licitus est non tantum census irredimibilis, sed etiam redimibilis, tum ex una parte, tum utrinque. Hoc *satis probabile* mihi videtur, modo observentur limitationes quas adnotavi circa pactum reemptionis *n.* 813. (*a*) (*b*). Idem dicendum, juxta *Less.*, *Laym.* etc. de censu personali ; quod *non est improbabile*, si debita proportio servetur. Caeterum,

(*a*) *Contraria tamen sententia suadenda est, quia prima periculosa. - H. n.* 200. — (*b*) *Census perpetuus sive pecunia sive re immobili constitutus, est essentialiter redimibilis ex parte debitoris, ex jure gallico ; minime vero ex parte illius cui pensio solvenda est ; is enim sortem repetere non potest nisi in certis casibus lege definitis.* Cod. civ., art. 453. etc.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

hujusmodi contractus non caret periculo usurariae intentionis. - 843.

7. Census vitalitius, quia est virtualis sponsio et nititur eventu fortuito, licitus est. Pretium ejus constituitur juxta rationem aetatis et sanitatis; hinc dicunt *Bon. etc.*, quod si censitor possit ad annum sexaginta pertingere, poterit quotannis exigere aureos decem pro centum. Sed *Less. etc.* dicunt posse exigere unum pro septem vel octo, quod importat in circa duodecim, vel quatuordecim per centum; dicit etiam *Less.* posse exigere aliquando usque ad sexdecim pro centum - 844. (*a*).

ARTICULUS IX.

De Cambio.

Cambium, quod permutationem significat, hic accipitur pro sola permutatione pecuniae. Et est contractus quo Campsor aliquis Campsario volenti cambit pecunias, cum lucro aliquo praeter sortem. Quod si sine intentione usuraria fiat, ob titulos justos tali lucro aestimabiles, patet non esse malum.

Quatuor sunt cambiorum genera, nimirum 1. Cambium minutum seu manuale. 2. Cambium per litteras. 3. Cambium reale. 4. Cambium siccum seu fictum. - 850.

Unde:

1. Licitum est Cambium *minutum*, in quo dantur pecuniae minores pro majoribus vel contra: quia hic sunt justi tituli aliquid lucrandi, nimirum labor Campsoris in numeranda pecunia, item diligentia in pecunia omnis generis conquirenda, ut Campsariis quibusvis si paratus; item puritas materiae et commoditas, ut cum aurum vel alia moneta commoda datur pro minuta et incommoda. Idque Cambium licet etiam iis qui officium cambiendi non habent. - 851.

2. Licitum est item Cambium *per litteras*, cum scilicet Campsor hic accipit pecuniam a Campsario, ut eam alibi, litteris datis, solvat per suos factores; quia hic etiam sunt justi tituli, scilicet virtualis trajectio pecuniae, et ejus assecuratio. Minus tamen exigere debet Campsor quam si realiter transtulisset. *S. Pius V.* in Bulla de *Cambiis*, ad usuras amovendas, statuit non protrahi tempus solutionis Cambii, nisi ad primas Nundinas; et solutiones esse faciendas ubi determinatae, sunt ac juxta tempus communiter taxatum de uno in alium locum. - 852.

3. Licitum est cambium *reale*, cum Campsor dat hic pecuniam, ut postea eam alibi recipiat a Campsario, qui alibi habet pecunias, sed eget nunc eis hic. Titulus hujus Cambii est item translationis et assecurationis; tantumdem enim facit Campsor, ac si pecunias Campsarii absentes, sisteret hic praesentes, vel ut alii ajunt, ac si praesenti pecunia emeret absentem, quae utique minus valet.

Nota. Probabiliter ait *Croix* quod licite potest Campsor accipere lucrum Cambii, esto translatio pecuniae sit ipsi utilis; quia in communi aestimatione haec translatio est digna pretio, cum communiter in ea incommodum adsit, commodum autem Campsoris tunc per accidens se habet. - 855.

4. Illicitum est Cambium *fictum* seu *siccum*, quod nihil aliud est quam titulus lucrandi; ut v gr. *Titius* indigens hic pecunia, petita Campsore sibi dari centum nummos: Campsor autem non aliter dat nisi in loco distanti solvendos, petitque ab eo pretium quod solet dari pro locis similibus. *Titius*

(*a*) *Lex pretium hujus census non determinat, sed declarat quod partes contrahentes illud pro suo beneplacito determinare debeant. Vide*, Cod. civ., art. 1848. *etc.*

vero accipit; et tamen vere non cogitat reddere in isto loco; nec ibi forsan habet corrispondentem, idque constat Campsori; contractus hic est Cambium fictum, ac revera mutuum, ideoque palliata usura. Excusabitur tamen Campsor, si lucrum illud exigat titulo lucri cessantis.

5. Ad hanc Cambii speciem reducitur etiam Combium cum *recambio*, quod est Cambium cum duplici fictione.

6. Licitum est Cambium *Francofurtense*, nempe, cum mercatores dantes cambium ad proximas nundinas, quo magis eae distant, eo magis exigunt; licitum est, inquam, modo revera intercedat titulus lucri cessantis pro mercatore. - 854.

7. Qui cambiendo vel aliter, pecuniam adulterinam accepit, sive ex ignorantia aut inadvertentia; si moneta non sit materialiter falsa, nempe si impressa sit signo Principis, et materia sit bona, ejusdemque ponderis, poterit eam expendere, cum nullum alteri inferat damnum. Si vero moneta adulterina sit etiam materialiter falsa, tunc certe non poterit illa uti. Et si eam bona fide expenderit, tenetur ad restitutionem, juxta sententiam *veriorem*; quia tenetur solvere justum pretium pro re empta, quod non fecit tradendo, v. gr. pecuniam stanneam pro argentea. - 855.

8. Famulus recipiens pecuniam auream a domino, ut satisfaciat creditoribus domini, potest lucrari illam cum aenea commutando, quia est fructus industriae: nisi sit contra expressam vel tacitam domini voluntatem. - 856.

ARTICULUS X.

De Locatione et Conductione.

Locatio sive conductio est contractus, quo quis personam, vel rem aliquam mobilem vel immobilem alteri ad tempus utendam, vel fruendam concedit certo pretio aut mercede, seu pensione constituta.

Unde, considerata hujus contractus natura et juris dispositione,

1. Si res locata ante traditionem pereat, contractus dissolvitur, et conductor liberatur.

2. Si absque culpa conductoris, usus vel fructus rei cesset, v. gr. domus ruinam minatur, infestatur spectris, etc., liberatur conductor a solvenda pensione pro tempore, quo non potest inhabitare, vel alia re conducta uti vel frui.

3. Propter modicum damnum vel infortunium nihil remittitur colono de pensione; secus, si magna sit clades. Quod si tamen antecedentium vel sequentium annorum fertilitate damnum compensetur, non remittitur.

4. Expensas facere in rem conductam, quae duraturae sunt, v. g. conservare sarta tecta, tributa, et onera publica praestare, ad locatorem seu dominum spectat; nisi aliter conventum sit, aut consuetudo ferat.

5. Si conductor in rem conductam necessarias sive utiles expensas fecerit, potest eas de pensione detrahere vel repetere a locatore, et dum non solvuntur, retinere rem conductam.

6. Si res perit, conductor ad nihil tenetur, modo locator non probet ejus culpam.

7. Si conductor domus, v. g. ante tempus velit emigrare, id quidem licet, potestque alteri locare; caeteroqui autem de pensione nihil ei remittitur. - 857.

8. Locator non potest ante tempus praefinitum conductorem invitum privare re conducta, nisi in his casibus: 1. Si pensionem non solvat; expectare tamen debet biennium si ultra biennium res sit conducta. 2. Si casus improvisus accidat, ob quem domus, v. g. ipsi domino sit necessaria. 3. Si

rem locatam reficere necesse sit, nec possit fieri altero inhabitante. 4. Si conductor in re conducta male versetur, v. gr. destruat vel abutatur, ut alendo ibi meretrices.

9. Successor universalis sive haeres non potest ante completum tempus conductorem expellere; partialis autem successor, ut emptor, donatarius, legatarius, etc. non tenetur stare contractui locationis, uti neque conductor; nisi tamen aliter pactum sit.-858.

Quaeritur 1. An nuntius proficiscens ad eumdem locum, licite possit accipere a duobus duplicatam mercedem?

R. De aurigis, ait *Conc.*, nullam esse difficultatem quod possint, quia talis est consuetudo. De nuntio vero opinatur aequum esse ut dimidiam tantum mercedem exigat a secundo conductore. Caeterum, *satis probabile est* quod possit totam mercedem exigere; quia per accidens se habet ut opera sua sit utilis duobus.-862.

Quaeritur 2. An debeatur pensio famulo conducto ad servitium annuum, si aegrotet per aliquos menses, puta per trimestre?

R. Affirmat S. Antonin. Sed *verius negat communis sententia*, quam tenent *Lugo etc.*; quia de justitia non debetur salarium pro obsequio non praestito. Putat autem *Az.* teneri saltem dominum ad praestandum famulo alimenta, et expensas necessarias pro curatione. Melius tamen dicunt *Rebell. etc.* non teneri nisi ad sumptus leves pro brevi infirmitate: quinimo non immerito ait *Lugo*, neque ad id obligandum esse dominum, nisi forte aliquando ex charitate, casu scilicet quo infirmus esset in gravi necessitate. Bene tamen excipit *Ronc.*, nisi alicubi esset consuetudo ut domini teneantur ad totum stipendium, si famulus ad annum conductus, per aliquot dies aegrotet.-864.

ARTICULUS XI.

De Emphyteusi, Feudo et Libello.

1. Emphyteusis est contractus similis locationi, in quo res immobilis, quae cultura possit effici melior, conceditur alteri, vel in perpetuum vel non brevius saltem, quam ad decennium; ita ut dominium ejus directum, et possessio civilis maneat apud dominium, qui tradit in emphyteusim; dominum autem utile transferatur in emphyteutam cum hoc onere, ut quotannis certum canonem, seu pensionem domino solvat; quam si totam solvere negligat viginti sex annis continuis in emphyteusi Ecclesiastica, vel in saeculari triginta sex annis, incidit ipso jure in poenam commissi, ut dominus eum expellere possit (*a*).-865.

2. Feudum est contractus similis Emphyteusi, quo res immobilis alicui conceditur, cum translatione dominii utilis, proprietate retenta, sub onere non quidem aliquid solvendi, sed exhibendi fidelitatem et obsequium personale directo domino. Quod si tamen non faciat Vassallus perdit feudum. Interdum etiam in feudo aliquid persolvi debet in recognitionem dominii directi; sed tunc ex ea parte deficit a puro feudo, et declinat ad emphyteusim. Porro quid juris sit circa feuda, pendet a locorum consuetudine.-867.

3. Contractus *Libellaticus*, sive datio ad *libellum* dicitur cum emphytenta, vel feudatarius rem illam, quam

(*a*) *Qui canon, si non solvatur per tres annos, dominus potest sibi vendicari fundum, si emphyteusis est saecularis, et per duos si est Ecclesiae.*-*H. n.* 211.

in feudum, vel emphyteusim accipit, simili contractu tradit tertio, ita ut sit quasi subfeudum, subemphyteusis. Ad quod tamen, si in decennium fiat, requiritur domini consensus. - 868.

Quaeritur 1. Quid juris sit in contractu emphyteusis?

R. Hoc pendet ex consuetudine locorum, quae varia est, et ex ipsa conventione contrahentium, quae scripto instrumento concipi debet, ut valeat. - 865.

Quaeritur 2. Utrum emphyteuta debeat pensionem, quando patitur gravem jacturam fructuum?

R. Dicit *Pal.* de juris rigore et consuetudine integram pensionem esse solvendam *ex L.* 1. *C. de jure emphyt. Less.* tamen ac *Lugo* recte sentiunt hanc legem esse intelligendam, quando pensio est modica respectu fructuum, et magis datur in recognitionem dominii directi quam ad fructus compensandos. Secus vero, si sit magna et fere aequalis fructibus; nam tunc ex aequitate deberet minui, vel fundo pereunte ex parte, vel magna sterelitate adveniente - 866.

ARTICULUS XII.

De Sponsione, et Ludo.

I. Sponsio est contractus, in quo duo de veritate aut eventu alicujus rei certantes, sibi invicem aliquid spondent ut id ejus sit, qui veritatem assecutus fuerit. Sponsiones non sunt prohibitae, saltem graviter, nisi fiant sub conditionibus peccaminosis, aut circa ingluviem aut potum. Ut autem sint justae, requiruntur conditiones sequentes; 1. Ut fiant super re dubia. 2. Ut sit aequalitas in re quae spondetur, cum aequali incertitudine. Aequalitas tunc adest, quando res est proportionata probabilitate alterius partis. 3. Ut dubius sit eventus in utroque. 4. Ut uterque eodem sensu accipiat id de quo certatur. - 869.

Quaeritur an valeat sponsio, si quis manifestet certo rem scire, et hoc non obstante, alter perseveret in sponsione?

R. Prima sententia cum *Viva, de Lugo etc. affirmat* valere; quia alter suae pertinaciae detrimentum imputare debet. Sed *secunda* mihi *probabilior* tenet contractum esse nullum, pari modo ac si quis pertinaciter emere velit gemmam falsam pro vera. - 879.

II. Ludus est contractus, quo ludentes inter se paciscuntur, ut victori cedat quod uterque deposuit. Hic contractus jure naturae licitus est, modo debitae conditiones adsint, et aliunde non interveniat scandalum aut justa prohibitio, aut iniquitas se misceat, nec peccati sit occasio; quia sicut quivis suae rei dominus potest alteri eam donare absolute, sic etiam sub aliqua conditione.

Unde:

1. Qui rei dominus non est, aut alienare eam non potest, nequit etiam de ea ludere aut disponere. Et sic deberet restituere qui lucratus esset a filiofamilias, nisi sit de bonis castrensibus etc., vel nisi ludus sit moderatus juxta decentiam, vel adsit tacita licentia parentum. Vide *n.* 335.

2. Idem dicendum de uxore: vide *n.* 351., et de Religioso, vide *Tract. de Praecep. part. n.* 24. Hoc tamen non intelligitur de ludis illicitis vetitis a Regula vel a Praelato, uti sunt ludi alearum et taxillorum et consequenter omnis ludus fortuitus, nisi fiat in parva quantitate, et in illis Religionibus, ubi ludus permittitur ad recreationem. At in Religionibus reformatis talis lusus esset peccatum grave propter specialem Regulae prohibitionem, ut *communiter* dicunt *Salm. etc.* Et tunc lucratum omnino restituendum ipsi Religioso, vel Mo-

nasterio. Vide *Tract. de Praecep. part. n.* 36.-872 (*a*).

3. Tenetur restituere qui vicit faciendo contra constitutiones ludi, et decipiendo.-877.

4. Non tenetur restituere qui utitur astutiis illis, quas regulae lusus, et consuetudo recepta patitur, cum uterque sciat tales astutias esse solitas, et sic tacite in illas libere consentiat; v. g. 1. Si potiores chartas habens et securus de victoria, augeat sponsionem, vel simulet metum, ut adversarius augeat. 2. Si sciens se inferiores chartas habere, dissimulet, augeatque sponsionem, ut sic relinquatur sibi quod erat appositum. 3. Si inspiciat chartas alterius, ex sola ipsius negligentia et absque fraude: secus, si ita se collocet ut possit videre, vel si alium constituat a quo admoneatur. 4. Si chartas a tergo discat nosse inter ludum, quas ante non signarat, nec noverat.

5. Qui vero utitur fraudibus non adhiberi solitis, vel colludenti ignotis; v. g. suffuratur chartas, vel signis a tergo notat, vel utitur notatis, aut iis quas ante novit, ignorante socio, vel arte quadam eas componit etc., tenetur restituere non tantum lucrum, sed etiam quantum alteri valebat spes lucrandi, imo etiam colludendi.

6. Si ludens habeat animum non solvendi, non potest lucrari, atque ideo nec retinere quod est lucratus, quia fraudulenter decipit, nec alter vellet cum eo ludere si id sciret.

7. Peccant graviter et communiter mortaliter qui totos se lusibus tradunt, cum sciant se in gravia inde peccata labi, aut impotentes reddi ad solvenda debita, vel alendos liberos et uxorem, etc.-882.

Quaeritur 1. An si quis cogat injuriose alterum ad ludendum, possit postea retinere quod lucratur?

R. Prima sententia negat; quia damnum ex injuria secutum omnino est restituendum. *Secunda vero sententia affirmat* posse retinere, quia tunc non coactio, aut ludus, sed potius casus, aut peritia cogentis fuit causa damni. Haec sententia per se loquendo mihi *probabilior* est, nisi collusor qui coegit superaret coactum in peritia ludendi; eo enim casu sentio teneri ad restitutionem saltem partis lucri, juxta mensuram peritiae quae praecelleret alteri. Ratio cur haec sententia mihi videtur *probabilior* est, quia contractus ille, non obstante injuria metus incussi, fuit satis utrinque voluntarius et validus, juxta *communiorem* sententiam relatam, n. 717. Dixi *per se loquendo;* nam, si metum passus petat restitutionem pecuniae amissae, recte docet *Less.* teneri incutientem metum lucratum restituere juxta dicta, n. 717.

Quaeritur 2. Quid vero, si ille cogat tantum per preces importunas?

R. Sanch. etc. adhuc tenent non posse retinere. Sed *longe probabilius* contradicunt *Less. etc.*, quia preces non tollunt voluntarium, sicut nec minae, ut ex *communi* asserit *Bus.* cum *Mol. etc.*-880.

Quaeritur 3. Quomodo peccent laici aleis ludentes?

R. Commune et certum est inter DD. quod hujusmodi lusus non est eis vetitus sub gravi. Imo *probabilissimum* est quod ne venialiter quidem peccent, quia lex Ecclesiastica prohibens est a consuetudine derogata; et leges civiles circa hos sunt poenales.-885.

(*a*) *Contra, isti* (*filii familias, uxores, religiosi*) *tenentur restituere pecuniam, quam lucrati sunt ab aliis, nisi esset modica summa, licet alii scivissent hos subditos et proprium peculium non habere.-H. n.* 215.

Quaeritur 4. An peccet graviter ludens ludo vetito principaliter ob lucrum?

R. Affirmant Sylv. etc. Sed *communiter* et *merito negant* peccare graviter *Sanch. etc.* Imo *Lugo* et *Diana probabiliter* dicunt nec veniale esse, si ad honestum finem lucrum intendatur. - 886.

Quaeritur 5. An victor tali lusu teneatur restituere lucratum ante sententiam judicis?

R. Affirmant Sylv. etc. ex L. Alearum, ubi dicitur quod si victus « solverit, solutum reddatur, et com» petentibus actionibus repetatur. » Sed *negandum* cum *Bus. et communi sententia.* Ratio, quia lege non declaratur irritus contractus, sed tantum datur victo actio ad repetendum. Recipit ergo victor ex contractu valido, et victus jam habebat obligationem naturalem solvendi, licet ex jure positivo poterat exceptionem opponere. - 887. (*a*).

Quaeritur 6. An si victor impediat ne judex eum obliget ad restitutionem, teneatur restituere?

R. Affirmandum, si impediat vi vel fraude; secus, si alio modo. Ita *communiter Lugo etc.*, quia victor non tenetur restituere, nisi post sententiam. - 888.

Quaeritur 7. An qui ludit ludo vetito cum animo repetendi in judicio, possit retinere lucratum?

R. Negant Less., Mol. etc. Sed *probabilius affirmat Lugo*; quia intentio non solvendi non irritat contractum; unde, si iste lucratur, retinet ex contractu valido; si vero perdit, negat solutionem, utens beneficio quod lex ipsi tribuit. - 889.

Quaritur 8. An qui ludo vetito perdit teneatur solvere?

R. Prima sententia valde probabilis affirmat. Ratio, quia jure naturali contractus fuit validius; et ideo victus illi tenetur stare donec judicialiter exceptionem opponat, vel petat restitutionem: *Secunda* vero *sententia communior et probabilior negat.* Ratio, quia in citata *l. Alearum*, videtur ablatam fuisse omnem obligationem solvendi adhuc naturalem, dum in ea sancitur, *ut victus non cogatur solvere.* - 890.

Quaeritur 9. An si uterque ludens renuntiaverit beneficio legis, poterit victus negare solutionem?

R. Recte *affirmant Less.*, *Lugo*; quia beneficium legis datum est in bonum commune, et ideo invalida est cessio ludentium. - 891.

Quaeritur 10. An victor, qui iam solverit, possit occulte sibi compensare solutum?

R. Affirmat Adrianus. Sed *oppositum est omnino tenendum.* Ratio, quia dominium pecuniae solutae iam valide translatum est; unde repetit non potest, nisi coram Judice. - 893.

Quaeritur 11. Utrum si victus ficte minitetur in judicio repetere solutum, possit titulo transactionis aliquid recipere a victore?

R. Negant Mol. etc. Sed *probabilius affirmant* posse accipere *Less.*, *Sanch. etc.* Ratio, quia licet victus non habeat animum, habet tamen potestatem repetendi, qua se pri-

(*a*) *Ludi aleatorii nunc legibus civilibus prohibiti non videntur; attamen, nulla in foro externo datur actio sive ad exigendum quod ex ludo debetur, sive ad repetendum quod fuit solutum, nisi probetur extitisse fraudem vel dolum.* Cod. civ., art 1837, et 1839. - *Pro ludis tamen ad exercitium corporis accommodatis datur actio.* - Cod. civ., artic. 1838.

vat in posterum per talem transactionem. -894.

Quaeritur 12. Quando peccent Clerici et Episcopi aleis ludentes?

R. Vide *Tract. de Praec. part. n.* 119. -895.

ARTICULUS XIII.

De Contractu Societatis.

Contractus societatis est, cum aliqui inter se conveniunt, et contributis aliquibus rebus ad lucrandum, idoneis, sive fructiferis, ut pecunia, animalibus, industria, labore etc., commune aliquod lucrum faciunt, quod, uti et damnum, pro ratione et rata cujusque, dividunt inter se.

Quaeritur 1. Quot sunt conditiones licitae societatis?

R. Quatuor sunt praecipuae conditiones licitae societatis: 1. Ut societas fiat in negotiatione honesta. 2. Ut damnum sortis spectet tantum ad dominum. 3. Ut servetur aequalitas, nempe ut aestimatio laboris unius aequiparet usum pecuniae alterius. 4. Ut uterque socius subeat onus damnorum et expensarum. Nomine autem *damnorum* veniunt tantum damna illa, quae solo intuitu societatis obveniunt socio. 905. Nomine autem *expensarum* veniunt sumptus itinerum, transvectionum, solutionis vectigalium, conservationis mercium, etc.

Unde:

1. Plus lucrari debet, qui confert pecuniam, et operam suam, quam qui vel pecuniam, vel operam solam.

2. Capitale seu sors, quam quivis contribuit, si pereat casu vel culpa sociorum levissima, contribuenti perit. Ubi discrimen est inter hunc contractum et mutuum: quia in mutuo sors data alienatur, et dominium ejus transfertur in mutuatarium, cujus proinde solius periculum ac damnum est, si casu pereat; in societate autem qui sortem confert, eam non omnino alienat a se; et sicut commodum ac lucrum ad eum spectat, sic etiam pericum et damnum. *Bon.* -904.

Quaeritur 2. An socius itinerans causa societatis, possit sibi deducere omnes expensas itineris.

R. Negant Sylv. etc. Ratio, quia societas non tenetur subire sumptus, quos alter socius domi fecisset, sed solum illos in quibus is damnificatur causa societatis. Alii vero concedunt posse integros deducere, modo aliter non sit conventum, et diversa non sit consuetudo. Ita *Ronc., Nav., Bon. etc.*; et probant ex lege *si frater*, ubi dicitur quod socius «Viatica, et stabu» lorum, jumentorum, carrulorum ve» cturas, vel sui vel sarcinarum sua» rum gratia, societati recte imputa» bit.» Haec secunda sententia videtur *probabilior*, utpote Juri conformior, sed quia primam non audeo dicere *improbabilem*, ideo censeo quod si bona fide socius sibi expensas applicavit, poterit retinere; secus, si mala fide, quia ut diximus n. 761, cum opinione probabili et non certa non potest inchoari possessio. -906.

Quaeritur 3. Si in societate unus confert pecuniam, alter laborem, an in fine societatis ante omnia restituendum sit capitale domino pecuniae?

R. Prima sententia negat, et dicit non solum lucrum, sed etiam sortem inter utrumque socium esse dividendam. *Secunda* tamen *vera sententia* docet sortem semper primo loco domino deducendam, etiamsi nullum lucrum supersit; quia pecunia collata in societatem minime fit communis inter socios quoad dominium seu proprietatem, sed tantum quoad usum seu commoditatem.

Quaeritur 4. Detracta sorte domino, quomodo dividendum est lucrum?

R. In hoc valde obscure et confuse DD. loquuntur; omnino mihi dicendum

videtur quod, salvo capitali domino, lucrum dividendum est pro rata, habita ratione valoris industriae ex una parte, et ex altera commoditatis praestitae ex pecunia, juxta communem aestimationem lucri, quod communiter haberi solet ex pecunia applicata ad negotiationem. Hinc bene advertunt *Ronc.* et *Spor*, quod aliquando industria mercatoris plus valebit quam usus pecuniae, et tunc proportionaliter debet lucrum distribui, ita ut aliquando licitum poterit esse pactum, ut in fine etiam capitale dividatur, aeque interim distributo lucro; prout fit ex consuetudine in pluribus locis in societate animalium. Insuper advertendum, quod aliquando valor industriae decrescit ob multitudinem operariorum societatem petentium; qua ratione poterunt forte excusari plures contractus, qui primo aspectu videntur injusti, eo quod operariorum industria in societatem collata juxta consuetudinem loci communiter non pluris ibi aestimatur. E converso injustum omnino esset pactum quod, empta merce, ante omnia, durante societate, restituatur domino suum capitale, et deinde quod superest, aequaliter dividatur; nam, licet compensentur mercatori fructus, quos interim non percepit, cum medietate sortis quam in fine societatis percipiet; tamen ponenti pecuniam minuitur periculum sui capitalis, dum in principio illud salvum facit, et mercator, si postea merx pereat, subjacet periculo sortis et lucri. Ita optime *Ronc.*

Quaeritur 5. An damnum sortis sit commune, quando, uno conferente pecuniam, altero operam, pecunia casu perit?

R. Vera sententia docet damnum sortis ad solum dominum pecuniae pertinere.

Quaeritur 6. An liceat pactum quod sorte pereunte, commune sit damnum inter ponentem pecuniam et mercatorem?

R. Si pactum sit, ut sicut damnum ita et sors sit communis, tunc licitum est; quia, sicut ponens operam habet commodum ut sibi tradatur media pars sortis, quamvis sors de jure tota ad dominum spectet, sic aequum est ut sorte pereunte, ipse subeat mediam partem damni, licet damnum sortis ad ipsum non pertineat. Ita *Ronc.*, *Azor etc.* Si vero pactum est ut sors non sit communis, commune vero sit damnum, tunc certe illicitum est et injustum, cum nulla hic detur justa compensatio.

Quaeritur 7. Quandonam censetur inter fratres contracta societas, et quid in ea servandum?

R. Non censetur facta societas, nisi expresse vel tacite ex conjecturis id habeatur; unde, non quia fratres habent patrimonium indivisum, et de communi mensa vivunt, inter ipsos contrahitur societas, nisi vero omnes in aliquo negotio se exerceant, vel nisi uno negotiante, alii conferant bona sua. Ita *Azor. etc.* Idque clarius praesumitur, si omnes conferant in commune cuncta bona ad unumquemque spectantia. Hoc tamen intelligitur, quando unusquisque confert etiam bona propria, praeter communia: secus, si tantum unus sua propria bona confert, puta lucra alicujus officii vel artis, et alii sola bona communia: tunc enim is potest ea sibi compensare, ut dicunt *Azor etc.* Et ita pariter, si unus majorem laborem conferat, ait *Bonc.*, potest ille plus accipere juxta aestimationem suis laboris. Si autem aliquis frater absens negotietur communi nomine ex communibus bonis, intelligitur habere societatem, usquedum admoneatur ab aliis fratribus, velle ipsos divisionem facere: et tunc neque etiam desinit societas pro negotiis inceptis. Ita *Ronc. etc.*

Quaeritur 8. Quibus modis finiatur societas?

R. Finitur sequentibus modis: 1. Completo tempore ad societatem constituto, aut finita negotiatione. 2. Per mutuum sociorum consensum. Ad id autem sufficit etiam tacitus consensus, nempe, si aliter sociorum incipiat seorsim negotiari pro seipso. Si vero quis socio invito, renuntiet ante tempus, tenetur ad interesse. Excipe si hoc est necessarium ob bonum publicum, ut si socius abesse debet causa Reipublicae, nec alium commode subrogare possit. 2. Quando nulla subest spes obtinendi id ob quod facta est societas. 3. Quando alter non servat pacta. 4. Quando alter grave damnum infert societati. Haec tamen debent esse certa, alias possessio stat pro observantia contractus.-3. Finitur societas morte alterius socii, nec transit ad haeredes; et hoc etiamsi conventum sit ut transeat societas ad haeredes mercatoris (*a*). Ratio, quia in societate eligitur industria personae, ignoratur autem qualis sit industria haeredis. Excipit tamen *Bon.* nisi pactum juramento sit firmatum : sicut etiam non finitur societas circa negotia coepta; neque circa vectigalia, seu alias res publicas conductas, ut *Mol. etc. communiter.*-4. Finitur societas etiam per mortem civilem, id est, per exilium, aut Professionem solemnem socii.-5. Finitur si socius egestate, vel infirmitate laborans, aut in carcerem conjectus, non posset pecuniam vel laborem promissum praestare. Item, si pereat pecunia collata, etiamsi socius habeat aliam, quam possit conferre. Item, si res ita sint mutatae, ut societas non sit amplius idonea.-907.

Quaeritur 9. Quid est triplex contractus, et an licitus sit?

R. 1. Triplex contractus est quando ad contractum societatis adjunguntur duo alii, nempe assecurationis sortis et venditionis lucri sperati. 2. *Prima sententia*, quam tenent *Sot., Conc. etc., negat* licitum esse hujusmodi contractum. Ratio, quia per hujusmodi contractus adjunctos contractui societatis, societas destruitur, cum de ejus natura sit, ut dans pecuniam sit in periculo lucri et sortis vel saltem alterutrius, et sic transit societas in mutuum. *Secunda vero sententia communior* defendit licitum esse hunc trinum contractum, dummodo absit animus foenerandi, et omnino obligetur socius pecuniam accipiens ut illam ad negotium applicet. Hanc tenent *Nav., Less., Tol., Lugo, Laym., Pal., Bon. etc.* (*b*). Ratio praecipua hujus sententiae est, quod si hi tres contractus disjuncti valent, etiam conjuncti valere debent. Neque dicatur per triplicem contractum societatem destrui et transire in mutuum, nam socius non acquirit dominium sortis sicut in mutuo; et faceret domino sortis injuriam, si pecuniam non applicaret ad negotium, possetque juste cogi ut pecuniam ad negotium applicet. Haec secunda sententia tot auctoritatibus et rationibus roborata merito non reprobatur, et ego *satis probabilem* reputo. Caeterum, quia non potest negari hujusmodi contractum periculo non carere animi usurarii; hinc censeo expedire ut prima sententia universe omnibus suadeatur.-908.

Quaeritur 10. An societas etiam in pecoribus valide et licite instituatur?

R. Affirmative; sed juxta naturam hujus contractus, animalia quae pereunt, domino tantum perire debent. Iis autem pereuntibus, ad custodem pertinet probare quod illa sine sua culpa perierint; alias tenebitur restituere domino eorum aestimationem.

Quaeritur 11. Si rusticus petat a te

(*a*) *In hoc puncto, jus novum veteri derogat. Vide* Cod. civ. art. 1740. — (*b*) *In jure novo triplex contractus prohibetur.* Cod. civ. art. 1727.

pecuniam ut par boum emat et ad negotium applicet, revera tamen ille non emit boves, sed debitum suum extinguit, utrum possis tu lucrum exigere?

R. Bene distinguit *Ronc.*, quod si tu mala fide pecuniam dedisti, sciens illum non empturum boves, nihil exigere potes; nisi, intelligendum, aliunde pecuniam applicasses alteri negotiationi, et de hoc illum monuisses. Si vero bona fide dedisti, tenetur ille reddere tibi lucrum cessans; et tunc ad illud tenetur, etiamsi tu eum de tali lucro cessante non monuisses.

Quaeritur 12. An sit licitum pactum, quod si ex grege aliquae oves pereant, suppleri debeant ex foetibus qui nascuntur, et interim caeteri foetus, lana et caseus aeque dividantur?

R. Negant Tam., Sylv. etc.; quia dicunt in hoc non servari aequalitatem. *Filliucius* autem cum *Azor. etc.* dicunt hunc contractum satis licitum esse. Prima sententia *omnino vera* mihi videtur, quia cum foetus qui substituuntur aeque dividendi sint inter pastorem et dominum; et praeterea, cum dominus semper sibi servaret sortem salvam, quae ipsi diminui deberet, ideo in hoc contractu non servaretur aequalitas (*a*).

Quaeritur 13. An liceat contractus societatis vocatus *ad caput salvum*, scilicet, quando traduntur pastori animalia, cum pacto reddendi ea salva in eodem numero in fine societatis, et lucrum dividendi?

R. Per se loquendo, hic contractus est illicitus; quia sors debet stare periculo apponentis; res enim suo domino perit. *Probabiliter* tamen licitus fieri potest, si adjiciatur alius contractus assecurationis; compensando pastori per majorem partem fructuum onus talis periculi sortis in se suscepti.

Quaeritur 14. Quantum possit in hujusmodi contractibus assecurationis accipi etc.?

R. Ait *Viva*, standum esse judicio peritorum, vel praxi timoratorum cujuscumque loci; recteque addit consultius esse hos contractus seorsim inire. Bene autem advertit *Ronc.*, certe injustum esse contractum, quo dominus dat boves aestimatos juxta praesentem valorem cum pacto, ut si decrescant, finita societate, idem valor restitui debeat; quia deterioratio rei ad dominum pertinet, nisi aliunde hoc damnum compensetur. Quod si tamen adesset pactum, ut in fine societatis, non solum lucrum, sed etiam sors animalium dividenda sint cum socio, tunc non quidem injustum erit pactum, ut si interim pereat capitale, pastor restituere teneatur domino medietatem sortis, prout dictum est, n. 907-909.

ARTICULUS XIV.

De Assecuratione et Fidejussione.

1. Contractus assecurationis est, quo quis alienae rei periculum in se suscipit, obligando se, vel gratis vel pro certo pretio, ad eam compensandam, si perierit. Quod si gratis fiat, est gratuita promissio: si pretio, est quasi emptio, qua assecurans vendit suam obligationem praestandi alteri rem ejus indemnem. Ad ejus justitiam requiritur, ut eventus rei sit incertus utrique, saltem quoad notitiam quam de eo habent; quia alioqui non servaretur aequalitas. *Less., Bon., etc.* - 911.

2. Fidejussio est contractus, quo

(*a*) *Societatis animalium plures species in Codice distinguuntur; quae videntur licitae, modo serventur conditiones lege definitae, vel in specialibus conventionibus servetur aequalitas inter spem lucri et periculum damni. Vide* Cod. civ. art. 1650. etc.

quis alienam obligationem suscipit implendam, si debitor principalis non solverit. Ita *communiter* DD. Pro fidejussione licet accipere pretium, etsi nullum periculum timeatur: quia ex se pretio est aestimabilis. - 912.

ARTICULUS XV.

De Pignore et Hypotheca.

1. Pignus est contractus, quo debitor dat creditori rem aliquam mobilem, vel immobilem, ut sit pro debito obligata, ex eaque solutio peti possit. Aliquando tamen pignus accipitur pro ipsa re, quae datur.

2. Hypotheca est pignus rei immobilis. Hypotheca specialis impedit vendi bona, non autem generalis. - 913.

Pignore non licet uti contra voluntatem domini, quia est res aliena, ad securitatem tantum et non ad usum tradita. Si tamen utatur, debet valorem usus, sicut et fructus omnes, si sit res ex se fructifera, computare in sortem, deductis expensis, quia alioqui committit usuram, cum res domino suo fructificet. Praesumitur autem dominus consentire, si nullum damnum ex eo sequatur. - 914.

Quaeritur. Quid sit contractus Antichriseos, et an licitus sit?

R. 1. Contractus Antichriseos est, cum in contractu pignoris convenitur ut creditor utatur pignore, v. g. agro, ac fructus inde tandiu lucretur, donec debitum ipsi restituatur. 2. Contractus hic est usuriarius, quia creditor ultra sortem aliquid lucratur, causa solius mutui, quae est usura. Quare tenetur fructus etiam illos reddere, quos ex culpa levi neglexit percipere. Possunt tamen intervenire tituli justi lucrandi fructus ex pignore, sine diminutione sortis: ut si v. g. fructus ex hypotheca percepti non superent quantitatem pensionis, quae jure census super eamdem constituti exigi potest cum pacto redhibitionis, ut supra dictum est de censibus; aut si alioquin lucrum cesset, aut damnum emergat, dum debitum differtur. Unde non facile damnandi, illi qui a Principibus in locum debitorum agros, pascua, officia etc., in Antichrisim habent. - 916.

ARTICULUS XVI.

De Tutela et Curatela.

Tutela et Curatela sunt quasi contractus, quibus Tutor et Curator ad procuranda bona et commoda Minorum cujuscumque sexus, qui vel parente carent, vel sub ejus potestate constituti non sunt, obligatur ex justitia, perinde ac si ex contractu ea obligatio suscepta fuisset; supplente nimirum lege vel magistratu vim contractus.

Differunt Tutor et Curator, quod Tutor solum datur impuberibus etiam invitis, et principaliter datur personis, ut curet earum educationem et institutionem; secundario vero datur etiam bonis illarum respectu omnium negotiorum (*a*). Curator vero datur Minoribus, post annos expletos pubertatis, usque ad annum vigesimum quintum completum: nec communi jure datur invitis, nisi in certis casibus, et datur principaliter rebus minorum, secundario personis. - 917.

Unde:

1. Tutores sive sint Testamentarii,

(*a*) *In jure novo Minores dicuntur quicumque annum vigesimum primum non compleverunt*, art. 311. *Iis autem omnibus si parente careant, Tutor dari debet, sive sint puberes, aut impuberes, sive sint inviti aut consentientes*, art. 326. *Post annum vigesimum primum fiunt sui juris nec indigent Curatore*, art. 411.

sive sint dativi, sive sint legitimi, ut mater, si velit et promittat se non transituram ad alias nuptias, quin prius tutelam abdicet, et rationem reddat; dein avia et consanguinei proximiores idonei, jurare debent uti et curatores, se fideliter officium suum facturos, ac fidejussorem dare, rem Minoris salvam et integram restituendam: et universim facite omnia eorum bona sunt hypothecata Minori, ita ut ad quemcumque pervenerint, possit illa Minor sibi vindicare, ut sibi satisfaciat, si quid illorum culpa est passus.

2. Bona Minorum tenentur Tutor vel Curator administrare ea cura, quam diligens paterfamilias propriis suis rebus adhiberet, tum impediendo, et praecavendo damna, cum procurando commoda et lucra minoris; alioqui damnum et defectus congrui lucri ipsi imputabitur, et tenebitur etiam in conscientia ad restitutionem.

3. Tenentur Curatores et Tutores singulis annis administrationis rationem reddere. Si noxii reperiantur, amovendi sunt imposita satisfactione, aliusque subrogandus. Si vero fideles deprehensi sint, debetur eis praemium.

4. Si Tutor et Curator, cum tenerentur negotiari, omiserunt, possunt Pupilli ab eis accipere quinque pro centum.

5. Tutor non potest esse junior viginti quinque annis, nisi forte mater modo ut supra; nec Religiosus, nec femina, nisi mater, aut avia; nec Clericus in sacris, si non velit; nec Episcopus nisi miserabilium personarum; harum vero tutelam suscipere tenentur et Episcopi et Clerici. Nec tutela imponi potest iis, qui habent quinque filios superstites, aut pauperes sunt, etc.

6. Bona immobilia Minorum, aut alia pretiosa quae possunt servari, non possunt alienari saltem sine Judicis decreto. Sicut neque mobilia quae servari possunt, etsi adsit consensus tutoris.

7. Tutori aut curatori et personis ei subjectis nihil licet emere sive per se, sive per alium, ex ullis bonis minorum, quamdiu illis tales sunt, nisi cum auctoritate Judicis, aut cum ejus decreto bona pupillorum publice, per juratum venditorem, omnibus venialia exponuntur.

8. Sine decreto Judicis non potest minor remittere, vel renuntiare haereditati, legatis, fideicommissis, aliisque juribus sibi acquisitis. Si tamen religionem ingressus sit, potest bona alienare, quia moritur quasi.

9. Pupillus, dum infans est, hoc est minor septennio, vel infantiae proximus, ita ut si masculus est, non expleverit annum decimum cum dimidio; si femina, nonum cum dimidio, nihil per se potest efficere, quo ullo modo vel alteri obligetur, vel alium sibi obliget: at pubertati proximus, obligare quidem sibi potest alium, sed non se alteri, saltem civiliter. Excipe bona castrensia et quasi castrensia, quorum liberam habet administrationem etiam sine consensu tutoris vel curatoris.

10. Si pupillus se obliget circa immobilia, etiam tutore adsentiente, obligatio est nulla.

11. Si pupillus vel minor contrahat circa bona mobilia cum tutore, vel curatore, ne naturaliter quidem remanet obligatus.

12. Si pupillus contrahat pubertate proximus cum extraneis, sine auctoritate tutoris vel curatoris, tenent *Lugo*, *Less.*, *Sanch.*, illum remanere naturaliter obligatum. *Bonacina* vero *etc.*, docent pupillum vel minorem non remanere naturaliter obligatum. Prima sententia *verior* mihi videtur. Caeterum, *probabilissimum* est quod pupillus non teneatur solvere quod promisit. Ratio, quia cui competit actio ad repetendum, competit etiam exceptio ad retinendum. Vide n. 890.

13. Etsi minores sine curatorum auctoritate donare non possint, nisi quae ejus conditionis adolescentes donare solent; qui tamen dona ab iis accepit, non tenetur restituere, nisi repetantur legitime; quia *probabile* est valere naturaliter, tametsi non civiliter. - 918. (*a*).

TRACTATUS XVII.

DE PRAECEPTIS PARTICULARIBUS CERTO HOMINUM STATUI PROPRIIS.

Cum omnes fideles sicut praecepta Decalogi, ita etiam alia praecepta, quae pertinent ad statum, et officium uniuscujusque, teneantur scire sub peccato mortali; ita ut ipsa eorum ignorantia vincibilis, licet non sequatur trangressio, sit peccatum mortale; hinc post praecepta omnibus communia, agendum de propriis certorum statuum in particulari; seu de statu Religiosorum, Clericorum, Judicis, Advocati, Referentis, Secretarii, Notarii, Procuratoris, Accusatoris, Testium, Rei, Pharmacopolae, Chirurgi, Mercatorum, Opificum et caeterorum.

CAPUT I.

DE STATU RELIGIOSO.

De Natura status Religiosi. De his quae requiruntur ad valorem professionis Religiosae. De obligatione Religiosi vi suae professionis. De Obligatione Religiosi vi votorum. De his qui tenentur, vel possunt ingredi Religionem. De Religiosis ejectis et fugitivis.

ARTICULUS I.

De Natura status Religiosi.

Status Religiosus est, *fidelium ad Divinae charitatis perfectionem tendentium, editis votis perpetuae paupertatis, castitatis, obedientiae, stabilis in communi vivendi modus, ab Ecclesia approbatus.* Dixi *ab Ecclesia*, quia ipsi olim Episcopi Religiones approbare poterant, postea tamen in Concilio *Lateranensi* sub *Innocentio III.* statutum est, ne nova Religio inducatur, nisi approbata a Papa.

Unde:

1. Ad essentiam Religionis non requiruntur vota solemnia. Ratio, quia qui in societate Jesu vota simplicia edunt, sunt veri Religiosi, ut definivit *Gregorius XIII.* in Bulla *Ascendente Domino.*

2. Sunt Religiosi, qui in Religione approbata, secundum certam regulam tria vota substantialia emittunt. Contra autem ii non sunt, qui licet tria ista emittant, et communiter vel seorsim habitant, Regulam tamen a Sede apostolica approbatam non profitentur.

3. Religiosi non sunt, qui, edito voto perpetuae paupertatis et castitatis, obedientiam voverent Confessario, aut Episcopo. Ratio est, quia tali voto non subjiciuntur jurisdictioni spirituali, quae a Deo, medio ejus vicario, provenire debet. - 1.

4. Religiosus promotus ad Cardinalatum, vel Episcopatum, obstrictus manet votis essentialibus suae Religionis, nempe obedientiae, paupertatis et castitatis; quia vota personalia comitantur personam, in quantum sunt compatibilia cum suo statu. - 2.

5. *Probabilius* est quod Episcopus regularis sub nulla culpa sit ad regulam obligatus, sed solum ex honestatis debito: quod autem debitum ne sub levi quidem obligat. Ratio, quia Episcopus regularis absolute a jugo regulae liberatur. Imo si Episcopatum

(*a*) *Circa tutelam et curatelam, vide* Cod. civ., art. 312. et seq.

resignet, non tenetur ad regularem observantiam redire. Secus est in Car. dinali religioso, qui non est Episcopus; hic tenetur redire, Cardinalatu relicto.

6. Ab aliis votis propriis alicujus Religionis Episcopus regularis omnino liberatur. - 3.

7. Religiosus ad parochiam promotus, cum votis adstrictus maneat, tenetur deferre habitum Religionis, regulamque observare in omnibus quae cum suo munere consistere possunt. Idque non tantum secundum moralem honestatem, sed sub obligatione gravis culpae, si ad eam regula obliget. Ita *probabilius Salm. etc.* - 4.

Nota. Abbates propriam Dioecesim habentes cum jurisdictione Episcopali, sunt in omnibus Episcopis similes. - 4.

ARTICULUS II.

De his quae requiruntur ad valorem professionis Religiosae.

Ad valorem professionis Religiosae tres requiruntur conditiones: 1. Qualitas seu aptitudo voventis, scilicet, ut, juxta *Tridentinum*, decimum sextum aetatis annum expleverit, annumque integrum cum Religioso habitu steterit in probatione, nullumque habeat impedimentum, quod per statuta a Pontifice confirmata, in isto Ordine substantiale esse censeatur. 2. Consensus et acceptatio expressa vel tacita Praelati Ordinis: per hanc enim Religioni incorporari debet; idque ordinarie non tantum cum consilio, sed etiam cum consensu Capituli aut certe majoris aut principalioris partis, secundum cujuscumque Ordinis statuta. 3. Ut professio sponte facta sit, non cogente gravi metu, qualis esset incarceratio, alimentorum subtractio, eo quod in professionem consentire noluerit; itemque metus reverentialis, non quidem de solo, sed accedente precum, blanditiarum, et imperii saepius repetita importunitate aut gravi offensione aut diu continuata indignatione consanguineorum, adjunctis etiam minis de subsipiis negandis, si ex Religione egrediatur, haec enim vel singula, vel certe simul conjuncta, considerata conditione hominis rudis timidi, et metum injustum incutere possunt, et professionem irritare. Vide dicenda *in Tract. matrim. n.* 1055, professio enim et matrimonium aequiparantur. - 7.

Nota. 1. Error circa substantiam tam ex parte profitentis quam admittentis, vitiat professionem. 6.-2. *Tridentinum* statuit quod puellae non suscipiant habitum regularem ante duodecimum annum completum: unde nequeunt antea suscipere. 3. Exploranda est insuper voluntas puellarum ante susceptionem habitus et ante professionem ab Episcopo vel, eo impedito, a Vicario vel alio deputato. Si utraque exploratio omitteretur, esset culpa gravis, sed valeret professio. 4. Episcopus explorare potest et debet voluntatem puellarum etiam in Monasteriis exemptis. 5. Religiosus injuste denegans suffragium novitio, peccat et tenetur ad restitutionem, ut dicunt *Spor. etc. communissime*, nisi adsit gravis causa reprobandi nempe infirmitatis, malae indolis, defectus talentorum, et similium; ita ut putetur futurus gravis religioni. ***Ex indice alphabetico.***

ARTICULUS III.

De Obligatione Religiosi, vi suae Professionis.

Religiosus vi suae professionis tenetur ad progrediendum aliquo modo in via perfectionis. Quia ex vi professionis, tenetur velle servare suum statum, qui est perfectionis, sive tendentium ad perfectionem (licet secundum se non sit praecepti, sed consilii); hoc

autem est intrinsece velle tendere ad perfectionem *S. Thom. etc.*

Unde :

1. Religiosus, non tenetur actu esse perfectus, sed tantum studere perfectioni.

2. Tenetur tendere ad perfectionem 1. Per media essentialia. 2. Per vota. 3. Per auxilia secundaria non contemnendo ea. 4. Tenetur aliquibus mediis uti, et si omnia media abijciat, non est in statu salutis. 5. Tenetur ad aliqua bona supererogatoria sive specialiter non praecepta nec promissa, quia alias, moraliter loquendo, non potest habere debitam intentionem salutis.

3. Tenetur tendere ad perfectionem per media suae Religionis, non per alia, hoc est, servando suas regulas. - 9.

Quaeritur 1. Quandnoam Religiosus contra obligationem hanc tendendi ad perfectionem graviter peccet ?

R. 1. Peccat graviter, quando regulas, etsi ad culpam venialem tantum vel nullam obligantes, ex contemptu transgreditur : est *commune* cum *S. Thom. etc.* Tunc autem Religiosus censetur regulas praetermittere ex contemptu, quando illas transgreditur animo non subjacendi illis vel Praelatorum praeceptis. *Bus., Sanch., etc.* Item, si eas omittat servare tanquam inanes, non vero si omittat ex concupiscentia ductus, vel quia putat illas sibi non esse necessarias ad salutem, vel si judicet eas non praecipi sub gravi. *S. Thom. etc.* Ideo transgredi regulas in rebus parvae materiae, etiam ex consuetudine, veniale non excedit. *S. Thom. etc.* Sed vix unquam transgressio a veniali excusabitur, etiamsi regula ad nullam culpam obligaret. *S. Thom. etc.* E converso dicit *Laym.*, quod si quis aliquam transgreditur regulam ex bono fine, puta regulam silentii, loquendo ut socium moestum soletur, nullo modo peccat. 2. Peccat mortaliter Religiosus, qui firmiter statuit non tendere ad perfectionem, vel nullo modo de ea curare. *Sanch. etc.* 3. Peccat graviter ratione scandali, si suo exemplo alios inducat ad regulae relaxationem : sed hoc intelligendum, si materia sit gravis. *Salm. etc.* - 10.

Quaeritur 2. An peccet graviter Religiosus, qui intendit tantum servare mandata obligantia sub gravi, alia vero statuat omnia transgredi, vel de iis non curare ?

R. Prima sententia probabiliter affirmat. Secunda tamen *sententia communior* et *probabilior negat* talem peccare graviter. Ratio, quia eo ipso quod Religiosus velit servare praecepta, quae respectu ipsius obligant sub gravi, cum ista de se et respectu aliorum sint mera consilia, volens ea servare, jam tendit ad perfectionem. Hoc tamen intellige quod sic ille excusabitur a mortali ratione hujus praecisae obligationis, quam habet tendendi ad perfectionem ; nam difficillime excusabitur quidem ex aliis capitibus, nempe ratione periculi transgrediendi vota vel grave damnum Religioni inferendi quoad regularem disciplinam etc., quae omnia est moraliter impossibile evitare ab eo, qui propositum habet trasgrediendi vel negligendi omnia statuta sub gravi non obligantia. - 11.

Quaeritur 3. An Praelatus aliquando defectus leves subditorum corrigere negligens, ipse graviter peccet ?

R. Affirmandum, casu quo defectus plures sint et tales, ut disciplinam valeant relaxare. Et ideo tenetur defectus subditorum in damnum totius communitatis vergentes non solum corrigere, sed etiam inquirere, ut corrigat, sine tamen nimia sollicitudine. Expedit autem ut aliquando corrigere dissimulet, si defectus scandalum non afferant, vel si praevideat subditum ex correctione pejorem fieri, vel si tempus opportunius sit expectandum. Et hic advertendum, quod, si oportet ad cor-

rigendum, superior potest subditum etiam verberare, et conviciis increpare ex *D. Thom.*, modo non agat ex ira vel coram saecularibus aut novitiis. Et sicut Superior tenetur corrigere, sic de transgressionibus aliorum tenetur ipsum admonere, qui officium zelatoris habet. *Suar. etc.* - 13.

ARTICULUS IV.

De Obligatione Religiosi vi Votorum, Paupertatis, Castitatis, Obedientiae.

§. 1. - *De Obligatione Religiosi, vi voti Paupertatis.*

Religiosus ex voto paupertatis obligatur ut nihil habeat proprium. Nomine *proprii* autem intelliguntur bona temporalia pretio aestimabilia, quorum dominium, vel certe facultatem disponendi liberam et independentem in perpetuum abdicavit.

Quaeritur 1. An manuscripta sint propria Religiosorum?

R. Negat Henno cum aliis apud *Concin.*, *Tourn.* Sed *probabilius affirmant communissime Lugo etc.*, tum quia manuscripta sunt quid spirituale, cum sint partus ingenii; tum quia pertinent ad scientiam, quae non cadit sub voto paupertatis; tum quia talis est communis consuetudo. Idem quod de manuscriptis, dicunt *Salm.* de Reliquiis. - 14.

Quaeritur 2. An Religiosis licitum sit habere peculium ex Superioris licentia?

R. Prima sententia negat et probatur ex Decreto *Tridentini. Secunda* vero *sententia affirmat*, dicens Concilium nihil novi statuisse, quam quod de jure communi statutum erat, ex quo *probabilius* licitum erat habere peculium cum Superioris licentia. Prima sententia *probabilior* mihi videtur, spectata sanctione Concilii. Sed ratione consuetudinis, quae hodie fere in omnibus Religionibus saltem non reformatis introducta est, puto rigorem Concilii hodie temperatum esse, et licere singulis Religiosis ex consensu superioris peculium habere, ut sibi provideant ad usus necessarios vel honestos, modo sint parati bona a se abdicare ad Superioris nutum, semper ac illis sufficienter subveniatur; nam alias non tenerentur peculium dimittere. Attamen sciant omnes Praelati, quod si usum peculii in Monasteriis de novo introducant, innumera ex hoc mala communitati supervenient: et ipsi a peccato gravi non excusabuntur ob regulae relaxationem, cui hac concessione procul dubio operam dabunt. Sciant pariter Regulares, quod non possint vitam communem recusare, si Superiores illam erigere velint, quia licet vitam communem non servare non sit contra votum paupertatis, est tamen contra votum vitam communem respuere, quia est habere bona independenter a voluntate Superiorum. - 15.

Quaeritur 3. An liceat Religioso res alienare vel accipere ex licentia praesumpta?

R. Affirmant DD. *communiter*, si licentia praesumatur de praesenti, ex voluntate actuali vel virtuali superioris. Imo *Lugo etc.*, dicunt sufficere ad non peccandum, saltem graviter, contra votum paupertatis, ut Superior non habeat hic et nunc voluntatem omnino repugnantem quoad substantiam, licet sit invitus quoad modum. Hinc *infertur* excusari saltem a mortali Religiosum, qui noverit Superiorem erga ipsum ita esse affectum, ut si hic sciret, libenter licentiam concederet, vel saltem non graviter repugnaret. Idem dicunt *Salm.*, si datio vel acceptio cederet in utilitatem Monasterii. Item si Superior non possit facile adiri, et urgeat causa aliquid accipiendi vel alienandi. Advertunt tamen *Elbel etc.*, quod Religiosus post talem acceptionem

tenetur, si commode potest, rem Praelato manifestare, ut deinde licite possit eam retinere. Idem ait *Elbel* si superior de facili soleat licentiam concedere pro quibusdam rebus, maxime exculentis et poculentis : sed in Monasteriis bene ordinatis non solent passim tales licentiae concedi, nisi pro rebus minimis et crebro occurrentibus.

Quaeritur 4. An peccet Religiosus contra votum paupertatis, quando aliquid accipit aut dat ex licentia interpretativa, sive praesumpta de futuro, scilicet praesumendo quod Superior annueret, si rogaretur ?

R. Prima sententia, quam tenent *Holz., etc., negat* talem Religiosum peccare, saltem mortaliter. *Secunda* vero *sententia* tenet, Religiosum accipientem vel dantem ex tali licentia interpretativa peccare contra votum. Prima sententia *probabilior* videtur. Caeterum hujusmodi licentiae non sunt facile praesumendae, quia Superiores, saltem quoad modum sunt inviti, et fiunt illicitae saltem venialiter, et non raro etiam graviter, praecipue quando illae sunt expresse ab ipsis prohibitae. - 18.

Quaeritur 5. An peccet contra votum paupertatis Religiosus, si quid ex rebus in usum suum concessis in alium usum expendit ?

R. Affirmandum, cum Religiosus in his tantum habeat usum facti, idque precario, quamdiu Superiori videbitur. - 19.

Quaeritur 6. An possit Religiosus sine licentia donare, quae parcius vivendo sibi subtrahit ex rebus sibi concessis ad usum ?

R. Affirmant Val., Sylv., etc. At *probabilius* tamen respondendum esse dicunt *Salm.*, non licere, nisi Religioso ad suam sustentationem certa quantitas ita assignatur, ut nec Monasterium teneatur aliquid ei praestare, nec ipse rationem reddere. - 25. (*a*).

Quaeritur 7. Quaenam quantitas requiratur, ut Religiosus eam expendens sine licentia, peccet graviter ?

R. Circa hoc discrepant DD. Alii assignant pro materia gravi quatuor argenteos ; plus vero pro conventibus pinguibus (*b*) ; et adhuc plus si res non sit ex pecuniis, sed ex vestibus, libris et similibus. Alii putant idem dicendum de furtis Religiosorum, quod dicitur de furtis filiorum in *Tract. de sept. Praec., n.* 543. Sed *probabilius* id negandum, quia filii bene sunt capaces possidendi, non autem Religiosi, qui voto paupertatis obstringuntur. - 24.

Quaeritur 8. An Religiosus res paulatim accipiens sine licentia, peccet graviter, si furtula ad magnam quantitatem perveniant, et teneatur ad restitutionem ?

R. Negant Nav., Tol., etc. Sed *verius affirmant Salm., etc.* Vide dicta in *Tract. de sept. Praec., n.* 530-25.

Quaeritur 9. An Religiosus impotens ad restituendum aliquod debitum suo Monasterio, teneatur ex sibi datis ad usum ?

R. Affirmant Lugo etc. Negant vero *Pell. etc.*, quia minime praesumitur velle Praelatus obligare subditum cum tanto incommodo ; et *vere probabile*, si res datae sint ad usum necessariae. - 26.

Quaeritur 10. An possit Superior licentiam subdito praebere, ut aliquam summam ludo exponat ?

R. Certum est quod potest, si sum-

(*a*) *Dona accipere a Religioso, est peccatum Papae reservatum. Et qui donum excedens decem scuta acciperet, ne posset quidem a Sacra Poenitentiaria absolvi, nisi facta prius restitutione doni. - H. n.* 8. — (*b*) *Sed haec opinio videtur nimis indulgens. - H.* 10.

ma sit modica et ludus licitus; in quo casu subditus potest uti licentia etiam tacita sive praesumpta. - 32.

Quaeritur 11. An liceat Religiosis ludere aleis sive taxillis?

R. Dicunt *Ronc. etc.* Religiosos reformatos peccare (*a*), si semel bis lusibus ludant. Et tanto magis id dicendum de eo qui in his Religionibus viam talibus ludis aperiret. *Ronc. etc.*, dicunt adhuc Religiosos non tam arctae observantiae peccare graviter, si frequenter versentur in his lusibus, etsi sine scandalo. Secus tamen si agatur de ludis chartarum non merae sortis, modo non sit scandulum, aut praeceptum prohibens, et ludus fiat in modica quantitate. - lib. 3., n. 991. (*b*).

Quaeritur 12. An peccent mortaliter Religiosi qui assistendo inspiciunt ludentes aleis?

R. Idem dicendum de Religiosis ac de Clericis dicitur. - lib. 3., n. 903.

Quaeritur 13. An Abbatissa habeat bonorum sui Monasterii administrationem?

R. Habet, si non obest regula aut consuetudo. Potest etiam elargiri in eleemosynas bona superflua, etiam sine consensu aliarum. Potest in rebus modicis contractus per se inire, sed in gravioribus requiritur consensus Capituli. - 36.

§. II. - *De obligatione Religiosi vi votis castitatis.*

Religiosus voto castitatis obligatur ut abstineat se ab omni voluntaria delectatione venerea interna et externa: proindeque si quis contra castitatem peccat, duo peccata admittit, luxuriae et sacrilegii; et *probabilissime* peccat etiam contra bonum commune, si periculum sit quod per suum peccatum Religio infametur. Ad majorem autem cautelam castitatis introducta est clausura non solum Monialium, sed etiam Religiosorum, qui non possunt e Monasterio egredi sine licentia Superioris.

Quaeritur. Quale peccatum sit egredi sine licentia?

R. Communiter DD. dicunt ex genere suo id esse mortale, quia consuetudo omnium Religiosorum fert ut tales egressus tanquam graves culpae semper puniantur. Censent tamen rationabiliter *Anacl. etc.*, non peccare graviter Religiosum semel vel iterum exeuntes de die sine licentia, nisi hoc agat ex contemptu vel cum scandalo; secus vero dicendum de nocturno et furtivo egressu. Quoad excommunicationem autem ob obligationem clausurae Regularium vel Monialum vide *Tract. de Cens.* n. 229.-37.

§. III. - *De obligatione Religiosi vi voti obedientiae.*

Religiosus ex voto obedientiae obligatur ad omnia, quae Superior praecipit secundum regulas et Constitutiones Ordinis, sive directe et expresse, sive indirecte et implicite.

Nota tamen, quod nisi Praelatus mandatum explicet, v. gr. dicens *jubeo, praecipio etc.*, subditus non tenetur obedire. Et dicente Praelato, *jubeo, praecipuo etc.*, nec etiam tenetur subditus obedire sub gravi, nisi addatur: *in nomine D. Jesu Christi, vel in virtute obedientiae;* vel nisi addatur poena excommunicationis non solum ferendae, sed etiam latae sententiae. - 38.

Unde:

1. Non tenetur subditus obedire in iis quae sunt vel contra regulam, nisi Superior in ea possit dispensare, et

(*a*) *Graviter.* - *H.* n. 220. — (*b*) *Sed hoc mihi videtur indecens statui Religioso.* - *H.* n. 220.

adsit causa legitime dispensandi, vel supra regulam, ut essent macerationes (nisi in poenam vel ad obligationem votorum necessariae) vel ut acceptet episcopatum.

2. Non tenetur Religiosus obedire Praelato praecipienti, ut assistat infirmis infectis morbo contagioso, nisi infirmi sint ejusdem Ordinis, vel deesset qui ipsis sacramenta necessaria ministraret. - 40.

3. Si Regula Ordinis sub peccato obligat, ejus transgressio est contra votum et sacrilega. - 41.

4. Si regula sub peccato non obligat, transgressor illius non peccat contra votum obedientiae; haec transgressio erit tamen venialis si sine causa, sed ex negligentia, torpore animi, aliove inordinato affectu fiat. Imo si quis frequenter et quasi per consuetudinem regulam transgrediatur, Religiosam disciplinam graviter perturbet, eaque ex causa in periculo expulsionis se constituat, peccat mortaliter.

Quaeritur 1. Quot peccata committit Religiosus contra obedientiae praeceptum agens?

R. Probabilius est quod duo peccata committat, unum contra Religionem, ratione voti; aliud contra virtutem obedientiae, quam debet Praelato cui se tradidit in professione - 46.

Quaeritur 2. An religiosi teneantur obedire praelatis reformantibus regutam collapsam?

R. 1. Certum est quod postquam regula per legitimam consuetudinem relaxata est, quamvis primi Religiosi peccarint, secundi tamen non tenentur eam observare. 2. Alii *affirmant* teneri Professos obedire, si regula a Capitulo Generali reformetur (*a*). Alii vero *negant non minus probabiliter et forte probabilius*, nisi reformatio appareat medium necessarium ad Ordinis conservationeme, nempe si cum praesenti observantia paucissimi ad perfectionem Religiosam pervenire studeant; vel si cum scandalo saecularium vivant, ut expediret potius Religionem dissolvi quam ita continuari. Ratio, quia qui Professionem emittit, potius censetur juxta praesentem statum regulam profiteri, quam juxta pristinum institutum. - 44.

Quaeritur 3. Utrum subditus dubitans an res praecepta sit licita vel ne, possit et teneatur obedire?

R. Tenetur dubium deponere et obedire, quia Superior est in possessione praecipiendi. Hinc *infertur* 1. Quod si diversae adsint opiniones probabiles circa rem praeceptam quod sit licita vel non, subditus tenetur obedire. 2. Quod subditus etiamsi habeat unicam opinionem probabilem, quod res praecepta sit illicita, et nulla sibi appareat probabilitas de illius honestate, adhuc tenetur obedire. Nisi, *communiter* dicunt DD: 1. res sit valde difficilis et molesta. 2. Subditus obediendo exponat se vel alterum periculo gravis incommodi subeundi in vita, fama, honore aut bonis.

Quaeritur 4. An subditus teneatur obedire, quando probabiliter opinatur praeceptum non esse impositum vel esse abrogatum?

R. Negandum, ut *communiter* docet *Sanch. etc.* Imo dicendum quod in dubio de impositione praecepti, nulla est obligatio parendi, nisi constet illud fuisse impositum.

Quaeritur 5. An teneatur subditus parere, si dubium vertat utrum qui praecepit sit legitimus Superior?

R. Negant Vasq. etc. Sed *verius affirmandum*, si communiter ut Superior ille habeatur, quia eo casu supplet Ecclesia Jurisdictionem. - 47.

Quaeritur 6. An Religiosus tenea-

(*a*) *Alii absolute et probabilius affirmant*, - *H. n.* 17.

tur obedire praelato praecipienti revelare secretum sibi commissum?

R. Tenetur, si aliter damnum eveniret monasterio aut alii tertio, sive ipsi praelato. Ac etiam *probabiliter* potest revelare ad vitandum damnum proprium. Vide *Tract. de oct. Praec.* n. 971. - 49.

Hic plura sunt notanda: 1. Loquendo de votis simplicibus, *in Tract de secun. Praec.* n. 226, diximus *satis probabilem* esse sententiam non esse obligationem adimplendi votum, si notabilis circumstantia superveniat, qua praevisa, quis votum non emisisset; excepto voto simplici castitatis et Religionis. Nunc vero loquendo de votis solemnibus emissis in professione religiosa, vel in sumptione sacrorum Ordinum, omnino tenendum cum *communi DD.*, quod nullo modo vota praedicta irritari possunt ob quamcumque notabilem circumstantiam supervenientem, etiam non praevisam, modo non sit circumstantia versans circa substantiam votorum. Ratio, quia religiosus vel sacerdos in tali casu non consideratur ut persona particularis, sed ut pars et membrum communitatis Ecclesiae, cui praestat postponere suum bonum privatum bono communi. Et idem dicendum ob eamdem rationem boni communis, pro votis quae emittuntur a viris, aut mulieribus oblatis in aliquibus Congregationibus, maxime si addatur juramentum perseverantiae, prout fit in Ven. Congregatione Patrum Missionis S. Vincentii a Paulo, et in nostra minima Congregatione SS. Redemptoris; quia hic intervenit contractus onerosus utrinque obligatorius.

2. *Probabiliter* dicunt *Holz. etc.* valere licentiam ab inferiori praelato concessam, quae a majori fuit denegata. Secus vero dicendum puto, si Praelatus major positive prohibeat subdito exequi rem petitam, vel irritam declaraverit licentiam, quia tunc inferior nequit dispensare in mandato Superioris. - 50.

3. Moniales ratione voti tenentur obedire 1. Summo Pontifici. 2 Episcopo loci, si non sint exemptae, si vero sint exemptae, Praelato Ordinis. Etiam tamen exemptae tenentur obedire Episcopo in iis, in quibus ille se gerit tanquam delegatus Sedis Apostolicae, prout in observantia clausurae. 3. Tenentur obedire Abbatissae in iis quae ad regulam pertinent. - 51.

5. *Probabilius* est Abbatissam posse praecipere monialibus *in virtute obedientiae*, obligando in conscientia; quia talis obedientia videtur absolute necessaria ad observantiam regulae sustinendam, et talis est in monasteriis observantibus praxis universalis. - 52.

5. Certum est quod Abbatissa non possit auctoritativo modo dispensare quoad observantias Religionis, nempe quoad jejunia frangenda, ad edendas carnes etc. contra regulam; sed bene potest dispensare ex commissione Praelati; vel potest ipsa de se declarare aliquando jejunium vel aliud praeceptum non obligare.

6. Certum est etiam quod non possit Abbatissa in votis monialium dispensare vel ea commutare, uti potest Episcopus vel Praelatus regularis, si sint exemptae; sed conveniunt *communiter DD.* quod Abbatissa ratione potestatis dominativae, quam ob votum obedientiae habet supra suas subditas, possit irritare earum vota sive de re supererogatoria, sive de re circa regulas, ut docent *Nav. etc.*; et hoc etiamsi fuerit votum transeundi ad religionem strictiorem, ut tenent *Pasq. etc.* contra *Less. etc.* - 53.

7. Abbatissa potest irritare votum monialis emissum cum suo consensu, modo absit justa causa: ita *communiter Sylv. etc.*, alias, si sine causa, peccabit, sed *probabiliter* non plus,

quam venialiter. Vide dicta *de Voto n.* 239.

8. Vota novitiarum non potest Abbatissa irritare, sed tantum suspendere eorum executionem, si probatione officiant, ut *Less.* et *Sylv.* Si vero vota a novitia fuerint emissa dum adhuc erat sub potestate parentum, tunc dicit *Alex.* posse Abbatissam ea irritare, cum ipsa tunc succedat in eamdem potestatem dominativam erga novitiam. - 55.

9. Moniales non tenentur obedire Episcopo circa electionem officialium Monasterii, cum haec omnino ad moniales spectat.

10. Episcopus potest Abbatissam ab officio suspendere casu, quo ipsa Episcopum non praemoneat de professione facienda a novitia.

11. Episcopus potest numerum monialium statuere, ut omnes admissae commode sustentari possint, et hoc etiam in monasteriis exemptis; in his tamen debent intervenire etiam praelati ordinis.

12. Episcopus singulis annis debet visitare monasteria monialium sibi subjecta per se ipsum vel per vicarium cum suo speciali mandato. Monasteria autem summo Pontifici immediate subjecta, etiam ab Episcopo sunt visitanda, sed auctoritate Apostolica; exempta vero visitantur a Praelato Ordinis.

13. Quoad observantiam clausurae etiam monasteria exempta visitari debent ab Episcopo, tanquam Sedis Apostolicae delegato, ita ut nullo modo possit Episcopus impediri, et praesumentes impedire, post tres monitiones, excommunicationem ipso facto incurrunt. - 56.

14. In actu visitationis moniales ab Episcopo interrogatae vel a Praelato Ordinis, tenentur veritatem aperire circa observantias regulae, etiamsi transgressiones sint leves, quia ordinarie ab istis incipit totius regulae relaxatio; nisi juxta *Lezan.* et *Alex.* 1. crimen sit emendatum. 2. Crimen sit occultum. 3. Constet crimen frustra sit denuntiandum. 4. Manifestatio vergat in damnum proprium. 5. Crimen cognitum sit sub secreto naturali. Excipitur tamen, si crimen sit causa communis damni. Sed haec vide fusius discutienda ex n. 247. - 57.

15. Quoad confessarios Monialium ab Episcopo approbandos, vide *Trac. de Sacram. Poenit. n.* 576.

Hic libet adjungere duas appendices, unam de electione Abbatissae, alteram de privilegiis Monialium et Regularium. - 58.

APPENDIX I.

DE ELECTIONE ABBATISSAE.

1. Ex *Tridentino*, non debet elegi Abbatissa minor quadraginta annis, et quae octo annis post professionem laudabiliter vixerit; alias electio est nulla. Casu tamen quo desit in monasterio, quae talem aetatem habeat, ex eodem *Trid.* potest elegi monialis habens triginta annos, et quinque professionis, vel alia ex alieno monasterio ejusdem Ordinis, et etiam alieni Ordinis, sed haec non nisi cum assensu S. C. Si vero adest jam in monasterio monialis quadraginta annorum, nisi ista sit vere inhabilis, nequit eligi alia, etsi habilior sine dispensatione S. C.

Unde :

1. Non possunt eligi in Abbatissas illegitimae, infames, neque corruptae, nisi corruptio fuerit occulta, item neque caecae aut surdae. Idem de muta dicunt DD.

2. Ad electionem Abbatissae non admittuntur novitiae, nec conversae, sed tantum choristae professae.

3. Si qua monialis est in lecto infirma, ejus votum etiam est recipiendum vel per scriptum sigillo munitum,

vel per duas moniales a Praesidente electionis deputatas.

4. Si electio ob discordiam non compleatur, non potest Praelatus praesidens dare suum suffragium ; sed bene potest praefigere tempus ad electionem, quo elapso, ipse Abbatissam deputabit.

5. Monialis quae jam suam dedit vocem, nequit amplius illam revocare.

6. Cum electio fit per scrutinium, praecipit *Trid.* quod vota secrete praestentur Notario et quatuor vel quinque aliis assistentibus, alias electio est nulla, etiamsi aliter fiat ex ignorantia.

7. Ad electionem autem sufficit major pars votorum.

8. In electione Abbatissae Praelati qui praesident debent esse extra claustra ; putant tamen *Pasq. etc.* quod, urgente justa causa, possint tunc Praelati claustra introire.

9. In monasteriis non exemptis vel Sedi Apostolicae submissis praesidet Episcopus : in exemptis vero Praelatus regularis una cum Episcopo. Tunc tamen Episcopus tantum assistit, sed vota non excipit.

10. Facta autem electione, nisi aliud obstet, debet in eodem loco electio confirmari a Praelato praesidente, scilicet ab Episcopo vel a Praelato regulari in monasteriis exemptis, vel a Sede Apostolica, si monasterium illi sit immediate subjectum ; et Abbatissa nequit officium exercere ante confirmationem.

11. Ipsa debet etiam benedici in Ecclesia exteriori ab Episcopo vel Praelato regulari intra annum ; alias privatur officio : talis autem benedictio potest alteri committi, etiam simplici sacerdoti ; sed in his omnibus attendenda est monasteriorum consuetudo.

12. Abbatissae possunt eligi per triennium vel per singulos annos ; sed non ultra triennium, alias electio est nulla. Et insuper Abbatissa triennalis debet per triennium vacare, neque in vicariam eligi potest, si forte nova Abbatissa deficiat, quia praecipit Pontifex ut Abbatissa anterior *per triennium omni prorsus careat auctoritate.*

13. Sicut Abbatissae, sic et Procurator monasterii debet in quocumque triennio mutari.

Dicit autem *Alex.* quod in collegiis oblatarum bene potest eligi Superior perpetua, quia tantum de veris monialibus professis loquuntur Bullae. - 59.

APPENDIX II.

DE PRIVILEGIIS MONIALIUM ET RELIGIOSORUM.

1. Omnes Ordines regulares communicant in privilegiis aliorum Ordinum sive mendicantium, sive non.

2. Moniales gaudent iisdem privilegiis (de quibus sunt capaces) religiosorum ejusdem Ordinis. - 60.

3. Abbatissa potest dispensare in jejuniis, officio etc. juxta privilegia sui Ordinis Praelatis concessa, ex Praelati commissione, quae praesumitur ei facta, statim ac fuit electa in Abbatissam.

4. Moniales Episcopo subjectae bene possunt uti privilegio, v. g. recipiendi absolutionem etc. a proprio Episcopo, quando cuicumque regulari privilegium est concessum ; secus tamen, si facultas absolvendi non est regularibus concessa, sed tantum praelato illius Ordinis.

5. Omnes Regulares utriusque sexus tempore interdicti generalis possunt in suis monasteriis divina peragere submissa tamen voce, januis clausis, sine campanis, et exclusis nominatim interdictis vel qui causam interdicto dederunt. Item possunt Eucharistiam et Extremam Unctionem suscipere,

Missas audire. Et ad haec possunt admittere omnes monasterii famulos, procuratores, operarios.

6. Idem concessit *Eug. IV.* pro Beatis et Tertiariis, exceptis tamen semper specialiter interdictis.

7. Possunt etiam publice celebrare in pluribus Festis, ut Paschatis, Pentecostes, Nat. Domini, Ass. B. V. Mariae, SS. Sacramenti et Octavae, Concept., Annunt., et Nat. B. Mariae, Sanctorum Titularium Ecclesiae, et Sanctorum proprii Ordinis: item in Festis Circumcisionis, Epiph., SS. Trinitatis, Apostolorum, S. Joan. Bapt., S. Lucae, Marci, omnium Sanctorum, omnium Defunctorum. - 61.

8. In Ecclesiis Monialium non possunt sepeliri personae laicales, nisi ibi habeant jus sepulturae.

9. Circa Officium Divinum, plura privilegia Regularibus fuerunt indulta. Vide *Auctorem n.* 63.

10. Erga omnia privilegia Religiosorum, Superior potest ex justa causa aliquando limitare privilegia subditorum, quia haec semper concessa intelliguntur ut non praejudicent potestati dominativae, quam ob votum obedientiae Superior super subditos habet.

11. Ex Bulla *Pauli V*, omnes Regulares professi, sicut et Ordinarii locorum, gaudent indulgentiis concessis cuicumque Ordini Religioso. - 64.

De hoc puncto, vide alia plura, p. 49. ubi de *privilegiis.*

ARTICULUS V.

De his qui possunt vel tenentur ingredi Religionem.

Omnes illi et soli possunt ingredi Religionem, qui sunt sui juris, nec aliis obstricti: qui vero aliis obstricti sunt, non possunt sine eorum consensu. Unde non possunt ingredi Religionem sequentes: 1. Impuberes, quia subsunt parentibus vel tutoribus, quoad vitae dispositionem. 2. Filii, si parentes sine illis se alere nequeant. 3. Servi sine consensu dominorum. 4. Qui decepit virginem sub promissione matrimonii. 5. Qui non est solvendo creditoribus. Modo brevi tempore in saeculo manens, probabiliter et sine magna difficultate acquirere sua industria possit quod debet vel notabilem debiti partem solvere, sine tamen probabili periculo incidendi in peccata vel amittendi vocationem ad Religionem. Aliter, si hoc adsit periculum, aut diu expectandum sit, v. g. ultra triennium vel bienuium, aut sine notabili difficultate satisfacere non possit, non tenetur juxta *probabiliorem* sententiam manere in saeculo, et potest Religionem ingredi, etiam debitis non solutis; sic sentiendum pro debitis certis. At si debita sint incerta, procul dubio statim debitor Religionem ingredi potest. - 71, 6. Episcopus, sine consensu Papae, cui juramento se obstrinxit, et cum maneat obstrictus Ecclesiae suae, sicut maritus uxori. 7. Conjuges post matrimonium consummatum, nisi per vim consummassent ante expletos duos menses, qui eis a jure conceduntur, aut nisi alter conjugum commisisset adulterium: tunc enim innocens ingredi posset. - 65.

Nota. 1. Si Filius profiteatur Religionem, relinquendo parentes in necessitate, professio, hoc non obstante, bene valida erit. 2. Si filius in saeculo manens nullo modo necessitati Parentum possit subvenire, licite Religionem ingredi potest. 3. Si filius in saeculo manere non possit sine gravi periculo labendi in aliquod grave peccatum, licite etiam ingreditur Religionem, quacumque necessitate laborent Parentes, quia temporali vitae Parentum praeferri quidem debet spiritualis salus filii: *S. Thom.*; intellige

tamen, si periculum sit proximum et tale, ut a filio, manendo in saeculo, moraliter vitari non possit.

Quaeritur 1. Quaenam necessitas parentum prohibeat filios Religionem ingredi?

R. Sic docet *S. Thom.* « Parenti- » bus in necessitate existentibus, ita » quod eis commode aliter subveniri » non possit, non licet filiis Religio- » nem intrare. » Secus autem dicit, si Parentes filiorum obsequio non multum indigeant. Hinc dicunt *Sanch.* cum *Suar.* et *communi*, quod filius nequit ingredi Religionem, relinquendo Parentes in necessitate sive extrema sive gravi, etiamsi filius votum Religionis emiserit.

Quaeritur 2. An Parentibus egestate pressis, filius jam professus teneatur egredi ut eis subveniat?

R. In necessitate extrema, certum est teneri; dicunt tamen *Salm.* quod hoc non procedit, si filius e claustro possit subvenire, quin egrediatur; nec si patris necessitas non sit evidens, et Praelatus licentiam neget, judicans necessitatem non esse talem, quia in dubio standum est judicio Superioris. Si autem necessitas Parentum sit evidens, sed tantum gravis, adest triplex sententia. *Prima* dicit teneri filium egredi. *Secunda* distinguit et dicit, quod si necessitas Parentum antecedit Professionem, filius tenetur egredi, quia obligatio jam contracta non extinguitur per professionem: secus, si professionem subsequitur. *Tertia probabilior* docet in tali casu non teneri nec posse filium egredi sine licentia, sive necessitas Parentum praecedat Professionem sive non. Et probatur ex *D. Thom.*, qui ait: « Ille vero qui jam » est in Religione Professus, reputa- » tur jam quasi mortuus mundo; unde » non debet occasione sustentationis » Parentum exire e Claustro. » Tenetur tamen, salva sui Praelati obedientia, et suae Religionis statu, media adhibere, quibus suis parentibus subveniatur. - 67.

Quaeritur 3. An peccent filii Religionem ingredientes, invitis aut insciis Parentibus?

R. A Concilio *Toletano X.* omnino concessum fuit filius Religionem suscipere sine genitorum licentia, modo annos pubertatis compleverint. Et certum est, juxta *communem* DD. sententiam, quod circa status electionem non tenemur Genitoribus parere. Hinc, *communiter* docent DD. non teneri filium Religionem omittere, causa vitandi scandala Parentum. Ita *S. Thom.*, *Pal.*, *Suar.*, *Vasq. etc.* Quamvis tamen praefati Auctores advertunt debere filium eo casu aliquantulum expectare, donec Parentes moneantur de eorum obligatione: imo, si ipse facile et tuto possit ipsorum consensum obtinere, par esse, ut non discedat sine Parentum benedictione; hoc tamen intelligendum, ut mox videbimus, nisi probabile sit periculum quod Parentes injuste illi impediant executionem suae vocationis. Ideo ut plurimum in praxi filii excusantur, si insciis Parentibus domum relinquant.

Quaeritur 4. An teneatur filius consulere Parentes circa status electionem, ut ab ipsis rectum consilium accipiat?

R. Circa electionem status Religiosi nec tenetur, nec expedit quod filius consilium Genitorum expectet; quia in hoc non tantum ipsi nullam experientiam habent, sed etiam quia Parentes ob proprium commodum mutantur in hostes. Etenim frequentius Parentes malunt filios perire cum eis, quam salvari sine eis. - 68.

Quaeritur 5. An peccent graviter Parentes, qui avertunt filios a statu Religioso, sine justa causa?

R. Si avertunt injuriose per minas aut vim, vel fraudem, nullus excu-

sat eos a peccato mortali. Si vero aversio fit tantum precibus vel promissionibus, censet *Suar.* hoc ex genere suo non esse peccatum grave. Sed omnino tenendum cum *communi* DD. sententia hos parentes peccare graviter, qui sive fraude aut vi, sive precibus, promissionibus aut alio modo filios a Religione distrahunt. Ita *Nav., S. Antonin., Molin. etc.* Et plures horum AA. damnant de mortali non solum parentes, sed etiam extraneos qui alios avertunt a statu Religioso. Ratio, quia hoc non potest esse sine gravi damno illius, qui a Religione distrahitur: unde sive id fiat vi aut fraude, sive precibus aut alio modo, non potest a peccato gravi excusari. Insuper puto Parentes avertentes filios a Religione duplici peccato gravi delinquere; nam praeter peccatum contra charitatem, committunt alterum peccatum contra pietatem, dum ipsi, ex officio eorum proprio educationis, teneantur sub gravi incumbere spirituali profectui suorum filiorum. - 67.

Quaeritur 6. An liceat Parentibus Religionem ingredi?

R. Licet, modo filios in necessitate gravi non relinquant, vel eorum educationem non praetermittant. Hoc tamen intelligitur de filiis non emancipatis, quos Parentes nequeunt in saeculo relinquere, quin eis provideant de necessariis tam ad sustentationem, quam ad instrumentum morum. Secus autem de filiis emancipatis, quos Parentes, ordinarie loquendo, nec alere, nec instruere amplius tenentur, nisi filii per accidens gravi necessitate laborent. - 69.

Quaeritur 7. An liceat deserere fratres vel sorores ad ingrediendum Religionem?

R. Fratres vel sorores non licet deserere in necessitate extrema, sed licet in gravi, quamvis ratione charitatis posset quis differre, et etiam omittere statum Religionis ad subveniendum fratribus graviter indigentibus. Si vero votum habeat Religionis, in tali casu non posset differre per longum tempus sine dispensatione. - 70.

Quaeritur 8. Ad quid teneatur qui vovit Religionem?

R. Tenetur ingredi Religionem secundum sequentes regulas: 1. Non tenetur, imo non potest licite ingredi Ordinem, in quo collapsa est disciplina regularis; intellige, quoad observantias principaliores: idque ob periculum perversionis. 2. Qui vovit laxiorem, licite ingreditur strictiorem; non tamen contra, quia minus praestaret quam promisit. Quod si tamen profiteatur in laxiore, valida est professio, et liberatur a voto strictiorem ingrediendi. 3. Is qui vovit experiri Religionem strictiorem, potest id commutare in votum profitendi, et perseverandi in laxiore.

Quaeritur 9. An is qui voverit Religionem, et semel legitime repellatur ab ea, teneatur iterum ingredi, si Monasterium postmodum velit eum admittere?

R. Prima sententia affirmat, eamque tenent *Laym., Bon. etc. Secunda* vero *negat*, eamque tenent *Pal., Less., Suar. etc.* Mihi *probabilius* videtur quod si talis vovens habet probabilem spem se fore in posterum recipiendum, non liberatur a voto; secus, si nulla probabilis spes appareat.

Quaeritur 10. An qui simpliciter Religionem voverit, peccet mortaliter, si post ingressum sine causa ab illa egreditur?

R. Prima sententia negat et hanc tenent *Bon., Sot., Caj. etc. Secunda* vero *probabilior*, quam tenent *Sanch., Pal., Suar. etc.* docet hunc a mortali non excusari, quia votum Religionis obligat ad profitendum, nisi adsit justa causa egressus. Secus vero dicendum, si vovens non habuerit animum profitendi, sed tantum experiendi.

Quaeritur 11. An si quis habeat votum profitendi, et Religionem ingrediatur, animo perpetuo manendi, sed a Religione ejiciatur, quia judicatur ineptus ob inscitiam, aegritudinem et similia, liberetur a voto?

R. Certum est quod si is remisse se gesserit, et diligentiam saltem mediocrem non adhibuerit ad se corrigendum, a voto non fit immunis. Si autem diligentiam adhibuerit, et tamen a Religione repellatur; duplex est sententia: *Prima affirmat* talem liberari a voto. *Secunda* vero *probabilior negat*, usquedum ei probabilis stat spes votum implendi, mediocri diligentia aliam Religionem quaerendo.

Quaeritur 12. An qui voverit profiteri, possit a Religione exire ex causa non jam urgenti, sed justa, nempe, quia talem vitam expertus sit incommodam?

R. Prima sententia affirmat. Secunda tamen *vera sententia* docet hunc teneri ad profitendum etiam cum incommodo, modo non sit tale, ut intolerabile videatur.-72.

Quaeritur 13. An Parochus possit licite Religionem ingredi, contradicente Episcopo?

R. Omnino affirmandum, ex C. *Duo sunt*, ubi sic habetur: «Si quis Cle» ricorum in Ecclesia sua sub Epi» scopo populum retinet, et saecula» riter vivit, si afflatus Spiritu sancto » in aliquo Monasterio, vel Regulari » Canonica salvari se voluerit... etiam » Episcopo contradicente, eat liber no» stra auctoritate: » sic *Urbanus II* ad *Ruffinum*. *Benedictus XIV* haec ut certa enuntiat in sua Bulla *Exquo*-74.

Quaeritur 14. Quid dicendum de Clericis aut aliis Beneficiariis non curatis?

R. Quamvis isti ex officio et honestate teneantur suos Episcopos certiorare de suo Religionem ingrediendi proposito, non peccant tamen, ut declarat *Benedictus XIV* in Bulla mox citata, si id omittant ob metum reverentialem, ne forte ab ejus desiderii implemento revocentur. Certum est etiam ex *Concilio Tolet. IV*, non posse Episcopos impedire suos Clericos ne Religionem ingrediantur. Attamen declarat *Benedictus XIV*, quod Episcopus bene possit revocare suum Clericum a Religione, si ejus ingressus gravi detrimento esset Ecclesiae cui erat addictus.-75.

Quaeritur 15. Quibus casibus liceat Episcopis ad Religionem transire?

R. Justae causae ut Episcopus possit Ecclesiae suae renuntiare sunt. 1. Ob defectum proprium, scilicet, si sit simoniacus, irregularis vel indoctus, senex, infirmus. 2. Ob defectum subditorum, si in eis non possit proficere. 3. Ob scandalum aliorum, non vero si scandalum oriatur ex malitia aliquorum volentium justitiam conculcare.-76.

Quaeritur 16. An et quomodo aliquis a Deo vocatus ad Religionem peccet, si vocationem suam negligat adimplere?

R. Negligere vocationem religiosam per se non est peccatum; Divina enim consilia per se non obligant ad culpam. Id tamen, ratione periculi aeternae salutis, cui vocatus se committit, electionem status faciens non juxta Divinum beneplacitum, non potest ab aliqua culpa excusari. Et quidem, si quis crederet, quod in saeculo manens damnationem incurreret, tum ob suam fragilitatem quam inter saeculi occasiones expertus est, tum ob carentiam auxiliorum, quae in Religione haberet; non potest excusari a peccato gravi, cum in grave discrimen salutis suae se injiciat.

Quaeritur 17. An sit in malo statu conscientia eorum, qui certi moraliter jam facti de vocatione Dei ad Religionem, nituntur sibi suadere, manendo

in saeculo vel in illud redeundo, salutem suam aeque facile facere posse?

R. Non videtur dubitandum quod isti magno discrimini salutis se exponunt. Ratio, quia non habebunt congrua Gratiae auxilia, quae in Religione Deus ipsis praeparavit, et sic damnationem incurrent. Praeterea, si alter qui vocato ad religionem dissuadet ingressum vel suadet egressum, etiam sine vi aut fraude, peccat mortaliter, ut vidimus p. 267. *communiter* DD. docere, propter damnum grave quod vocatus inde patitur, nescio quomodo poterit excusari ille ipse, qui sibi tale damnum infert. Caeterum nolo in hoc puncto absolutum judicium proferre, Sapientibus illud remitto. Interim Deum instanter rogemus, ut ab hoc discrimine per suam Misericordiam nos prorsus avertat.-78.

ARTICULUS VI.

De Religiosis ejectis et fugitivis.

Religiosus a Religione expelli potest ob causas sequentes: 1. si in gravi vel pernicioso crimine existens, notorie incorrigibilis appareat. In quo tamen casu Moniales perpetuo potius carceri mancipandas, quam ejiciendas putat *Sanch.* 2. Si ob criminis infamiam, sine gravi Ordinis damno, tolerari nequeat. 3. Si in admissione reticuerit impedimentum vel essentiale, vel saltem admodum grave, v. g. lepram. *Diana* tamen docet jam ex declaratione *Urbani VIII* Professos e Religione, excepta Societate JESU, expelli non posse, nisi sint incorrigibiles: tales autem non censentur nisi unius anni jejunio et poenitentia in carcere sint probati.

Quaeritur 1. Ad quid teneatur ejectus?

R. Professus ex Religione ob culpam ejectus, manet Religiosus votisque adstrictus.-79.

Unde:

1. Ejectus per culpam, non omnino solutus est voto obedientiae, etsi ejus executio magna ex parte cesset: quia caret Superiore, a quo dirigatur; debet tamen illud servare in praeparatione animi, si recipiatur.-81.

2. Rerum, quas acquirit, usum et administrationem tantum sibi vendicare potest, non autem dominium.-80.(*a*).

3. A reliquis monasticis observantiis et regulis, ut ab Officio Divino, nisi sit in Sacris, a jejuniis, vigiliis, delectu ciborum et similibus liber est.

4. *Communis* et *probabilius* est, ejectum non tuto manere extra suum Ordinem, et teneri se corrigere et receptionem petere.-81.

5. Ejectus potest tuto in saeculo manere, si in Monasterio non recipiatur, nisi Religionem laxiorem inire malit; quia aliam non vovit, neque per ipsum, ut suppono, jam stat quominus in sua recipiatur. Ita *Laym. etc.*

Quaeritur 2. An Praelati teneantur juste ejectos, sed emendatos denuo recipere?

R. Negant Sanch. etc. Sed *affirmant Nav. etc.* Utrique *probabiliter.*

Quaeritur 3. Ad quid teneantur Praelati Ordinum erga fugitivos et apostatas?

R. Eos requirere tenentur, si absque gravi Ordinis damno possint, et non omnino incorrigibiles videantur (*b*).

Quaeritur 4. An professus in uno Monasterio possit cogi ut se transferat in aliud?

R. Posse, si plures Monasteria faciunt unum corpus sub uno capite. Secus, si singula subsint suis Superioribus sub

(*a*) *Dominium est Monasterii-H. n.* 4. — (*b*) *Religiosus fugitivus tenetur tam ad vota quam ad regulam, deferre habitum, et quidquid acquirit, Monasterio acquirit.-H. n.* 4.

Episcopo vel immediate sub Papa. Ratio, quia non vovit obedientiam nisi in hoc Conventu. *Laym. etc.*-82.

CAPUT II.

DE STATU CLERICORUM.

Clerici generaliter dicuntur illi, qui Sacris Ordinibus vel prima saltem tonsura sunt initiati. Ad quorum statum cum multa pertineant, de quibus alibi tractandum, hic agemus de Beneficiis Ecclesiasticis. De Horis Canonicis. De habitu Clericorum. De Officiis, Artibus, actionibus ipsis prohibitis.

ARTICULUS I.

De Beneficiis Ecclesiasticis.

De natura et divisione Beneficiorum, et de modo ea acquirendi et conferendi. De intentione et qualitatibus ad Beneficium accipiendum, et de eorum pluralitate. De residentia. De modis Beneficia amittendi. De Pensione.

§. I. *De natura et divisione Beneficiorum, et de modo ea acquirendi et conferendi.*

I. Beneficium Ecclesiasticum est *jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiae, propter officium aliquod Spirituale, auctoritate Ecclesiae constitutum.*-83.

II. Beneficium dividitur 1. In Saeculare, quod pro Saecularibus; et Regulare, quod pro Regularibus est institutum. 2. In duplex et simplex.

Duplex dicitur, quod est cum administratione, ut Papatus, Episcopatus et omnia quae dicuntur dignitatis; hoc est, quae habent praeeminentiam, cum jurisdictione in foro externo, ut Praepositura, Decanatus, Archidiaconatus, Abbatia sive saecularis sive regularis, Prioratus claustralis. Item Personatus, qui est eminentia in Ecclesia sine jurisdictione. Item Beneficia, quae dicuntur Officia, habentque administrationem rerum ecclesiasticarum sine jurisdictione, ut Custos, Thesaurarius, Primicerius, Archipresbyter. Denique *duplicia* dicuntur Beneficia curata; haec enim omnia duplici onere et cura constricta censentur, cum praeter recitationem precum omnibus communem, habeant aliquam administrationem et eminentiam.

Simplicia dicuntur, quae tantum sunt instituta ad Officia Divina obeunda, neque administrationem vel eminentiam singularem habent, ut Canonicatus sive saeculares, sive regulares, Capellaniae.-84.

III. Beneficia Ecclesiastica uno ex tribus modis sequentibus communiter acquiruntur, nempe. 1. Per electionem aut confirmationem Superioris approbantis idoneitatem electi. 2. Per praesentationem Patroni praeviam, et institutionem subsecutam a Praelato ecclesiae factam, si praesentatus sit idoneus. 3. Per collationem liberam, quando Beneficium solo jure Praelati datur, nec Patronatus juri subest.-85.

Nota. In qualibet Dioecesi Episcopus est proprius collator Beneficiorum, nisi ex legitima praescriptione hoc jus alteri competat. Supremus autem et universalis collator omnium beneficiorum non patronatorum est Papa.-86.

Quaeritur 1. Quod et quotuplex sit jus Patronatus?

R. 1. Jus Patronatus est potestas praesentandi ad Beneficium Ecclesiasticum vacans. 2. Duplex est, scilicet jus Patronatus Ecclesiastici, et jus Patronatus laici.-87.

Quaeritur 2. An sit obligatio eligendi digniores ad beneficia?

R. 1. Certum est nullo modo excusari a peccato mortali eos, qui promovent minus dignos ad Episcopatus et Cardinalatus.-91. 2. Certum est quod Episcopi ad Beneficia curata pariter te-

nentur digniores eligere.-92. 3. *probabilius* et *communius* Episcopi mortaliter peccant eligentes minus dignos ad Beneficia simplicia, omissis dignioribus; quia utilitas Ecclesiae hoc postulat.-93.

Limitant tamen DD. et dicunt non esse peccatum mortale. 1. Si praetermittatur dignior non passim, sed semel vel bis. 2. Si excessus dignitatis sit parvus. 3. Si Beneficia sint parvi momenti. 4. Si ex lege fundationis debeat eligi aliquis de aliqua familia. 5. Si praevideatur dignior brevi dimissurus Beneficium.-96. Et recte inferunt *Salm.*, quod major dignitas eligendorum non accipienda est absolute, sed respective ad utilitatem Ecclesiae et fidelium. Caeteris autem paribus, dicunt *Salm.* censendum esse digniorem, 1. qui est senior. 2. Qui de suis bonis fundavit Ecclesiam. 3. Sacerdos in concursu non Sacerdotis. 4. Originarius respectu extranei. 5. Graduatus in aliqua scientia. 6. Qui praeditus est majori sanctitate aut prudentia, praeferendus est ei qui sola scientia praeeminet. 7. Potens et nobilis; quia haec solent non parum conducere ad Ecclesiae bonum. 8. Pauper praeferendus est diviti.-92.

Quaeritur 2. An Patroni teneantur sub mortali praesentare digniores ad beneficia?

R. Idem dicendum de Patronis ac de Episcopis.-97.

Quaeritur 4. An resignantes Beneficia debeant etiam digniores quaerere?

R. Affirmandum, si alias Ecclesiae damnum obveniret.-98.

Quaeritur 5. An electio digni in Beneficiis, omisso digniori, sit valida?

R. Si Beneficium est simplex, certum est valere ex *communi*. DD.-102. Si vero Beneficium est curatum, adhuc *probabilius* est collationem valere. 103.

Quaeritur 9. An ad Praelaturas Regulares eligendi sint etiam digniores?

R. Prima sententia negat. Sed *omnino affirmandum* cum *sententia communi;* quia eadem valet ratio in Praelatis regularibus, quam in Episcopis.-101.

Quaeritur 7. An obligatio eligendi digniores ad Beneficia curata, praesertim ad Episcopatus, ita urgeat, ut debeat Episcopus dignior ab una Ecclesia ad alteram maiorem transferri?

R. Vel translatio est vetita jure Divino vel humano. Si translatio est vetita tantum de jure Ecclesiastico, minor sufficit causa ad translationem, et adest obligatio eligendi Episcopum digniorem etiam ex iis qui aliis Ecclesiis praesunt. Si vero translatio sit vetita de jure Divino, ut *communis* et *longe probabilius* puto, nulla erit obligatio eligendi digniorem ex Episcopis, qui actualem curam habent suarum Ecclesiarum, et si Episcopus nolit transferri, ad id nequit Papa eum cogere, nisi interveniat causa urgens. Causae autem justae *communiter* a DD. censentur esse, nimirum magna utilitas Ecclesiae universalis vel particularis, quae ab alio haberi nequit; vel necessitas Episcopi, propter infirmitatem aut aeris malitiam; vel quia in sua dioecesi, ob plebis iniquitatem, aut ob aliam causam non potest bene suum munus exercere.-103.

Quaeritur 8. An qui eligunt ad Beneficia dignum, omisso digniore, teneantur restituere damnum illatum ipsi aut Ecclesiae?

R. Prima sententia docet eos teneri componsare damnum digniori omisso, et Ecclesiae. 106. - *Secunda* vero *non minus probabilis* docet electorem neque Ecclesiae, neque digniori teneri aliquid restituere. Secus vero si eligatur indignus. Utraque sententia est *valde probabilis*. Sed secunda mihi *probabilior* videtur; quia, ut diximus

in Tract. de Justit.. ubi *de poss. dubiae fidei n.* 927, nullus legitimus possessor sui ad restitutionem tenetur, qui pro se probabilem habet opinionem.-107.

Quaeritur 9. An quando Beneficia conferuntur per concursum, eligens dignum, omisso digniore, teneatur huic damnum restituere?

R. Prima sententia communis affirmat. Secunda tamen *negat* obligationem restitutionis. Ego non audeo recedere a prima sententia *communi et valde probabiliori;* sed hanc secundam nec etiam audeo dicere *improbabilem.*-109.

§. *II.-De Intentione, et qualitatibus requisitis ad Beneficium accipiendum, et de eorum pluralitate.*

I. Qui recepit Beneficium quodcumque habens annexum Ordinem Sacrum, tenetur habere voluntatem saltem conditionatam clericandi, et Sacrum Ordinem accipiendi intra tempus a jure requisitum.-113.

II. Ut Beneficium aliquod valide et licite obtineatur, requiritur, 1. Ut sit persona capax et habilis, hoc est, ut sit Clericus, non illegitimus, non irregularis, non excommunicatus, non improbus, aut facinorosus. 2. Ut habeat scientiam competentem ad munus Beneficio annexum. 3. Ut habeat aetatem legitimam, nisi dispensetur, scilicet, pro beneficio simplici annos quatuordecim; sufficit tamen quod annus quatuordecimus sit inchoatus; pro eo quod Subdiaconatum requirit, vigesimum primum; pro eo quod Diaconatum, vigesimum secundum; pro eo quod Sacerdotium, vigesimum quartum inchoatum.-112. (*a*).

III. Sententia *communis* et tenenda docet pluralitatem Beneficiorum sive duplicium, sive simplicium modo unum sufficiat ad congruam sustentationem, secundum se esse contra jus naturale; nec possunt plura Beneficia retineri etiam cum dispensatione Pontificis, sine peccato mortali; nisi adsit causa cohonestans.-117.

Quaeritur. Quae sunt causae cohonestantes pluralitatem Beneficiorum?

R. Ex communi DD. sententia, sunt sequentes : 1. Necessitas Ecclesiae, nempe, si desint alii ministri idonei. 2. Utilitas Ecclesiae, nempe, si unus solus licet absens, magis censetur profuturus sua auctoritate, doctrina et prudentia, quam alter sua praesentia. 3. Evidens meritorum praerogativa, scilicet, si aliquis praestaret doctrina, consilio, instructione aut scriptione.-118.

§. III.-*De Residentia*

Episcopi, Parochi et ii qui curam animarum habent, jure divino tenentur ad residentiam. Nec sufficit si per alios administrent, nisi majus bonum urgeat; et ita tenentur ad residentiam, ut si Episcopi intra annum ultra tres, et Parochi ultra duos menses absque legitima causa absint, mortaliter peccent, et fructus non faciant suos.

Sic Canonici, sive Praebendati Cathedralium sive Collegiatarum, tenentur ad residentiam, et si absint ultra tres menses, non faciunt fructus suos.-119.

Nota. Concilium *Trid.* monet Episcopos ne absint a suis ecclesiis Cathedralibus tempore Adventus, Quadragesimae, Nativitatis ac Resurrectionis Domini, nec non Pentecostes et festi corporis Christi.-122.

Quaeritur 1. An Parochus habens justam discedendi causam, possit per

(*a*) *Pro beneficio curato annum vigesimum quintum incoeptum. Pro Episcopatu denique, trigesimum completum.-H. n.* 42.

dictos duos menses abesse sine licentia Episcopi?

R. Prima sententia affirmat. Secunda tamen quam sequimur *negat.* Caeterum, licite poterit Parochus abesse per breve tempus sine licentia, si aliqua occurrat necessitas, quae moram non patiatur Episcopum adeundi, modo idoneum Vicarium relinquat; debet tamen certiorare Episcopum de suo discessu et causa, ut ille causam agnoscat, et licentiam saltem postea praebeat, nisi brevi fiat reditus. Item, ex parvitate materiae poterit Parochus excusari saltem a mortali, si discedat per modicum tempus, ut *communiter* dicunt DD., modo non relinquat infirmos in articulo mortis.

Quaeritur 2. Quantum sit hoc modicum tempus?

R. S. C. Concili sic declaravit: « Parochum non posse abesse absque licentia per hebdomadam, etiam relicto Vicario idoneo ab Ordinario approbato. » Verumtamen *communiter* admittunt *Holz. etc.* non peccare graviter Parochum qui abest sine licentia per sex vel septem dies, relicto tamen Vicario idoneo. Imo *Tournely etc.* id extendunt usque ad quindecim et triginta dies. Quidquid tamen sit de his, bene poterit Episcopus prohibere ne Parochi omnino discedant a suis Ecclesiis, esto nequeant eos obstringere per excommunicationem, ne per biduum quidem absint. - 123.

Quaeritur 3. Quo in loco Beneficiarii teneantur residere?

R. Papa tenetur residere Romae, prout etiam Cardinales. Episcopos autem alii dicunt teneri ad residendum in sua Cathedrali, nec satis esse si resideant in Dioecesi. Alii tamen *verius* dicunt posse residere Episcopum in quocumque loco suae Dioecesis, et de hoc videtur non posse dubitari, cum in Tridentino expresse dicantur Episcopi « obligari ad personalem in sua » Ecclesia, vel Dioecesi residentiam. » Parochi autem debent habitare in domo suae Ecclesiae, si ibi adest; si vero non adest, debent residere in alia domo quae sit intra limites Parochiae, saltem moraliter, nempe, quae sit ita propinqua Ecclesiae Parochiali, ut commode possit ei inservire, et quo Parochiani facile queant ad ipsum recurrere pro Sacramentis suscipiendis. Hinc recte dicunt *Bon. etc.* nequaquam residentem censeri Parochum, qui habitaret procul a sua Ecclesia per tria aut quatuor milliaria; imo etiam per duo, ut non irrationabiliter sentit *Croix*, qui addit non satis residere Parochum, etiamsi habitet intra fines Parochiae, si oves non facile ad eum accedere possint. Porochus vero qui haberet duas Parochias perpetuo unitas, quarum nulla sit dignior aut frequentior aut existens in civitate, hic poterit habitare in ea qua velit. - 124.

Quaeritur 4. Quae sunt causae excusantes Episcopos et Parochos a residentia?

R. Quatuor a *Tridentino* assignantur causae, nempe, Christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, evidens Ecclesiae aut Reipub. utilitas. - 125. Causae autem excusantes Canonicos ab assistentia Chori, tres sunt, ut constituit *Bonifacius VII*, nempe, infirmitas, rationabilis corpori necessitas, evidens Ecclesiae utilitas. - 130.

§. V. - *De modis Beneficia amittendi.*

Beneficia quatuor modis amittuntur: Per mortem Beneficiati; ex dispositione juris; per sententiam judicis; per liberam resignationem. - 133.

Quaeritur 1. Quid sit resignatio?

R. Est spontanea proprii Beneficii dimissio, facta coram legitimo Superiore id acceptante. Est duplex, scilicet tacita, quae fit ex juris dispositione: ut dum quis Religionem profitetur, et expressa, quae etiam est

duplex, *pura*, id est, sine conditione, et *conditionata*, seu in favorem. Et haec vel est *simplex* in favorem, sine reservatione; vel est *qualificata*, id est, cum reservatione juris regressus, vel pensionis.

Quaeritur 2. Quid sit permutatio?

R. Est quaedam species conditionalis resignationis; et fit, cum duo Beneficiati unum vel plura sua Beneficia Pontifici non reservata, in manus Ordinarii alteriusve Episcopali auctoritate praediti resignant, cum conditione ut postea vicissim alteri alterius Beneficium conferat. Quod quandoque Episcopus instituere potest, si necessitas ita exigat; vocatis tamen iis quorum interest, scilicet patrono et Collatore inferiore.-Ad hanc autem omnia requiruntur, quae ad resignationem *in favorem*.-136.

Quaeritur 3. Quaenam sint conditiones necessariae ut valida sit resignatio conditionata, uti et permutatio?

R. Requiruntur novem conditiones: 1. Ut Beneficium sit resignantis. 2. Ut fiat libere. 3. Ut fiat in manibus ejus qui potest admittere, scilicet Pontificis, Ordinarii, Collatoris vel institutoris. 4. Ut acceptetur a Praelato, in cujus manibus fit. 5. Ut conferatur illi, in cujus favorem cum clausula consueta, non *aliter*, *nec alias*, est resignatum. 6. Ut is cui confertur acceptet. 7. Consensus patroni vel electorum, prout Beneficium est patronatum vel electivum. 8. Si resignans sit infirmus, ut a resignatione supervivat viginti dies. 9. Ut, si resignatio fiat in Curia Romana, intra sex menses a supplicatione oblata computandos, in loco Beneficii publicetur: sin autem extra Curiam, infra mensem.-135.

§. VI.-*De Pensione.*

Pensio est jus percipiendi fructus ex alieno Beneficio.

Pensio triplex est. Temporalis, Spiritualis et Media, etc. Vide *Auctorem*.-137, et seq.

ARTICULUS II.

De Horis Canonicis.

De Obligatione Horas recitandi. De gravitate hujus Obligationis. De Causis excusantibus a recitatione Horarum. De modo Horas recitandi.

§. 1.-*De Obligatione Horas recitandi.*

Obligantur ad Horas: 1. Clerici Majorum Ordinum etiam suspensi, excommunicati, degradati, et hoc tum jure Ecclesiastico, tum generali consuetudine Ecclesiae.-140. 2. Omnes Religiosi professi ad chorum destinati, utriusque sexus, ex antiqua et recepta consuetudine: et hoc quotidie sub gravi, etiam private juxta *communem* sententiam. Concedunt tamen *communiter* DD. 1. quod Praelati etiam inferiores, possint ex causa, puta studiorum et simili, dispensare sicut in aliis observantiis, cum suis subditis, ut non recitent officium. 2. Concedunt etiam quod si in aliqua Religione constaret non esse talem consuetudinem, talis obligatio in illa non esset.-142. 3. Beneficiati, quotquot habent jus in re, et plenum dominium Beneficii, si fructus percipiant, vel percepturi sint; quia Beneficium datur propter Officium.-144.

Quaeritur 1. A quo tempore incipit obligari Clericus ad recitationem Horarum?

R. A puncto Subdiaconatus suscepti; et quidem ad Horas recitandas respondentes horae, qua ordinatur.

Quaeritur 2. An Subdiaconus qui recitavit partem illam ante Ordinationem, suae obligationi satisfecerit.

R. Negant Tournely etc. Affirmant vero *Tamb. etc.* Prima sententia vi-

detur *probabilior*; sed adhuc *probabilem* puto secundam; quia bene potest debitum illud anticip atesolvi, quod certe moraliter est contrahendum - 140.

Quaeritur 3. An Religiosi ejecti per sententiam, profugi, ad triremes damnati, teneantur ad Officium?

R. 1. Quoad Religiosos ejectos, *affirmant Cabass. etc.* Sed *non improbabiliter negant Sanch. etc.* 2. Quoad profugos, *negat Bon.*; sed melius *Less. etc.* docent eos teneri. 3. Quoad ad triremes damnatos, *affirmat Laym.*, sed *communius negat Cabass.* Sed tenentur vero in carcere detenti et omnes alii ex licentia extra claustra degentes. - 142.

Quaeritur 4. An peccet graviter Religiosus non recitans in choro?

R. Negative, modo tamen chorus non tollatur, ad quem requiruntur saltem quatuor expediti.

Quaeritur 5. An graviter peccent Praelati qui negligentia permittunt, ut omittatur recitari pars notabilis in choro?

R. Affirmatur; et Episcopi tenentur invigilare ut officium a Canonicis in choro persolvatur, et rite. Caeterum, per se loquendo, non tenentur quidem ipsi Episcopi choro interesse ne festis quidem diebus; tum quia haec est consuetudo, tum quia ipsi gravioribus negotiis vacare debent.

Quaeritur 6. An teneantur officio obligati, supplere omissa in choro, ob functiones chori, v. gr. pulsando campanas etc.?

R. Non tenentur omissa supplere; quia per socios suppletur quod ipsi non satis percipiunt. Haec sententia est *satis probabilis*. Sic *probabiliter* satisfacit, qui dum alii recitant, tussit vel excreat, etiamsi integer psalmus interim dicatur. Item *probabiliter Sanch. etc.* excusant eum, qui in choro perlegit lectionem, ne erret, alioquin erraturus; haec enim causa satis excusat ab illa levi omissione. - 143.

Quaeritur 7. An qui per metum injuste incussum Ordinem Sacrum suscepit, teneatur officium recitare?

R. Affirmant Conc. etc. Sed *probabilius negant Tourn., Suar., Sanch., etc.*; quia Ecclesia non censetur tales ad onus officii velle obligare. - 144.

§. II. - *De gravitate Obligationis officii recitandi.*

Obligatio officium recitandi est tanta, ut peccet mortaliter quisquis habens hoc onus, Horas vel notabilem earum partem omittit. Ita *communiter* omnes. *Verius* autem est hanc obligationem magis provenire ex recepta consuetudine, quam ex jure positivo. - 146.

Quaeritur 1. Quaenam sit parva materia in omissione officii?

R. *Azor., Nav., etc.*, tenent peccare mortaliter qui omittit dimidiam, vel, ut alii dicunt, tertiam partem Horae etiam parvae, quia talis pars respectu illius Horae jam est notabilis materia. Sed *probabilius* id *negant Less., Bon., Suar., etc.* Ratio, quia licet illa pars sit notabilis respectu horae parvae, est tamen levis in se et respectu totius Officii; unde circa gravitatem materiae, totius officii quantitas respicienda est, non autem cujuslibet Horae. *Verius* enim est praeceptum officii non esse septuplex ex septem Horis dicendis, sed unum praecipiens unicum officium constans septem partibus. Propter quod *Pal. etc. probabiliter* dicunt esse levem materiam omittere minus quam integram Horam parvam. Tenendum tamen peccare graviter qui omittit unum nocturnum integrum. *Concina* putat etiam esse gravem materiam omittere tres lectiones cum responsoriis; sed *probabiliter* huic contradicunt *Sanch. etc.*, intellige, si lectiones

cum responsoriis sint tales, ut parvam Horam non adaequent. Unde bene concludunt *Sanch. etc.*, illam universim censeri parvam materiam quae non pertingit ad quantitatem unius integrae Horae. - 147.

Quaeritur 2. Quot peccata committat, qui totum omittit officium?

R. Alii dicunt committere septem peccata: quia pro singulis Horis diversum adest praeceptum. Sed *verius* dicendum unum tantum peccatum committere. Ita *communiter Less. etc.* Bene tamen advertit *Elbel*, quod si quis omitteret plures Horas ex intentionibus moraliter interruptis, tunc plura committeret peccata. - 148.

Quaeritur 3. Utrum, si quis dubitat an aliquid omiserit de officio, teneatur id recitare?

R. Scrupulosi non sunt obligandi ad repetendum, quia in his, ut plurimum, dubia non sunt vera dubia, sed inanes apprehensiones. Quoad alios vero, distinguendum: si dubium est mere negativum, utique tenentur, quia in dubio possessio stat pro praecepto. Si vero dubium est positivum, ita ut *probabiliter* judices dixisse, non teneris repetere, prout docent *communissime Pal., Sanch., Tourn., etc.* Unde docent *Sanch., Nav., Croix, Az., etc.*, quod bene excusaris a repetendo, si non memineris dixisse aliquid, et habeas justam conjecturam credendi quod dixeris; puta, si recorderis te incoepisse Psalmum, Lectionem vel Horam, si postea non data opera distractus vel non interruptus te invenias in fine Horae, legendo vel memoriter recitando ea in quibus ordinarie non soles errare. Et hoc locum habere dicunt *Gobat*, et *Tamb.*, etiamsi habeas rationem probabilem omissionis; quia praesumptio quod soles perficere quod incoepisti, efficit ut nihil tenearis repetere, nisi sis moraliter certus quod non dixeris. Si vero dubites an totam Horam dixeris vel non, censent *Salm.* quod si saepius tali dubio labores, non teneris repetere; quia tunc facile praesumitur tale dubium oriri a scrupulis; secus, si raro. Caeterum bene ait *Croix*, quod si ordinarie non soleas dicere Horam posteriorem nisi post priorem, prudenter potes credere te nihil omisisse. - 150.

§. III. *De causis a recitatione Horarum excusantibus.*

Quinque sunt causae a recitatione Horarum excusantes, nempe infirmitas gravi, justum impedimentum, caecitas, carentia breviarii inculpata, dispensatio.

Unde:

1. Excusantur ab officio non solum qui gravi laborant morbo, sed etiam qui non possunt recitare nisi cum gravi incommodo, aut probabili talis incommodi periculo.

2. Non solum actu aegrotantes, sed etiam convalescentes ex gravi morbo, per aliquot dies ad arbitrium prudentis, donec vires reficiantur. Ita *communiter Tourn., Conc., etc.*

3. In dubio an infirmitas sufficiat vel ne ad excusandum, potest aegrotans se committere judicio Medici aut judicio Superioris acquiescere, qui in tali dubio etiam dispensare potest; vel denique potest se remittere judicio probabili viri prudentis, et etiam stare potest judicio proprio, si tale judicium ipsemet prudenter ferre possit.

4. Si, his praemissis, adhuc dubium perseverat, et timetur ne recitatio graviter laedat; tunc certe non tenetur, imo nequit recitare, quia praeferendum est jus naturale servandae valetudinis praecepto Ecclesiae, nisi id faceret amore virtutis, secluso periculo mortis, juxta dicta *in Tract. de quinto Praecept., n.* 371. Si vero dubium tamen sit an indispositio pertingat ad excusandum; tunc, cum lex recitationis

possideat, et dubium est de exemptione, utique lex est adimplenda. Hoc tamen currit quando est purum dubium. Secus, si sit probabile judicium.

5. Si quis ob suam infirmitatem certus est non posse totum officium recitare, et dubitat an possit partem, *probabiliter* ad nihil tenetur. *Laym., Sanch., Nav., etc.* Nam rationabiliter a toto officio excusatur, ne valde scrupulis angatur, nesciens quousque possit et teneatur recitare, haec enim anxietas magnum illi incommodum afferret; maxime, si ex recitatione verisimiliter crederet capitis gravitatem, virium lassitudinem aut tardiorem febris remissionem. - 154.

6. Qui non potest solus recitare, tenetur adhibere socium gratuitum, si potest sine incommodo magno, ut *verius* censent *Sanch. etc.* Dico *gratuitum*, quia non tenetur socium adhibere stipendio soluto. *Salm.,Bon.,etc.* - 158.

7. Excusantur a recitatione Concionatores, si nequeunt omittere concionem sine scandalo aut nota. *Laym., Salm., etc.*

8. Confessarii qui per totum diem Confessiones excipiunt, quas differre non possint. *Conc., Laym., etc.*

9. Qui occupantur in sedandis jurgiis aut assistendis infirmis.

Bene autem advertunt *Laym., Ronc., etc.*, quod si omnes isti sine magna difficultate possint recitationem anticipare vel postponere, ad id utique tenentur; unde bene concludit *P. Wigandt* quod rarissime accidit casus, quo tales officium sine culpa omittere poterunt. - 156.

10. Qui caret Breviario et nihil scit memoriter, excusatur.

11. Qui vero memoriter potest dicere vel totum officium vel unam Horam, aut Laudes vel Completorium, ad illud sub gravi tenetur. - 157.

12. Qui haberet Psalmos, sed non lectiones Matutini, tenetur Psalmos dicere.

13. Si potes recitare quantum est parva Hora, teneris sub gravi eam dicere; si vero minus, ne sub veniali quidem aliquid recitare obligaris.

14. Si haberes officium commune et non proprium illius diei, teneris ex communi Horas recitare, ut *verius* sentit *Croix.*

15. Si careres Breviario Romano, et haberes aliud, puta Benedictinum, teneris ex illo recitare. Ita tenent *Conc.etc.*, et haec est sententia magis pia, rationabilis et sequenda. Contra *Salm.* - 158.

16. Quoad dispensationem, valida est si detur a Summo Pontifice etiam sine causa; *probabilius* enim est, quod onus officii est tantum de praecepto Ecclesiastico.

17. Episcopus tamen non potest dispensare nisi cum causa et cum aliquo particulari, nec non ad breve tempus.

18. Causa autem dispensandi est, si dubitatur de morali impotentia Clerici.

19. Dicit *Gobatus* idem posse Vicarium Generalem; sed hoc intelligendum, si habeat speciale mandatum ab Episcopo, ut dictum est in *Tract. de Praec. Eccles.*, n. 1032. - 159.

Quaeritur 1. An excusentur ob Officio laborantes febri tertiana, vel quartana?

R. Absolute excusat *Leander.* Sed *verius* dicunt *Spor., Conc., etc.* in hoc spectandas esse circumstantias. Quando enim infirmus posset recitare sine gravi incommodo diebus, quibus est immunis ab infirmitate, non apparet causa cur excusetur.

Quaeritur 2. An talis infirmus teneatur Horas anticipare vel postponere?

R. Negant Canus, etc. Sed *melius affirmant Conc., Tournely, Less. etc.* Ratio, quia officium praecipitur recitari intra latitudinem totius diei. Hinc

merito contrariam opinionem laxam vocant *Salm.*

Verumtamen *valde probabile est* quod ille qui non potest recitare Matutinum diei sequentis, non tenetur in praecedenti anticipare; tunc enim est obligatio anticipandi Officium, quando obligatio praecepti jam est incepta; quod autem Matutinum possit dici praecedenti die, non est ex praecepto, sed ex privilegio a consuetudine introducto, quo nemo tenetur uti. - 155.

§. IV. - *De modo Horas recitandi.*

In recitatione Horarum sequentes circumstantiae sunt servandae :

1. Ut recitentur juxta *praescriptum Breviarii Romani*, jussu *Pii V* editi, saltem publice.

II. *Pronuntiatio vocalis exterior.* Haec circumstantia est de substantia praecepti.

Unde :

1. Si cum socio legis, quod recte fit, et est conforme primae institutioni Ecclesiae, ac publico orandi ritui; estque licitum, etiamsi ad Horas socius non obligetur, nec interius attendat, ea pronuntiatio adhibenda est, ut ab eo udiri possis, eumque audire vicissim.

Sa tamen putat satisfieri, etsi quaedam non percipias quae a socio dicuntur; neque ideo aliquid scrupulose repetendum esse.

2. Si plures duobus recitent Officium simul, non debet unus unum, alter alterum, tertius tertium versum recitare, sed alternatim, facto duplici tantum choro, sive plures sint ex una parte, sive pauciores; quia sic habet usus et praxis Ecclesiae : secus est de lectionibus, quarum primus primam, secundus secundam, tertius tertiam recitat; imo consuetudo permittit ut omnes ab uno recitentur, aliis audientibus, et *communis* est sententia bene satisfacere qui audit a socio Lectiones, Responsoria, Capitula, Orationes et Antiphonas.

3. Et *Probabiliter* sentiunt *Pal. etc.*, adhuc satisfacere eum, qui solus dicit Psalmos, et Lectiones audit; vel qui partem Psalmorum dicit solus, et partem cum socio, quia satis communicat in ea parte quam audit, et cui ex recepto usu jam satisfit per auditum. - 162.

III. *Pronuntiatio integra.*

Pronuntiatio debet esse sine syncope, et abbreviatione verborum et syllabarum, absque praecipitantia. Ex hoc tamen defectu in publico facilius peccari potest mortaliter, ratione scandali, et severioris praecepti Ecclesiae, quam in privato. - 164.

Unde :

1. Peccas tantum venialiter, si syllabas ita mutiles vel syncopes, ut verborum sensus non corrumpatur, vel si mutiles in parva quantitate.

2. Imo nullo modo peccas si hoc facias involuntarie ob inadvertentiam vel balbutiem vel inveteratam consuetudinem, quae difficulter vinci possit.

3. E converso, non excusaris a mortali, si mutilatio esset magna, et sensus notabiliter variaretur. Ita *communiter Less.*, *Laym.*, *Spor.*, *etc.*, quo casu teneris utique compensare partem, in qua sensus est corruptus, recitando quantitatem aequivalentem. Et hoc etiamsi involuntarie hoc feceris. Caeterum *probabiliter* dicunt *communissime Palus. Spor.*, *Anacl. etc.*, quod satis imples obligationem Officii, etiamsi verba notabiliter mutiles, quando servatur aliqua significatio verborum.

4. Hinc *probabile* est, quod nec teneris repetere, si recites cum socio qui obtruncat syllabas; sed ita ut sensus notabiliter non mutetur, ut ait *Viva*, qui bene addit te non teneri ad repetendum, nisi tibi constet socium notabilem partem omisisse,

quia praesumptio stat pro debita recitatione. Putarem tamen te non excusari a veniali, si ultro recitas cum tali socio mutilante, nisi adsit aliqua causa, nimirum, si inviteris a Superiore vel persona valde gravi, aut simili causa.

5. Certum autem est non satisfacere eos qui alternatim recitando, non expectant versus absolvi, si hoc fiat in magna quantitate. - 165.

IV. *Pronuntiatio continuata unius Horae:* si autem interruptio notabili tempore sine causa fiat, erit veniale tantum, ut ajunt *Fern.*, *Laym.*, et *Less.*, quia singuli psalmi suam completam significationem habent. - 165.

V. *Ne intervertatur Ordo Horarum absque justa causa.* - 169.

VI. *Ut, nisi justa causa excuset, dicantur tempore praefixo a jure, vel consuetudine.* - 172.

VII. *Ut devote, et cum attentione saltem virtuali recitentur.* - 175.

Attentio potest esse externa et interna.

1. Attentio *externa* habetur, cum non ponitur actio incompossibilis cum attentione interiori, ut esset fabulari, scribere, attente audire alios loquentes etc. Ambulare autem, se lavare, colligere herbas, flores, instruere focum, sternere lectum, pectere caput, respicere collem, flumen etc., hae sunt actiones satis compatibiles cum attentione interna. Ita *communiter Bonav.*, *Suar. etc.* Recte advertit *Bon.*, quod aliquae actiones respectu alicujus forte sunt distractivae, respectu alterius non sunt. Communiter autem permittitur, inter recitandum, facere necessaria ad ipsam recitationem, perquirere Psalmos, Lectiones etc., dum recitas memoriter, *Croix etc.* Si quis autem vexetur a somno, sed adeo resistit, ut pronuntiet suam partem, et distincte audiat versiculos alterius partis, bene satisfacit. *Sanch. etc.;* ait tamen *Sanch.* non excusari a veniali: modo, intelligendum, possit recitationem differre ad tempus opportunius. Non excusatur tamen saltem a culpa veniali, qui sine aliqua necessitate officium diceret in loco distractioni exposito, ut in foro, platea. Ita *Bon. etc. communiter.* Imo addit *Bon.* cum *Nav. etc.* hunc se exponere periculo non satisfaciendi praecepto; nisi, adderem, is magno conatu mentem applicet ad recitationem.

2. Attentio autem *interna* habetur, cum attenditur ad verba, ad sensum et ad Deum. Attentio *ad Deum* est quidem omnibus perfectior, nimirum, cum mens elevatur ad Deum, meditando v. g. Divinam Bonitatem, Justitiam etc.; aut Mysteria Passionis etc.; sicut etiam gesta B. V. Mariae aut Sanctorum; quia haec proximam habent relationem ad Deum. Attentio *ad sensum* habetur, cum attenditur ad percipiendam intelligentiam verborum. Attentio tandem *ad verba* est, cum attenditur ad recte illa proferenda, ne error fiat mutilando, transponendo etc. Et haec, licet sit omnibus inferior, tamen bene sufficit. *Less. etc. communiter.* Recte dicit *Croix* non requiri attentionem ad singula verba, sed sufficere moralem et generalem, qua quis curet bene omnia dicere cum intentione orandi. - 176.

Quaeritur 1. An omnes teneantur uti Breviario jussu *Pii V* edito?

R. Non tenentur 1. Religiosi qui habent peculiare Breviarium Ordinis. 2. Ecclesiae, quae ducentis annis ante institutionem Breviarii per *Pium V* peculiare habuerunt: eae enim sine consensu Episcopi illud mutare non possunt. Privatim tamen omnibus etiam Regularibus *probabile* est licere ex consuetudine uti Romano. Adde, quod qui eo utitur, ne in choro quidem obligetur ad Psalmos poenitentiales, Graduales, officium defunctorum, ex-

cepto die solemni defunctorum, ut *verius* cum *sententia communi*, ex consuetudine universe recepta. Officium tamen Beatae Mariae in choro recitari debet, ubi est consuetudo. - 160.

Quaeritur 2. An sit peccatum mortale officium diei in aliud brevius permutare?

R. Ante omnia, notanda est propositio 36. damnata ab *Alex. VIII*, quae dicebat : « In die Palmarum, » recitans officium Paschale satisfacit » praecepto. » Et sic pariter excluditur officium Pentecostes, ut bene aiunt *Salm.* et alii *communiter*. E converso qui ex inadvertentia dicit unum officium pro alio, nihil tenetur repetere, *ut communiter* docent *Bus.*, *Less.*, *Anacl. etc.*, quia non praesumitur Ecclesia velle aliquem uno die bis ad tantum onus obligari. Dicit autem *Laym.* consilium esse, non vero obligationem subjungere propria officii omissi. Imo rationabiliter advertit *Tournely* cum *Laym.*, *Bon. etc.* quod si dictum fuerit officium notabiliter brevius, puta officium Sancti loco Dominicae, debet fieri compensatio, recitando novem psalmos ex primo nocturno.

Circa vero quaesitum, quatuor sunt sententiae. *Prima absolute negat* esse peccatum mortale, hancque tenent *Less.*, *Caj.*; *Sylv. etc.* Ratio, quia ad adimplendum praeceptum officii, sufficit ut in substantia impleatur, idque fit cum septem Horae dicuntur. *Secunda sententia*, quam tenent *Bon.*, *Suar. etc.* docet non peccare graviter, qui mutat officium in aequale vel fere aequale. Ratio, quia forma reipsa servatur, si per aequivalens id fiat. Dicitur *non peccare graviter*; nam mutans officium adhuc in aequale, sine causa, nequit excusari a veniali. Causa autem excusans potest esse, v. g. necessitas studendi, concionandi, docendi, itinerandi etc. *Tertia sententia*, quam tenent *Palaus*, *Conc.*, *Tourn. etc.*, docet esse mortale officium mutare, etiam in aequale, etsi semel. Ratio quia *S. Pius V*, in sua Bulla *a nobis*, praecipit officium recitandum in specie, et in individuo sub forma unicuique diei assignata. *Quarta* demum *sententia*, quam tenent *Spor.*, *Ronc.*, *Viva etc.* docet peccare graviter qui frequenter officium mutat; venialiter vero qui mutat raro, puta ter vel quater in anno, modo mutatio non fiat in officium notabiliter brevius, atque sine causa, nam ex aliqua rationabili causa, nempe studii, itineris, infirmae valetudinis, magnae defatigationis, vel specialis devotionis erga aliquem Sanctum, nec etiam erit veniale. Prima sententia vix sustineri potest. Secunda et tertia *satis probabiles* videntur. Quartam *aequiorem* puto.

Nota. Juxta omnes praefatas sententias, *probabiliter* excusant a mutatione officii, sequentes causae : 1. Si alio pergis, potes recitare officium illius loci, nisi sis Religiosus juxta *Holzm. etc.*, quia teneris ad Breviarium tui Ordinis ex vi professionis. *Probabiliter* tamen dicit *Croix* cum *Suar. etc.*, quod si sis alicubi tanquam advena, potes recitare officia tuae patriae. Additque *Gobat.*, quod si mutes domicilium, potes compensare officia omissa in priori loco. 2. Capellanus Episcopi potest illi se conformare in officio. Idem dicitur de Capellano Monialium, qui cum possit legere Missam de Sancto Ordinis, ita etiam potest de eo dicere officium; Rubrica enim monet officium cum Missa concordandum. Idem *probabiliter* dicit *Laym.* de eo qui obit exercitia apud Religiosos. 3. Beneficiatus potest recitare sub ritu primae classis cum Octava officium sui Tituli : Beneficiarius autem, qui habet duo Beneficia, debet recitare officium loci ubi resi-

det. 4. Si recites cum socio, cujus ritui potes te conformare ex causa, ut dicunt alii et etiam sine causa, ut sentiunt *Viva*, *Ronc. etc.* Et hoc *satis probabile* mihi videtur, modo officium permutetur in aequale vel quasi; juxta enim secundam sententiam circa permutationem officii, quam supra *probabilem* diximus, quaelibet rationabilis causa sufficit ad mutandum officium in aequale; satis autem rationabilis causa hic ipsa societas videtur, dum *Clemens Rom.* admonet fideles ut saltem duo vel tres orent, juxta illud Matth. 18.: *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.*

Quaeritur 3. An possis te conformare cum Clerico privilegiato in officio breviori?

R. Absolute negat P. Conc.; et sic censeo.

Quaeritur 4. An qui hodie ex errore recitavit de Sancto, omisso proprio illius diei, possit alia die de officio praetermisso recitare?

R. Dicunt *Pell. etc.* melius facere se conformando cum communi ritu Ecclesiae, sed *probabiliter* posse etiam recitare de officio omisso. Attamen *Lugo etc.* tenent omnino recitandum officium diei currentis. Haec quidem sententia est *probabilior*, sed prima non videtur *improbabilis*. Si autem advertas errasse postquam multum processeris in officio indebito, puta, si dixeris Matutinum, tunc potes vel prosequi, vel reliquum recitare de officio debito. Sed puto melius esse recitare de proprio, ne errorem prosequaris. Si vero oblitus es aliquam partem Horae, sufficit illam recitare, quin aliud repetas, ut recte dicunt *Croix.*, *Nav.*, *Vasq. etc.* Secus tamen *probabilius* censent *Armilla etc.* totam Horam esse repetendam, si omiseris partem notabilem ex culpa; quia est obligatio, saltem sub levi, ut orationem continuatam secundum ritum praescriptum facias; sed *vide n.* 168.

Quaeritur 5. An sit obligatio sub gravi recitandi Litanias in diebus *S. Marci*, et Rogationum?

R. Prima sententia communior affirmat. Secunda vero *sententia negat.* Hanc secundam sententiam *improbabilem* dicere non audeo; sed prima mihi magis arridet, quia ut asserunt *Tourn. etc.* ubique viget consuetudo recitandi Litanias, quae est optima legum interpres. - 161.

Quaeritur 6. An recitans officium debeat se audire, ut satisfaciat?

R. Affirmant Pal., Suar. etc., quia ut oratio sit vocalis, debet voce proferri; verba autem quae tantum inter dentes modulantur, non sunt vox, sed potius inchoatio vocis. Sed *satis probabiliter* dicunt satisfacere *Laym.*, *Az.*, *Tourn. etc.*, quia ad satisfaciendum Horis non praecipitur auditio, sed tantum recitatio sive pronuntiatio verborum, quae dicitur vocalis; ut autem pronuntiatio haec vocalis dicatur, sufficit quod formetur aliquis sonitus verborum, licet modicus et vix sensibilis sit. Hic autem levis sonitus, quando verba proferuntur, ut bene ait *Sylv.*, ex eo semper fit, cum prolatio non possit fieri, quin per linguam et labia fiat aeris compressio, ex qua necessario aliqualis sonitus formatur. Per accidens vero se habet quod sonitus ille audiatur vel non.

Quaeritur 7. An satisfaciant Choro, qui submisse recitant Psalmos alteram partem audiendo?

R. Loquendo de Choro in generali, *probabiliter* satisfaciunt, quia non requiritur ut recitantes in uno Choro audiant voces omnium recitantium in altero, cum una pars unum corpus cum altera constituat, et invicem communicent. Secus vero dicendum de

Canonicis, qui, si non canunt, amittunt tam distributiones, quam fructus praebendae.

Quaeritur 8. An si recites officium in Choro, vel cum sociis, tenearis repetere ea quae non satis percipis?

R. Communiter omnes dicunt, quod si propter strepitum aliorum non audis, bene satisfacis officio. Si autem non audis propter culpam Chori vel socii, *prima sententia negat.* Ratio, quia audiens non potest communicare in iis quae non percipit. *Secunda sententia* vero *affirmat*, si attendis quantum potes. Haec opinio videtur *satis probabilis.* Certum autem est quod non oportet in Choro audire omnes, sed sufficit unum audire, et sufficit audire in confuso saltem partem alterius Chori, licet distincte nequeas audire Sic pariter est certum quod si in Choro omittas aliquod dicere verbum (intellige non ultro), non peccas, Chorus enim supplet.

Quaeritur 9. An satisfaciat officio surdus, qui ex obligatione Choro assistit, et suam recitat partem?

R. Affirmant Suar., Escob., Conc. etc. Magis tamen mihi placet sententia opposita cum *Palao, Sanch. etc.*, qui dicunt surdum teneri repetere non audita, vel submisse dicere partem alterius Chori. Secus vero dicunt *Salm. etc.* de surdastro, qui potest aliquoties audire, et praestat attentionem quam potest. Et hoc *probabile* est, saltem si advertat in Breviario quae in confuso audit, ita ut bene percipiat quae dicuntur. - 163.

Quaeritur 10. An Matutinum potest a Laudibus separari sine causa?

R. Commune est quod possit separari sine ulla causa. Sed cum separantur debet adjici *Pater noster*. Rubrica enim praecipit dici *Pater* post quamcumque Horam, quando terminatur officium.

Quaeritur 11. An addenda sit etiam oratio?

R. Affirmant Nav. etc. Negant vero etiam *probabiliter Salm. etc.*

Quaeritur 12. An possint Nocturni invicem separari?

R. Negant Thomassin. etc. Sed *affirmat probabilius Bus. Bon. etc.* saltem si quilibet Nocturnus non distet ab alio plusquam tribus horis, juxta ritum antiquum. Ita etiam *D. Thom. etc. Tournely* ait tutius esse oppositum, sed non reprehendendos, qui ob justam necessitatem dividunt. Nocturnos. - 167.

Quaeritur 13. An, si in eadem Hora, vel Psalmo magna fiat interruptio, tota Hora sit repetenda?

R. Affirmant Vasq., Nav., Suar. etc. Negant vero *communius* et *probabilius Palaus, Bon., Less., Laym. etc.* Ratio, quia singuli Psalmi, et singuli versus completam habent significationem, et satis uniuntur vel per intentionem continuandi vel per ipsam recitationem adjunctam. Haec tamen interruptio inducit veniale; nisi aliqua excuset causa. Hinc dicunt *Tamb., Cob. etc.* posse eum qui hodie incoepit Matutinum, illud complere in crastino sino peccato gravi, etsi differat sine causa.

Quaeritur 14. Quaenam sint causae justae interrumpendi officium?

R. Causae justae interrumpendi officium sunt sequentes: 1. Quaelibet utilitas propria vel aliena, quae incommode differretur. 2. Urbanitas aut devotio, ut dicere Missam, exequi mandata Superiorum etc. 3. Si excipias Confessionem alicujus, qui non libenter expectaret. 4. Si velis aliquid agere aut notare, ut tollas distractionem sive sollecitudinem ne obliviscaris, modo hoc non fiat frequenter. 5. Licite etiam potest intermitti aliqua brevis oratio inter orandum vel affectus. - 168.

Quaeritur 15. Quodnam est peccatum, ordinem Horarum invertere sine justa causa?

R. Communis sententia est quod

inversio ordinis non est peccatum mortale; ordo enim officii non cadit sub praecepto. Quod si autem per inadvertentiam vel ex justa causa mutes, nullum erit peccatum.

Quaeritur 16. Quaenam sint causae justae ordinem recitationis invertendi?

R. Causae *probabiliter* justae sunt sequentes: 1. Si inviteris ab amico ad recitandum cum ipso. 2. Si non habeas prompte Breviarum, nec possis commode expectare. 3. Si sero venias ad Chorum, officio jam incoepto. 4. Quaelibet rationabilis causa. Idem dicendum, si in eadem Hora invertatur ordo. - 170.

Quaeritur 17. An in Choro sit gravis obligatio recitandi officium ordine debito et statis horis?

R. Affirmant Conc. etc., modo anticipatio vel pospositio sit notabilis, et desit aliqua legitima causa excusans. *Negant* vero *Caj., Sanch. etc.* Utraque est *probabilis;* sed haec secunda videtur *probabilior*, eo quod non constat de gravi praecepto super hac re imposito. - 171.

Quaeritur 18. Quandonam incipit tempus Horarum?

R. Tempus orarum incipit a puncto mediae noctis antecedentis diei, et terminatur ad punctum mediae noctis diei (*a*) sequentis, *Cone.* et alii *communiter*. Horae autem parvae licite recitantur a tempore aurorae usque ad meridiem. Nona vero potest dici etiam post meridiem, ut ait *Croix*. Imo juxta alios etiam Sexta, ut asserit *Tourn.* Vesperae autem dici possunt a meridie usque ad mediam noctem.

Quaeritur 19. Quandonam quis licite potest anticipare vel postponere debitum tempus Horarum?

R. Ut quis licite possit anticipare vel postponere debitum tempus Horarum, sufficit quaevis causa utilis vel honesta, nimirum concio paranda vel audienda, periculum supervenientis occupationis sive laboris, major devotio sive quies, tempus aptius ad studendum et simile. Ita *Communiter Conc. etc. Less.* admittit etiam pro causa justa amicorum interpellationem. Merito tamen ait *Conc.* non sufficere ad excusandum solam majorem commoditatem sine alio motivo honesto. - 173.

Quaeritur 20. An Matutinum possit pridie recitari?

R. Matutinum hodie ex consuetudine jam praescripta bene potest recitari hora vesperarum diei antecedentis. Ita *communiter Salm., D. Thom.*

Quaeritur 21. An possint recitari Matutinum et Laudes hora secunda post meridiem?

R. Prima sententia affirmat; et hanc tenent *Sanch., Dian., Salm.* Ratio, quia jam in praedicta hora solent vesperae recitari, unde, cum dies Ecclesiasticus incipiat a primis Vesperis, pariter eo Tempore Matutinum recitari potest. *Secunda* tamen *sententia* mihi *verior negat*, et hanc tenent *Conc., Holz., Tourn. etc.* Ratio, quia Matutinum, adhuc juxta hodiernam consuetudinem, non potest recitari nisi hora Vesperarum; hora autem Vesperarum, ut *communiter* traditur, est illa quae subsequitur horam nonam, quae est media intra meridiem et occasum; estque diversa pro diversis temporibus; in Aestate enim est hora quarta post meridiem, et in Hyeme non advenit nisi ad minus post duas horas cum quadrante a meridie.

Quaeritur 22. An Matutinum defunctorum possit pridie recitari?

(*a*) *Tempus Matutini incipit ab hora Vesperarum diei antecedentis, usque ad meridiem subsequentis. Tempus autem Horarum incipit a media nocte ad meridiem; Vesperarum et Completorii a meridie ad mediam noctem.* - *H.* appendix 3. n. 74.

R. Quoad recitationem in Choro publicam, *omnino* quidem *negandum.* Quoad vero recitationem privatam, adsunt duae sententiae. *Prima negat. Secunda* tamen *satis probabilis affirmat.*

Quaeritur 23. An is qui recitat vesperi Matutinum cum laudibus, possit etiam recitare Litanias?

R. Affirmant Gavantus etc. Sed *contrarium communius* et *verius* sentiunt *Viva, Tamb. etc.* · 174.

Quaeritur 24. An attentio interna sit necessaria ad implendam rationem Divini officii?

R. Adest duplex sententia. *Prima communior* et *probabilior affirmat* omnino requiri, eamque tenent *Sanch., Sot., Caj., Az., Ronc. etc.* Ratio, quia sine attentione interna non constituitur oratio, quae universe definitur: *Elevatio mentis ad Deum. Secunda sententia* tenet ad satisfaciendum substantialiter, non requiri attentionem internam, sed sufficere intentionem recitandi cum attentione externa. Hanc tuentur *Lugo, Palud., Sylv. etc.* Ratio *prima*, quia oratio, ut definitur a *Damasceno*, est *petitio decentium a Deo.* Non repugnat autem posse a nobis Deo repraesentari nostras petitiones etiam cum actuali mentis evagatione; attentio enim externa conjuncta cum intentione recitandi efficit, ut recitatio Horarum fiat quoad substantiam vera oratio. Ratio *secunda* quia, si attentio interna necessario requiritur ad essentiam orationis, ille qui in voluntarie distrahitur, nec etiam officio satisfaceret, cum non possit virtualiter permanere attentio interna. Et reipsa, ego nunquam potui intelligere quomodo possit attentio virtualiter perseverare in eo qui disrahitur, licet involuntarie. Nam bene intelligitur quod possit virtualiter permanere intentio semel habita, et non retractata; sed non intelligitur quomodo potest dici virtualiter attentus orationi, qui mentem alibi habet occupatam. Potest dici quod velit attendere: sed non potest dici quod attendat. Ratio *tertia*, quia Sacerdos conferens Extremam Unctionem, cujus forma est deprecatoria, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, etsi actu mentem divertat, valide confert; ergo sine attentione interna bene stare potest oratio. His tamen non obstantibus, prima sententia *probabilior* videtur, saltem ob auctoritatem extrinsecam, et omnino ut tutior consulenda, sed secundam, tum ob Doctorum auctoritatem, quae non est contemnenda, tum ob rationes non levibus fundamentis innixas, *satis probabilis* apparet; saltem, quia non constat adesse praeceptum de attentione interna in recitatione Divini officii.

Caeterum ad scrupulos abjiciendos, et ad animum levandum Horas recitantium, valde refert hic advertere id quod *communiter* DD. adhuc primae sententiae fautores docent; nempe, quod ut dicatur aliquis officio non satisfacere, non solum requiritur, ut voluntarie se distrahat, sed etiam ut plene advertat se distrahi, nam alias iste, licet sponte se divertat, non tamen sponte se divertit a recitatione. Ita *Sanch., Suar. etc.*

Bene enim ait *Con.* has distractiones esse hominibus impossibile omnes evitare maxime studiosis, quia hujusmodi exercitia sunt intellectus, qui, cum sit necessaria facultas, ex assiduis occupationibus ita inflectitur, ut veluti calcaribus adjectis in suas controversias abjiciatur. Hinc, notant *Sanch. etc. communiter*, quod si quis advertens se distrahi, habeat mediocrem diligentiam ad attendendum, nullo modo peccat. Additque *Sanch.* cum pluribus aliis, non oportere ut homo semper tota conetur sollicitudine quin tolerari possit aliqua divagatio ad caput refocillandum. Dictum est, *ut plene*

advertat, quia licet recitans semiplene adverteret ad distractionem, et venialiter peccaret, adhuc tamen substantialiter officio satisfieret, cum prima attentio, sive intentio attendendi semper perseveret, donec cum plena advertentia non revocetur. *Notat Croix*, quod non recte faciunt, qui se occupant in cogitando an advertant necne; nam hoc ipsum est distrahi.

Quaeritur 25. Quaenam sint remedia ad repellendas distractiones?

R. Remedia opportuniora sunt sequentia: 1. Sub initio formare intentionem Deum laudandi. 2. Renovare intentionem ad *Gloria Patri*, vel in principio cujuscumque psalmi. 3. Mysterium aliquod Passionis sibi repraesentare. 4. Sensus sedulo custodire, et alia hujusmodi. Pro Scrupulosis vero advertit *Croix* eos nihil teneri ad repetendum, nisi certi sint mutasse intentionem orandi. Addit *Gob.*, quod si quis pateretur graves anxietates, posset aliquando etiam ei interdici recitatio officii, donec videatur posse recitare sine tanto incommodo, cum magnum incommodum excuset per se a praeceptis Ecclesiae. - 177.

Quaeritur 26. An mortaliter peccet, qui recitat Horas existens in peccato mortali?

R. Adrianus absolute affirmat., *Cont. Tourn.* censet quod, si recitans habet desiderium exeundi a peccato, tunc jam pie orat, et satisfacit officio; si vero habet actuale propositum peccandi, ad minus ait dubium esse an satisfaciat, cum dubitetur an vere oret. *Verior* tamen et *communior sententia* est, quod iste satisfacit, et non peccat mortaliter. Caeterum non auderem de peccato ullo damnare alium ex devotione orantem, qui actualem voluntatem peccandi haberet. Alias teneremur hos hortari, ut ab omni oratione abstinerent. - 178.

Quaeritur 27. An sit culpa non servare situm in recitatione officii, scilicet, stando, non genuflectendo juxta Rubricam?

R. Alii negant, ut *Salm.* Sed *probabilius affirmant Viva, Tourn. etc.*: quia id praescriptum est in Rubrica; etsi omissio non excedat veniale. Hoc autem intelligitur de Choro; nam extra Chorum *communiter* docent praefati AA. nullam esse culpam situm praescriptum omittere, licet laudabile sit illum servare. Censet autem *Concina* non excusari a veniali, qui sine causa officium recitaret recumbendo in lecto. - 179.

ARTICULUS III.

De habitu Clericorum (*a*).

Clerici majoribus Ordinibus initiati vel etiam minoribus, si habeant Beneficium, obligantur ad ferendam tonsuram et vestem Clericalem. - 188. Patet ex universo jure Canonico; unde ex *Trid.* possunt suspendi habitum et tonsuram non deferentes.

Quaeritur 1. An peccet mortaliter Clericus qui habitum non defert?

R. Affirmat Panorm., etiamsi ille sit tantum in minoribus constitutus. Alii dicunt hunc non peccare graviter, ut revera sentit *communis* sententia: sed non excusari a culpa veniali, eo quod ipsi quoque tenentur suo statui se conformare. Alii vero *communius* dicunt hujusmodi Clericum nullam habere obligationem deferendi habitum. Id autem certum est de Clericis con-

(*a*) *Cum leges communes diverse in variis dioecesibus interpretantur, et saepe feruntur leges particulares, quae juris communis prohibitionibus vel addunt censuras vel alias sanctiones, ideo Clerici sedulo legere debent Statuta uniuscujusque Dioecesis.*

jugatis. Imo, si sint bigami, non solum non tenentur, sed etiam non possunt habitum deferre. Si vero Clericus sit Beneficiatus, vel in sacris constitutus, per se loquendo, non dubitandum hunc graviter peccare, cum ipse temeritatis arguatur in *Trid.* Et ex *Sixto V*, Beneficiati non deferentes habitum in Urbe, mandatisque super his editis sub certo termino non obedientes, praeter alias poenas, ipso facto sine ulla alia monitione privantur quibuscumque dignitatibus, administrationibus, officiis, canonicatibus, praebendis, Beneficiis, et Praestimoniis.

Limitant vero 1. AA, et quidem *probabilissime*, si id fiat ad breve tempus, nisi ajunt *Salm.*, quis habitum dimitteret, vel occultaret ut alios deciperet, vel ut libere per plateas deambularet, vel ut aliquod malum committeret. Limitant 2. *Holz. etc.*, si adsit aliqua justa causa se occultandi, nempe ad vitandum periculum mortis, vel damni gravis. - L. 6. n. 825.

Quaeritur 2. An peccent graviter Clerici non deferentes tonsuram, sive coronam ?

R. Alii *affirmant* de omnibus Clericis. Alii dicunt hoc, secluso contemptu, non esse peccatum mortale, etiam in Beneficiatis et Clericis in sacris constitutis; quia ex nullo textu arguitur de hoc esse grave praeceptum. Alii tamen dicunt Clericos in sacris constitutos, et Beneficiatos graviter peccare, si coronam non deferant. Caeterum, quoad ad qualitatem peccati pertinet, *Laym. etc.*, pari modo loquuntur de non deferente coronam, ac de non deferente habitum. *Probabiliter* tamen ait *Croix* facilius mortaliter peccari non deferendo habitum, quam coronam; quis enim, dicit, arguet Sacerdotem de mortali, si per sex vel octo hebdomadas coronam non deferat, etiamsi nullum de ea vestigium appareat ? - L. 6. n. 826.

Nota. Clericus non deferens habitum et tonsuram, si tertio admonitus ab Episcopo, non emendetur, amittit privilegium non solum fori, sed etiam Canonis. Idem dicitur de Clerico se immiscente in negotiationibus saecularibus, omissis divinis officiis. Idem de gestante arma militaria in habitu laicali, si post tertiam monitionem, clericalem non resumat; si autem talis Clericus armis militaribus indutus, insuper enormitates committat, privatur privilegio Canonis, et privilegio fori post trinam monitionem. - L. 6. n. 827.

ARTICULUS IV.

De officiis, artibus, actionibus Clericis prohibitis.

§. I. - *De officiis et artibus Clericis prohibitis.*

1. Clericis prohibentur artes macellariorum, tabernariorum, joculatorum, quorum etiam ludis, uti et hastiludiis prohibentur interesse. Item artes medicorum, aut chirurgorum, ubi opus est intercessione aut adustione, nisi in necessitate, id est, si alius peritus absit (*a*). Vide *tract. de Irregul. n.* 384. - 189.

2. Prohibentur Clericis officia judicis in causa sanguinis, advocati, patroni, tabellionis, seu notarii, in placitis saecularibus. Quod addo, quia in specialibus quibusdam casibus haec licent; v. gr. advocare pro Ecclesia, pro personis conjunctis et miserabilibus (*b*). Ratio est, quia Clericus non

(*a*) *Clericis in sacris, non autem beneficialis hoc prohibitum est.* - *H. n.*60. — (*b*) *Clericis licet advocare pro causa sua, atque defensione orphanorum, viduarum, et consanguineorum intra quartum gradum, qui defensorem*

debet se immiscere negotiis saecularibus. - 190.

3. Clerici prohibentur arma portare, nisi in itinere; tabernas intrare; venationi clamorosae vacare, accipitres vel falcones alere pro venatione; aleis aut taxillis ludere; mercaturam aut negotiationem lucri causa exercere; cohabitare mulieri, nisi sit Mater, Soror, Amita, aut certe talis, quacum nullum periculum aut scandalum immineat. - 191.

De ludis tamen, venatione, et negotiatione clericis prohibitis, fusius agendum in sequenti

§. II. *De actionibus Clericis prohibitis, nempe de Ludo, Venatione, Negotiatione.*

PUNCTUM I.

De Ludis Clericis prohibitis.

Canones vetant Clericis majoribus et beneficiatis ludos alearum. - L. 3. n. 895.

Quaeritur 1. An Clerici in sacris, aut beneficiati peccent graviter, aleis ludendo frequenter, et in magna quantitate?

R. Omnino affirmandum cum *communi sententia*, quia juxta Canones damnantur de mortali Clerici publice et frequenter aleis ludentes. - L. 3. n. 896.

Quaeritur 2. An peccent graviter Clerici frequenter ludentes aleis, etsi in parva quantitate?

R. Prima sententia negat. Affirmat vero *secunda sententia communissima*, quam sequimur: Ratio, quia frequentia talis lusus de jure naturae dedecet valde Ecclesiae ministros. - L. 3. n. 897.

Quaeritur 3. An peccent graviter Clerici ludentes aleis, in magna quantitate, etsi non frequenter?

R. Affirmant Spor. etc. Sed *negat Salas*, nisi fiat publice et cum scandalo. - L. 3. n. 898.

Ex his omnibus dico 1. Non paccare graviter Clericos qui raro, moderate vel privatim sine scandalo aleis ludunt. Imo *probabiliter* nec venialiter, si ludunt recreationis gratia in loco ubi Canones vetantes non rigide observantur. L. 3, n. 899. Dico 2. Praefatas sententias quae damnant de mortali Clericos aleis ludentes, non procedere in ludis chartarum, qui non sunt merae sortis seu fortunae, sed tam industriae quam fortunae. Pro his enim *valde probabiliter* puto, valere sententiam *Salm.*; scilicet non peccare graviter nec venialiter Clericos iis ludentes, nisi alicubi esset specialis prohibitio aut scandalum. Circa quod bene insuper advertit *Molin.*, pensandam esse qualitatem personae, an sit magnae vel parvae aestimationis; Clerici enim qui vitam non tam exemplarem ducunt, revera grave scandalum non ingerunt, si etiam frequenter aspiciuntur in talibus ludis versari, modo propria ministeria non negligant; imo nec ullum praebent scandalum, si mere recreationis causa id faciant. - L. 3, n. 900.

Quaeritur 4. An peccent mortaliter Clerici qui assistendo, inspiciunt ludentes aleis?

R. Hoc quidem prohibetur. *Communiter* tamen *negant* DD. in hoc ipso peccare mortaliter, nisi essent causa ludi mortalis, vel negligere ut lusores corrigere, vel nisi de tali ludo quatenus mortali sibi complacerent; secus si assisterent causa tantum se delectan-

non invenirent. Clerici tamen in minoribus *licite possunt in quocumque foro causas civiles, et etiam Reos in criminalibus patrocinari; et Monachis etiam permissum est, ex licentia Praelati monasterii, causas lucri.* - *H. n.* 60.

di de industria vel forma ludentium. Episcopi autem his lusibus ex proposito, et fraequenter assistentes difficulter etiam excusari possunt a peccato scandali gravis. - L. 3, n. 993.

Quaeritur 5. An Episcopi possint aleis ludere?

R. Cum valde dedeceat quod Episcopi aleis ludant, vix possunt excusari a mortali. Sicut etiam censeo, si frequenter versentur in aliis ludis chartarum non omnino fortuitis. - L. 3, n. 902.

PUNCTUM II.

De Venatione Clericis prohibita.

Ex T. 1. *Clerico venatore* sic habetur: « Episcopum, Presbyterum, » ac Diaconum canes aut accipitres, » aut hujusmodi ad venandum habere » non licet. Quod si quis talium personarum in hac voluptate saepius » detentus fuerit, si Episcopus est, » tribus mensibus a communione, si » presbyter duobus, si diaconus, ab » omni officio suspendatur. » Unde :

Nota 1. Hanc prohibitionem *communiter* intelligunt DD. de venatione clamorosa cum strepitu. *Tridentinum* tamen *Sess.* 24. *C.* 12., circa finem generalius loquitur, « ab illicitisque » venationibus, aucupiis, etc. absti- » neat. »

2. Venatio etiam clamorosa non est vetita sub gravi, nisi sit frequens, et insuper cum scandalo, vel magnis expensis. *Caj. etc.*, dicunt, ex sola causa venationis, nisi aliud adjunctum sit, non esse de facili clericum damnandum peccati mortalis. Imo sentit *Laym.* cum *Less. etc.*, quod fieri possit, ut talis venatio omni culpa vacet, si sit rara, et moderata; vel si sit causa necessitatis vel exercitii.

Strictius autem venatio clamorosa vetatur Religiosis. Sed iis, praeciso scandalo, dicit *Pal.*, nec etiam esse peccatum grave. - L. 3. n. 606.

PUNCTUM III.

De Negotiatione Clericis prohibita.

Negotiatio est cum quis rem sibi comparat eo animo, ut integram et non mutatam in melius, carius vendendo, vel permutando, lucretur.

Quia talis negotiatio obnoxia est periculo multorum peccatorum, et valde distractiva ac indecens statui clericali, severe prohibita est Clericis constitutis in sacris, et Religiosis omnibus; ita ut mortaliter peccent, et incurrant suspensionem et excommunicationem ferendae tamen sententiae, si multam negotiationi dent operam.

Nota. Quod constitutiones et poenae contra Clericos negotiantes intelliguntur etiam pro Clerico qui non suo, sed alieno nomine quomodolibet illicitam negotiationem exercet. Item, quod negotia a laicis incepta, si ad Clericum quovis titulo deferantur, statim sint dimittenda; quod si non possint dimitti sine detrimento, permittitur continuatio, sed tantum ad tempus, et per interpositam laici personam, ac de licentia S. C. Concilii, aut Ordinarii, si sit extra Italiam; alias incurret Clericus eamdem spolii poenam. - L. 3, num. 832.

Queritur 1. An prohibeatur negotiatio Clericis aut Beneficiatis in minoribus?

R. Communis est *sententia* quod non prohibeatur Clericis, sed prohibetur Beneficiatis.

Quaeritur 2. An peccet graviter Clericus bis vel ter exercens negotiationem?

R. Non peccat graviter bis aut ter exercens negotiationem non turpem, nec in magna quantitate; quia jura loquuntur de exercente. - L. 3. n. 831.

Quaeritur 3. An liceat Clericis per alios negotiari?

R. Negative ex bulla *Benedicti XIV apostolicae.* - L. 3. n. 833.

Quaeritur 4. An liceat eis conducere agros alienos ad vendendos fructus?

R. Non licet neque Clericis neque Religiosis, quia, quamvis hoc proprie non sit negotiatio, attamen vetitum est a *Conc. Chalced.* E converso, licitum est clerico emere agrum cum fructibus jam maturis, et illos vendere, quia tunc vendit fructus agri proprii - L. 3. n. 834.

Quaeritur 5. An liceat Clericis emere pecora vel porcos, ut vendant saginatos, vel ut foetibus, lacte, lana lucrum faciant?

R. Communiter id admittunt DD. si in propriis praediis animalia saginentur, vel alantur.

Quaeritur 6. An liceat ea alere ex praediis alienis, ut postea vendantur?

R. Si ad hoc conducantur praedia aliena, censeo omnino dicendum quod non liceat, nisi alicubi contraria vigeret consuetudo; quia si prohibetur conducere agros ad fructus vendendos, tanto magis videtur id vetitum ad animalia saginanda.

Quaeritur 7. An liceat Clerico emere fructus aliorum agrorum ad animalia saginanda, et saginata vendenda?

R. Generaliter loquendo, id concedunt *Viva etc.*, modo absit scandalum. Sed *negant Laym. etc.* Verumtamen, nequeo intelligere cur hoc absolute sit illicitum cum ex una parte, haec non sit negotiatio, emere enim rem, ut in melius mutata carius vendatur, certum est non esse negotiari, sed praemium sui laboris accipere. Et alia parte, nullo Canone hoc vetitum invenitur. Et regula generalis est, licitum esse quodcumque non constat a lege prohibitum, ut fuse probatum est in *Tract. de Consc.* - L. 3. n. 835.

Nota. 1. Ut negotiatio Clericis vetita sit, requiritur animus vilius emendi, ut vendatur carius; unde licet eis vendere carius, ut emant vilius. 2. Sic pariter non est vetitum Clericis, vel Monachis aliquid emere ut consumant, et postea vendere si pretium illius crescat ut vilius simile emant, quia hoc non est propria negotiatio, nec pertinet ad negotiatores, sed magis ad oeconomos, et politicos qui debent providere vel domui vel civitati de necessariis ad victum. 3. Item, nec prohibetur iis emere plura pro securitate suae provisionis, et quod superest etiam carius vendere, quia emunt ne provisio deficiat. 4. Licitum etiam esse Clericis emere ferrum, ad vendendos gladios; colores, ad vendendas picturas: lanas, ad vendendam pannum, modo tamen ipsi pannum conficiant: non autem per operarios conductos, quia aliter hoc valde accederet ad negotiationem. - L. 3. n. 836. 5. *Commune* est apud DD. licitum esse Clericis negotiari pro sua vel suorum necessaria sustentatione.

Quaeritur 1. Quaenam necessitas requiratur vitae aut status?

R. Communius et *probabilius Pal. etc.*, dicunt sufficere necessitatem gravem ad statum decentem, nempe, si aliter Clericus, cum sua familia, commode sustentari nequeat. - L. 3. n. 837.

Quaeritur 2. An liceat Clericis gerere negotia, sive procurationes saeculares?

R. Negandum; nam, ut ait Apostolus ad Tim. 2.: *Nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus.* L. 3. n. 838.

CAPUT III.

DE STATU JUDICIS.

De Judicio et Judice; Inquisitione; Tortura; sententia et Poena.

ARTICULUS I.

De Judicio et Judice.

I. Ad legitimum judicium tria requiruntur: 1. Jurisdictio, sine qua sententia nulla est; nisi adsit titulus coloratus, et error communis. - 2. Rectus processus, v. gr., ut citetur Reus, et audiatur. - 3. Recta intentio, ut scilicet procedatur ex intentione justitiae. - 192. et seq.

II. Quoad judicem, praeter tria dicta superius, requiritur in eo scientia, qua sciat suo munere recte fungi. - 495. Et tenetur causas judicare, et celeriter expedire, quia ex officio tenetur cuique tribuere suum; quod non facit si sententiam sine justa causa differt. - 196.

Unde:

1. Petens aut suscipiens officium judicis, quo indignus est, ita ut *probabile* sit inde notabile damnum proximi seculturum, peccat mortaliter. *Nav.*, *S. Ant.*

2. Judex carens necessaria scientia non debet absolvi, nisi facta renuntiatione officii; vel nisi firmum habeat propositum renuntiandi. *D. Thom.*, *Caj. etc.*

3. Si Judex ex magna imperitia judicet male, tenetur ad interesse parti laesae, et ad expensas litis; uti etiam, quotiescumque notabile damnum, sive in substantia litis, sive in superfluis expensis, propter ejus culpabilem ignorantiam, partibus accidit.

4. Si Judex agnoscat errorem a se, etsi sine gravi culpa, commissum in praejudicium litigantis, tenetur, si potest citra infamiam, impedire errorem, v. gr. monendo occulte partem laesam, ut sibi appellatione, vel aliter consulat; quia id pertinet ad debitam muneris executionem. - 195.

5. Judex mortaliter peccat contra officium suum, differendo valde notabiliter causarum expeditionem sine justa causa. *Sylv.*, *Bon. etc.*

6. Judex tenetur parti laesae damna et expensas, quae ex iniqua dilatione secutae sunt restituere; quia est earum injusta causa.

7. Si Judex in exequenda causa et proferenda sententia negligens aut iniquus sit, non tantum parti laesae, sed interdum etiam fisco tenetur; v. gr. si mulctam pecuniariam, quam ex consuetudine vel lege communi debebat imponere reo, sine causa remisit. *S. Thom.*, *Sylv. etc.* Attamen *probabiliter* sentiunt *Lugo etc.* ad nihil teneri judicem, si ad mulctam reus nondum sit condemnatus, quia ante sententiam nullum Fisco jus acquiritur ad poenam; hinc si Judex injuste reum absolvit, peccat contra justitiam legalem, non commutativam.

Quaeritur. An Judex possit accipere pecuniam ad expediendam causam alicujus prae alia?

R. Dicit *Laym.*, spectato jure naturali, non audere id damnare, quia illa nova obligatio quam suscipit est pretio digna. Sed *verius* contradicunt *Salm.*, quia judex ex justitia tenetur cito expedire causas eorum, qui aequale jus habent ad expeditionem, nisi extraordinarium susciperet laborem, ad quem ex vi sui muneris non teneretur. - 196. (*a*).

(*a*) *Jus hodiernum insuper plectit poena judicem, qui pecuniam vel dona accipit ut aliquid faciat sui muneris quod gratuito praestare tenetur, proindeque eum qui pecuniam accipit ad causam expediendam.* Vid. Cod. poen. art. 177.

ARTICULUS II.

De Inquisitione.

Tribus modis procedi potest contra criminosos. 1. Via accusationis, cum est aliquis actor qui spondet se objecta probaturum. 2. Via denuntiationis, cum deferens crimen non vult suscipere onus probandi. 3. Via inquisitionis.

Triplex est via inquisitionis. 1. Generalis, quando in genere quaeritur an leges serventur. 2. Specialis, quando de certa persona, et certo crimine quaeritur. 3. Mixta, quando vel sola persona, vel crimen solum est speciale, ut si quaeratur quis *Caium* occiderit. - 197.

Quaeritur 1. Quandonam Judex potest instituere inquisitionem?

R. 1. Judex sine ulla data occasione, ex solo officio suo, potest instituere inquisitionem generalem, in qua tamen ejus potestas non extendit se ad occulta elicienda, de quibus nulla est fama. 198. - 2. Quando crimen est manifestum, et ignoratur auctor, licet judici quaerere in genere quis fecerit; non tamen in particulare, v. gr. an *Petrus* fecerit, nisi infamia aliqua aut indicia praecesserint. 200. - 3. Ut Judex faciat inquisitionem specialem, debet saltem regulariter praecedere infamia, vel quid aequipollens quod justam det causam.

Quaeritur 2. Quomodo processus per inquisitionem efformandus sit?

R. 1. Eligendus est a Superiore Secretarius actorum. 2. Examinandi sunt per districtos articulos, praestito juramento. 3. Si ex testibus nulla semiplena probatio habeatur, nondum reus potest legitime interrogari, nec si interrogatur, ipse tenetur respondere, nisi sufficienter infamia sit probata, et alia gravia indicia accedant. 4. Si reus fatetur delictum, proceditur ad sententiam; si non, proceditur ad eum convincendum, vel ad torturam, si ille vehementer sit de crimine suspectus. - 201.

ARTICULUS III.

De Tortura (*a*).

Ad torquendum reum requiruntur alicujus gravis criminis ea saltem indicia, quae faciant semiplenam probationem, id est, reddant rem plus quam probabilem. - 202.

Gravius torqueri potest, contra quem graviora sunt indicia, non tamen ita, ut moraliter sit impossibile tormenta sustinere, habita ratione personarum. - 103.

Semel tortus, si nihil est fassus, iterum torqueri non debet, nisi nova criminis indicia superveniant. - 204.

ARTICULUS IV.

De Sententia et Poena.

Judex debet judicare secundum leges. Unde inferior Judex ordinarie non potest poenam relaxare vel minuere, etiamsi actor consentiat, nisi aliquando ad bonum Reipub. aliud necessarium esse dictaret epikeia; vel nisi de privata tantum injuria actoris ageretur; vel nisi juste interpretetur judex voluntatem Superioris; vel nisi adsit alia justa causa, v. gr. si ex diminutione poenae speretur correctio, vel si reus sponte fateatur crimen, etc. Dixi *inferior*, quia Supremus ob justam causam, puta, si reus sit bene meritus, vel sit occasio publicae laetitiae, modo non sit nocivus Reipublicae, id potest; sine tamen causa graviter peccaret, quia animaret delinquentes, et concurreret ad peccatum. - 205. (*b*).

(*a*) *Quaestio seu tortura non viget in nostro regno* (*E. N.*) — (*b*) *In nostro regno Rex solum poenam relaxat* (*E. N.*).

Nota. Si in aliqua causa fuit advocatus, in eadem Judex esse, et sententiam ferre non potest; quia judicium ejus habetur suspectum, propter affectum ad unam partem. - 206.

Quaeritur 1. An Judex possit condemnare quem scit privata scientia esse nocentem, si juridice sit probatus esse innocens?

R. Negative, quia judicat ut persona publica, ideoque sequi debet scientiam publicam, ac procedere secundum allegata et probata, praesertim in favorem. *D. Thom., Less., etc.* - 207.

Quaeritur 2. An Judex possit condemnare quem scit privatim esse innocentem, si juridice probatus sit esse nocentem?

R. Negative, et tenetur omni modo liberare, si potest; et si non potest, *probabiliter* quidem plurimi Doctores tenent cum *S. Thom. etc.*, ob rationem paulo ante datam, quod possit condemnare. *Verius* tamen videtur contrarium, cum *Less. etc;* quia damnare innocentem est intrinsece malum. In causis tamen civilibus et criminalibus minoribus, ubi tantum agitur de poenis pecuniariis, potest etiam judex, secundum hos auctores, simpliciter procedere secundum allegata et probata. - 208.

Quaeritur 3. Quid faciendum Judici, cum utrinque sunt sententiae probabiles in quaestione juris, v. gr. an ex testamento minus solemni debeatur haereditas?

R. Debet ferre sententiam secundum opinionem de jure probabiliorem. - 109.

Quaeritur 4. An in causis civilibus paris probabilitatis possit Judex ferre sententiam pro parte, pro qua maluerit?

R. In aequali probabilitate facti si jus aeque faveat partibus, *communiter* dicunt DD. tunc omnino rem esse dividendam. Quando vero sub opinione est cui partium jus magis faveat, *prima sententia* tenet in eo casu posse judicem rem adjudicare cui voluerit. *Secunda* vero *sententia*, quam rectius omnino tenendam censet *Ronc.*, docet adhuc in eo casu rem esse dividendam, quia Judex non est rerum dominus; et ideo, si jura sunt aequalia, aequaliter inter eas rem dividere debet. Sed quia jus, caeteris paribus, magis favet possessori, propterea excipiuntur sequentia: 1. Si eo casu, quo probationes sunt aequales, vel utrinque adsint opiniones aeque probabiles, una pars bona fide possideat; tunc enim ipsi favendum. - 2. Si agatur de causis matrimonii, dotis, viduae, pupilli, et de aliis causis piis; nam tunc pro iis judicandum, cum jura sunt aequalia, etiamsi sint actores etc. *Secus* vero, si pars opposita jus potius habeat. - 3. Si agatur de causis criminalibus maxime capitalibus, quia tunc omnino judicandum pro reo, etiamsi pro ipso stet opinio minus probabilis. Ratio, quia nemo condemnandus, nisi constet de ejus crimine; nam ad proferendam sententiam sanguinis, probationes debent esse luce clariores.

Quaeritur 5. An in causis civilibus debeat judex judicare contra legitimum possessorem, si actori faveat opinio probabilior?

R. 1. Certum est quod si rationes sint aequales, judicandum pro legitimo possessore. 2. Quod in dubio possessionis et proprietatis judicandum est pro eo, qui habet rationes probabiliores. 3. Si autem pro actore sint rationes probabiliores, *communiter* tenent *Card., Croix., Elbel, etc.*, et quidem *satis probabiliter*, quod Judex non potest reum legitime possidentem, re expoliare, si pro ipso stent rationes probabiles, etiamsi pro actore stent probabiliores. Ratio, quia possessio dat jus certum possidenti ad rem retinendam, donec constet de jure alterius,

ut dictum est in *Tractatu de just.*, ubi de posses. dubiae fidei. L. 3. n. 615. Dixi *possessorem legitimum*, quia alioquin, si possessio non esset certa, aut non certe legitima, tunc Judex debet jus dicere secundum opinionem probabiliorem de proprietate; et ideo judices communiter res adjudicant habentibus jus probabilius, quia in foro externo difficulter bona fides possessoris probari potest. - 210.

Quaeritur 6. An sit licitum judici accipere aliqua munera a litigantibus?

R. Certum est non licere accipere munera magna. Quoad parva vero, ut esculenta et poculenta, *affirmant Azor, Caj., Sylv., etc.* Verumtamen contradicunt *Salm.* Primam sententiam nescimus reprobare, dummodo esculenta illa a Judice nec directe nec indirecte postulentur. - 211. (*a*).

Quaeritur. 7. Utrum peccat, qui munera dat Judici aut ejus ministris?

R. Distingue, si det sine justa causa, siquidem peccat, cooperando injustae receptioni. Secus, si cum causa, nempe ad redimendam injustam vexationem; modo periculum sit probabile, quod alias manifesta injustitia sibi inferretur; tunc enim haec non est corruptio, sed cautio, ut jus suum sibi tribuatur. Nec obstant huic Leges prohibentes; nam Leges intendunt vitare ne dantes muneribus Judices corrumpant, non autem ut justam sententiam obtineant.

Nota. 1. Dans munera potest post sententiam repetere in judicio quod dedit, et Judex certe ante sententiam illud restituere tenetur. 212. - 2. Judex saecularis pecunia corruptus iniquam ferens sententiam, ex legibus dignitate privatur, inhabilis redditur ad amplius judicandum, et relegatione punitur; insuper, reputatur infamis, et tenetur restituere triplum pro poena, et omnia damna parti laesae. Hoc, in causa civili: sed in causa criminali, ubi innocentem damnasset ad mortem, capitis poena mulctatur. 213. *Probabile* est tamen judicem corruptum non teneri restituere accepta ante sententiam judicis. 216. Corrumpens autem judicem, ut iniquam sententiam proferat, punitur eadem poena qua judex, ut supra. Dantes autem aut recipientes pro obtinenda gratia aut justitia apud Sedem Apostolicam, incurrunt praeterea excommunicationem ipso facto reservatam, et accipientes ad restitutionem tenentur; atque Clerici omni officio aut Beneficio privantur. - 213.

Quaeritur 8. Ad quid teneatur judex qui sententiam injustam tulit?

R. 1. Si dolo, vel si, ut dixi superius, magna imperitia id fecit, litem fecit suam, id est, damnum partis laesae in se transtulit, cui tenetur restituere. *Bon. etc.* 2. Si alioqui dignus suo munere, per oblivionem ex humana fragilitate erraverit, non obligatur in conscientia ad restitutionem ex propriis, cum injuriam formalem non intulerit, neque aliquid commodi ex tali sententia acceperit, debet tamen revocare sententiam, si potest sine gravi incommodo. *Laym.* 214.

Quaeritur 9. An sententia Judicis injusta obliget in foro conscientiae?

R. Sententia injusta ex natura rei, aut ex omissione ordinis juris simpliciter necessarii, sive feratur pro falso allegata et probata, sive ex Judicis iniquitate, nullum habet robur in foro conscientiae, manetque parti laesae, tametsi non appellet jus suum, licebitque, si absque scandalo possit, recuperare bona. Dixi *in foro conscientiae:* quia in foro externo ubi non tam veritas facti, quam probatio juridica

(*a*) *Saltem in hoc, ut ait* Lugo, *non debet reprobari consuetudo, ubi reperitur legitime praescripta. H. n.* 66.

spectatur, sententia prolata servanda est ad evitanda scandala et incommoda, neque elapso termino, intra quem appellare licebat, actio ei conceditur, lege sic statuente, tum in poenam pigritiae, tum ob bonum publicum, ut litium sit finis - 245.

CAPUT IV.

DE OFFICIO ADVOCATI.

In advocato quatuor requiruntur, scilicet: scientia conveniens, justitia causae, fidelitas, et pretium justum, quod si taxatum est, non licet ultra hoc accipere: ubi non est taxatum, sufficit justum naturale.

Quaeritur 1. Quales causas suscipere potest Advocatus?

R. 1. Advocatus non potest sub gravi peccato suscipere causam, quam scit esse injustam, ex causis autem civilibus in utramque partem probabilibus et dubiis potest utramvis; quia utraque pars habet jus proferendi suas rationes in judicio. Ergo etiam advocatus patrocinandi. Dixi *civilibus*, quia in causa criminali dubia non licet tueri partes actoris. - 2. In causa criminali potest reum etiam sontem defendere, quia reus non tenetur ad poenam nisi convictus 220. - 3. *Commune* est Advocatum posse reum tueri cum causa minus probabili; sed non actorem, dicunt *Sylv. etc.* Alii tamen *communius* indistincte concedunt Advocatis tueri tam actorem quam reum in causa minus probabili; modo moneat suum clientem de minori probabilitate suae causae. Et huic sententiae adhaereo. Ratio, tum quia opinio minus probabilis decursu temporis potest probabilior evadere; tum quia multoties opinio, quae Advocato minus probabilis apparet, ipsa judici videtur probabilior. Notant tamen 1. *Lugo etc.* quod hoc currit si probabilitas sit juris; nam, si sit facti etiam in pari probabilitate, quia tunc omnino favendum est reo, *communiter* dicunt non licere Advocato actorem tueri. Notant 2. *Salm.* quod in causa paris probabilitatis Juris, *commune* est inter DD. licitum esse advocare sive pro eo, sive pro actore. - 222.

Unde:

1. Advocatus, qui sciens vel culpabiliter ignorans patrocinatur causae injustae, tenetur ad compensationem omnium damnorum inde sequentium sive parti contrariae, sive suo clienti.

2. Ad restitutionem tenetur ait *Trull.* quando defendit articulum justum causae injustae, ut sic adversarium vexet, impediat, differat, aut pervertat.

3. Advocatus, antequam patrocinium causae suscipiat, tenetur examinare ejus aequitatem et probabilitatem, eamque Clienti indicare sincere; si enim falsa promissione, sumptibus involvat, tenetur ad restitutionem; uti et si qualitatem ac statum causae, seu periculum ejus perdendae indicare neglexerit, et cliens, eo cognito, litigaturus non fuisset.

4. Si in progressu causae iniquitatem videt, tenetur mox monere clientem, et suadere, ut desistat; alias ad restitutionem damnorum obligabitur. Neque potest vel ipse vel Judex suadere compositionem cum damno partis: quia compositio non habet locum nisi quando res est dubia. 223.

5. Non licet cum cliente convenire de pretio post inchoatam litem, sed vel ante coeptam vel post finitam; quia, cliens postquam sua instrumenta ostendit, cogetur quolibet pretio stare, ne prodatur. - 224.

6. Advocatus non potest exigere pretium quantum vult, sed debet exigere moderate et respective ad gravitatem et difficultatem causae, ad scientiam et dignitatem Advocati, atque usum regionis. Si autem pretium sit taxatum

a lege recepta, et non abrogata, illi standum.

7. Si de pretio conveniatur, et cliens deserat causam, advocatus potest totum pretium petere, si per ipsum non stet quominus litem prosequatur, nisi superveniret aliqua causa justa litem deserendi. - 225.

8. Peccat advocatus, si cum non sit idoneus, officium advocati exerceat, et patrocinetur, estque peccatum ex genere suo mortale. Peccat si defendat causam injustam; si ob nimias dilationes, illicitas subornationes testium, etc. notabiliter officiat parti laesae habenti alias justam causam, etc.

9. Peccat si utrique parti patrocinetur; in diversis tamen causis, secluso scandalo, potest. Peccat, si in eadem causa in qua est Judex, vel assessor, agat advocatum, si tametsi defendat causam justam, producat scripturas, vel testes falsos, aut instrumenta.

10. Peccat si adducat leges falsas, vel abrogatas, vel leges bonas in falsos sensus sciens prudens detorqueat. Si in gravamen alterius partis, quaerat dilationes, ad rem non facientes. Si accipiat mercedem injustam. Si contractum usurarium, vel aliter iniquum suadeat, aut probet.

11. Peccat si leges et statuta, consuetudines patriae ignoret, vel intelligere non studeat: et tenetur ad damna inde secuta.

12. Peccat si rationes et fundamenta clientis, quem juste defendit, vel secreta causae detegat adversario, teneturque ad restitutionem damni inde secuti.

13. Peccat si causarum expeditiones cum praejudicio clientium differat, posponat, vel plures acceptet quam expedire possit; et tenetur ad restitutionem, uti et omnium damnorum quae per ejus imperitiam, malitiam vel negligentiam cliens, aut actor incurrit; non tamen tenetur in omnibus causis adhibere eamdem diligentiam, sed majorem vel minorem pro causae qualitate. - 226.

Quaeritur. An advocatus teneatur pauperibus patrocinari?

R. 1. Advocatus tenetur patrocinari pauperibus in extrema necessitate degentibus, etiam cum incommodo suo gravi, sed non gravissimo. 2. Tenetur etiam patrocinari in gravi necessitate degentibus, sed sine notabili suo incommodo. Ratio est lex charitatis (*a*) - 3. Tenetur etiam advocatus causas pauperum advocare in necessitatibus communibus; sufficit tamen, si ipse in hoc aliquid largiatur ex superfluis, intellige, temporis et divitiarum. - 227.

CAPUT V.

DE OBLIGATIONE REFERENTIS, SECRETARII, NOTARII, ET PROCURATORIS.

Referens, Secretarius, Notarius et Procurator tenentur juste, fideliterque exercere suum officium, sive ex debito muneris tantum, sive etiam ex juramento. Item tenentur scire ea quae ad suum officium spectant, debitamque diligentiam adhibere, praestando omnia necessaria, terminos justos petendo, appellando, cum fuerit necessarium. *Bon. etc.* Unde peccant si odio vel amore, spe vel timore abutantur officiis suis; si secreta servanda non servent; si partibus vel earum sollicitatoribus, aliisve tradant processus vel scripturas originales, quas non debent; accipiant stipendium majus justo, si lites iniquas suadeant, etc. Insuper peccant in sequentibus casibus:

I. *Referens.*

1. Si defectu studii vel per incuriam male referat, vel aliquid substantiale

(*a*) *Intelligitur semper ac habet superfluum suo statui. H. n.* 69.

praetermittat. 2. Si sit partialis, coneturque magis unius partis justitiam, quam alterius explicare. 3. Si sententiam alterutri parti manifestet, priusquam evulgetur, unde possint gravia incommoda sequi. - 228.

II. *Secretarius.*

1. Si juramentum violet. 2. Si arcanum prodat. 3. Si sententiam nondum publicatam manifestet. 4. Si processus aut sententias non custodiat, vel partibus sine praescripto Judicis ostendat. 5. Si testimonia non fideliter transcribat, sive exagerando vel imminuendo, sive immutando aut invertendo. - 229.

III. *Notarius publicus.*

1. Si sine sufficienti peritia, v. gr. clausulas communes ignorans, suscipiat officium. 2. Si juramentum violet. 3. Si in depositione testium aliquid addat, vel detrahat non levis momenti. 4. Si ministro transcriptori, cum erroris periculo, [examen committat. 5. Si protocolla et acta negligenter custodiat cum damno partium. 6. differat causarum expeditionem, ut pecuniam extorqueat. 7. Si testamentum scribat hominis rationis usu destituti. 8. Si testes falsos admittat. 9. Si solemnitates necessarias ex ignorantia culpabili, vel malitia praetermittat. 10. Si testimonium aliquod necessarium, unius rogatu, et alterius damno non exhibeat; si conficiat instrumentum usurarium, vel falsum, praesertim in damnum tertii; si faciat ut processus et causae veniant ad alios Judices, vel referentes, etc. quam ordo illius tribunalis postulat: quia multum interest habere hunc vel illum Judicem. 11. Si secretum violet. 12. Si parti petenti instrumenta occultet, praesertim quae continent legata. 13. Si acta occultet vel parti petenti transumptum processus neget. 14. Si amisso instrnmento antiquo publico, vel testamento, aliud simile confingat. - 230.

IV. *Procurator.*

1. Si litem procuret injustam. 2. Si plures causas suscipiat quam possit expedire. 3. Si plus mercedis accipiat quam justum. 4. Si suadeat reo vel parti ut injuste veritatem neget. 5. Si sua incuria, negligentia, aliave culpa, causa sit ut lis perdatur. 6. Si nomine partis juret, sine particulari ejus informatione, cum periculo pejerandi. 7. Si culpabiliter tribunali non adsit, futuri incommodi metu, etc. 8. Si partes adducat ad concordiam iniquam. 9. Si differat causam, vel pervertat Judicem, petat terminos impertinentes, aut dilationes superfluas. 10. Si falsos testes inducat, etc. - 232.

Quaeritur 1. An Procurator, si habeat advocatum aut tabellionem qui gratis inserviat, possit justum pretium illi debitum sibi retinere?

R. - *Negative,* si advocatus aut tabellio serviant magis in gratiam clientis. Si autem serviant in gratiam simul procuratoris et clientis, dicunt *Bon. etc.* quod tunc nihil etiam retinere possit; quia in dubio melior est conditio clientis qui possidet. Sed, addo, hoc currere in dubio; nam, si vere fiat remissio etiam intuitu procuratoris, cur ille retinere non poterit saltem partem pretii juxta prudentum arbitrium? Modo intellige, nisi donatio absolute fiat clienti, etsi in gratiam procuratoris.

Quaeritur 2. An si procurator alium substituat procuratorem, possit partem salarii illi tradere, et partem retinere?

R. [*Affirmant probabiliter Salm. etc.* modo illum admoneat de agendis et insuper suscipiat ipse in se periculum causae; si forte ob negligentiam substituti causa amittatur; procurator enim tenetur etiam ex culpa levi circa causae defensionem: hic enim intervenit duplex contractos justus, unus cum cliente, alter cum substituto.

Quaeritur 3. An, si Procurator ipse

se offerat ad causam tuendam, possit justum pretium exigere?

R. Alii *negant*, *Bassaeus* vero *affirmat*. Ego dico, quod procurator nisi certe sciat donasse suum laborem, semper justum pretium recipere potest. Imo, etiamsi interne donasset, nisi talis donatio ab alio fuerit acceptata, adhuc posset salarium exigere, juxta dicta in *Tract. de Contr.*, n. 725.

Quaeritur 4. Si quis litigans mittat Procuratorem ad advocatum, ut iste efformet aliquam petitionem, aut consilium, sed quia res facilis, Procurator ipse scripturam conficit, et Advocatus tantum eam subscribit, utrum Procurator possit inde ex pretio, quod cliens mittit ad advocatum, partem sibi retinere?

R. Affirmant Bon. etc., quia, ut dicunt, tunc nemini fit injuria; non advocato, quia pars illa jam ei sufficit pro sua mercede, non parti, quae jam habet quod quaerit. *Negant* tamen *Salm.*, quia procurator ageret contra voluntatem clientis, qui si scivisset scripturam a solo procuratore confectam esse, minus pretium dedisset quam tradidit: sed haec ratio non aliud probat nisi quod Procurator minorem pensionem sibi retinere debet, non autem ullam. - 233.

Quaeritur 4. An lex taxam statuens Notario et aliis ministris justitiae obliget in conscientia?

R. Affirmant Nav. etc. Sed *negant Lugo etc.*, quia cum Notarius et alii Ministri justitiae vivere debeant ex stipendiis proprii officii, et tractu temporis augeantur pretia rerum, ac expensae juxta morem circa victum et vestitum, ideo non injuste ipsi aliquid exigunt supra taxam, maxime si attendantur circumstantiae laboris et peritiae. Et hanc sententiam *Lugonis* dicunt *Salm.*, videri hisce temporibus conformiorem aequitati. Imo addunt tabellionem posse extraordinarium stipendium recipere si extraordinarium praestet laborem. Caeterum, communiter loquendo, docent DD. Notarium et alios peccare si ultra justum pretium, aliud etiam per modum doni a partibus accipiant, quia talia munera coacte, non sponte praestantur. Ita *Nov., Salm., etc.* - 231.

Nota circa stipendium Commissarii seu Executoris, quod si Commissarius mittitur ad plures executiones faciendas, *verius* est non posse a singulis debitoribus integrum stipendium diarium exigere; sed solum salarium ordinarium, et aliquid amplius quidem, si labor ob numerum executionum sit extraordinarius (*a*). - 217.

CAPUT VI.

DE OFFICIO ACCUSATORIS.

Praenotandum aliam esse *accusationem*, aliam *denuntiationem juridicam*, aliam *denuntiationem evangelicam*, sive paternam. Accusatio est illa quae fit Superiori tanquam Judici, ut Reus puniatur, cum obligatione probandi delictum, et poenam incurrendi, nisi probetur. *Denuntiatio juridica* fit Superiori tanquam Judici, sine tamen obligatione probandi delictum. *Denuntiatio* vero *evangelica* sive paterna, est quae fit Superiori uti Patri. - 235.

Quaeritur 1. An aliquando teneamur alium accusare, vel denuntiare?

R. Tenemur in sequentibus casibus:

(*a*) *Hoc currit quando Commissario taxatum est pretium pro occupatione sua cujusque diei; sed cum commissiones sunt disparatae, et assignatum est salarium speciale pro qualibet procuratione, recte dicit Lugo posse Commissarium exigere plura salaria pro qualitate executionum. - H. n.* 68.

*

1. Quando agitur de communi damno vitando, et possit crimen probari. *S. Thom.* 2. Si immineat grave damnum innocenti, et denuntiatio potest fieri sine gravi incommodo. 3. Si hoc sit necessarium ad vitandum seu resarciendum damnum propriae familiae. 4. Si adsit stipendium a Repub. vel a dominis. - 236.

Quaeritur 2. Quinam prohibeantur accusare?

R. 1. Prohibentur excommunicati, infames, publici concubinarii aut usurarii, de majoribus criminibus accusati nisi prius innocentes se demonstrent, item feminae, impuberes. Excipe tamen 1. si isti prosequantur causam propriam, vel suorum usque ad sextum gradum. 2. Si crimen sit contra Legem Divinam aut humanam, cujus violatio cedat in damnum tertii. 3. Si crimen sit contra bonum commune. *Nota* tamen quod quicumque, etsi non possit accusare, potest tamen denuntiare. 2. Filii non possunt accusare parentes, nec e converso: neque servi dominos, nisi crimen sit laesae Majestatis vel haeresis. 3. Laici nequeunt accusare clericos, nisi clericus sit dilapidator bonorum Ecclesiae aut haereticus, simoniacus, sacrilegus, etc., vel nisi laicus causam suam vel suorum prosequatur. Item, nec Clerici accusare possunt laicos, aut Religiosos, qui tantum a Religiosis ejusdem Ordinis accusari possunt. 4. Inimicus repellitur ab accusando delinquentem. 5. Repellitur socius criminis. Excipiuntur tamen, quoad hoc, crimina haeresis, laesae majestatis, falsificationis monetae, sodomiae, furti famosi, et omnia alia, quae sine socio fieri non possunt. 6. Nequeunt Clerici accusare in causa sanguinis. Possunt tamen si agatur de resarcienda injuria propria, vel suorum, vel suae Ecclesiae; dummodo praemittant expressam protestationem se non intendere, ut Judex ad poenam sanguinis procedat. Vide *Tract. de Irregul. n.* 468.-238.

Quaeritur 3. Quandonam excusaris a denuntiatione?

R. Non teneris, imo nec debes, etiam posito Superioris praecepto, denuntiare crimen in sequentibus casibus: 1. Si delinquens emendatus est, sine periculo recidendi, et parti laesae est satisfactum, nec periculum imminet aliis, nec crimen notorium; quia sine causa proximi infamia sequeretur. - 239. Secus vero dicendum, ait *Sanch.*, et teneris denuntiare si dubium sit an frater sit plene emendatus, vel an frater sit in probabili periculo relabendi, aut an plene cessaverit periculum relabendi, quia tunc bene potest crimen Praelato deferri ut Patri.-244. 2. Si crimen nosti sub secreto naturali, tanquam consultor, advocatus, etc., nisi tamen is qui secretum commisit, innocentem, vel Remp. injuste vexaret, nec vellet desistere. 3. Si inde immineat grave periculum honoris, vitae et rerum tuarum. 4. Si etiam probare cogeris, nec posses. - 339.

Quaeritur 4. An accusationem praecedere debeat correctio fraterna?

R. Debet praecedere si crimen non est publicum, et speratur fructus. Si vero crimen est publicum, aut in damnum Reipublicae, aut alia via non potest damnum tibi resarcire, tunc nulla correctio est praemittenda. - 240 et 241.

Quaeritur 5. An liceat deferre Praelato ut patri crimen occultum, Communitati non perniciosum, secreta correctione omissa?

R. Tres adsunt sententiae. *Prima* generatim *affirmat. Secunda* huic *omnino opposita* tenet necessario praemittendam esse correctionem secretam. *Tertia longe communiter et longe probabilior* docet, bene denuntiari crimen occultum Praelato prudenti tam quam Patri, nulla praemissa correctio

ne, si speretur sic melius emendatio fratris obtineri. Ratio patet, quia finis hujus praecepti fraternae correctionis alius non est, quam charitas erga fratrem : si ergo creditur magis expedire ad emendationem fratris, ut correctio fiat immediate a Praelato, omittendus est ordo secretae correctionis. - 243.

Quaeritur 6. Quid, si dubium sit an correctio melius fiat per Praelatum, vel an Praelatus prudenter procedat ?

R. Dicit *Sanch.*, quod nisi crimen vertat in damnum commune, vel alterius privati, praemitti debet secreta correctio. Sed advertendum hic 1. quod in dubio, nisi constet de imprudentia, in Religionibus bene institutis, Praelati praesumuntur prudentes. 2. Quod in talibus Ordinibus crimina occulta fratrum, si nondum emendata sint, vel relapsus timeatur, frequentius sine secreta monitione deferri possunt ad Praelatum tanquam Patrem ; tum, quia praelati sunt viri pii et prudentes, qui admonitione magis prodesse possunt ; tum, quia ipsi magis idonei sunt ad crimen emendandum, et ad occasiones relapsus amovendas. 3. Quod maximum inconveniens facile eveniret, si Praelatis crimina denuntiari non possent ante secretam monitionem. Quare recte concludit *Laym.*, rarum esse in Congregatione Religiosorum, ut subditi sint aeque idonei, quam Praelati ad corripiendum.

Quaeritur 7. An liceat denuntiare jura fraternae correctionis, ita ut possit deferri crimen ad superiorem, nulla praemissa correctione ?

R. Prima communior sententia affirmat ; et hanc docent *Sanch., Tournely, Suar., etc. Secunda absolute negat ;* et hanc tenent *Lopez etc.* Prima omnino ut *vera* tenenda mihi videtur. Ratio, quae mihi sufficit est, quia in Societate JESU adest Constitutio hujusmodi denuntiationis et ipsa fuit approbata a *Paulo III* et *Julio III*, qui approbarunt et confirmarunt institutum et omnes constitutiones praefatae Societatis, et praecipue eas quae contradictiones patiebantur ; imo *Gregorius XIII* in Bulla *Ascendente Domino*, addidit excommunicationem contra tales Constitutiones impugnantes. - 245.

Quaeritur 8. Utrum, si crimen sit occultum, nec laboret infamia, et fraternaliter denuntiatus non corrigatur, possit Praelatus cogere denuntiatores ut faciant denuntiationem judicialem, et inde juxta illam reum poenis juris punire ?

R. Affirmat prima sententia, quotiescumque crimen saltem per duos testes posset probari. *Probabilius* tamen *omnino contradicit secunda sententia,* semper ac ex crimine nullum immineat damnum communitati aut particularibus. Ratio, quia tunc delinquens adhuc possidet famam ; nec punitio est necessaria ob bonum commune, quando crimen non est publicum. - 247.

Quaeritur 9. Utrum, si per publicum edictum, seu monitorium praecipiatur omnibus aliqua delicta denuntiare, teneamur denuntiare ?

R. Quando crimina sunt notoria, procul dubio quilibet ea denuntiare tenetur ; secus vero si sint occulta, etiamsi probari possint per duos testes ; nisi crimina vergant in damnum communitatis, aut tertii ; cum hac tamen differentia quod in criminibus in damnum tertii, tenemur fraternam monitionem permittere, et correctione obtenta, denuntiatio judicialis est omittenda ; si autem reus non corrigatur, tunc judicialiter tenemur eum denuntiare, dummodo possimus sine gravi nostro incommodo. In criminalibus autem in damnum commune, nulla praevia monitione, et etiam cum gravi nostro damno, denuntiationem judicialem proferre tenemur. Quamvis etiam in his

S. Thom., sic doceat : » Nisi forte ali- » quis firmiter existimaret quod statim » per secretam monitionem possit hu- » jusmodi mala impedire. » Sed hoc raro accidit. Haec *fere communiter* a DD. docentor.

Nota. 1. Qui delictum sub secreto sigilli noverit, ut remedium aut consilium delinquenti praeberet, nunquam tenetur illud denuntiare, quia jus positivum non potest juri naturae derogare. *S. Thom., Sanch.,etc.* 2. Si quis rem aliquam accepit in compensationem sui certi crediti, non tenetur manifestare, quia edictum imponens denuntiationem intelligit loqui tantum de rebus injuste acceptis. *Sanch.*, *Salm., etc.* Idem dicunt *Sanch. etc.*, de debitore rei furtivae, qui ob inopiam a restitutione excusatur. 3. Nemo, ut supra dictum est, tenetur denuntiare cum gravi suo incommodo, nisi crimen redundet in damnum commune Reipublicae, aut Religionis. - 248.

Quaeritur 10. An sit obligatio denutiandi haereticos cum periculo gravis damni ?

R. Distinguendum : si denutiandi sunt tantum suspecti de haeresi, ut sunt Confessarii sollicitantes, etc. *commune* est non esse tunc obligationem, nisi, dicunt *Salm.*, adesset damnum commune, nempe, si Sacerdos magnae auctoritatis frequenter poenitentes sollicitaret, etc. Si vero denutiandi sint haeretici formales, etiam excusare periculum gravis damni, nisi illi dogmatizent, tenent *Mazz., Less., etc.* Sed *verius* oppositum est tenendum cum *Suar. etc.* Ratio, quia haeresis formalis de se serpit ut cancer, et ideo semper in damnum commune vergit. - 249.

Quaeritur 11. An teneamur denuntiare conjunctos, quos haereticos formales noverimus ?

R. Fratres sine ullo dubio tenemur denuntiare. Filios a denuntiandis Parentibus excusant *Abul. etc.* Sicut *Bon. etc.*, excusant etiam uxores a denuntiando viros suos. Sed dicendum omnes ad denuntiandum teneri ex eadem ratione, ut supra ; quia haeresis est pestis ita noxia, quod difficile habet remedium, et facile in damnum vergit commune. *Ronc., Az., Salm etc.* Hoc tamen dicitur quoad haereticos formales. Si vero denuntiandi sint tantum suspecti de haeresi, *Salm.* pariter obligant etiam filios ad Parentes denutiandos ; sed nimis rigorose, *satis* enim *probabiliter* tunc a denuntiatione excusantur non solum filii, sed etiam conjuncti usque ad quartum gradum. Ratio, quia denuntiare conjunctum idem est ac grave incommodum subire ; quod rationabiliter excusat, quando periculum abest damni communis, ut diximus mox, n. 249-250.

CAPUT VII.

DE TESTIBUS (*a*).

A testando rejiciuntur 1. Servi. 2. Mulieres. Intellige tamen hoc de jure Canonico, non vero de jure Civili, tam in causis civilibus, quam criminalibus. Verum ad reum damnandum nec plures etiam mulieres sufficiunt. 3. Minores viginti annis in criminalibus ; in civilibus autem impuberes ; isti tamen, etsi ad probandum non sufficiant, nisi in crimine laesae Majestatis, fundant tamen indicium etiam ad torturam. 4. Inimici. 5. Sanguine juncti usque ad quartum gradum, nisi sit crimen hae-

(*a*) *Conditiones quas requirit jus novum in testibus, non sunt eaedem quae apud Auctorem. Vide Codices vulgo dictos :* di procedura Civile, e d' istruzione Criminale. *In foro tamen Ecclesiastico jus antiquum servatur* (E N.).

resis. 6. Domestici, exceptis quibusdam casibus apud *Less.* 7. Infames, sive jure, id est, sententia, sive de facto. 8. Perjuri. 9. Socii criminis; excipe, si crimen sit haeresis, vel maleficii, vel tale quod non possit sine socio patrari. 10. Personae inopes, et viles, nisi sint probatae vitae. 11. Deliri et semifatui, ex quibus tamen ii qui solo jure positivo ad testandum sunt inhabiles, possunt admitti in criminibus exceptis. - 256.

Quaeritur 1. Quot testes requirantur ad probandum?

R. Requiruntur et sufficiunt duo testes in causa tam civili quam criminali, ex *Deuteron.* 17. 6: *In ore duorum vel trium testium peribit, qui interficiet.* Et ex *Joann.* 8: *Duorum hominum testimonium verum est.* Ratio, quia ad humanas actiones probandas sufficit certitudo moralis et probabilis. Ita *S. Thom., Less., etc.*-259.

Quaeritur 2. Quid praeterea requiritur ut testes plene probent?

R. Requiruntur sequentes conditiones: 1. Ut sint contestes, ita ut conveniant non solum in substantia actus, sed etiam in principalibus circumstantiis, id est persona, loco, tempore, modo; nisi circumstantiae sint parvi momenti, puta si unus dicat casum contigisse hora tertia, alius quarta, etc. Ita *S. Thom.* 2. Ut testes deponant cum juramento, alias non probant. 3. Ut testes per se immediate rem perceperint externe eo sensu, quo res percipitur, puta, ut ipsi viderint occidentem, audierint blasphemantem.

Nota. Quando adsunt plures contestes pro reo, et plures contra, standum est pro reo, etiamsi testes contrarii sint majores dignitate. - 260.

Quaeritur 8. An teneatur quis testari?

R. Non tenetur quis testari nisi vel ex charitate, cum ita necessarium est ad avertendum grande malum proximi aut Reip., vel ex praecepto, cum Judex seu Superior habens potestatem ita legitime praecipit. - 264. Dico *legitime;* nam Judici non legitime interroganti testis non tenetur fateri veritatem; tunc enim poterit licite respondere, etiam cum juramento, crimen nescire, ita ut teneatur illud ei manifestare. - 265.

Quaeritur 4. Quando Judex legitime interrogat?

R. Quando adest semiplena probatio, puta, unus testis, de visu, vel auditu proprio; vel si adest notorietas, aut infamia criminis, vel indicia evidentia, vel si accusator se offerat ad delictum pluribus testibus probandum; alias, etiamsi plures testes adsint de aliquo crimine, nemo eorum teneretur crimen revelare. Omnia haec enim aequivalent semiplenae probationi; qua interveniente, delictum non dicitur amplius secretum. Ideo, Judex tunc habet jus ut testis veritatem manifestet. Ita *communiter Less. etc. Salm.* advertunt quod ut testis teneatur tunc respondere, requiritur ut infamia vel semiplena probatio vel indicia, ut supra, sint jam probata, et a Judice testi manifestentur; nisi constet Judicem esse probum, et asserit se legitime interrogare. - 266.

Quaeritur 5. An quando non adest semiplena probatio sive infamia, vel evidentia indicia criminis, si accusator unicum testem tantum afferat, teneatur hic testis veritatem manifestare?

R. Affirmant Salm. etc. Sed *probabilius negant Ronc. Less. etc.*-267.

Quaeritur 6. Quandonam quis excusatur a testimonio praestando?

R. Non tenetur in sequentibus casibus, licet legitime et juridice interrogatus: 1. Si sciat rem ex Confessione. 2. Si accepit sub secreto naturali, etiam sub secreto tantum commisso; quia praeceptum naturale praeferendum

est praecepto Judicis; vide dicta n.49. Intellige tamen, nisi immineat damnum commune, vel nisi aliunde sciat tunc tenetur ad manifestandum. 8. Si ex testimonio sibi vel suis immineat notabile damnum: nisi tamen damnum publicum vel privatum alienum praevaleat. Unde *communiter* non tenetur testari contra consanguineum. 4. Si a viris non sat fide dignis accepit; tunc enim potest se habere, ac si nihil sciret. Imo *Sanch.*, et alii dicunt testes de auditu alieno non teneri ad manifestandum, quando Judex nihil aliud ab eis exigit, nisi ut dicant id quod sciunt. 5. Si factum intellexit per injuriam, v. gr. aperiendo litteras, cogendo alium ad revelationem. 6. Si alter probabiliter in facto non peccaverit, vel propter ignorantiam, vel quia rem aliquam accepit in occultam compensationem debiti; ex quo, tanquam de fure inquiratur. Ratio est, quia mens Judicis est inquirere de delicto. - 268.

Quaeritur 7. Ad quid tenetur, qui sciens, falsum testatus, alteri damnum intulit?

R. Tenetur ad impedimentum vel reparationem omnium damnorum, quae causantur. Item tenetur revocare cum pari suo damno, et periculo etiam vitae, si reus de ea periclitetur, et putetur revocando aliquid effecturus. - 269.

Quaeritur 8. Quandonam testis infideliter se gerit?

R. Infideliter se gerit: 1. Quando affirmat quod ignorat. 2. Quando veritatem, quam debebat celare, aperit. 3. Quando se occultat ne rogetur casu quo tenetur testari. 4. Quando Judici juste interroganti non obedit. 5. Quando pretium pro dicenda veritate accepit.

Quaeritur 9. An peccet contra justitiam et teneatur ad restitutionem testis, qui se abscondit ne citetur a Judice?

R. Affirmant Sotus, etc. Sed *communissime*, et *verius negant Lugo, Less., etc.* Ratio, quia licet possit ille graviter peccare contra proximi charitatem, non tamen peccat contra justitiam, cum nemo teneatur praecepto Superioris parere, antequam ei imponatur.

Quaeritur 10. An teneatur ad restitutionem testis, qui fugit post citationem?

R. Affirmant Sotus, Sanch., etc. Negant vero *communius* et *probabilius Lugo, Mol., etc.* Ratio, quia citatio illa non imponit obligationem justitiae, sed tantum obedientiae.

Quaeritur 11. An teneatur ad restitutionem damni testis, qui legitime interrogatus a Judice, veritatem occultat?

R. Certum est teneri, si ipse positive falsum deponat circa factum, puta si dicat se domum Petri scire esse Pauli. Idem dicendum putat *Holz.*, de teste qui fuerit praesens in donatione mutui, et postea interrogatus id negat, quia jam iste infert injuriam alteri damnosam. Si autem testis veritatem celat, negative se habens circa factum, nempe, si respondeat illud nescire, cum revera sciat, affirmant *Salm.*, etiam teneri ad restitutionem. Sed contradicunt *Mol., Lugo, etc.*, ac merito *probabile* putat *Less.* Ratio, quia testis non tenetur veritatem deponere, nisi aut ex praecepto Judicis, aut ratione juramenti praestiti: unde, tacendo veritatem, non peccat contra justitiam, sed tantum contra obedientiam, vel etiam contra Religionem. Hinc ait *Ciera* talem testem retinentem veritatem nec incurrere casum reservatum in jurantes falsum cum damno tertii, quia reservatio intelligitur lata in eum, qui jurat cum mendacio positivo, non autem negativo. Dicit *Bon.*, quod si testis juravit se dicturum veritatem, tenetur tunc ex justitia illam dicere,

quia ex juramento promissorio oritur obligatio justitiae ; sed *probabilius* contradicit *Less.*, quia testis jurando se dicturum veritatem , non intendit se obligare ex justitia , sed tantum ex virtute Religionis ad illam manifestandam. - 270.

CAPUT VIII.

DE REO.

Reus , si non interrogetur legitime, non tenetur fateri suum crimen , sed potest Judicem eludere , vel ambiguis verbis , vel etiam negando , cum aliqua restrictione et in bono sensu , ut mendacium absit. Ratio est , quia tunc Judex non habet jus interrogandi , aut obligationem imponendi reo. *Less.* , *Bon.*, *Caj.*, *etc.* - 272.

Unde :

1. Reus non tenetur fateri crimen suum 1. Si Judex non sit legitimus. 2. Si a seipso litis processum inchoet sine praevia accusatione, saltem virtuali. 3. Si non praecessit semiplena probatio , nec infamia , nec manifesta criminis indicia extant. Ratio est, quia in his Judex non interrogat legitime. *Azor.*, *Laym.*, *etc.*

2. Non tenetur si dubitat an Judex legitime interroget ; quia non tenetur parere cum gravi suo damno , nisi constet Superiorem posse praecipere. *Less.*, *Laym.*, *Sanch.*,*etc.* Ratio , quia reus possidet suam vitam et famam ; unde in dubio habet jus eam servandi, usquedum constet de legitima interrogatione.

3. Judex tenetur reo manifestare statum causae , et quae sint indicia , quomodo probetur delictum etc. , ut reo constet an legitime interrogetur , quia non tenebitur respondere alioqui, et se ipsum honore, aliisve bonis quae bona fide possidet , spoliare. *Caj.* , *Nav.*, *Less.*, *etc.*

4. Si reum juridice quidem interroget judex , sed non nisi ex falsa praesumptione delicti , potest reus (idem est de teste) , licet sciat semiplene probatum esse, id negare, quia si Judex veritatem sciret , non posset interrogare. *S. Thom. Sot.*, *etc.* Idem dicendum , si quis occidit ob justam sui defensionem ; tunc Judici interroganti potest respondere non occidisse , hoc est, cum culpa. - 273.

Quaeritur 1. An teneatur reus fateri crimen Judici legitime interroganti , cum timore magnae poenae ?

R. Affirmat prima sententia. Secunda tamen *sententia* , quam *satis probabilem* etiam intrinsece puto , quamvis primam censeam *probabiliorem* , *negat* teneri reum crimen suum revelare casu quo damnandus foret ad mortem, aut ad triremes , ad carcerem perpetuum , vel ad amissionem omnium bonorum , vel totius famae et honoris. Ratio, quia videtur non adesse hanc duram legem , tamquam humano modo impossibilem , ut quis teneatur quasi ipsemet se condemnare ad gravissimam poenam , crimen suum confitendo , nisi commune damnum immineat ex reticentia confessionis delicti. Casu vero quo tale damnum non timetur , cum lex obligans ad crimen fatendum *probabiliter* non extet , *probabiliter* Judex non habet jus veritatem in tali casu exigendi , nec reus obligationem eam manifestandi ; et ideo reus amphibologiis crimen celando , contra justitiam non peccat. Omnes autem conveniunt , ut par est , ad dicendum , quod si reus sit in bona fide, et censeatur quod difficile inducetur ad fatendum crimen interrogatus a Judice , Confessarius in sua bona fide eum relinquere debet. *Sanch.*, *Salm.* Unde non semper opus est ut Confessarius reum urgeat ad crimen fatendum. Post sententiam vero latam , reus non tenetur confiteri crimen quod

ante negavit, quia, finito judicio, finitur obligatio rei. *Laym. etc.* - 274.

Quaeritur 2. An reus ad evitanda gravia tormenta peccet graviter confitendo falsum crimen?

R. Prima sententia negat. Secunda vero *sententia probabilior affirmat.* Ratio, quia nemo potest positive cooperari suae injustae morti, quod est intrinsece malum. Unde, si per retractationem mors possit impediri, tenetur se retractare, ut tenet *probabilius Mol.* (*a*). - 275.

Quaeritur 3. An reus ad sui defensionem, possit revelare crimina occulta testium, vel accusatoris?

R. 1. Illicitum semper est et gravis culpa falsum crimen testi vel accusatori opponere ad suam causam tuendam. Ita *communiter S. Thom., Sanch., etc.;* et sic agens tenetur ad retractationem. 2. Licitum est reo opponere crimen verum, sed occultum testis vel accusatoris; dummodo hoc sit absolute necessarium ad suae innocentiae defensionem; item, dummodo alias reus non leve, sed grave damnum sit passurus, licet majus damnum eveniat accusatori vel testi. *Sanch.*

Quaeritur 4. Sed quid, si reus commisit crimen, sed occulte, ita ut nullo modo probari possit, utrum tunc possit dicere accusatorem mentitum fuisse, vel possit apponere crimen illius occultum?

R. Affirmat Corella; quia accusans reum de crimine omnino occulto, censetur in jure, ac si de crimine falso accusaret, et calumniam afferret. Et ob eamdem rationem dicunt *Sanch., etc.*, casu quo crimen rei est occultum et nequit plene probari, posse eum revelare delictum occultum testis ad sui defensionem, etiamsi, ait *Lugo*, testis sit coactus ad deponendum; juxta enim *communem* DD. sententiam traditam a *D. Thom.*, nemo tenetur cum suo gravi damno famam proximi servare. - 277.

Quaeritur 5. An reus teneatur revelare complices?

R. Si omnino occulti sunt, nec aliis indiciis aut testimoniis convinci possint, non potest nec tenetur; si tamen vi tormentorum coactus prodat, ordinarie non peccabit. *Less.*, *Laym.* 2. Si crimen sit exceptum, tenetur etiam non rogatus: ideoque si nolit, secundum *Nav.*, non erit absolvendus. - 278.

Quaeritur 6. Quid liceat reo circa fugam poenae?

R. 1. Si reus est damnatus injuste non solum secundum rei veritatem, sed etiam secundum allegata et probata, non potest vim vi repellere, occidendo, vulnerando, etc. Ratio, quia cum facile rei sibi persuadere possint se injuste esse damnatos, si eis occidere permitteretur, quam plurima homicidia cum communi damno acciderent; ideo juste damnata est ab *Alexandro VII* prop. 18, quae dicebat: « Licet interficere falsum accusatorem, » falsos testes, ac etiam Judicem, a » quo iniqua certe imminet sententia, » si alia via non potest innocens damnum evitare ». Potest tamen tunc non solum fugere, sed positive resistere, v. gr. satellites pellendo, vel etiam armis terrendo ut e manibus eorum se eripiat, *S. Thom., Ronc., etc.*, modo ex hoc non oriatur publicum scandalum et perturbatio. 2. E converso, si sententia est omnino justa, quia vere crimen reus patravit, et sa-

(*a*) *Sed hic* (*Mol.*) *pariter dicit quod si reus sit in bona fide, non debet Confessarius eum obligare ut se retractet cum periculo quod ille, ut vitet tormenta, peccet formaliter, denuo delictum quod non patravit, sibi imponendo.* - *H. n.* 84.

tis fuit probatum ; tunc , non licet ei positive resistire , ut docet *S. Thom.*, et alii *communiter*. Ratio , quia sententia, cum sit justa , reum ad obediendum obligat. - 279.

Quaeritur 7. An reus qui vere deliquit , possit e carcere fugere ?

R. Affirmatur 1. si reus nondum ad poenam sit sententia damnatus ; quia nemo ante sententiam tenetur solvere poenam. *Salm.*, *Suar.* , *etc. Affirmitar* 2. si quis sit damnatus ad mortem, aut ad aliam gravem poenam, ut infra , modo illi carcer non sit assignatus ad poenam, sed ad custodiam, ut docent *S. Thom. etc.* Idem autem quod de poena mortis, dicunt de poena mutilationis , et flagellorum *Salm. etc.* Et idem , de poena triremium dicunt *Lugo etc.* Si vero carcer sit jam assignatus ad poenam per sententiam , etiam perpetuo , tunc *negandum* reo licere e carcere fugere , quia in executione sententiae justae tenetur utique reus obedire. Ita *Nav.*, *Sylv.*, *Caj.*, *etc.* Excipiunt tamen aliqui , si in carcere non dentur ei necessaria ad sustentationem , vel si carcer esset nimis tristis , quia videtur supra vires humanas aliquem obligari ad se non liberandum, cum possit sine vi et resistentia , a poena valde dura. *Bon. etc.* Eadem ratione *propabiliter* a *Lugo* excusantur damnati ad triremes , si fugiant e carcere , et etiam ab ipsis triremibus. Item *probabiliter Salm.*, excusant debitorem damnatum ad carcerem donec solvat , si fugiat , sperans facturum solutionem , quam in carcere exequi non posset. - 280.

Quaeritur 8. An reus juste damnatus ad mortem teneatur fugere e carcere, si possit ?

R. Prima sententia affirmat. Ratio , quia alias videtur esse sui ipsius homicida. Sed *longe veriorem* et tenendam puto *secundam sententiam*, quae docet tam detentum in carcere pro crimine capitali , quam juste damnatum ad mortem fugere non teneri. Ita *Sylv.* , *Sot.*, *Sa*, *etc.* Ratio , quia quamvis reus non possit facere actum immediate tendentem ad mortem, licet tamen ei facere actum mediatum, ut in carcere manere ; maxime , si justum finem habeat , ut crimini satisfaciat , etc.

Quaeritur 9. Quid dicendum si sententia fuit tantum materialiter justa , nempe tantum justa secundum allegata et probata , sed non secundum veritatem , quia revera damnatus esset innocens , an tunc ipse posset ad poenam vitandam , non solum fugere e carcere , sed etiam positive resistere ?

R. Negat Bus. Attamen *Ronc.*, et *Lugo* sat *probabiliter* dicunt, quod in hoc casu bene posset reus positive se defendere ; quia praesumptio debet cedere veritati , et ipsa innocentia tunc ad defensionem ejus praebet ; modo ex ea non oriatur publicum scandalum , et perturbatio , ut supra cum *S. Thom.*

Nota. 1. Regulariter reo licet fugere , etiamsi custos carceris grave damnum inde passurus sit , saltem nisi juraverit se mansurum , quia utitur jure suo , et nulli facit injuriam ; nisi tamen charitas aliud suadeat ob damnum custodis praeponderans. 2. Multo magis licet fugere , ne capiatur ; vel etiam a ministro apprehendente se excutere ; non tamen illi vim inferre , vulnerando, percutiendo, etc. 281.-3. Licet etiam , saltem in foro conscientiae, vincula et carceres effringere , quia cum finis est licitus , etiam media sunt licita. Sic *probabilius* sentiunt *Caj.* , *Sot.*, *Val.*, *etc.*

Quaeritur 10. An reus teneatur reficere damnum illatum in carcere, ferra vel parietes frangendo , etc. ?

R. Affirmant Less. , *Caj.* , *Salm.* Sed *probabile est oppositum ;* quia illud damnum evenit per accidens.

Quaeritur 11. An liceat reo carceris custodem pecuniis corrumpere ?

R. Negative ; nam actio custodis, si ostium reo aperiat ad fugendum, certe est intrinsece mala, cum peccet contra officium suum. - 282.

Quaeritur 12. An liceat illis qui non sunt ministri justitiae, juvare reum ut fugiat ?

R. Licet illis non solum juvare reum consilio ut fugiat, sed etiam suppeditatis instrumentis, v. gr. funibus, lima, etc.; nisi, ut recte limitat *Ronc.*, fuga rei esset perniciosa Reipublicae. Non tamen licet juvare in effractione carceris, ut habet *communis;* ne alioqui omnis securitas carceris pereat.-283.

Quaeritur 13. An damnatus ut fame pereat, teneatur cibum sumere, si ei offeratur ?

R. Certum est quod potest sumere ; sed *probabilius* est quod non teneatur ; quia licitum est reo ex recto motivo justitiae, vitam negative non conservare.

Quaeritur 14. An liceat aliis cibos reo subministrare ?

R. Hoc licere omnibus *ex communi* DD. sententia, nisi ministris : sed nemo ad id tenetur. *S. Thom.* - 284.

Quaeritur 15. An reo liceat appellare ?

R. Si sciat sententiam esse justam, et juste processum esse, non licet. Imo, injuste appellans tenetur de damno. Si vero putet sententiam iniquam esse, potest appellare. In dubio autem de justitia sententiae latae, reus potest appellare ad Judicem Supremum si agatur de causa criminali et capitali ; et hoc, etiamsi jus rei sit minus probabile. Secus autem dicendum in causa civili, quando certe jus contra reum minus probabile est. - 285.

Quaeritur 16. Quomodo Confessario agendum cum reo ?

R. Observanda sunt sequentia :

1. Instruat eum, quod quae secum in foro conscientiae agit, cum Judicibus non communicentur, ideoque sive sit nocens, sive innocens, id ei nec prodesse, nec obesse possit, quia alias multi conantur se falso probare innocentes. Unde prudens est ut ad confessionem sacramentalem reum non admittat, nisi postquam in foro profano res sunt liquidae ; vix enim adigi poterit, ut omnia fateatur ob timorem ne vel deferatur, vel cogatur eadem fateri Judici ; ante tamen de contritione agendum est.

2. Ne cogat importunis modis reos ut se tales fateantur ; tum quia vere quidam rei non sunt, et victi illa importunitate, ne moriantur incommunicati, vel a Confessario in extremis deserantur, confitentur sacrilege ; tum, quia frustra est confessio, nisi fiat ex contritione, et vera ad Deum conversione ; de hac ergo laboret, et sequetur bona confessio, non autem contra.

3. Caveat ne coram reo censuret modum procedendi judicialem : proindeque communiter non admittat querelas de injuria facta, cum non sit Confessarii ea judicare, sed ad poenitentiam disponere.

4. Etsi quidam auctores permittant judici uti dolis bonis ad crimen eliciendum, non tamen id licet Confessario ne misterium ejus infametur.

5. Expedit habere cognita indicia et probationes deprehensas in judicio, ipsumque modum processus, ut et prudentius possit in suo foro agere, et judicem, sicubi opus, prudenter admonere. - 286.

6. In confessione examinet an consortes criminis prodiderit, supposito quod teneatur, si falso alios infamaverit ; quia tenetur se retractare. - 287.

7. Saepe non expedit post supplicium judici significare reum in extremis denuntiationes revocasse, tum quia Judices id parvi faciunt ; tum quia frangit sigillum Sacramentale, si

non petita licentia, innocentiam denuntiati evulget, cum eo ipso revelet peccatum denuntiantis. Quare, si aliquando Judicem monere expediat, rogandus est reus, ut id extra confessionem et coram testibus dicat, eo fine ut Judex moneatur. - 288.

8. Si alicujus innocentiam ex confessione colligeret, id Judici aperire, ac pro reo intercedere periculosum est; quia post publicatam rei confessionem, ei non credetur: tum quia, si plures audiat, hoc ipso aliorum nocentiam de illis tacendo videtur confirmare, cum fractione sigilli; tum quia si rei cognoscant eum pro innocentibus intercedere, occasionem arripient ei callide sua facinora celandi. - 289.

9. Etsi pro reis etiam juste damnatis, intercedere aliquando possit, maxime apud Magistratum supremum, juxta Scripturam, *Prov.* 24: *Erue eos;* valde tamen prudenter, et moderate id faciendum, quia relaxatio potest esse illicita, judexque fieri reus malorum omnium, quae ex liberatione sequuntur; uti et Confessarius si ea praeviderit. - 290.

CAPUT IX.

DE OBLIGATIONE MEDICORUM, PHARMACOPOLARUM ET CHIRURGORUM.

Tenentur ii in primis, quando tale officium petunt, vel suscipiunt, sub gravi obligatione sufficientem habere scientiam, sive peritiam. *Nav., Anton. etc.* - Deinde in curandis infirmis debent sequi opiniones securas et tutas, et quando certum aliquod est pharmacum, quod nimirum certo infirmis profuturum est, tenentur illud adhibere, omisso eo de quo dubitatur.

Quaeritur 1. Quando non apparet medicamentum certum, potest ne medicus uti remedio minus probabili, probabiliori relicto?

R. Affirmant Azor, Salas etc. Sed *probabilius negant Salm., Sanch., Solo, Suares, Bonac.*, quia Medicus non solum ex charitate, sed etiam ex justitia, ratione officii, et taciti contractus, tenetur providere meliori modo saluti infirmi, a quo stipendium accipit. - 45.

Quaeritur 2. Quando desperatur de salute infirmi, potestne Medicus applicare illi remedia, quae ipse dubitat, an prosint, vel obsint?

R. Certum est et *commune* 1. quod si probabile sit, remedium fore profuturum, tunc potest. Imo tenetur illud applicare, quando certius non habet. *Salm. Certum est* 2. Non licere applicare infirmo etiam desperato remedium, de quo ignoratur an sit salutare, vel noxium, ad experimentum faciendum super infirmo. Ita *communiter Salm., Navar., etc.*, quia illicitum est experimentum quaerere cum periculo mortis infirmi vel accelerationis illius. Certum est 3. cum *Sanch.* et *Salm.*, quod si remedium est dubie profuturum, et certo non nociturum, omnino infirmo est applicandum. Quoad quaestionem autem duplex est sententia. *Prima negat;* quia nunquam licet exponere infirmum periculo mortis, nec illam accelerandi. Ita *Salm., Castrop., Sylv.* etc. *Secunda* tamen *sententia*, quae *satis probabilis* est, et *forte probabilior*, eamque tenent *Sanch., Bonac., Valent., Busemb., etc. affirmat* esse licitum, quia cum de infirmo desperatur, conformius est prudentiae, et voluntati infirmi, praesertim si ipse expresse in hoc consentiat, applicare illi remedium dubium, quam illud omittere cum certitudine mortis. - 46.

Quaeritur 3. In quibus casibus peccet Medicus?

R. Medicus peccat in sequentibus casibus: 1. Si absque sufficienti peritia gravem morbum curare tentet. 2. Si occurrenti gravi, et insolito mor-

bo, speciali studio operam non impendat. 3. Si det pharmacum infirmo quod *probabilius* creditur nociturum, quam profuturum. 4. Si medicamenta inexplorata explorandi gratia adhibeat, praesertim quando de iis non est opinio probabilis, et habet medicamenta *probabiliter* utilia. 5. Si non bene perspecta morbi natura, temere adhibeat remedia dubia, vel periculosa, praesertim cum discrimine vitae, vel gravis laesionis. 6. Si, agnito aegroti periculo, opportune non adsit, aut necessariam curationem negligat, aut medicos alios adhiberi non permittat. 7. Si aliquid suadeat Dei honori, vel praecepto contrarium, v. gr. pollutionem, etc. 8. Si facile et sine necessitate a jejunio absolvat, carnium esum permittat. 9. Si aegrotantem pauperem in periculo constitutum contemnat. Recte hinc dicit *Croix*, peccare Medicum, qui omittit medicinas gratis praescribere pauperibus in gravi periculo constitutis.

Quaeritur 4. In quibus casibus peccet Pharmacopola?

R. Pharmacopola peccat in sequentibus casibus: 1. Si rudis et ignarus munus exerceat. 2. Si sine arte, vel diligentia medicamenta conficiat. 3. Si melle in potionibus pro saccharo utatur. 4. Si unum medicamentum pro alio, nisi tamen esset neque bonum, et non minoris pretii, contra medici praescriptum, cum gravis damni periculo porrigat. Vide *Tract. de contract. n.* 821. 5. Si medicamenta ad non pariendum, vel ad foetum expellendum vendat. 6. Si pharmaca vendat inutilia, etc. - 291.

Nota. Hic tandem agendum esset de obligationibus Mercatorum, opificum, et caeterorum; sed eae obligationes patent ex dictis in *Tractatibus* superius enucleatis, et praesertim in *Tract. de septimo Praecepto* et *de Justitia et Restitutione.* - 292.

TRACTATUS XVIII.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

De Natura Sacramenti novae legis. De Ministro Sacramentorum. De suscipiente Sacramentum. De Sacramentalibus.

CAPUT I.

DE NATURA SACRAMENTI NOVAE LEGIS.

Sacramentum novae legis est *signum sensibile, sacrum, permanens, interioris gratiae, institutum a Christo ad nostram Sanctificationem.* - 2.

Quaeritur 1. Quot sunt Sacramenta novae legis?

R. De fide est septem esse Sacramenta, et omnia a Christo instituta, ut definivit Concilium *Tridentinum*. Et horum alia dicuntur: 1. Sacramenta *mortuorum*, ut Baptismus, et Poenitentia, quae causant primam gratiam, et ideo etiam a peccatore suscipi possunt. Alia *vivorum*, ut sunt Eucharistia et alia reliqua. 2. Alia dicuntur Sacramenta *transeuntia*, alia *characteristica* seu characterem imprimentia, ut Baptismus, Confirmatio et Ordo: character enim est signum spirituale, per quod distinguitur ab aliis. 3. Alia Sacramenta sunt necessaria necessitate *medii* ad salutem, saltem in voto implicito, ut Baptismus et Poenitentia; alia vero tantum necessitate *praecepti*. 4. Alia dicuntur *formata*, scilicet quando in suscipiente obinent effectum suum; *informia* autem quando sunt quidem valida, sed sine suo effectu. Vide n. 87.

Quaeritur 2. Quam gratiam conferant Sacramenta, et an conferant ex *opere operato*?

R. 1. Sacramenta, ultra gratiam sanctificantem animam, conferunt etiam gratiam sacramentalem, scilicet auxilia ad obtinendum finem, ad quem

quolibet Sacramentum fuit institutum. *S. Thom.* 2. Sacramenta operantur *ex opere operato*, vi operis externi eliciti, id est, virtute conjunctionis formae cum materia et applicationis utriusque ad suscipientem, ex Dei institutione; quare, actus *ex opere operantis*, sive suscipientis Sacramentum, licet causent augmentum gratiae, si homo est in gratia, non tamen causant gratiam, quae a Sacramento cenfertur: ideo, hi actus requiruntur tantum ut dispositiones ad effectum Sacramenti recipiendum. - 6.

Quaeritur 3. An Sacramenta causant gratiam instrumentaliter physice, vel moraliter?

R. Tournely, etc. tenent causare moraliter, id est quia movent Deum ad gratiam physice causandum. *Salm. etc.*, tamen tenent causare instrumentaliter physice, ita ut causae illae naturales per potentiam obedientialem eleventur ad effectum supernaturalem; et probant ex illo: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua etc.* Hoc enim magis decet sacramenta. Utraque sententia est *satis probabilis*. - 7.

Quaeritur 4. An Sacramenta vivorum aliquando primam gratiam conferre possint?

R. Affirmative; et illud evenire potest, scilicet cum quis putans se non esse in statu peccati mortalis, vel existimans se contritum, accedit cum attritione ad Sacramentum, ut docet *S. Thom.* de Eucharistia, dicens: « Potest tamen hoc Sacramentum operari remissionem peccati, etiam percetptum ab eo qui est in peccato mortali, cujus conscientiam et affectum non habet; forte enim primo non fuit sufficienter contritus, sed devote et reverenter accedens consequitur per hoc Sacramentum gratiam charitatis quae contritionem perficiet, et remissionem peccati. » Et idem *communiter* docent DD. de aliis Sacramentis. Ratio, quia in Tridentino dicitur: « Si quis dixerit Sacramenta novae legis . . . . gratiam non ponentibus obicem non conferre . . . . Anathema sit. » *Nota.* Verbum *ponentibus obicem:* ergo qui accedit ad Sacramentum vivorum cum attritione, quae excludit peccati affectum tam actualem, quam habitualem, jam obicem non ponit, et ideo gratiam recipit, modo habeat votum poenitentiae. - 6.

Quaeritur 5. Quibusnam Sacramenta conficiuntur?

R. Tribus perficiuntur, videlicet rebus tamquam materia, verbis tanquam forma, et persona ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia. - 8.

Quaeritur 6. Quaenam debeat esse conjunctio inter materiam et formam Sacramenti, ut sit validum?

R. Tanta esse debet, ut secundum moralem hominum aestimationem, spectata natura cujuscumque Sacramenti, una alteram afficiat: hoc est, ut verba censeantur cadere in talem rem, et cum ea unum totale signum constituere. Unde praeter Eucharistiam, quae omnino requirit simultatem physicam, cum pronomen demonstrativum *hoc* et *hic* non possit verificari nisi materia sit praesens, *commune* est non esse opus simul formam et materiam incipi, nec simul finiri; sufficiet enim ut forma proferatur, dum applicatur materia, saltem antequam desistatur applicari.

Quaeritur 7. An in aliis Sacramentis praeter Eucharistiam, ut diximus sufficiat simultas moralis, ita ut satis sit formam incipere statim post applicationem materiae?

R. Negat Caj. et loquens de Baptismo, requirit ad validitatem Sacramenti quod verba inchoentur priusquam ablutio perficiatur, vel e converso. Sed *communiter affirmant Suar. etc.* Ratio, quia in composito morali, quale

est Sacramentum, sufficit moralis simultas. Haec tamen unio diversa esse debet pro diversitate Sacramentorum, ut recte dicunt *Suar. etc.*, major enim unio certe requiritur in Baptismo, ubi mora unius *Pater noster* invalidaret Sacramentum, ut bene ajunt *Troun. etc.* Et idem praefati Auctores docent de Confirmatione, Extrema Unctione et Ordinatione. In Poenitentia autem sufficit illa unio quam exigit actus judicialis, cum inter accusationem et sententiam soleat intercedere aliqua distantia temporis, quamvis in hoc Sacramento talis distantia non tanta debet esse, quanta fit in judicio forensi. Dicit *Croix* quod valide absolvitur poenitens post horam a Confessione. In matrimonio tandem sufficit illa distantia, quae ordinarie sufficit in contractibus, ubi satis est ut consensus unius ponatur, dum adhuc consensus alterius moraliter perseverat. Haec quoad Sacramentum Poenitentiae et Matrimonii videntur accepta apud omnes. Quoad vero alia Sacramenta, secunda sententia, spectata ratione, videtur moraliter certa, sed in praxi prima ut tutior consulanda est. Hinc, merito ait *Lugo* minime peccare Sacerdotem, qui ad majorem sui animi quietem, iterum se faceret ordinare sub conditione. - 9.

Quaeritur 8. Quaenam mutatio materiae vel formae nullum reddit Sacramentum?

R. Mutatio substantialis circa materiam vel formam, reddit Sacramentum invalidum; non vero mutatio accidentalis, quamvis saepe sit illicita. Porro *substantialis* mutatio materiae dicitur, quando secundum communem usum, et aestimationem hominum, differt nomine, et re ab ea quam Christus praescripsit. *Accidentalis* vero, quando cum ea eumdem retinet usum et nomen. Formae mutatio *essentialis* est quando non manet idem sensus: *accidentalis* quando manet. - 11.

Quaeritur 9. An materiae et formae omnium Sacramentorum fuerint a Christo Domino in specie determinatae?

R. 1. Certum est Christum in specie determinasse materiam et formam Baptismi et Eucharistiae. 2. Quoad alia Sacramenta, *prima sententia probabilis negat*, et eam tenent *Bellarm. etc.* Ratio unica hujus sententiae est diversitas Ecclesiae graecae et latinae in administratione aliorum Sacramentorum, praesertim in Ordine; in Ecclesia enim graeca Presbyteratus et Diaconatus conferuntur per solam manuum impositionem, in latina vero praeter manuum impositionem requiritur traditio rerum, ut habetur in decreto *Eugenii IV* ad Armenos. *Secunda* vero *sententia probabiliter, affirmat* omnes materias, et quoad substantiam etiam formas Sacramentorum fuisse in specie a Christo determinatas. Hanc tenent *Habert., Cont. Tourn. etc.* Circa autem diversitatem Ecclesiae graecae et latinae in Sacramento Ordinis, respondetur traditionem instrumentorum non esse materiam essentialem, sed tantum accidentalem, etsi integralem. Quoad vero decretum *Eugenii IV*, respondetur cum *Tourn. etc.*, quod Summus Pontifex non quidem determinavit materiam essentialem Ordinis, sed solum voluit Armenos instruere de omni ritu Ecclesiae romanae, cujus unionem illi ambiebant. - 12.

CAPUT II.

DE MINISTRO SACRAMENTORUM.

De Intentione, Attentione et Probitate Ministri.

ARTICULUS I.

De intentione et Attentione Ministri.

Ad valorem Sacramentorum, in Ministro non fides vel probitas, sed praeter potestatem, et jurisdictionem in

quibusdam, requiritur intentio. Ratio prioris partis est, quia Sacramenta operantur non ex dispositione Ministri, sed virtute divina secundum institutionem et meritum Christi. Ratio posterioris, quia ad confectionem Sacramenti requiritur talis intentio, quae actionem determinet ad esse Sacramentale. - 13.

Quaeritur 1. Quotuplex potest esse intentio?

R. Intentio potest esse vel actualis vel habitualis, vel interpretativa, vel virtualis. *Actualis* est, cum quis actu intendit Sacramentum conficere. *Habitualis* est, cum quis habuit antecedenter actualem, et non revocavit, sed de illa non amplius cogitat, nec ea in aliquo effecto permanet. *Interpretativa* est, cum quis nullam habet, nec habuit intentionem actualem, sed ita est dispositus, ut si adverteret, haberet. *Virtualis* demum est, cum quis licet hic et nunc non intendat actualiter conficere Sacramentum, agit tamen virtute actualis intentionis habitae, prout si quis habens intentionem Sacramentum Eucharistiae conficiendi, adeat Ecclesiam, dicat Missam et consecret. - 15.

Quaeritur 2. Quaenam requiratur intentio ad conficienda et conferenda Sacramenta?

R. Non sufficit in Ministro intentio habitualis, aut interpretativa. Hoc ut certum *communiter* docent *Suar.*, *Holz.*, *Viva.*, *etc.* Ratio, quia hujusmodi intentiones non faciunt ut actio sit elicita humano modo, ut requiritur in ministro, a quo procedunt Sacramenta tanquam a causa operante. 16. - 2. Non requiritur in Ministro intentio actualis. Idem etiam certum est apud omnes cum *S. Thom.* Nam, ut dicit S. Doctor. : « Hoc non est to- » taliter positum in hominis potestate, » quia praeter intentionem, eum homo » vult multum intendere, incipit alia » cogitare. » 17. - 3. Sufficit ut Minister habeat intentionem virtualem, quia per hanc ille vere operatur humano modo, cum talis intentio sit vera causa actionis, idque pariter *commune* et certum est cum *Suar.*, *Tourn.*, *Conc. etc.* 18. - 4. Sufficit etiam intentio Ministri coacta, sive metu extorta, nisi in matrimonio, quia metus non tollit voluntarium. Ita pariter non invalidat Sacramentum, excepto matrimonio, error Ministri circa personam suscipientis, nempe si Minister putans absolvere *Petrum*, absolvat *Paulum*, ut cum *communi* docent *Suar. etc.*; modo tamen Minister non alliget suam intentionem ad aliam personam determinatam, quod ordinarie non evenit, nisi in matrimonio. - 19.

Quaeritur 3. An ad validitatem Sacramentorum requiratur intentio interna Ministri?

R. 1. Non sufficit sola intentio faciendi actionem externam, sed requiritur intentio faciendi quod facit Ecclesia. Hoc est de fide a *Trid.* definitum contra *Lutherum.* 20. - 2. Non requiritur intentio faciendi quod facit vera Ecclesia romana, sed sufficit intentio faciendi quod facit vera Ecclesia a Christo instituta. Id pariter certum est, quia baptizati ab Haereticis, qui Ecclesiam romanam non credunt esse veram Ecclesiam, nequaquam sunt rebaptizandi. 21. - 3. Non requiritur ad valorem Sacramenti intentio explicita conficiendi Sacramentum, aut producendi effectum Sacramenti; sed sufficit intentio peragendi ritum, qui ab Ecclesia habetur pro Sacro. Ratio, quia ut supra dictum est, sufficit intentio faciendi quod facit Ecclesia. Ita *communiter Suar.*, *Tourn. etc.* - 22.

Quaeritur 4. An ad validitatem Sacramenti requiratur ut Minister habeat intentionem faciendi ritum Sacrum, quem intendit Ecclesia?

R. Prima sententia negat. Ratio,

quia ex *Trid.* non requiritur in Ministro intentio faciendi quod Ecclesia intendit, sed tantum faciendi quod facit Ecclesia; et ideo sufficit ut Minister serio applicet materiae debitam formam, ut facit Ecclesia. Haec sententia plures insignis nominis habet patronos. *Secunda* vero *sententia communis* et sequenda, *affirmat* omnino requiri intentionem Ministri faciendi ritum Sacramentalem, quem intendit Ecclesia. Probatur 1. ex *Trid.* ubi requiritur intentio faciendi quod facit Ecclesia; ergo non sufficit intentio tantum serio applicandi formam materiae, ut facit Ecclesia; reipsa enim haec intentio, dum actio externa ponitur, est ab actione inseparabilis; sed ultra requiritur intentio faciendi ritum Sacramentalem, quem facit Ecclesia: alias tam Concilium *Trid.*, quam *Const.* frustra praeter materiam et formam requisivisseut intentionem Ministri faciendi, quod facit Ecclesia. Probatur 2. et fortius ex Prop. 28. damnata ab *Alex. VIII,* quae sic habebat: « Va» let Baptismus collatus a Ministro, » qui omnem ritum externum formam» que baptizandi observat, intus vero » in corde suo apud se resolvit: *Non* » *intendo facere, quod facit Eccle*» *sia* ». Probatur 3. ratione, qua evincitur necessariam esse intentionem internam Ministri ad conferendum Sacramentum. Et confirmatur auctoritate SS. *Pont. Bened. XIV.* - 23.

Quaeritur 5. An in Ministro Sacramentorum, praeter intentionem, requiratur etiam attentio ut valide ea conferat?

R. Affirmat Lacroix, alias, ut ait, confectio Sacramenti non esset actio humana, humano modo adhibita. Ex hac opinione, si *probabilis* esset, inferretur utique quod Minister voluntarie se distrahens, non conferret Sacramentum; sed hoc non videtur posse subsistere. Haec igitur opinio *minime probabilis* mihi videtur, nec eam inveni ab alio Auctore traditam; omnes enim dicunt ad valorem Sacramenti, praeter materiam et formam nihil aliud requiri quam intentionem Ministri, ut definitum fuit a Conciliis. Nec officit dicere non esse actionem humanam illam quae fit sine attentione; nam licet, ut homo humano modo operetur, requiratur ut ad finem operis quod intendit facere attendat, non tamen requiritur ut cum opus exequitur, actualiter attendat. Si autem necessario haec attentio requireretur, nec etiam consequenter sufficeret, ut non recte supponit Croix, attentio virtualis, quae non datur, nec potest intelligi, quia cum attentio sit actus intellectus considerantis id quod homo agit, necessario importat ut intellectus actu advertat; unde, sicut non potest dici quod intellectus virtualiter consideret quod non considerat, ita nequit dici hominem virtualiter attendere, quando actu non attendit, sed alio est distractus. Hinc optime docet *P. Suar.* quod Minister, etsi distractus, vere conficit Sacrametum, quia, ut ait, actio ejus est simpliciter humana et libera, et procedit a priore intentione.

Quaeritur 6. An peccet graviter Minister voluntarie se distrahens in confectione Sacramenti?

R. Omnes dicunt peccare saltem venialiter; et *Cont. Tourn.* dubitat quin etiam peccet mortaliter, sed *probabiliter* hoc negat *Croix*, nisi esset periculum errandi in formis praesertim longioribus. In confectione tamen Eucharistiae, voluntariam distractionem mortalem esse *probabiliter* dicunt *Conc.*, *Tamb. etc.* Ratio, quia distractio in tali Sacramento videtur non carere gravi irreverentia. - 14.

Quaeritur 7. An sit validum Sacramentum collatum sub conditione?

R. Si conditio est de praeterito, vel de praesenti, sine dubio, verificata con-

ditione, Sacramentum est validum. Ita *communiter Suar., Laym. etc.* Si vero conditio sit de futuro, nullum quippe est Sacramentum collatum. Ratio, quia ut Sacramentum valide conferatur, forma est applicanda materiae praesenti, alias haberetur effectus Sacramenti quando forma et materia jam desierint adesse. - 26.

Quaeritur 8. An sit licitum conferre Sacramentum sub conditione?

R. 1. Quoad Sacramenta characterem imprimentia, certum est apud omnes licitum esse 27.-2. Quoad vero alia Sacramenta, *communiter* dicunt DD. posse conferri et reiterari sub conditione, si justa causa adsit. Et nos huic sententiae subscribimus, cum conditio, justa causa accedente, omnem reparet irreverentiam Sacramenti. Diximus *justa sive rationabili causa accedente*, nam, *commune* est esse peccatum mortale administrare Sacramenta, si non adsit causa necessitatis, vel gravis utilitatis; illicitum est enim sine tali causa Sacramentum conferre cum dubio effectus. Licitum autem est, ut dicunt *Suar. etc. communiter*, Confessario prudenter dubitanti an absolverit Poenitentem, absolvere sub conditione. Et idem dicunt *Tourn. etc.* quando absolvendus est puer, de quo dubitatur an compos sit rationis. Si quis autem judicans Poenitentem esse dispositum eum sub conditioue absolveret, dicens: *Ego te absolvo, si dispositus sis;* recte dicunt *Tourn. etc.* quod is non peccaret mortaliter, sed non excusaretur a culpa veniali, cum hoc esset contra ritum Ecclesiae. Idem ait *Croix* de eo qui sine rationabili causa repeteret unum verbum, vel syllabam formae. 28.-3. Certum autem est, quod casu quo adest extrema proximi necessitas, et non habeatur materia nisi dubia, tunc Minister non solum potest, sed tenetur sub gravi Sacramentum ei administrare sub conditione; ut docent *Lugo etc.* Advertit tamen *Lugo* quod si postea certa habeatur materia, et locus erit, repetendum est Sacramentum sub conditione, si forte primum invalidum non fuerit. Intellige hoc de Sacramentis iterabilibus, ut Baptismo, Confirmatione et Ordine. Notandum praeterea, quod si Sacramentum sit ministrandum sub conditione, nullatenus requiritur ut conditio ore exprimatur, sed sufficit mente concipi. Ita *Tourn. etc.* (*a*). Quando vero publice confertur Baptismus dubius, rationabiliter dicit *Tourn.* conditionem exprimendam, ne adstantes credant Baptismum absolute reiterari contra legem Ecclesiae. - 29.

ARTICULUS II.

De Probitate Ministri

Erga confectionem et administrationem Sacramentorum. Erga eorum decorem. Erga alias functiones Sacras.

§. I. - *De Probitate Ministri erga confectionem et administrationem Sacramentorum.*

Commune et certum est apud DD. quod minister Sacramenti ad id ordinatus, si conficiat et ministret solemniter in mortali, mortaliter peccat. - 31.

Quaeritur 1. An peccet graviter Minister qui confert in mortali Sacramentum, ad quod non sit specialiter or-

(*a*) *Sed quia desunt Auctores aliqui, ut* Gonet. etc. *qui tenent, licet* parum probabiliter, *valorem Sacramenti non pendere ab intentione Ministri, sed tantum ab ipsa collatione Sacramenti serio peracta, tutius est conditionem etiam verbis exprimere. Vide inter quaestiones ultimo reformatas ab* Auctore, Quaer 17.

*

dinatus, ut potest contingere in Baptismo et Matrimonio?

R. Prima sententia negat: et hanc tenent *D. Thom., Conc., Tourn. etc.* Haec sententia est quidem *probabilis.* Sed spectata ratione, videtur *probabilior secunda sententia affirmans*, quam tenent *Croix etc.* Haec sententia docet quod per se loquendo laicus sive Sacerdos ministrans non solemniter, peccat graviter ministrando in mortali. Hinc *infertur* 1. *probabilius* esse laicum sive Sacerdotem ministrantem non solemniter Baptismum in necessitate, peccare graviter, si ministret in mortali. 2. *Probabilius* peccare graviter contrahentes Matrimonium in mortali, non solum Sacramentum suscipiendo, sed etiam ministrando. 32. Dicimus *per se loquendo*, nam per accidens Minister tam consecratus, quam non consecratus excusatur si ministret in mortali Sacramentum Baptismi, aut Poenitentiae in necessitate, puta, si non posset tam cito confiteri, et periculum esset quod moribundus decederet sine Baptismo, aut Absolutione, ut *communiter* docent *Lugo, etc.*

Nota. Sacerdotes ministrantes in amplis Nosocomiis, aut in Castris, cum ibi necessitates morientium sint obviae, tenentur semper se paratos habere ad administranda Sacramenta in Gratia. Idem, ex eadem ratione rationabiliter ait *Tourn.* de obstetricibus. A fortiori autem ad id tenentur Parochi, aliive Sacerdotes, quibus ex officio incumbit Sacramenta ministrare. - 33.

Quaeritur 2. An Sacerdos conferens Sacramenta, teneatur praemittere Confessionem, si sit in mortali?

R. In confectione Eucharistiae certum est ex *Trid.* praemittendam esse Confessionem, juxta dicenda n. 255. Quoad alia vero Sacramenta, *prima sententia affirmat. Secunda* vero *probabilior* et *communis negat* necessitatem Confessionis, et dicit, sufficere quod eliciatur contritio. Probatur 1. Ex Rituali Romano *de Sacr. in genere*, ubi dicitur: « Sacerdos si fuerit pec- » cati mortalis sibi conscius, quod ab- » sit, ad Sacramentorum administra- » tionem non audeat accedere, nisi » prius corde poeniteat. Sed si habeat » copiam Confessarii, et temporis lo- » cique ratio ferat, convenit confite- » ri. » Nota verbum *convenit*, ergo ex Rituali sufficit poenitere per contritionem, et Confessio est de convenientia, non de necessitate. Probatur. 2. Ratione, tum quia in aliis Sacramentis non habetur praeceptum neque naturale, neque Divinum, neque Ecclesiasticum de praemittenda Confessione, ut habetur in suscipienda Eucharistia: tum, quia licet Confessio valde conveniat, tamen satis est ut Sacerdos adhibeat diligentiam moralem ad se judicandum per contritionem, quin summam adhibeat per Confessionem. - 34.

Quaeritur 3. An peccet mortaliter Sacerdos, aut Diaconus ministrans Eucharistiam in mortali?

R. Prima sententia negat; et hanc tenent *Lugo etc. Secunda* vero, quam sequimur, *affirmat;* eamque tenent *Suar. etc.*; Ratio quia Sacerdos ministrans Eucharistiam in mortali, gravem irrogat injuriam huic Sacramento. Hinc, celebrans in mortali quatuor sacrilegia committit. Primum, quia Sacramentum conficit. Secundum, quia suscipit. Tertium, quia ministrat sibi indigno. Quartum, quia Eucharistiam administrat in mortali.

Quaeritur 4. Utrum ministrans Eucharistiam unum peccatum committat, vel plura quot sunt ii, qui successive suscipiunt?

R. Bon. cum aliis *affirmat;* quia singulae distributiones sunt singula convivia et actiones completae. Sed *probabilius* dicunt *Henno etc.* pluralitatem communicantium constituere tantum circumstantiam aggravantem, sed

non multiplicitatem peccatorum, cum *verius* sit una actio moralis, et unum convivium: quod unum sane dicitur, quamvis ex pluribus constet conviviis. *Valde* autem *probabiliter* ait *Cont. Tourn.* quod peccet graviter qui existens in mortali, Eucharistiam ex officio tangit immediate, vel mediate, puta gestando in processione, vel populum benedicendo. Sed *non improbabiliter Bon., Croix etc.* id negant; quia hoc non est administratio Sacramenti, nec videtur materia tam gravis ut peccatum mortale inducat. - 35.

Quaeritur 5. An peccet graviter Confessarius excipiens Confessionem in mortali, cum proposito eliciendi contritionem antequam absolvat?

R. Prima sententia probabilis affirmat; quia talis actio est Sacramentalis. *Secunda sententia communior et probabilior negat.* Ratio, quia Confessarius audiendo non conficit sacramentum; illud enim non conficitur nisi quando absolutio impertitur

Quaeritur 6. An Confessarius plures successive absolvens in mortali, plura peccata committat?

R. Vide *Tract. de Pecc. - n.* 50, ubi *veriorem* esse diximus sententiam affirmativam. - 36.

§. II. - *De probitate Ministri Sacramentorum erga eorum decorem.*

Minister Sacramentorum debet curare non tantum quae ad substantiam Sacramentorum sunt necessaria, sed etiam quae ad decorem spectant, sive ex natura rei, sive ex Praecepto Ecclesiae.

Unde:

1. Peccat mortaliter minister, si utatur materia vel forma falsa, vel, extra necessitatem, dubia.

2. Peccat graviter vel leviter pro gravitate materiae, qui verba formae corrupte, inarticulate, indevote pronuntiat; qui materiam, vel formam, vel caeremonias contra Ecclesiae morem, quamvis accidentaliter, sine causa mutat, vel omittit. Quod si fiat ex contemptu, est mortale; si ex negligentia, saepe est mortale, quando magna est in re gravi.

3. Peccat graviter qui ministrat Sacramentum publico peccatori vel aliter indigno, nisi indignitas sciatur ex Confessione, vel sit occulta indignitas, et ex negatione sequeretur infamia, ut patet ex praxi Ecclesiae, et Christi qui *Iudae* Eucharistiam dedit.

4. Gravius peccaret qui ne daret indigno, porrigeret ei hostiam non consecratam, etsi sic cum eo convenisset, aut qui, non audens indigne celebrare, simularet Missam, elevans hostiam non consecratam, quia, quantum est ex se, dat occasionem idololatriae. - 42.

5. In quibusdam Sacramentis Minister, ut se fidelem dispensatorem praestet, non sufficit si petentem nesciat esse indignum, sed amplius tenetur prudentem rationem habere quod ille sit dignus.

Nota ergo 1. quod in Sacramento poenitentiae, cum in eo omnino requiratur ad valorem poenitentis dispositio, Minister prout Judex ad hoc constitutus, debet de ea se certum reddere. 2. In Sacramento Baptismi debet etiam inquirere consensum, et dispositionem baptizandi. 3. In Sacramento quoque Ordinis Episcopus debet certam habere scientiam de dignitate Ordinandi, cum ad Ordinem, prout directum ad publicum bonum, nemo habeat jus nisi qui vocatur a Deo tanquam *Aaron.* Vide, *n.* 50. 4. In Matrimonio autem Sacerdos assistens debet inquirere in impedimenta, cum ad hoc constituatur ab Ecclesia. 5. In aliis vero Sacramentis, quidquid dicat *Antoine*, ea non deneganda eis qui catholice vivunt, nisi constet de indignitate petentis. Ratio, quia, ad haec alia Sacramenta omnes fideles jus habent, et Ministri

non sunt Judices, sed dispensatores, unde, in eis non habent jus inquirendi, sed tantum debitum dispensandi omnibus qui petunt, modo isti non sint positive indigni; quia quisque naturaliter praesumitur bonus, nisi malus certo probetur. - 43.

Quaeritur 1. An sit negandum Sacramentum indigno, etiam publice petenti?

R. Affirmandum cum *communi et S. Thom.*, semper ac peccator est publicus, cum crimen sit notorium, vel jure, quando scilicet quis de eo juridice convictus est; vel facto, cum scilicet commissum est in loco publico; vel fama, nempe cum ex sufficientibus indiciis crimen pervenit ad multos. Et hoc, etiamsi aliquibus ex praesentibus crimen sit occultum. Excipitur tamen peccator in articulo mortis constitutus. Secus tamen si sit occultus, et publice petat, ut dicemus infra, n. 50. Dico, *si publice petat;* nam si indignus occulte petat, etiamsi ejus crimen sit occultum, Sacramentum est denegandum. Et idem dicendum, si crimen adstantibus jam notum sit. *Suar.*, *Croix etc.* - 44.

Quaeritur 2. An sit negandum Sacramentum peccatori, cujus peccatum non sit simplicitur publicum, sed notum sit plerisque ex praesntibus, non autem omnibus?

R. Adsunt tres sententiae. *Prima affirmat. Secunda probabilius negat;* quia petens adhuc possidet famam respective ad omnes, qui ejus crimen ignorant. *Tertia* dicit negandum, si ex praesentibus tantum unus, vel alter vir probus ignorat, qui putatur non evulgaturus; et haec est *satis probabilis.* - 45.

Quaeritur 3. An negandum Sacramentum peccatori in eo loco, ubi ejus crimen non est publicum, si publicum sit in alio loco?

R. Prima sententia affirmat. Secunda vero *sententia* quam amplector, *negat.* Secus vero dicendum, si notitia illius criminis facile est ibi perventura - 46.

Quaeritur 4. Quid requiratur ut publico peccatori Eucharistia possit ministrari?

R. Layman. etc. requirunt, praeter Confessionem, aliquod tempus bonae conversationis ad tollendum scandalum. *Possev. etc.* dicunt sufficere Confessionem coram pluribus, modo, addit *Bern.*, poenitentia brevi sit publice manifestanda. Et certe *Croix* adhaeret huic sententiae, quando peccator non habet proximam peccandi occasionem; quia, qui publice confessus est, publice censetur emendatus; secus, si adesset occasio et ille eam non deseruerit. Qui autem occulte petit, sufficit eum occulte egisse poenitentiam. - 47,

Quaeritur 5. Quid agendum in dubio de crimine, vel de poenitentia?

R. Distinguendum; si crimen est certum et poenitentia dubia, Sacramentum certe est denegandum, donec constet de poenitentia, quia manet infamia. Et hoc dicendum docent *Suar. etc.*, etiamsi habeatur publica suspicio de crimine, modo suspicio sit tam vehemens, ut aequivaleat morali certitudini; secus, si talis sit, ut probabili ratione deponi possit. Si autem dubitatur de crimine, non potest Sacramentum negari, intellige tamen juxta dicta supra, *n.* 43. - 48.

Quaeritur 6. An Ministar possit dare Sacramentum indigno ob metum mortis?

R. Prima sententia affirmat; modo Sacramentum non petatur in odium fidei, vel in contemptum Religionis. Haec sententia olim mihi *probabilis* visa fuit; sed, melius re perpensa, oppositum nunc teneo cum *secunda sententia.* - 49.

Quaeritur 7. An peccatori occulto publice petenti negandum sit Sacramentum?

R. Negative; ita omnes cum *S.*

Thom., vide *n.* 44. E contrario, nullo modo ministrandum Sacramentum peccatori occulte petenti, ut *S. Thom.*, excepto casu, quo crimen cognitum fuisset ex Confessione; tunc enim nec etiam licet Ministro peccatorem monere. - 50.

Quaeritur 8. An Confessarius possit Sacramentum negere ob crimen auditum in Confessione, sub praetextu aliarum causarum?

R. Affirmat Vasq. etc. Sed *verius negandum*, cum *Sanch. etc.*; quia, tunc peccator jam satis adverteret ex Confessione negari Sacramentum, et ideo sigillum laederetur, et Confessio fieret odiosa. Praeterea ex Decreto *Innoc. XI* hodie certum est nullo modo posse confessarium uti notitia Confessionis in gravamen poenitentis. Vide *Tract., de Poenit., n.* 668. Recteque addit *Croix* quod si Confessarius extra Confessionem aliunde notitiam habuerit, nisi notitia sit moraliter certa, non potest Sacramentum negare. - 51.

Quaeritur 9. Utrum denegandum Sacramentum Ordinis peccatori occulto publice petenti?

R. Si petens sit indignus ex irregularitate aut simili, eum omnino esse rejiciendum nemo dubitat; si vero sit indignus tantum quia est in peccato mortali, dubitat *Croix.* Sed *omnino verius* puto dicendum quod indignus etiam occultus ab Ordinibus omnino est arcendus, ut clare docet *D. Thom.* Ratio certa est, quia qui se ingerit in munera publica, ad quae non est idoneus, repelli debet etiam cum infamia, ob bonum publicum privato praeferendum. - 52.

Quaeritur 10. Utrum sit neganda absolutio Clerico habituato in peccatis lasciviae occultis, qui velit ad sacros Ordines ascendere sine praecedenti experimento continentiae?

R. Quod hodierna et antiqua Ecclesiae lex semper constans obstringit tam Episcopos quam Confessarios et Promovendos, ut cum aliquis Clericus recidivus vel consuetudinarius in vitio carnis, ad sacrum Ordinem, sive Subdiaconatum, sive ad Diaconatum, aut Presbyteratum ascendere cupit, quamvis sincere sit conversus ad Dominum, et ideo possit statim absolvi, non tamen poterit sacrum Ordinem suscipere, nisi aliquandiu operam det ad pravum habitum extirpandum. Et si ipse persistat ut Ordinem statim suscipiat, non censetur dispositus ad absolutionem, quia legem Ecclesiae violat in re gravi.

Potest tamen dari casus, quo Deus donet poenitenti tantam extraordinariam compunctionis gratiam, quae reddat eum adeo probatum, ut ipse statim possit sacrum Ordinem assumere, et ideo, si idipsum Confessario ex validis conjecturis constet, beneficium absolutionis suscipere, quin temporis experientia prius comprobetur. 64. Non quidem negandum hujusmodi conversiones extraordinarias esse, nec saepe evenire, neque etiam in Exercitiis spiritualibus, quae ad sacros Ordines praemitti solent, quoniam plerumque ad hujusmodi Exercitia Promovendi coacti accedunt; ideoque alia extraordinaria signa debet Confessarius in suo poenitente agnoscere, ut ei ad sacrum Ordinem ascendere permittat. - 71.

Praeterea, advertendum quod Confessarius toto conatu curare debet persuasum reddere hujusmodi initiandum, quamvis extraordinarie compunctum, ut differat Ordines suscipere quoadusque probatione alicujus notabilis morae magis purgatum se praebeat a sceleribus patratis. Imo, addo consultius et congruentius esse, ut, etiamsi ipse sit contritus, et ex compunctione habita sufficienter dispositus non solum ad absolutionem, sed etiam ad Ordinem assumendum, attamen ei absolutio differatur, ipso quoque non con-

sentiente, si velit statim ordinari, ut temporis experimento firmius probetur. Dummodo vero, excipio, ipse ex hac dilatione Ordinationis non sit subiturus notam, sive proximum periculum infamiae : nam in hoc caso censerem non posse Confessarium Poenitenti disposito beneficium absolutionis differre, quia tunc ille ex Confessione peracta habet jus non tantum ad absolutionem, sed ad eam statim obtinendam.

Caeterum fateor magnam adhibendam esse cautelam in hujusmodi Clericis absolvendis, qui vix e vitiorum coeno emersi ad altaris ministerium ascendere inhiant ; nulli enim dubium quod horum frequenter malus exitus deploratur, non sine maximo Ecclesiae detrimento, et populorum ruina. - 77.

Quaeritur 11. An Parochus possit assistere Matrimonio eorum, qui sunt publici peccatores?

R. 1. Certum est teneri Parochum arcere a Matrimonio eos, qui nesciunt doctrinam christianam. 2. Si contrahentes publice petant, et sint indigni ratione peccati vel censurae occultae, recte dicunt *Lugo etc.* Parochum teneri assistere juxta dicta *n.* 47. 3. Si contrahentes sint publice indigni, *affirmant Laym. etc.* Parochum posse et teneri assistere ; modo tamen Parochus prius conatus fuerit disponere sponsos ad digne contrahendum. *Negant* vero alii AA.

Nos vero minime acquiescimus primae sententiae, et dicimus Parochum non teneri, nec posse assistere tali Matrimonio, quia de jure naturali nemo potest cooperari peccato proximi, etiamsi alter peccatum jam interne consummaverit, prout diximus in *Tract. de Virtut. Theol.*, *n.* 47. Ita, nec Parochus in nostro casu, tum quia Parochus tenetur ex justitia, ex contractu inito cum Communitate, a qua stipendium accipit, incumbere saluti spirituali suarum ovium, eas avertendo a peccatis. Et quod dicimus de Parocho, dicendum est etiam de testibus, qui tamen satis excusarentur a peccato, si assisterent coacti metu gravi, cum ipsi non teneantur, nisi ex charitate, impedire peccatum. Parochus etiam excusari potest ad vitandam mortem, vel alia graviora mala communitatis, vel ipsorum contrahentium, puta, ne ipsi perseverent in peccato. Praeterea, satis excusantur a culpa Parochi qui assistunt Matrimoniis Haereticorum in locis, ubi est consuetudo, et mixti sunt Haeretici cum Catholicis, juxta mox dicenda, *n.* 56.

Nota. Certum est quod Parochi in Matrimoniis contrahendis tenentur ex officio inquirere an subsit aliquod impedimentum ; et si *probabiliter* illud subesse judicent, tenentur suam assistentiam denegare, et nuptias vetare, donec saltem per Ordinarium decernatur quid sit agendum. Quod si Ordinarius habet sententiam impedimenti occulti, etiamsi non posset illud probare, tenetur Matrimonium prohibere. - 54.

Quaeritur 12. An si unus sponsorum sit publice indignus, possit alter cum ipso matrimonium inire, et consequenter Sacramentum ei ministrare?

R. Ex duplici capite potest talis indignitas provenire, vel ab excommunicatione, vel aliquo mortali peccato sponsi. Si sponsus sit indignus quia est excommunicatus, vel erit vitandus, et tunc certe illicitum est cum eo contrahere, quia non licet cum ipso communicare in re sacra, quale est Sacramentum ; vel erit tantum toleratus, et tunc *probabilius* est licere, quia Concilium *Const.* indistincte concessit fidelibus posse communicare cum excommunicatis toleratis. Si autem sponsus sit indignus ob aliquod peccatum, hic magna occurrit difficultas, quia non licet Ministro conferre Sacramen-

tum indigno. Sed *Lugo etc.*, cum *communiori* dicunt licere cum eo contrahere, si alter sponsus sine gravi incommodo non possit a Matrimonio recedere; quia sponsi in hoc Sacramento videntur magis habere conditionem privatorum contrahentium, qui tantum respiciunt ad propriam utilitatem, quam publicorum Ministrorum, qui attendere debent ut suscipientes sacramenta ob eorum indignitatem repellantur. Hanc rationem non quidem reprobo, sed fateor eam non omnino me convincere. - 55. (*a*).

Quaeritur 13. Utrum, justa accedente causa, licitum sit Matrimonium contrahere cum Haereticis?

R. Generaliter loquendo id vetitum est ab Ecclesia. Verumtamen est *valde probabile* quod in locis ubi Haeretici vivunt mixti cum Catholicis, ut in Germania, Polonia, etc. ex consuetudine recepta et tolerata, licitum est Matrimonia inire cum Haereticis, modo 1. Catholico contrahenti permittatur libere permanere in fide. 2. Absit periculum perversionis. 3. Detur libertas educandi prolem catholice. 4. Si facile non sit invenire parem inter Catholicos. Quorum si unum desit non licebit. Docet autem *Lugo* quod ad tale Matrimonium opus est dispensatione, saltem in locis ubi est consuetudo in hujusmodi dubiis recurrendi ad Papam; quia Ecclesia merito potuit servare judicium, an sufficiat causa, vel an praeponderet periculum mali. *Probabiliter* tamen dicit non esse opus dispensatione quando pars haeretica serio promittit conversionem. Imo putat *Hurtad.* sufficere spem conversionis ortam ex ipsius indole, vel aliunde. Quando autem licitum est Catholico contrahere cum Haeretico, tanto magis licebit Parocho assistere ad tale conjugium. - 56.

Quaeritur 13. An in conferendis sacramentis liceat uti opinione *probabili*?

R. Certum est, ut vidimus in *Tract. de Consc., n.* 48. generice loquendo, id illicitum esse, ex prop. 1. damnata ab *Innoc. XI.* Excipe tamen, 1. si adsit necessitas ex parte proximi, ut est *commune* apud DD. juxta dicenda n. 480., loquendo de absolutione impertienda moribundo, et idem dicitur de Baptismo, n. 103. 2. Si habeatur *probabilis* opinio de jurisdictione Confessarii, *vide n.* 573., vel de validitate Matrimonii, juxta dicenda in *Tract. de Matrim. n.* 1113. 3. Quando administratio Sacramenti fieret obnoxia nimis scrupulis, aut difficultatibus; aliter non possent absolvi qui putantur dispositi, de quorum dispositione non alia quam prudens probabilitas haberi potest. Unde recte notat *Mazz.*, quod si talis dispositio non sufficeret, vix ullus unquam absolvi posset extra mortis articulum, quia vix unquam haberi potest certitudo de dispositione poenitentis.

Quaeritur 14. An liceat suscipere Sacramenta cum sola opinione probabili?

R. Vide dicta in *Tract. de Consc. n.* 51. - 57.

Quaeritur 15. An et quando Minister teneatur administrare Sacramenta?

R. 1. *Commune* est quod Pastores teneantur ex justitia, ratione stipendii quod exigunt, Sacramenta ministrare suis subditis rationabiliter petentibus, etiam extra gravem necessitatem. Pas-

(*a*) *Puto tantum dici posse quod praefata administratio, ut a Ministris ad id non consecratis, non esset grave peccatum pro ipsis, ut* probabiliter *tenent* Gonet. etc., *licet opinio opposita, quod sit grave, mihi videtur* probabilior. - *H. n.* 7.

tores autem dicuntur Superiores, respectu Religiosorum: et respectu saecularium, Episcopi et Parochi, vel qui curam subsidiariam cum obligatione habent. Peccat ergo Pastor qui morosum, vel difficilem subditis se reddit. Ideoque recte monuit *S. Carolus Borromaeus:* « Quacumque vero » diei vel noctis hora ad Sacramenta » infirmis ministranda Parochus voca- » bitur, nullam moram interponet; » imo, Populum praemonebit, ut cum » opus est Parochiali administratione, » libere se accersat, nulla habita neque » temporis neque loci distantis etc., » ratione. » Excusabitur tamen a mortali, si semel vel iterum extra necessitatem Sacramenta denegat; quia non videtur tam stricte se obligasse. *Croix*, *Suar.* *Aversa* excipit, si subditus peteret ex urgenti occasione, v. g. festi solemnis etc.

2. Ministri autem qui non sunt Pastores, in extrema necessitate tenentur ex charitate, etiam cum periculo vitae, proximo sacramenta ministrare. An vero teneantur in gravi necessitate proximi? Vide *Tract. de Virtut. Theol.*, *n.* 27. An Parochus tempore pestis teneatur ministrare Eucharistiam? Vide *Tract. de Euchar.*, *n.* 233. Quoties teneatur eam ministrare? Vide *ibid. n.* 253 *et* 254. Quoties ministrare Sacramentum Poenitentiae? Vide *Tract. de Poenitent.*, *n.* 623. - 58.

Quaeritur 16. An liceat unquam simulare administrationem Sacramenti?

R. Communiter DD. distinguunt simulationem in formalem et materialem. *Formalis* est qua directe intenditur alterius deceptio. *Materialis* est, qua alterius deceptio tantum permittitur. Sive loquamur de simulatione formali, sive materiali in re vitiosa, aut indifferenti, omnes conveniunt numquam esse licitum, etiam ob metum mortis, 1. proferre sine intentione verba consecrationis supra panem, aut absolutionis supra indispositum. 2. Hostiam non consecratam pro consecrata praebere. 3. Celebrare Missam non proferendo verba consecrationis, ex Propos. 29. damnata ab *Innoc. XI*, quae dicebat: « Urgens metus gravis est cau- » sa Sacramenti administrationem si- » mulandi. » E converso, omnes dicunt licitum esse Confessario super indispositum aliquid orare et dare Crucem, ne ejus indispositio prodatur; quamvis alii reputent eum absolutionem recipere; quia tunc Confessarius licite occultat veritatem, quam non tenetur nec potest manifestare. Recte vero advertit *Card.* quod tunc Confessarius non debet intendere deceptionem adstantium, sed tantum occultationem veritatis; nam alias mendacii reatum non effugeret, cum ex *D. Thom.* mendacium non solum committatur verbis, sed etiam facto.

Quaeritur 17. An liceat super indispositum dicere, *ego te non absolvo*, submisse dicendo *non?*

R. Affirmant Card. Sed negant Ronc. etc. Prima opinio non videtur improbanda. - 59.

Nota. Ex eadem ratione irreverentiae, non solum qui administrando, sed etiam qui suspiciendo Sacramentum simularet, non excusaretur a mortali; sed hoc currit quando adest vera simulatio Sacramenti. 60. Hinc infertur 1. quod in casu quo aliquis non poterit se disponere ad communionem, posset aliquando convenire cum Parocho, ad infamiam vel scandalum vitandum, ut hic dicat tantum super ipso verba: *Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat etc.*, et non praebeat hostiam. Secus dicendum, si Parochus porrigat ex conventione hostiam non consecratam. Ratio, quia licet non simuletur Sacramentum, exponitur panis adorationi adstantium et ipsius suscipientis, qui sic gravius peccaret externe adorando hostiam non

consecratam, quam si indigne communicaret. 61. 2. Non esse illicitum ob gravem metum simulare celebrationem Matrimonii, ut cum *communi* docent *Sanch. etc.*; tunc enim deficiente consensu, deficit contractus, et deficiente contractu, nec etiam existit Sacramentum. - 62.

§. III. - *De Probitate Ministri erga alias Functiones sacras.*

Quaeritur 1. An minister qui ex officio exercet in mortali functiones sacras, quae non sunt confectiones, neque administrationes Sacramentorum, peccet mortaliter ?

R. Prima sententia, pro qua videtur esse *D. Thom.*, dicit omnes exercentes ex officio functiones Ordinis suscepti ab Episcopo usque ad Ostiarios, in mortali, culpam gravem committere. *Secunda* vero *sententia communior* et *satis probabilis negat.* Ratio, quia in his functionibus non constat de tali praecepto. Unde videtur quod exercere tales functiones in mortali, non excedat culpam venialem; quae tamen erit eo gravior, quo actiones magis accedunt ad Sacramenti ministerium. - 37.

Hinc, *infertur* 1. esse *probabile*, quod non peccent graviter Diaconi et Subdiaconi qui in mortali altari ministrant. Ita *Suar., Lugo, Laym. etc.*; et hoc etiamsi frequenter ipsi ministrent, ut dicunt *Coninc., Croix, Bon., etc.* 38. - 2. *Probabiliter* non peccare graviter Episcopum, qui in mortali conficit Chrisma, vel oleum sanctum. 89. - 3. *Communissimam et probabiliorem* esse *sententiam*, quod non peccet mortaliter Episcopus, vel Sacerdos qui in mortali consecrat templum, benedicit vestes sacras aut corporalia, assistit Matrimonio, benedicit cineres, aquam lustralem, etc.

Quaeritur 2. An Concionator in peccato mortali peccet mortaliter ?

R. Prima sententia affirmat. Secunda vero *sententia communior* et *probabilior negat.* Ratio, tum quia nulla patet lex divina vel Ecclesiastica prohibens sub gravi peccatoribus abstinere a praedicatione; tum quia actus praedicandi non tendit immediate ad sanctificandum hominem, cum de se non causet gratiam, sicut causant administrationes Sacramentorum. *Communiter* tamen DD. non excusant eum a veniali, ob aliqualem irreverentiam quae fit verbo divino. Hinc, usus habet quod praedicator ante concionem petere soleat benedictionem ab Episcopo, dicens: *Munda cor meum etc.* 40. Dicunt vero *Suar., Sot., etc.*, non excusari a mortali praedicatorem, cui ex officio incumbat concionari, si praedicet existens publicus peccator; quia tunc scandalum praebet, impeditque finem doctrinae, praesertim si concionator increpet vitium, de quo ipse publice est diffamatus, juxta illud *Rom. c. 2. v. 21: Qui alios doces, te ipsum non doces; qui praedicas non furandum, furaris, etc.; nomen ... Dei per vos blasphematur inter gentes.* - 41.

CAPUT III.

DE SUSCIPIENTE SACRAMENTUM.

De conditionibus requisitis ut Sacramentum valide, et de dispositionibus ut licite et cum fructu suscipiatur.

ARTICULUS I.

De Conditionibus requisitis ut valide suscipiatur Sacramentum.

Tres requiruntur conditiones ut valide recipiatur Sacramentum. 1. Solus homo viator potest esse capax Sacramentorum. 2. Susceptio Baptismi omnino praeexigitur ad validam susceptionem aliorum Sacramentorum, ut de-

finivit *Eugenius IV* in decreto ad Armenos. 79 - 3. in adultis requiritur intentio suscipiendi Sacramentum. *S. Thom.* - 81.

Unde :

1. In infantibus nulla requiritur intentio, cum suppleat in eis intentio Christi, vel Ecclesiae ; sicut enim sine propria voluntate ipsi peccatum contraxerunt, ita sine voluntate ab illo liberantur. Hoc certum est et definitur a *Trid.* Idem dicendum de perpetuo amentibus, ut docet *D. Thom.* Quod dicitur de Baptismo, idem dicendum de Sacramento Confirmationis, ut *communiter DD.* Idem dicendum de Sacramento Ordinis, ut recte dicit *Lugo.* Idque hodie certum est ex bulla *SS. P. Bened. XIV*, edita 4 maji, an. 1745, ubi praescribitur quod ipsi infantes Ordinati, cum pervenerint ad annos discretionis, non teneantur ad Castitatem : praecipit vero Pontifex ut in anno decimo octavo detur eis optio, et si voluerint Castitatem servare, admittantur ad exercitium Ordinis ; secus, si noluerint. Et subdit, quod ipsi post ratihabitionem, invalide contrahunt Matrimonium, et tenentur ad Officium Divinum. - 80.

2. Certum est apud omnes non requiri in adulto suscipiente intentionem actualem, aut virtualem ; sed sufficere habitualem, id est aliquando habitam, et non retractatam. Ita *Lugo etc. communiter.* Idque probatur ex universali Ecclesiae praxi, quae non reiterat Sacramenta Baptismi et Ordinis iis qui ea suscipiunt ex voluntate prius habita. Et hoc procedit in omnibus Sacramentis, praeter Poenitentiam, et Matrimonium, ut infra explicabimus. Unde *communissime et probabilius* affirmant *Lugo etc.*, posse valide conferri Sacramenta dormientibus, ebriis, vel lapsis in amentiam, qui antea habuerunt intentionem illa recipiendi. Attamen recte advertunt *Suar. etc.* illicitum esse iis conferre Sacramenta, nisi in probabili periculo mortis, vel nisi quando impedimentum usus rationis censetur perpetuum ; alias expectandum ad tempus in quo suscipiens fiat compos rationis. *S. Thom.* - 81.

3. In suspicientibus Sacramentum Extremae Unctionis sufficit etiam intentio interpretativa, nempe, quae nunquam fuit habita, sed praesumitur habenda a suscipiente, si esset ipse compos rationis ; idque probatur ex Rit. Rom. ubi dicitur. « Hoc Sacramen- » tum est praebendum sensibus disti- » tutis, qui antea illud petierunt, seu » *verisimiliter* petiissent. » Et si forte aeger fuerit sensibus destitutus in actu peccati mortalis, *probabiliter* ait *Viva* saltem sub conditione Extremam Unctionem tunc esse illi ministrandam, prout etiam de Sacramento Poenitentiae dicemus n. 480. Ita etiam per voluntatem interpretativam, seu generalem potest moribundo sensibus destituto conferri sacramentum Confirmationis. Ita *Lugo, Spor. etc.*, qui idem dicunt de Sacramento Eucharistiae.

4. Sacramentum autem Baptismi et Ordinis invalide quidem confertur habentibus solam intentionem interpretativam, quia sine voluntate explicita nemo debet subire obligationem legum Ecclesiae et Status clericalis. Ita *communiter Lugo etc.* Verumtamen *Spor. etc.*, censent ad suscipiendum Baptismum sufficere intentionem implicitam contentam in contritione, vel attritione habita a suscipiente. Sed his contradicunt *Suar. etc.* Et recte *Lugo* sentit primam sententiam posse habere locum tantum in infideli, qui semper invincibiliter veram fidem ignoraverit.

5. Ad Sacramentum Poenitentiae non sufficit intentio neque interpretativa, neque habitualis, sed requiritur intentio vel actualis, vel saltem virtua-

lis, cum ibi requirantur pro materia actus poenitentis, qui non possunt quidem haberi sine voluntate saltem virtuali recipiendi Sacramentum; et hoc tenendum saltem in praxi, juxta dicenda de *Sacr. Poenit.* n. 457.

6. Ad Sacramentum Matrimonii suscipiendum *verius* sentit *Lugo* semper requiri voluntatem saltem virtualem, quia cum uterque conjux non solum sit suscipiens, sed etiam Minister Sacramenti, in singulis eorum certe requiritur ea intentio qualis in Ministris aliorum Sacramentorum exigitur, ut diximus *n.* 16 *et* 18. - 82.

ARTICULUS II.

De Dispositionibus requisitis ut licite et cum fructu Sacramenta suscipiantur.

Ad effectum Baptismi et Poenitentiae, requiritur et sufficit, praeter voluntatem sumendi Sacramentum, dispositio fidei, spei, et attritionis: non autem requiritur charitas, sive ut gratia habeatur, vide n. 139, et 437; quia haec Sacramenta dicuntur *mortuorum*, quod ipsa primam gratiam, seu vitam donent. Ad reliqua Sacramenta, quae dicuntur *vivorum*, requiritur ut suscipiens sit in gratia; quia ista non primam, sed secundam tantum gratiam, id est, augumentum tantum gratiae conferunt: etsi subinde per accidens dent primam, cum quis putat bona fide se carere mortali. *Laym.*, *Bon.*, *etc.* Hoc quidem est *probabile* cum *S. Thom.* - 83.

Unde:

1. Magis dispositi, majorem Sacramenti fructum praeter characterem consequuntur. - 85.

2. Ad Eucharistiam praemitti debet, ex speciali praecepto, Confessio et absolutio ab omni mortali. Pro aliis vero Sacramentis vivorum *communissimum* est sufficere praemittere contritionem. Vide *n.* 34.

3. Est certe peccatum grave Sacramentum suscipere cum mortali; et est gravius quam illud indigne ministrare, aut conficere.

4. *Communius* affirmant *Henriq. etc.*, licere in aliquo casu suscipere Sacramentum in mortali, idque pro casu rarissimo non videtur *improbabile*, puta si hostia consecrata esset profananda ab haereticis, et in subita irruptione non posset tam cito conteri. Idem *probabiliter* dicunt *Lugo etc.*, de laico accumbente in scamno communicantium, qui recordaretur peccati mortalis. - 86.

Nota hic Prop. damnatas ab *Alex. VIII;* nempe Prop. 22, quae dicebat: « Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad » Communionem percipiendam praetendunt, antequam condignam de » delictis suis poenitentiam egerint. » Et Prop. 23. « Similiter arcendi sunt » a sacra Communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus, et » omnis mixtionis expers. » - 83.

Quaeritur 2. An Sacramenta valide, sed cum fictione suscepta, id est, sine dispositione requisita, remoto obice, reviviscant?

R. De Sacramento Baptismi omnes *communiter* id affirmant. Ratio, quia peccatum ante Baptismum, vel in ipsa perceptione Baptismi consummatum non subjicitur Ecclesiae clavibus, unde necesse est remitti per solam virtutem Baptismi, qui sublato obice habet effectum prius suspensum ratione fictionis. Et ad obtinendum hunc effectum *verius* est sufficere in suscipiente attritionem, vide n. 139. Idem quod de Baptismo, dicunt *Lugo etc.*, etiam de Sacramento Poenitentiae, casu quo fieret Confessio valida et informis, juxta dicenda, n. 441. Idem ajunt *Lugo etc.*, de Sacramentis characterem imprimentibus, prout de Confirmatione et Ordine. Idem dicunt *Escob. etc.*, de Sacramento Extremae Unctionis et de Matrimonio. Recte autem *Lugo etc.*,

communiter negant hoc de Eucharistia, quae ex sua institutione frequenter potest iterari: idcirco non fuit opus hanc tribuere efficaciam tali Sacramento, ut subveniatur fragilitati hominum. Censet autem *Croix* cum *Soto etc.*, quod si quis communicet, et removeat obicem antequam species Eucharistiae consumentur, is non carebit gratia Sacramenti. - 87.

Quaeritur 3. An liceat petere Sacramenta a Ministro indigno?

R. Hic distinguere oportet inter Ministrum indignum ob aliquam censuram, vel inhabilitatem, et indignum ob peccatum mortale.

1. Si Minister est indignus per censuram etc., et non est toleratus, nimirum sit excommunicatus vitandus, vel publice et nominatim suspensus, et irregularis per sententiam, certe ab eo non licet petere Sacramenta, nisi in extrema vel gravissima necessitate, in qua omnes dicunt licitum esse suscipere Baptismum et Poenitentiam. Idem *probabiliter* de Sacramento Eucharistiae dicunt *Nav.*, *Suar.*, *etc.* Idem sentiunt de Sacramento Extremae Unctionis *Escob. etc.*, eo quod tale Sacramentum potest per accidens gratiam causare; sed melius id non admittunt *Suar.*, *Bon. etc.*, nisi quando infirmus non potuerit aliud Sacramentum recipere. Pariter dicunt *Suar. etc.* licitum esse recipere Sacrum Ordinem ab Episcopo excommunicato, quando in aliqua Provincia remota ille solus existeret, et talis Ordinatio redundaret in bonum communitatis. Idem dicunt praefati Auctores de Sacramento Matrimonii casu, quo esset necessarium vel ad salutem spiritualem morientis, vel ad magnam utilitatem temporalem filiorum, nec alius adesset Minister.

2. Si vero Minister sit excommunicatus, vel suspensus toleratus, *verius* est licere ab eo petere Sacramenta sine gravi causa; quia Concilium *Const.* absolute concessit fidelibus communionem cum toleratis. - 88.

3. Si Minister est indignus ob peccatum mortale, non licet ab eo petere Sacramenta sine rationabili causa juxta dicta *in Tract. de Virt. Theol., n.47. et* 49. Hinc, ajunt DD., licite recipi Sacramenta a ministro peccatore in sequentibus casibus: 1. Si urget praeceptum Confessionis, vel Communionis. *Suar., Conc., etc.* 2. Si ex dilatione susceptionis immineat periculum lapsus. *Tourn.* 3. Si debes implere praeceptum Missae audiendae. *Suar.*, *Soto etc.* 4. Si alias diu debeas permanere in mortali, et nequeas alium adire Confessarium. *Tourn.* Sed melius *Suar. etc.*, excusant ab omnia culpa eum qui est in mortali, si nolit neque ad horam exspeciare, quia non est modica utilitas quamprimum a peccato liberari. 5. Si carere debeas, saltem diu, Communione; *Suar.*, *etc.*; et idem ait *Suar.*, si carere debeas fructu Confessionis, etiamsi non habeas mortale. Sic pariter *affirmant Suar. etc.*, si carere debeas fructu alterius Sacramenti, et Minister sit Parochus, aut alius sit paratus, et non sit alius digne ministrans. 6. Si alias nequeas lucrari Jubilaeum. *Tourn.*, *Croix.* 7. Si indigeas perito Directore, et non habeas alium. *Tourn.*; modo debeas diu alium expectare, addit *Spor.* 8. Si vis Missam applicare, pro amico defuncto. *Spor.*

Nota. Certum est quod quivis minister praesumitur dignus, nisi constet oppositum ut *communiter* docent *Conc. etc.*; hinc, *probabiliter infertur* posse peti Sacramentum adhuc ab eo qui scitur paulo ante peccasse, quia praesumendus est ipse jam se disposuisse saltem per contritionem. *Suar.*, *Bon.*, *etc. communiter.* « In instanti » enim homo a divina gratia emenda- » tur, ait *S. Thomas.* » Recte tamen id limitant *Suar. etc. communiter*, si

constet ministrum esse consuetudinarium vel esse in occasione proxima peccandi, intellige voluntaria. Sic pariter limitat *Gob.*, si minister post peccatum, Confessionem non praemiserit ante Missae celebrationem. - 89.

CAPUT IV.

DE SACRAMENTALIBUS ET EORUM EFFECTU.

1. Caeremoniae ecclesiasticae, quae vulgo dicuntur Sacramentalia, sunt actus externi religionis, ad colendum Deum accomodati. Tales autem communiter vocantur, Oratio Dominica, aqua benedicta, esus eulogiarum olim in usu, confessio generalis, eleemosyna, benedictio ab Episcopo, vel Abbate consecrato data; quae ex antiqua traditione dicuntur remittere venialia, et continentur hoc versu :

Orans, tinctus, edens, confessus, dans, benedicens.

Ad quae etiam revocantur tunsio pectoris, unctio in regem et similes ; item multae aliae caeremoniae, et res etiam ipsae sacrae, quae in Ecclesia partim ab Apostolis traditae, partim postea institutae sunt, ut exorcismi, insufflationes, prima tonsura, benedictiones et consecrationes variarum rerum et personarum, ut Ecclesiae, calicum, etc. ipsae etiam herbae, lumina, vinum S. Joannis, cerei agni, signum S. Crucis. - 90.

2. Juxta sententiam *communiorem* et *veriorem* Sacramentalia non habent vim ex *opere operato* conferendi gratiam, ant remittendi peccata vi sua et per se, sed tantum quatenus in nobis pium motum excitant. 91. Hinc omnibus fidelibus consultum fit post sumptionem aquae benedictae, etc. se excitare ad actum doloris, sive amoris.-92.

Nota 1. Sacramentalia quandoque operantur beneficia corporalia v. g. sanitatem, per modum impetrationis, ratione precum Ecclesiae. Imo etiam vim habere fugandi daemonem per modum *operis operati* docent *Henriq. etc.* 93. - 2. Inter sacramentalia enumerantur agni Dei ex cera a Papa benedicti : et super his sciendum quod vetitum est sub excommunicatione cereos agnos inaurare aut pingere, vendere carius propter benedictionem ; sed *probabile* est non esse peccatum laicis eos tangere, *Sanch. etc.* 3. Licitum est projicere canibus ossa agni, vel ova quae benedicuntur : pariter licitum est uti aqua benedicta, et candelis ad usum profanum. *Croix etc.* Missalia autem et Biblia sacra, sicut etiam sacrae imagines non debent adhiberi ad usum profanum; secus vero dicendum de aliis chartis, ubi incidenter ac accessorie inscribuntur nomina sacra. - 95.

TRACTATUS XIX.

DE SACRAMENTO BAPTISMI.

De Baptismi natura, materia, forma, effectibus, ministro, subjecto, caeremoniis, et de patrinis.

CAPUT I.

DE BAPTISMI NATURA.

Baptismus, qui ex voce graeca significat ablutionem, sive immersionem in aquam, distinguitur in Batismum flaminis, sanguinis et fluminis. - 95.

1. Baptismus *flaminis*, sic dictus, quia fit per impulsum Spiritus Sancti, est perfecta conversio ad Deum per Contritionem vel amorem Dei super omnia, cum voto explicito vel implicito veri Baptismi fluminis, cujus vices supplet, juxta *Trid.*, quoad culpae remissionem, non autem quoad characterem imprimendum, nec quoad tollendum omnem reatum poenae. Et de fide est per hunc Baptismum flaminis homines etiam salvari. - 96.

2. Baptismus *sanguinis*, est sangui-

nis effusio, seu mors tolerata pro fide, aut pro alia virtute christiana, v. g. pro charitate, ut evenit in illis qui in obsequio pestiferorum ex charitate moriuntur. Hic Baptismus aequiparatur vero Baptismo ; ideo prodest etiam infantibus, dum Ecclesia SS. Innocentes prout veros martyres colit. In Adultis autem requiritur acceptatio Martyrii, saltem habitualiter ex motivo supernaturali.

Circa Baptismum *sanguinis*, *Nota* 1. illum remittere culpam et poenam, quasi ex opere operato ad instar Baptismi. 97. - 2. *Probabilius* esse quod ut martyrium remittat culpam et poenam, requiratur in peccatore Contritio, vel dilectio Dei super omnia : quam dilectionem martyrium non semper importat. Nam, potest quis velle potius mori, quam peccatum novum committere propter metum inferni. 98. - 3. *Probabile* esse Martyrium gratiam conferre quando martyr accipit lethale vulnus aut cruciatus, licet postea miraculose non moriatur. 99. - 4. Illicitum esse, sine divino instinctu, vel sine periculo scandali, temere se ingerere in Martyrium. - 101.

Nota. Insuper, de illis qui in obsequio pestiferorum ex charitate moriuntur, dicit Martyrologium *Rom.* « Quos » velut Martyres religiosa fides venerari » consuevit. » Et veros Martyres esse tenent 12 Academiae, 13 Cardinales, et plusquam 300 Auctores. - 100.

3. Baptismus fluminis, qui *valde probabiliter* cum *S. Thom. etc.* fuit institutus ante passionem Christi Domini, tempore quo Christus baptizatus est a *Joanne*, et qui definitur : *ablutio corporis exterior*, est ille de quo nunc. - 96.

CAPUT II.

DE BAPTISMI MATERIA REMOTA ET PROXIMA.

Certum est de fide, materiam remotam Baptismi non esse aliam nisi aquam materialem, sive elementarem, ut patet et Conciliis *Lateran.*, et *Trid.*, et ex illo *Joannis* 3., v. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.*

Proxima materia Baptismi est ablutio, quae valide fit tribus modis, scilicet immersione, aspersione, infusione, juxta praxim diversarum ecclesiarum, quae servanda est, ita ut morali hominum judicio censeatur esse lotus. - 105.

Quaritur 1. Quaenam aqua sit materia certe valida ?

R. Materia certe valida est 1. aqua fontium, puteorum, maris, fluminum, lacuum, stagnorum, cisternarum et pluvialis, et sic quaecumque simplex et pura, quae propriam aquae speciem retineat, nec refert frigida sit an calida, ex Rituali *Rom.* 2. Aqua resoluta ex nive, glacie vel grandine, ut *communiter* docent *Conc.*, *Helz.etc.* 3. Aqua sulphurea, sive mineralis. *S. Thom.*, *Tourn. etc.* 4. Aqua defluens in tempore nimboso a pariete, foliis, etc. *Tourn.*, *Elb. etc.* 5. Aqua turbida mixta cum alia re, modo aqua sit materia praedominans. *S. Thom.*, *Tourn. etc.* 6. Ros et aqua collecta ex vaporibus densatis, puta in operculo ollae. *Croix, Conc. etc.*

Quaeritur 2. Quaenam materia sit certe invalida ?

R. Materia certe invalida est 1. Sanguis, lac, vinum, urina, putuita, ut *Gonet* et alii *communiter*. 2. Succus expressus ex floribus, herbis, et radicibus, ut *S. Thom.*, *Elbel*, *etc.*

Quaeritur 3. Quaenam si materia dubia ?

R. Materia dubia est 1. Jus et lixivium. 2. Aqua ex sale soluto. 3. Cervisia tenuis.

Nota sedulo, quod, in extrema necessitate, si nequit haberi materia certa, potest et debet adhiberi qualis-

cumque dubia sub conditione, ut *communiter* dicunt *Conc.*, *Tourn.*, *Salm.*, *etc.* Et hoc procedit non solum quando est tantum probabilis opinio pro valore Sacramenti, sed etiam quando est tenuiter probabilis, ut recte dicunt *Antoine etc.* Ratio, quia conditio sub qua Sacramentum ministratur, sat reparat Sacramenti injuriam; et contra, necessitas sat justa est causa sacramentum de casu sic conditionate ministrandi. Et quando minister potest Sacramentum Baptismi, vel Poenitentiae sic conferre, ad id tenetur quidem sub gravi ex praecepto charitatis, ut bene ajunt *Antoine etc. communiter.* - 103.

Quaeritur 4. An aqua per artem chymicam educta ex floribus, plantis, aut radicibus, sit materia valida ad Baptismum, vel saltem dubia?

R. Prima sententia omnino negat; quia aqua artificialis nunquam naturalis dici potest. *Secunda* vero *sententia* merito censet hanc esse materiam *probabiliter* validam, et ideo in necessitate extrema omnino adhibendam; quia ut philosophi existimant, in mixtis vere et formaliter remanent elementa, quorum quodlibet virtute chymica resolvi potest in suam speciem, ita ut materia sic resoluta sit vera aqua.

Quaeritur 5. An saliva sit materia apta, vel saltem dubia ad Baptismum?

R. Affirmant Pal., etc. Sed *verius* dicunt esse materiam omnino ineptam *Tamb. etc. communiter.* Idem dicendum de sudore cum *Tamb. etc.* Et idem recte dicit *Fill.* cum aliis *communiter* de lacrymis.

Quaeritur 6. An sit materia Baptismi aqua fluens e vite, aliisve arboribus?

R. Omnino negant Salm. etc. quia liquor ille succus est arboris, non aqua. Sed melius *Tourn. etc.*, dicunt esse materiam dubiam.

Quaeritur 7. An glacies sive nix non soluta sit materia apta?

R. Negant pariter *Conc. etc.* Sed *dubitant Aversa etc.*; ideo dicunt posse in necessitate adhiberi sub conditione. - 104.

Quaeritur 8. An valeat Baptismus, si quis projiciat infantem in puteum vel flumen, et formam pronuntiet?

R. Prima sententia negat. Secunda vero *sententia affirmat.* Utraque *probabilis.* Bene tamen advertunt *Tournely etc.*, quod si talis infans superviveret, esset quidem saltem sub conditione rebaptizandus.

Nota. Omnino tenendum est nunquam licere projicere in flumen infantem ad eum baptizandum, quamvis sit mox decessurus sine Baptismo; quia nunquam est licitum ob quamcumque causam directe occidere innocentem. Licet tamen aqua gelida, si alia haberi non possit, puerum mox moriturum baptizare, etiamsi timeatur mors ex hoc acceleranda, ut *communiter* docent *Laym. etc.*

Quaeritur 9. An validus sit Baptismus collatus cum aqua venenata aut ferventi, unde infans enecetur?

R. Affirmative, quia adest ablutio usualis, et per accidens se habet quod aqua sit venenata aut fervens aut gelida.

Quaeritur 10. An validus sit Baptismus, si quis, aqua defluente ex tecto, puerum submittat, et formam proferat?

R. Affirmative. Secus autem ait *Tourn.* si accessio aquae ad corpus baptizandi fieret ab altero, quia tunc non verificaretur forma, *ego te baptizo*, quae requirit ablutionem faciendam ab ipso baptizante.

Quaeritur 11. An liceat incidere ventrem matris proxime moriturae, ut ejus infans Baptismum recipiat?

R. Negandum. Cum *Tourn. etc.*, et *communi*, ex divo *Thom.*, qui sic docet: « Non debet homo occidere matrem, ut baptizet puerum: si tamen

» mater mortua fuerit, vivente prole » in utero, debet aperiri, ut puer » baptizetur. » Non valet dicere quod vita spiritualis infantis debet praeferri vitae temporali matris; nam hoc intelligendum, ut quisque debeat quidem mortem sustinere, non autem ut debeat nec ut possit mortem sibi inferre, vel alterum occidere pro salute spirituali proximi. Attamen putant *Cont. Tourn. etc.*, ex judicio medicorum, bene posse matrem incidi et infantem baptizari, sine morte matris; et hoc casu dicunt licite fieri incisionem, et matrem teneri eam pati, si mater sit robusta et chirurgus peritus: et hoc casu dicunt DD. licite chirurgum incisionem facere, et matrem teneri eam pati, etiamsi ait *Tourn.* adsit periculum suae mortis.

Sed hic omnino puto distinguendum: nam respectu ad chirurgum, dico tunc eum posse incidere matrem, si periculum mortis illius sit remotum; secus si proximum aut probabile: sicut enim illicitum est occidere matrem ut puer baptizetur, ut vidimus cum *communi* ex *D. Thom.*, sic etiam non licet matrem probabili periculo mortis exponere: quod periculum non video quomodo vitari possit in tam gravi incisione; videant periti. Respectu vero matris, dico quod si periculum ejus mortis sit probabile, ipsa nec tenetur, nec potest suo positivo consensu ad incisionem concurrere; tantum posset et teneretur illam pati, si chirurgus sine suo consensu ipsa omnino negative se habente, incideret, et spes probabilis adesset prolem fore baptizandam, ac mors matris non esset certa, nam in dubio utrimque probabili tenetur ipsa vitam spiritualem prolis vitae suae temporali praeferre. Si autem sua mors sit certa, et salus prolis dubia, nempe si proles non sit certe baptizanda, non tenetur ipsa vitam certe amittere.

Valde autem *probabile* est id quod dicunt *Suar. etc.*, nempe quod si mater gravida sit per sententiam ad mortem damnata, quamvis debeat expectari tempus puerperii, tamen, si censetur infans certe decessurus, priusquam perveniat ad lucem, licite potest secari venter matris, anticipando supplicium; quia alias dilatio, quae datur ob bonum prolis, tunc cederet in ipsius detrimentum.

Nota 1. Bene advertit *Croix*, quod mortua matre, statim os ejus est aperiendum; ne infans suffocetur. 2. Scribit *Franciscus Emmanuel* in sua Embryologia sacra, et dicit 1. graviter peccare parentes qui, post mortem matris, negligunt incisionem fieri, et Chirurgus qui eam facere omittunt, aut differunt; additque Parochum teneri ad omnino curandum ne mater sepeliatur antequam fiat incisio. Item, addit quod si invenitur alius, etsi non Chirurgus, qui animum habet ad incisionem perficiendam, ille tenetur eam efficere. Dicit 2. quod cum infans non est omnino egressus ab utero, Baptismus non est administrandus a Parocho, sed ab obstetrice. Dicit 3. maxime advertenda esse eo casu, quae sint signa periculi in pueris; nempe 1. Si puer oritur sine vagitu et lacrymis. 2. Si modice respiret. 3. Si apparet lividus praesertim in facie, aut capite. 4. Si nascitur post multum temporis, aut laboris obstetricis. 5. Si nascitur ante septimum mensem. 6. Si cranium habet valde molle, aut suturas nimis apertas, aut alias partes disjunctas.-106.

Quaeritur 5. An infans in periculo mortis possit baptizari in utero matris?

R. 1. Certum est non valere Baptismum, si conferatur puero, abluendo corpus matris, quia infans est persona a matre distincta. 2. Si puer, in utero matris, per instrumentum aqua tingi possit, *prima sententia negat* valide baptizari. Ratio, quia nemo dicitur

renasci, nisi prius fuerit natus; ex illo *Joannis* 3, v. 5.: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, etc. Secunda* vero *sententia* satis *probabilis affirmat.* Ratio, quia talis infans, cum jam existat homo viator, bene potest Baptismum suscipere; et vere aliquis potest dici natus, non solum cum ex utero egreditur, sed etiam cum in utero jam vivit, juxta illud Angeli ad *Joseph* de conceptu Verbi incarnati *Matth.* 1. 20; *Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Ergo, si potest ablutio pervenire, ut bene arguit SS. P. *Bened. XIV*, bene potest puer baptizari. Et quod possit ait Pontifex constare ex judicio Medicorum et Obstetricum. Imo affert doctrinam *Sylvest.* et *Vasq.*, qui dicunt infantem involutum in secundina valide baptizari, quia haec habetur velut pars infantis, cum ipsa continuetur cum infantis umbilico: idque *probabile* censent *Laym. etc.* His positis, puto in casu necessitatis omnino infantem, sub conditione tamen, baptizandum esse in praedictis casibus.

Hic autem sedulo animadvertendum est id quod docet *D. Thom.* dicens: « Expectanda est totaliter egressio pue» ri ex utero ad Baptismum, nisi mors » immineat; si tamen primo caput egre» diatur debet baptizari, periculo im» minente; et non est postea rebapti» zandus, si eum perfecte nasci con» tigerit. Et videtur idem faciendum, » quaecumque alia pars egrediatur, » periculo imminente. Quia tamen in » nulla exteriorum partium integritas » vitae ita consistit, sicut in capite, » videtur quibusdam quod propter du» bium, quacumque alia parte corpo» ris abluta, puer post perfectam na» tivitatem sit baptizandus sub hac » forma: *Si non es baptizatus, ego te* » *baptizo.* » Unde ex *S. Thom.* valet baptismus datus in capite pueri licet nondum totaliter ex utero egressi; hoc mihi videtur certum; et hoc cum aliis *communiter* tenet Rit. Rom: ubi sic: « Si infans caput emiserit et pericu» lum mortis immineat, baptizetur in » capite: nec postea, si vivus evaserit, » iterum est baptizandus. »

Quaeritur 6. An valeat Baptismus, si aqua tantum vestes, aut crines baptizandi tangat?

R. Si tangat tantum vestes, invalidus est Baptismus. Idem dicunt *Conc. etc.* de Baptismo cum ablutione crinium dumtaxat. Sed oppositum absolute tenent *Tol. etc.*, quorum sententiam merito ipse *Lugo probabilem* putat. Ratio, quia licet capilli non sint animati, non sunt tamen pura excrementa, sed bene sunt hominis partes, sicut est cutis exterior, quae nec etiam informata est ab anima, et tamen haec utique in Baptismo aqua abluitur, non cutis interior. Hinc, recte dicunt *Laym. etc.* Baptismum in crinibus collatum saltem dubium esse; et ideo in necessitate, si in alia parte praestari non potest, adhibendum esse sub conditione. Et idem dicendum est de Baptismo qui non potest conferri, nisi in digito, pede, aut alia minima parte corporis.

Quaeritur 7. An valeat Baptismus collatus in alia parte principali, quam in capite, puta in scapulis, humeris, vel pectore?

R. Communissima est sententia affirmativa: attamen *Conc. etc.*, putant dubium esse talem Baptismum; unde merito dicunt *Viva etc.*, ad majorem cautelam licite posse illum repeti.

Quaeritur 8. Utrum ad Baptismum requiratur trina ablutio?

R. Quod ad validitatem spectat, nulli dubium validum esse Baptismum per unam ablutionem collatum, ut omnes docent cum *D. Thom.* Et aliquando in Ecclesia una tantum immersio adhibita fuit. Verum *Laym. etc.*, dicunt in hoc servandam esse consue-

tudinem uniuscujusque Ecclesiae. In nostro autem Rit. Rom. trina praecipitur infusio. Utrum vero hic ritus servandus sit sub mortali? *Negat Holzm.* Sed *verius affirmat Renzi*, et hic bene advertunt *Antoine* et *Busemb.*, curandum ut forma non perficiatur, antequam trina fiat ablutio.

Quaeritur 9. An sit materia sufficiens una vel altera gutta ad baptizandum?

R. Affirmant Vasq. etc. Sed *negant communiter Laym. etc.*, praesertim si gutta non fluit. *Probabilius* tamen *Holz. etc.*, dicunt esse materiam dubiam. Sed si baptizans motu digiti madefacti ablueret partem corporis baptizandi, *Anacl. etc.* habent Baptismum ut certum, licet *Tourn.* adhuc de eo dubitet. - 107.

CAPUT III.

DE FORMA BAPTISMI.

Vera et legitima forma Baptismi haec est: *Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, Amen.* Ita definitum est in Concilio *Later.*, et *Trid.* ex illo Matth. c. 18, v. 28. *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.*

Multipliciter autem haec forma variari potest, nempe, per verborum mutationem, corruptionem, transpositionem, additionem, diminutionem. In his autem omnibus ad discernendum quando variatio invalidet vel non Sacramentum, attendi debet an ipsa sit substantialis, aut accidentalis. *Substantialis* variatio est, cum corrumpitur substantia sensus verborum a Christo Domino intenti; et haec quidem Sacramentum invalidat. *Accidentalis* vero est cum idem remanet sensus; et haec non invalidat, nisi ut advertit *D. Thom.* aliquis formam sic mutando intendat alium ritum inducere, qui non sit ab Ecclesia receptus, quia non videtur quod intendat facere id quod facit Ecclesia.

Hinc 1. Quoad *mutationem* verborum pertinet, variatio accidentalis est 1. Si mutatur idioma, ut *communiter* omnes docent. Et recte notat *Croix*, melius esse ut mulleres, caeterique rudes si baptizent, utantur lingua materna, cum nesciant perfecte proferre latinam. 2. Si substituantur verba synonyma, v. gr. *abluo, lavo, intingo pro baptizo*, ut *communiter* dicunt *Bus.*, *Suar.*, *etc.* Si proferatur forma more Graecorum, nempe: *Baptizatur servus Christi in nomine Patris etc.*, ut approbatum fuit ab *Eugenio IV* in Concilio Florentino.

Nota. Baptismus est dubius, si conferatur, dicendo: *In nomine Genitoris, et Geniti et procedentis ab utroque.* Ita *Laym. etc.* - 109.

2. Quoad *corruptionem* verborum pertinet, notat *D. Thom.* facilius induci mutationem substantialem, si corruptio fiat initio vocis, ut si pro *Patris* dicatur *Matris*; secus, si corruptio fiat in fine. Hinc *Zacharias* Papa validum declaravit Baptismum sic collatum. *Ego te baptizo in nomine Patria et Filia et Spiritus sancta.* Idem dicitur, si quis ob balbutiem, vel praecipitantiam dicat: *Batizo* aut *babatizo*, aut *Baltizo* pro *Baptizo*; vel *Fili*, pro *Filii*.

3. Quoad *transpositionem*, inquit *S. Thom.* nomina et verba transposita idem significare. Hinc, transpositio per se facit mutationem tantum accidentalem, ut si dicas, *Te Baptizo ego in nomine Patris etc.* Idem dicunt *Lugo etc.*, si dicas; *Te baptizo ego in nomine Filii et Patris et Spiritus sancti.* Nec obstat si praeponendo Filium velles significare hunc esse principium Patris: nam, ut recte ait *Lugo* ex naturali significatione ipsum nomen Patris sonat esse principium Filii: nec

error Ministri internus praejudicat valori Sacramenti, ut docuit *Nicolaus I* ad consulta Bulgarorum. - 110.

4. Circa *additionem*, valet Baptismus, si addantur formae verba sensum non corrumpentia, puta, si quis diceret: *In nomine Patris omnipotentis* et *Filii unigeniti etc.* Secus ait *D. Thom.*, si quis baptizaret dicendo: *In nomine Patris majoris et Filii minoris;* nam, sic tolleretur veritas Sacramenti. Si quis autem diceret: *Ego te Baptizo in nomine Patris, in nomine Filii, etc. Probabilius* validum esse censent hunc Baptismum *Conc. etc.* Attamen, quia *Bon. non omnino improbabiliter* invalidum esse sentit; ideo talem formam censeo non esse tutam. - 111.

5. Quoad *diminutionem* tandem verborum pertinet, certum est valere Baptismum, si omittatur verba *Ego* et *Amen*, ut omnes conveniunt. Et talem omissionem culpam venialem non excedere dicunt *communiter Salm. etc.* Sicut contra est verbum *Te*, cujus omissio redderet quidem Baptismum invalidum.

Quaeritur 1. Utrum invalidet Baptismum omissio conjunctionis, *Et*, dicendo: *In nomine Patris, Filii, Spiritus cancti?*

R. Negant Conc. etc. Affirmant vero *Rag. etc.* Sed *Croix* recte censet satis esse ad valorem Baptismi, si particula *Et* praeponatur tertiae personae. Nam, juxta communem loquendi usum, quoties plura nomina uni verbo copulativo junguntur, sufficit ut conjunctio *Et* praeponatur ultimo nomini.

Quaeritur 2. Utrum verbum *In* sit de essentia?

R. Affirmant Conc. etc. At *probabilius negant Salm. etc.* Haec secunda sententia *verior* videtur; sed cum agitur de valore Sacramenti, a prima sententia non est recedendum. Ideo recte ait *Conc.*, quod talis omissio non possit excusari a mortali. - 112

CAPUT IV.

DE EFFECTIBUS BAPTISMI.

Effectus Sacramenti Baptismi sunt quinque sequentes: 1. Remissio omnis peccati originalis et actualis ante Baptismum commissi. Remanet tamen in baptizatis peccati fomes, qui non est peccatum, et si ei resistitur gratia Jesu Christi, proderit ad coronam. *Trid.* 2. Condonatio omnium poenarum pro peccatis debitarum. *Trid.* 3. Largitio divinae gratiae, qua Filii Dei et haeredes efficimur. *Trid.* 4. Characteris impressio. 5. Baptizatus fit Ecclesiae membrum, et illius auctoritati subjicitur. - 138.

CAPUT V.

DE MINISTRO BAPTISMI.

Valide ministrat omnis homo ratione utens, cujuscumque fidei vel infidelitatis, status aut sexus. Licite autem tanquam Minister ordinarius et ex officio Episcopus, et Sacerdos habens jurisdictionem, aut commissionem. In casu tamen extremae necessitatis, omnis qui potest valide, etiam facit licite, imo tenetur ut proximo succurrat. - 113.

Unde:

1. Nec Parrochus, nec Episcopus, absque commissione, extra suam Dioecesim, vel Parochiam, vel intra eam alienos licite baptizat. Ideoque peccant etiam parentes, qui sine licentia sui Praelati alieno deferunt prolem baptizandam, cum violent jus Parochi. - 114.

2. Peregrini vel qui domicilium non habent, possunt baptizari in Ecclesia quam elegerint.

3. Si mulier casu pariat in pago non suo, proles ab illius pagi Parocho est baptizanda; verumtamen, si ille pagus parum distet a pago proprio, v. g. duabus, aut tribus horis, potest baptizari proles etiam in Ecclesia sua.

4. Juxta *communiorem et probabiliorem sententiam* possunt advenae recipere Baptismum, et alia Sacramenta a Parocho loci, ubi jam contraxerunt quasi domicilium.

5. Bene baptizari potest alienus de licentia proprii Sacerdotis expressa, vel rationabiliter praesumpta.

6. Possunt Religiosi baptizare in casu necessitatis, vel cum licentia Ministri Ordinarii.

7. Sacerdos sine licentia extra necessitatem baptizans, etiam sine solemnitate, peccat graviter (*a*).

8. Extra necessitatem, nemo potest licite baptizari domi, exceptis filiis Principum. Vide *n.* 118. - 115.

9. Diaconus, ex commissione Episcopi vel Parochi, potest baptizare; sed recte dicit *Gonet.*, quod talis commissio nequit Diacono fieri, nisi ob magnam necessitatem, vel Ecclesiae utilitatem, puta, si non adessent Sacerdotes; vel ut dicunt *Suar. etc.*, nisi adsit multitudo baptizandorum, aut nisi Parochus sit graviter infirmus, vel excommunicatus, vel alias occupatus functionibus, v. g. Confessionibus excipiendis etc.

Quaeritur 1. An Diaconus in casu necessitatis possit solemniter baptizare?

R. Affirmant Suar. etc. Sed *communius* et *probabilius negant Palaus etc.* Ratio, quia Diaconus non potest esse Minister Baptismi solemnis, nisi ex commissione Sacerdotis, cum tantum Sacerdotis vice possit solemniter baptizare.

Quaeritur 2. An Diaconus sine commissione solemniter baptizans, incurrat irregularitatem?

R. Certum est quod Clerici non Diaconi solemniter baptizantes, fiunt irregulares. Quoad Diaconos vero, *negant* aliqui ipsos irregularitatem contrahere. Sed *probabilius* dicendum quod incurrant sive in necessitate, sive extra eam solemniter baptizent, juxta sententiam *communissimam*. Ratio, quia Diaconus, licet ordinetur ad baptizandum, ad id tamen non ordinatur nisi ex commissione Episcopi vel Sacerdotis, qui sunt soli Ministri ordinarii Baptismi.

Quaeritur 3. An laicus baptizans solemniter contrahat irregularitatem?

R. Affirmant Suar. etc. Sed *communius* et *probabilius id negant Palaus etc.*, quia talis irregularitas non videtur expressa in jure. - 116.

Quaeritur 4. Quis ordo servandus inter Ministros baptismi?

R. In Rit. Rom. sic habetur: « Si » adsit Sacerdos, Diacono praeferatur » (et Parochus Sacerdoti); Diaconus » Subdiacono, clericus laico, et vir » feminae, nisi pudoris gratia deceat » feminam potius quam virum baptizare infantem non omnino editum, » vel nisi melius femina sciret formam » et modum baptizandi. »

Nota 1. Praesente tantum patre, femina baptizare debet, quia extra summam necessitatem vetatur parentibus baptizare. 2. Rationabiliter censet *Spor.* cum *Gobat*, quod Parochi teneantur sub gravi obstetrices diligenter examinare, utrum noverint necessaria ad baptizandum, cum ipsae sub mortali teneantur addiscere modum baptizandi, et curare debent etiam ut alii fideles sciant et servent ritum baptizandi.

Quaeritur 5. An peccet mortaliter laicus, qui in necessitate baptizat, praesente Sacerdote?

R. Negant Suar. etc. Sed *verius affirmant Tourn. etc. communiter;*

(*a*) *Caeterum certum est extra necessitatem baptizantem sine proprii Pastoris commissione, graviter peccare; sufficit nihilominus in hoc licentia praesumpta, ut dicunt* Salm. etc. - *H. n.* 15.

quia vere tunc usurpat jus Sacerdotis, cui ex potestate Ordinis commissum est baptizare. Ideo etiam Sacerdos graviter peccaret, si laico administrationem cederet.

Quaeritur 6. An praesente Sacerdote excommunicato, praeferendus sit laicus non excommunicatus ?

R. Negant Scotus etc. Sed *verius affirmant Suar. etc.*, quia privilegium excommunicato conceditur in solo casu necessitatis, quae non reperitur adesse cum alius suppetit non excommunicatus.

Quaeritur 7. An peccet graviter laicus baptizans coram Diacono ?

R. Prima sententia affirmat ; quia Diaconus ex vi Ordinationis deputatur ad baptizandum per commissionem Parochi. Haec sententia est quidem *probabilis.* Sed *non minus probabilis* mihi videtur *secunda sententia negans ;* quia Diaconus baptizans in casu necessitatis sine commissione, non baptizat ex officio, sed eodem modo quo clericus inferior, vel laicus, juxta dicta *n.* 116. Ideo hujus Ordinis perversio non apparet tam gravis, ut de mortali damnetur.

Quaeritur 8. An laicus baptizans, praesente clerico inferiori, peccet mortaliter ?

R. Videtur *affirmare Conc.* Sed alii *communiter* recte docent non esse mortale ; attamen hoc non excusaretur a culpa veniali.

Quaeritur 9. An peccent graviter parentes, qui faciunt baptizari prolem a Praedicante, ad evitandas poenas edicti id praecipientis ?

R. Omnino affirmandum id esse mortale, ut docent *Less. etc.* - 117.

Nota 1. Nec licite nec valide potest unquam aliquis baptizare seipsum. Ita *communiter Conc. etc.* 2. Graviter peccant, qui per multum temporis differunt infantem baptizare. Id *commune est* apud omnes ex pluribus Conciliis. Et *communius* et *probabilius* dicunt *Sotus etc.* non esse gravem dilationem, nisi decem, vel undecim dies excedantur 3. Prohibentur infantes baptizari domi, exceptis liberis Regum, vel Principum ; et cum hic agatur de re gravi, transgressio erit equidem mortalis. Nomine autem *liberorum* veniunt non solum filii, sed etiam nepotes, et alii descendentes ; nomine vero *Principum probabilius* videtur intelligi tantum filios Principum absolutam potestatem habentium ; et in eo casu dicunt *Palaus etc.*, solemniter conferendum esse Baptismum, quia omissionem caeremoniarum solus casus necessitatis excusat. *Laym.* censet graviter peccare Magnates, qui extra necessitatem faciunt filios baptizare domi, vel etiam in Ecclesia privatim, ut deinde cum pompa caeremoniae perficiantur in ecclesia postquam advenerint Patrini, qui equidem, collato jam antea Baptismo, nec Patrini efficiuntur. His tamen obstantibus, puto quod ubi introducta est consuetudo domi baptizanti filios Magnatum, ipsa non est facile improbanda. - 118.

Quaeritur 1. An duo possint simul unum baptizare ?

R. Si sint duo unum simul baptizantes, alter materiam, alter formam applicans, nullus erit Baptismus. 119. Si autem plures Ministri singuli abluant, et formam pronuntient, graviter peccant contra ritum Ecclesiae ; attamen validus erit Baptismus si quisque per se intendat baptizare, independenter ab alio - 120.

CAPUT VI.

DE SUBJECTO BAPTISMI.

Subjectum capax Baptismi est solus homo vivus ab Adamo descendens, nondum baptizatus.

Unde :

1. Valide baptizantur infantes, item

perpetuo amentes, qui numquam usi sunt ratione, quia censentur ejusdem conditionis cum infantibus. Si autem aliquando sint usi ratione, non valet Baptismus nisi ante amentiam petiverint. - 121.

2. Non valet Baptismus iteratus, ideoque uterque tum rebaptizans, tum rebaptizatus peccant mortaliter, fiuntque irregulares, et jure civili subjacent poenae mortis. Si Baptismus detur, etsi sine justa causa, sub conditione, rebaptizans non videtur tunc incurrere poenam mortis; sed videtur *probabilius* quod incurrat etiam in hoc casu irregularitatem (*a*). - 122.

3. Si dubium sit an infans vivat, baptizandus est sub conditione; et sic, quandocumque aliquod apparet signum de vita prolis. Hinc optime censent *Cardenas, Ronc., Croix,* cum aliis AA. gravissimis, omnes foetus abortivos, si per aliquem motum dent signum vitae, et non constet eos esse anima destitutos, semper esse baptizandos sub conditione si vivant; maxime cum hodie vigeat opinio, non sine plausu a peritis recepta, quod foetus ab initio conceptionis, vel saltem post aliquos dies, anima informentur.

4. Non debet baptizari, ut bene advertit. *Tourn.*, carnea massa, quae nullam habet organorum dispositionem, cum ubique receptum sit non prius animam infundi corpori, quam istud formatum fuerit; et tunc ut baptizetur, requiritur ut indicet aliquem motum vitalem, prout praescribit Rituale *Rom.*

5. Valide baptizatur is quem Minister putat esse alium, aut licet sit puella, quam putat esse puerum, quia intendit baptizare praesentem.

6. Valide, etsi extra necessitatem illicite, plures simul baptizantur hac forma: *Ego vos Baptizo etc.* - 124.

7. Quando dubitatur an monstrum sit homo, baptizandum absolute, si caput sit humanum, licet membra sint ferina; sub conditione vero, si caput sit ferinum, et membra humana; hoc vero si prodierit ex congressu viri cum femina; nam si prodierit ex viro cum bestia, quod incredibile puto, tunc baptizari semper deberet sub conditione; secus, si ex femina et bruto; tunc enim nullo modo baptizandum, quia non descenderet ex Adam, utpote non conceptum ex semine virili. Quod si habeat membra hominis geminata, et dubitetur num sit unus homo, an duo, servandum id quod habetur in Rituali *Rom.*, ubi sic dicitur: « Illud vero de » quo dubium est, una ne an plures » sint personae, non baptizetur donec » id discernatur. Discerni autem po» test, si habeat unum vel plura ca» pita . . . unum vel plura pectora; » tunc enim totidem erunt corda et » animae . . . hominesque distincti, et » eo casu singuli seorsum sunt bapti» zandi. Quando vero non est certum » in monstro esse duas personas, ut » quia duo capita et duo pectora non » habet bene distincta, tunc debet pri» mum unus absolute baptizari, et » postea alter sub conditione si non est » baptizatus, etc. » - 125.

Quaeritur 2. An filii Infidelium valide et licite possint baptizari, invitis parentibus?

R. Certum est 1. tale Baptisma validum esse, ut *communiter* dicunt *Tourn., Lugo, Bened. XIV. etc.* - 126.

Certum est 2. quod si parentes deficerent a fide ad infideles, bene possunt eorum proles, ipsis invitis, baptizari, quia sicut Ecclesia habet potestatem coercendi parentes ad fidem observandam, ita potest filios ab ipsis auferre. Ita *communiter Suar. etc.* Idem dicendum, si unus tantum pa-

(*a*) Probabile *est quod incurrat irregularitatem.* - *II. n.* 19.

rentum fuerit prius fidelis, ut *communiter* dicunt *Croix etc.;* et hoc *probabilius* est etiam si proles sit mansura apud Haereticos, qui verum baptismum conferunt; secus vero, si sit mansura apud Haereticos, qui invalide Baptismum conferunt, ut Lutherani, Anabaptistae, Calviniani. Caeterum, filii Haereticorum vere baptizatorum licite baptizantur, parentibus invitis, quando obstringi possunt ut filios instruant in fide catholica; quos alias licite possunt superiores Ecclesiastici ab eis avellere, ut catholice educentur. Ita *Laym. etc.*- 127.

Certum est 3. quod si filii infidelium habeant usum rationis, et Baptismum petant, possunt et debent baptizari, adhuc reluctantibus parentibus. Ita *Tourn. etc.* Et postquam filius invitis parentibus est baptizatus, potest et debet Ecclesia ipsum ab eis segregare, ut a periculo perversionis avertatur. *Laym. etc.* Si vero dubium sit an puer habeat vel ne plenum usum rationis, post septennium debet baptizari; sed *S. P. Bened. XIV.* docet in dubio rationis ante septennium puero petenti baptizari omnino differendum Baptismum, donec constet de perfecto ipsius rationis usu; sed sapienter addit illum tunc omnino avocandum a parentibus, et in loco tuto custodiendum.- 128.

Certum est 4. posse et debere baptizari prolem, si ipsa sit in periculo mortis. Ita *communiter* omnes DD. citati cum *S. P. Bened. XIV.*- 129.

Certum est 5. quod si filius infidelium juste vel injuste sit positus extra curam parentum, nec sit timor quod ad eos sit reversurus, bene potest baptizari. Ita *communiter Tourn. etc.* Idem dicendum de filiis infidelium perpetuo amentibus, quia non est periculum perversionis.

Certum est 6. filios infidelium in bello captos bene posse baptizari, parentibus invitis, quia lege belli captivi non amplius ad parentes, sed ad dominos pertinent.

Certum est 7. etiam licite baptizari proles infidelium, qui sunt mancipia Christianorum; quia domini in eorum filios dominium habent.

Certum est 8. quod si unus parentum consentiat, altero reluctante, bene infans baptizatur. Et idem dicendum, si mortuo patre, avus paternus consentiat in Baptismum pueri, Matre reluctante.- 131.

Quaeritur 2. An utroque parente infideli reluctante, possint baptizari eorum filii usu rationis carentes?

R. Si filii sint mansuri in potestate parentum, nullo modo licet eos baptizare; quia tunc certum imminet periculum perversionis. Si vero tale periculum non adsit, quia filii subtrahuntur a potestate parentum, *prima sententia communior negat. Secunda* vero *sententia* censet licitum esse hujusmodi filios baptizare, saltem auctoritate publica, et ex consensu Principis. Haec sententia per se loquendo non videtur *sua probabilitate* carere. Dixi *per se loquendo;* nam, spectatis circumstantiis, haec sententia vix videtur posse in praxim deduci, ob graviora mala, quae comitarentur hujusmodi Baptismos. Et ideo Ecclesia, ut testatur *D. Thom.* nunquam morem habuit baptizandi filios infidelium ipsis invitis. Insuper advertendum, quod pro filiis Hebraeorum adest Constitutio *Julii III*, qui imposuit suspensionem et poenam mille ducatorum baptizantibus filios Haebreorum, reluctantibus parentibus.- 132.

Quaeritur 3. An liceat vendere filios non baptizatos parentibus infidelibus?

R. Negat Hurt. Sed *communius* et *satis probabiliter affirmant Sanch., Suar. etc.* Ratio est communis pacis servandae, et majora mala vitandi.- 133.

Quaeritur 4. An Baptismus aliquando repeti possit et qua forma?

R. Cum temere rebaptizare sit mortale ex objecto, quia est in genere sacrilegii, dum conaris ministrare Sacramentum incapaci; ideo in hujusmodi dubiis attendenda est regula *communiter* a DD. recepta, quod ad iterum conferendum Baptismum baptizato sub conditione, non sufficit leve, sed requiritur prudens sive rationabile dubium, an Sacramentum fuerit vel ne receptum. Dubium autem vel potest esse *juris*, vel *facti*. Quando dubium est *juris*, nempe quando aliquis est baptizatus cum materia, forma, aut intentione dubia, tunc certe Baptismus est iterandus sub conditione. Quando vero dubium est *facti*, id est, quando dubitatur an datus sit vel ne Baptismus; tunc, si dubium est negativum, eo quod nulla habeantur indicia hominem esse baptizatum, sine haesitatione hic est sub conditione baptizandus; si vero dubium *facti* est positivum, etiam Baptismus est iterandus, si utrinque adsunt apparentes non leves conjecturae, quae rem dubiam efficiunt. Unde in Concilio *Carthaginensi V* sic dicitur: « Quoties non inveniuntur certissimi » testes, qui eos baptizatos esse sine » dubitatione testentur, absque ullo » scrupulo esse baptizandos. »

Nota 1. Ad id sufficere unum testem ocularem fide dignum. Et hoc, etiamsi sit femina; secus vero si adsunt testes positive oppositum deponentes. 2. Quod baptizandi non sunt, neque sub conditione, adulti qui nati sunt ex parentibus Christianis, et inter fideles educati, quamvis nullum testimonium habeatur accepti Baptismi. Hoc tamen intelligendum, modo pro contraria parte graves non occurrant rationes (*a*). 3. Quod si infans aliquis arreptus sit a Barbaris, et dubitetur an captus fuerit ante vel post Baptismum, tunc omnino baptizandus est sub conditione. - 134.

Quaeritur 5. An infantes expositi sint baptizandi?

R. Si isti exponantur sine schedula, sine dubio sunt baptizandi, nisi alias constaret fuisse rite baptizatos. Si vero sint expositi cum schedula, *prima sententia negat. Secunda* vero *sententia verior* et *communior* recentiorum docet omnes eos esse baptizandos sub conditione, quoties non habetur moralis certitudo de Baptismo collato et rite collato, alias semper remanet prudens dubium de suo valore. - 135.

Quaeritur 6. An sint rebaptizandi infantes ab obstetricibus sive laicis baptizati?

R. Alii *affirmant;* alii vero sentiunt hos semper esse rebaptizandos sub conditione, quoties tamen desunt ad minus duo testes fide digni de Baptismo rite collato. Sed *communissima* et *vera sententia* docet, tunc tantum tales pueros esse rebaptizandos, quando adest probabilis suspicio erroris in dato Baptismo. Secus vero dicendum, si in examine Parochus constanter deprehendat obstetricem illam, sive laicum rite baptizasse.

Nota 1. Quod postquam aliquis privatim baptizatus est, consuetae caeremoniae et ritus in Ecclesia suppleri debent. 2. Quod cum Baptismus reiterandus est, puto omnino servandum ordinem descriptum *n.* 117. Potest tamen dari in quocumque loco, si peractae jam sint solemnitates in Ecclesia. 3. Quod in collatione talis Baptismi non est praemittenda confessio, sed sufficit praemitti dolor de peccatis. - 136.

Quaeritur 7. An debeant rebaptizari pueri ab Haereticis baptizati?

(*a*) *Imo S. C., ut refert* Zach., *pluries decrevit esse rebaptizandos sub conditione eos pro quibus nullum Baptismi recepti signum haberi potest nec parentum Matrimonii.* - H. n. 23.

R. Certum est de fide ex *Trid.* validum esse Baptismum collatum ab Haereticis, quando omnia requisita ad Sacramentum adhibentur. Sed merito putant *Gob. etc.* pueros baptizatos a Praedicantibus (et idem ait *Sylvius* praecise de baptizatis ab Anglis, ac *Tourn.* de cunctis baptizatis a Lutheranis, et Calvinianis) omnes baptizandos saltem sub conditione, quia facile dubitari debet de materia, forma, et intentione talium ministrorum, cum ipsi hoc Sacramentum non judicent absolute necessarium; propter quod parum curant de necessariis requisitis, aliis adhibentibus aquam rosaceam, aliis dividentibus materiam a forma, ita ut alter proferat verba, alter aquam infundat; aliis aquam tantum super vestes infundentibus. Et ideo, cum tot urgeant motiva dubitandi de valore talium baptismatum, merito dicimus ordinarie loquendo, illa sub conditione repetenda. Caeterum, censuit S. C. non esse rebaptizandos pueros baptizatos ab Haereticis, nisi in eo loco praedicantes non observent requisita ab Ecclesia Catholica ad valorem Sacramenti.

Nota. Peccat graviter Minister qui non rebaptizat sub conditione eum, de quo rationabile dubium juris vel facti manet, num valide sit baptizatus; et in hoc casu non est necesse conditionem verbis exprimere, nisi timeatur scandalum; attamen tutius est eam exprimere, et cum baptizatur sub conditione, non requiritur Patrinus. - 137.

Quaeritur 8. Quae dispositio requiritur in suscipiente Baptismum?

R. In infantibus eorum voluntatem supplet Christus et Ecclesia: est certum ex *Trid.* In adultis autem requiritur intentio saltem habitualis, idest habita et non retractata; vide n. 81. Requiritur etiam in eis ad licite recipiendum Baptismum fides et poenitentia. Quoad fidem requiritur ut sciant Sacramenta, saltem Baptismum, Eucharistiam et Poenitentiam, Praecepta Decalogi, saltem crasso modo, et Orationem Dominicalem: ultra quatuor illa scitu necessaria, idest, Dei existentiam, Deum remuneratorem esse, Trinitatem, et Incarnationem Passionemque D. N. Jesu Christi. In urgenti autem periculo mortis, sufficit scire haec quatuor ultima. Quoad poenitentiam autem requisitam, requiri contritionem tenent *Nav.* et alii. Sed *verius Gonet etc.* tenent sufficere attritionem, quin sit charitate formata. Ita etiam *D. Thom.*

An vero in suscipiente requiratur aliqualis charitas inchoata, vide *Tract. de Poenit., n.* 440. - 139.

CAPUT VII.

DE CAEREMONIIS BAPTISMI.

Mortale est negligere caeremonias Baptismi aut aliquam ex eis notabilem, ut omnes *communiter.*

Unde:

1. Seclusa necessitate, est mortale baptizare sine unctione Chrismatis. Et *Nota*, si chrisma, vel veterem oleum deficere videatur, et aliud non possit haberi benedictum, oleum de olivis adjiciatur, sed in minori quantitate.

2. Mortale est baptizare in aqua non consecrata (*a*), vel in Chrismate alterius anni. Et si annus sit completus, et Pastor non accepit novum oleum, licite poterit conferri baptismus sine unctionibus, et postea unctiones suppleri, si oleum novum expectandum sit per notabile tempus, puta per decem vel undecim dies, juxta dicta *n.* 118. Nota 2, quia talis dilatio sat justa est causa, ut possit Baptismus sine illis ministrari. Si vero oleum intra praedictos dies facile haberi possit, tunc puto non posse sine necessitate, vel

(*a*) *Probabile est licere uti aqua non consecrata in Baptismo privato.* - *H. n.* 8.

saltem sine causa gravi Baptismum separari ab unctionibus, quae ex gravi quidem praecepto concomitanter cum Baptismo debent adhiberi, nisi forte prius jam adhibita sint, ut plures opinantur. Vide *n.* 144.-141.

3. Mortale est sine necessitate baptizare extra Ecclesiam. Excipe 1. Si dubium adsit de morte infantis, puta si infans nascatur sine fletu, si mulier difficulter sit enixa, si infans prosiliat ante septimum mensem; tunc enim baptizare licet domi privatim. *Gob.* et *Quintan.* idem dicunt si proles prodeat octavo mense. Excipe 2. Si infans nequit in Ecclesiam deferri sine periculo infamiae parentum, aut alius gravis damni, quo casu putat *Croix* posse domi Baptismum solemniter conferri. Excipe 3. si infans sit filius Regis, aut Principis. Vide *n.* 118.-142.

4. Cum in necessitate, vel aliam ob causam gravem, Baptismus sine caeremoniis est collatus, ea cessante, illae solemniter in templis sunt supplendae, et quidem sub mortali. Quod tamen non est moris in haereticis conversis, ne plebs putet nos eorum Baptismum improbare.

Quaeritur. Si Baptismus collatus deprehendatur fuisse invalidus, an repetendae sint caeremoniae?

R. Salm. dicunt repetendas esse secluso scandalo, vel infamia baptizati, vel baptizantis; ratio, quia caeremoniae sunt accessoriae ad Baptismum, cum pertineant ad ejus ornatum. Alii vero *communius* negant esse repetendas; quia ad debitum cultum sacramenti servandum sufficit ut caeremoniae vel subsequantur, vel antecedant sacramentum. Utraque sententia videtur *probabilis*, sed prima ut *tutior* consulenda.-144.

Nota 1. Circa nomen quod in Baptismo imponitur, advertit *Croix* 1. non peccare qui nomen Sancti non imponit, vel qui imponit nomen Veteris Testamenti; sed non facile acquiescendum volenti imponere nomen Ethnicum. 2. Quod si dubitetur an infans sit vir aut mulier, et urget periculum mortis, posse baptizari sine nomine. 3. Nomen in Baptismo impositum licet posse privata auctoritate mutari, cum hoc nullo jure prohibeatur: procul dubio autem mutari potest in Confirmatione.

2. Circa autem librum Baptizatorum, notandum hunc fidem facere in quovis Tribunali. Parochus autem diligenter tenetur in libro adnotare diem et horam nativitatis, nomen Baptizati, Parentum et patrinorum; item, si Baptismus sit collatus sub conditione, vel sine caeremoniis; item, ubi infans repertus sit expositus. Ita Rit. *Rom.*-145.

CAPUT VIII.

DE PATRINIS.

Patrini sunt quasi patres spirituales, qui baptizatum de fonte suscipiunt in suam curam.

Ut quis valide sit patrinus, non requiritur certa aetas (*a*), sed requiruntur sequentes conditiones: 1. Usus rationis. 2. Ut ipse sit baptizatus, et quidem valide. 3. Ut a parentibus vel Parocho ad hoc designatus sit. Parochus autem mutans patrinum, graviter peccaret. 4. Ut in ipso Baptismo (quia non sufficit in solis caeremoniis) per se vel per procuratorem tangat, teneat, aut de manu baptizantis suscipiat. Ut id non materialiter tantum, sed animo susceptoris, sive cum intentione id munus gerendi faciat.-146.

Quaeritur 1. An in Baptismo privato adhibendus sit patrinus?

(*a*) *Probabiliter tenent Croix requiri saltem aetatem septem annorum.-H. n.* 32.

R. Nulla culpa est, si patrinus omittatur in Baptismo privato. Ita *Tourn. etc.* Dicunt tamen *Sanch. etc.* quod licet non necessario sit adbibendus patrinus in Baptismo privato, tamen bene adhiberi potest, et praestantius adhibetur.

Quaeritur 2. Quaenam sint obligationes patrini?

R. D. Thom. circa obligationem patrini sic ait: « Ille qui suscipit aliquem de sacro fonte, assumit sibi officium paedagogi; et ideo obligatur ad habendam curam de ipso. » Id est, ut dicunt *Holz., Tourn. etc.*, tenetur instruere baptizatum circa fidem et mores. Attamen, haec obligatio tunc tantum urget, « si necessitas immineret, tempore et loco, in quo baptizati inter infideles nutriuntur: » ut dicit idem *D. Thom.* addens: « sed ubi nutriuntur inter Catholicos Christianos, satis possunt ab hac cura excusari, praesumendo quod a suis parentibus diligenter instruantur; si tamen quocumque modo sentirent contrarium, tenerentur secundum suum modum saluti spiritualium filiorum curam impendere. - 146.

Nota. Patrini contrahunt etiam cognationem spiritualem, quae impedit, dirimitque matrimonium non quidem inter se, sed inter ipsos et baptizatum, ejusque patrem et matrem, sicut etiam inter baptizantem et baptizatum, baptizatique patrem et matrem. - 156.

Quaeritur 3. Qualis actus requiratur in patrinis ut contrahant cognationem?

R. Textus, qui hanc cognationem statuunt, his utuntur vocabulis: *suscipit, tenet, accipit, levat, tangit.* Unde DD. conveniunt requiri ad contrahendam cognationem, ut patrinus vel teneat aut tangat infantem dum baptizatur; vel statim levet aut suscipiat de sacro fonte, vel de manibus baptizantis.

Quaeritur 4. An requiratur tactus physicus ad contrahendam cognationem?

R. Loquendo de infantibus, *communiter affirmant* Doctores; loquendo vero de adultis, *negant Sotus etc.* Sed *communissime* et merito huic contradicunt *Palaus etc.*, qui requirunt tactum physicum pro adultis ac pro intantibus, ex sacris Canonibus. - 148.

Quaeritur 5. An baptizans, et patrinus adhibitus in Baptismo privato contrahant cognationem spiritualem?

R. Nulli dubium quin baptizans contrahat, quoad vero patrinum, *prima sententia affirmat. Secunda* vero *sententia communior* et *probabilior negat*, et probatur ex *Trid.* - 149.

Quaeritur 6. An parentes baptizantes vel suscipientes de Baptismo filios, contrahant impedimentum petendi debitum?

R. 1. Certum est non contrahere, si baptizent in necessitate. 2. Graviter peccare parentes qui ex industria, et sine necessitate filios baptizant. 3. Non contrahere cognationem, si parentes ex ignorantia baptizent. 4. Si vero baptizent ex industria praeter necessitatem, *prima sententia communior affirmat*, et hanc tenent *D. Thom etc. Secunda* vero *sententia satis probabilis negat;* eamque tenent plures et graves DD. Ratio, quia revera nullo jure expressum invenitur suppositam cognationem contrahi. - 150.

Quaeritur 7. An suscipiens infantem in Baptismo collato sub conditione, contrahat cognationem?

R. Si de primo Baptismo adsit dubium dumtaxat negativum, *omnino affirmandum* cum *communi.* Secus tamen dicunt *Sanch. etc.*, si dubium sit positivum. Et hoc est *satis probabile* juxta dicenda *de Matrim.*, *n.* 905., ubi dicemus cum *communi* DD. bene posse contrahi matrimonium, quando post adhibitam diligentiam nullum impedimentum certo adesse probatur. - 151.

Quaeritur 8. An contrahat cognationem qui ex errore suscipit unum infantem pro alio?

R. Negant Sanch. etc., affirmant vero *Pal. etc.*, quia suscipiens videtur habere intentionem suscipiendi infantem, quicumque sit. Et haec sententia mihi *probabilior* videtur; nisi ille habeat expressam intentionem non tenendi alium, nisi quem intendit suscipere.-152.

Quaeritur 8. Quisnam contrahat cognationem, si quis suscipit infantem nomine alterius?

R. Tres adsunt sententiae. *Prima communior* dicit contrahere solum principalem. *Secunda* dicit contrahere solum procuratorem. *Tertia* dicit neutrum contrahere. Prima *absolute verior* mihi videtur; quia ex *Trid.* is contrahit cognationem, qui est a parentibus ad suscipiendum designatus.-153.

Quaeritur 19. An patrini ad contrahendam cognationem debeant esse designati?

R. 1. Certum est designatos contrahere cognationem. 2. Si alii ultra designatos baptizatum tangant, cognationem spiritualem nullo pacto contrahunt, ex *Trid.* 3. Si nullus sit designatus et plures tangant, tenet *Diana* neminem eorum cognationem contrahere. Sed *oppositam* sententiam (*a*), cui subscribo, *communem* vocat *Viva*, et hanc tenendam dicunt *Salm. etc.*, hi dicunt omnes contrahere. Et ob eamdem rationem idem recte dicunt *Salm. etc.*, etiamsi adsint patrini designati, sed alius praeter eos tantum tangit, hic solus enim tunc contrahit, quia Concilium dicit eos non contrahere qui ultra designatos tangant, non vero qui praeter; nam *ultra* importat quod tangant designati, et non designati: *praeter* autem importat, quod tangant tantum non designati.

Quaeritur 11. Si plures quam duo designentur, et omnes tangant, an omnes cognationem contrahant?

R. Censet *Suar.*, quod si successive tangant puerum, primi duo tantum cognationem contrahunt; et idem sentiunt recte *Sanch. etc.* Si autem simul omnes tangant, *Suar.* censet nullum contrahere. Sed *Sanch. etc. communius* et *probabilius* dicunt tunc omnes designatos contrahere.

Nota 1. Si Parochus injuste repellat patrinos a parentibus electos, et ii infantem teneant, hi veram cognationem contrahunt. 2. Si Parochus admitteret plures patrinos quam duos, mortaliter peccaret, quia laederet praeceptum Ecclesiae in re gravi impositum ne multiplicentur cognationes. Si vero plures patrini accedant a parentibus designati, bene poterit permittere ut omnes tangant, modo externe designet unum et unam, quibus tantum tradat infantem, et illos solos adnotet ut patrinos moneatque tantum eos cognationem contraxisse.-154.

Quaeritur 12. An patrini possint esse duo mares, aut duae feminae?

R. Negatur. Sed *probabile* est esse tantum veniale, contra *Bon. etc.*, qui volunt esse mortale.

Quaeritur 23. An patrinus masculi, si unicus sit, debeat esse masculus, et feminae femina?

R. Affirmant Laym. etc. Sed *probabilius negant Suar. etc.* cum ex Trid. dicatur: *sive vir, sive mulier.*

Quaeritur 14. An peccent designantes ut patrinos duos mares, vel duas feminas?

R. Certum est peccare tam parentes quam Parochum tales patrinos admittentes, cum sit contra praescriptum Ecclesiae; et hoc esse mortale mihi *verius* videtur, si patrini sint diversi sexus ac infans; quia sic multiplica

(*a*) *Quae est communissima.-H.* 35.

rentur cognationes, quod prohibere voluit *Trid.*, secus, si essent ejusdem sexus.-155.

Quaeritur 15. Quinam prohibentur esse patrini?

R. Valide quidem, sed illicite sunt Patrini, sequentes: 1. Abbas et Monachus (*a*). 2. Conjuges respectu conjugum, et parentes respectu filiorum, nisi sit necessitas. 3. Moribus infames. 4. Apostatae et haeretici, qui nullo casu videntur advocandi, quia ea advocatio esset protestatio quasi falsae Religionis, cum non nisi de falsa sint sponsuri. 5. Plures quam duo, quia *Trid.* non nisi unum, aut ad summum unum et unam permittit propter cognationem spiritualem inde oriri solitam.-156.

Quaeritur 16. An duo conjuges possint licite suscipere alienam prolem?

R. Negat Suar. censet tamen id non esse plusquam veniale. Sed nullum esse peccatum *probabilius*, et cum *communissima* docent *Nav. etc.* quia jam consuetudine introductum est hoc esse licitum. *D. Thom.*-157.

Nota. Parochus graviter peccat 1. Si ex negligentia frequenter omittat nomina baptizatorum referre in librum, tum ob legem *Trid.* in gravi et sub poena gravi; tum ob incommoda, et damna inde sequentia. 2. Si, ut superius dixi, ejus culpa plures Patrini adhibeantur. 3. Si baptizet solemniter sine patrino, cum haec sit de praecipuis caeremoniis. 4. Si admittat ad Baptismum patrinum non designatum.-159.

Debet insuper Parochus monere Patrinos de cognatione contracta, eorumque obligatione; inculcare matribus et nutricibus ne decumbant cum infantibus ob periculum suffocationis. Notat vero *Tourn.* cum *Barb. etc.*, *communiter*, quod si talis cubatio omni culpa caret, ut contingere potest si v. gr. lectus est latus, puer implacabilis, qui aliter a frigore defendi non possit, et mulier in somno suum retinere soleat situm ac locum, omnis poena cessabit.-169.

TRACTATUS XX.

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS

De confirmationis natura, materia, forma et effectibus. De ejus Ministro et subjecto. De ejus necessitate et Caeremoniis.

CAPUT I.

DE CONFIRMATIONIS NATURA, MATERIA, FORMA ET EFFECTIBUS.

1. Confirmatio est unctio Chrismatis, sub praescripta forma verborum, in fronte baptizati, ab Episcopo, quia is ex Christi institutione, gratiae augumentum, et robur accipit. Ita ex *Trid.*-161.

II. Materia ejus remota essentialis est Chrisma confectum ex balsamo et oleo olivarum, benedictum ab Episcopo. Ita *communiter* DD. (*b*).

III. Circa Materiam proximam Sacramenti Confirmationis, plures adsunt sententiae, sed tres sunt principaliores. *Prima* tenet materiam essentialem hujus sacramenti esse manuum impositionem illam, quae habetur in Pontificali Romano in principio Ritus, ubi Episcopus antequam ad Chrismatis unctionem accedat, extendit manus versus confirmandos, proferens Orationem: *Omnipotens sempiterne Deus etc.* Unctionem autem, quae postea ab Epi-

(*a*) *Aut monialis, aut regularis cujuscumque Ordinis.*-H. n. 37.—(*b*) *Ad differentiam olei Baptismi et infirmorum, ut distinxit* Innoc. III. *quamvis ex sententia* probabiliori, *unum oleum istorum sit materia valida pro alio Sacramento.*-*H. n.* 39.

scopo adhibetur, dicit esse materiam accidentalem, non a Christo, sed ab Ecclesia institutam. *Secunda sententia* dicit materiam essentialem componi tam ab impositione manuum quae fit in principio, quam in unctione, quae deinde ab Episcopo adhibetur. *Tertia* denique *sententia communis* vel *fere communis*, quam tuemur et certissimam cum *Bellarmino* existimamus, tenet materiam adaequatam et totalem confirmationis esse Chrismatis unctionem, quae confirmandis per impositionem manus Episcopi adhibetur. Hanc docent *D. Thom. etc.*

Unde:

1. Juxta hanc tertiam sententiam, de essentia Sacramenti est 1. ut Unctio fiat in fronte. 2. Ut fiat in forma crucis. 3. Per manum ipsius Episcopi ministrantis. - 164.

2. Etsi ex necessitate praecepti unctio fieri debeat pollice manus dexterae, valida tamen esset, si fieret digito etiam sinistrae manus; quia vere fieret per impositionem manus Episcopalis.

3. *Communius* sentiunt *Laym. etc.*, peccare graviter Episcopum, qui alio digito quam pollice dexterae manus ungeret. Sed *Escob. etc.* dicunt esse *probabile* id non excedere culpam venialem; et revera non patet omissionem praedictae caeremoniae pertingere ad peccatum mortale. Unde dicunt, quod si Episcopus praedictum pollicem infirmum haberet, licite posset alio digito ungere. - 163.

4. *Probabile* est requiri ad valorem sacramenti, ut unctio fiat ab Episcopo immediate, nullo instrumento mediante; quia debet fieri per impositionem manus.

5. Circa quantitatem Chrismatis, ea sufficit et requiritur, quae satis sit ad ungendam frontem confirmandi in figuram crucis. - 166.

IV. Circa formam hujus Sacramenti quatuor adsunt sententiae. *Prima* est eorum qui tenent solam impositionem manuum esse adaequatam materiam hujus Sacramenti, ideo dicunt formam esse solam orationem quae praecedit unctionem; sed haec sententia est omnino falsa. *Secunda sententia* est eorum, qui tenent tum impositionem manuum quae unctionem praecedit, tum unctionem ipsam esse materias partiales; unde, dicunt formam coalescere ex dicta oratione praecedenti, et ex verbis unctionem comitantibus. *Tertia sententia singularis* est *Cont. Tourn.* Ille auctor alias doctus, pro unica materia quam ipse tuetur adesse in hoc Sacramento, vult eam duplici forma indigere; et nescio qua ratione firma niti possit. *Quarta* est *sententia* nostra et *communis*. Dicimus igitur, quod sicut totalis materia adaequata Confirmationis est unctio Chrismatis adhibita per manum Episcopi, sic totalis forma sunt verba quae Episcopus ungendo profert: *Signo te signo Crucis, et confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* Sic definivit *Eugenius IV* cum Concilio *Florentino* in Decreto ad Armenos - 167.

Hinc *nota* quoad formam, substantiales esse et Sacramentum invalidare omnes mutationes sequentes, scilicet: 1. Si omittatur verbum *signo* vel *confirmo*. 2. Si omittatur expressio *SS. Trinitatis*. 3. Si omittatur verbum *te*. 4. Si omittantur verba *signo Crucis* vel *Chrismate salutis*. Dicere autem *corroboro* pro *confirmo*, essa mutatio accidentalis; sicut etiam dicere *sanctificationis* pro *salutis*. - 168.

V. Tres sunt effectus hujus Sacramenti, nempe: 1. Character. 2. Gratia id est robur speciale ad praelianda praelia Domini. Imo ex *Cap. Novissi de consecrat.* declaratur in Confirmatione conferri gratiae Spiritus sancti plenitudinem, similem illi quam acceperunt Apostoli in die Pentecostes.

etiam aliquando per hoc Sacramentum prima gratia confertur, juxta dicta *n.* 84. 3. Cognatio spiritualis eodem modo quo dictum est de Bapt., *n.* 156. - 169.

Quaeritur 1. An oleum et balsamum sint de necessitate Sacramenti?

R. Certum est oleum esse de necessitate Sacramenti; certum est etiam balsamum esse de necessitate praecepti. An autem balsamum sit de necessitate Sacramenti? Duplex est sententia. *Prima negat. Secunda* vero *communior* et *probabilior affirmat*, et probatur ex decreto *Eugenii IV*, approbata a Concilio *Florentino*, ubi dictum fuit materiam Confirmationis esse Chrisma confectum ex oleo et balsamo. Certum est autem neutram sententiam esse de fide, neque certam. Hinc, omnino Sacramentum conferendum est cum oleo et balsamo, et alias saltem dubium esset. Attamen, quia prima sententia *sat est probabilis*, recte dicit *Croix* quod in articulo mortis bene poterit conferri Confirmatio sub conditione ex solo oleo, si nequeat haberi Chrisma ex balsamo confectum. Magna enim utilitas hujus Sacramenti justa esset causa illud sub conditione ministrandi, juxta dicta n. 29. Sufficit autem balsamum cujuscumque regionis, modo sit in ea quantitate, ut det sui odorem, quamvis non misceatur cum singulis olei partibus. - 162.

Quaeritur 2. An Chrisma debeat esse ab Episcopo benedictum?

R. Certum est apud omnes, quod necessitate praecepti Chrisma omnino debet esse benedictum ab Episcopo. An vero de necessitate Sacramenti debeat esse benedictum saltem a Sacerdote? *Negant Palud. etc.* At *omnino id affirmandum;* et probatur ex Decreto *Clement. VIII.*

Quaeritur 3. An Chrisma necessario debeat esse benedictum ab Episcopo?

R. Prima sententia communior affirmat; et hanc tenent *D. Thom. etc. Secunda* vero *sententia*, quam tenent *Tourn. etc.*, id *negat;* et merito, speculative loquendo, hanc sententiam *probabilem* putat *Suar.* Ratio, quia sicut Papa potest facultatem confirmandi concedere simplici Sacerdoti, prout videbimus n. 170, sic etiam poterit benedictionem Chrismatis ei committere. Dixi *speculative loquendo*, nam in praxi, cum res sit valde dubia, prima sententia ut *tutior* omnino est tenenda.

Nota. Perinde est ad substantiam Sacramenti, sive Chrisma sit novum, sive vetus, licet graviter peccet qui utitur alio quam novo, id est, illo anno consecrato: in quem finem quotannis in die Coenae consecratur, veteri combusto. - 163. (*a*).

CAPUT II.

DE MINISTRO ET SUBJECTO CONFIRMATIONIS.

ARTICULUS I.

De Ministro confirmationis.

Solus Episcopus est Minister ordinarius hujus Sacramenti, ut sancivit *Innoc. II.* Et juxta *veram* sententiam, simplex Sacerdos confirmare potest, tanquam Minister extraordinarius, ex concessione Pontificis. Ita *D. Thom.*, et de hoc non amplius dubitandum ex Bulla *Bened. XIV* incipiente, *Ego quamvis tempore etc.* - 170.

Unde:

1. Etsi Episcopus graviter peccet confirmans in aliena Dioecesi, etiam subditos suos, et incurrat suspensionem a Pontificalibus ipso jure ex *Trid.*, valida tamen est confirmatio. - 171.

2. *Concina etc. communius* et *probabilius* censent Episcopis licitum esse

(*a*) *Sed in hoc Ecclesiae praecepto* Papa *potest dispensare. H. n.* 40

confirmare alienos subditos in sua propria Dioecesi, quia semper praesumitur, nisi aliter constet, tacitus consensus aliorum Episcoporum. Tanto magis licite poterit Episcopus confirmare Ordinandum, qui affert dimissoriam sui Ordinarii. - 173.

3. Peccat graviter Episcopus, si longo tempore non confirmet; quia subditos ingenti bono privat. Hinc, dicit *Croix*, peccare graviter Episcopum, qui per octo vel decem annos differret circumire saltem per loca praecipua, nisi excuset moralis impossibilitas. Si autem adsit justa causa, non peccat qui differt per tres, aut plures annos.

Nota. Episcopus tenetur suis expensis circumire ad confirmandum; nisi, excipit *Croix*, sit rationabilis consuetudo expensas exigendi.

Quaeritur 1. An peccet graviter Episcopus non confirmans moribundum petentem?

R. Affirmant Bonac. etc. Sed *probabiliter Croix* cum *Lugo etc.*, dicit nequaquam peccare, quia excusat incommoditas, et communis praxis -175.

Quaeritur 2. An cum ministratur Sacramentum confirmationis, tam confirmans quam confirmandus debeat esse jejunus?

R. Communiter DD. dicunt hoc non esse de praecepto, sed de consilio; unde saepe tale Sacramentum confertur post prandium, praecipue cum numerosus populus sit confirmandus. Ita *Laym. etc.* Praeterea, consuetudo fere jam obtinuit ut tale Sacramentum post prandium conferatur.

Quaeritur 3. An Confirmatio debeat omnino conferri in Ecclesia?

R. Probabiliter docent *Suar. etc.*, posse absque peccato gravi ministrari Confirmationem in aliquo loco decenti, etiam extra Ecclesiam; et *Bonac.* dicit consuetudinem confirmandi in Ecclesia non obligare sub gravi. Unde videtur obligare saltem sub levi, nisi aliqua rationabilis causa excuset (*a*).

Quaeritur 4. An confirmatio debeat conferri in die festo?

R. Quidquid sit de antiqua consuetudine circa tempus ministrandi hoc Sacramentum, dicunt *Granad. etc.*, jam usum obtinuisse, quod confirmatio conferri possit quocumque die festivo aut feriali, et quocumque tempore matutino aut vespertino. - 174.

ARTICULUS II.

De Subjecto confirmationis.

Valide confirmantur omnes, et soli baptizati nondum confirmati. Licite vero confirmantur iidem qui valide, dummodo habeant usum rationis, et constet non ponere obicem sive Sacramento sive ejus effectui. - 176.

Unde:

1. Infantes et rationis impotes valide hoc Sacramentum suscipiunt, sed non licite, ex *Bened. XIV.*

2. Etsi quoad infantes, illicitum sit eos confirmare ante rationis usum, nihilominus ob rationabilem causam, etiam antea iis licite datur, v. gr. si timeatur diuturna absentia Episcopi; vel si hic ad ista loca raro veniat, vel adsit consuetudo; item si infans sit in periculo mortis; ita ex Concilio V. *Mediol.*, ut refert *P. Zach.*; denique si sit filius principis. - 177.

3. Amentibus licet perpetuo, administranda est confirmatio; ex *Bened. XIV*, et praesertim, si aliquando usum rationis habuerint; est *commune*. - 180.

4. Dubitans an sit confirmatus, potest sub conditione confirmari; sed

(*a*) *Semper tamen potest Episcopus licite in domestico sacello confirmare.* - *H. n.* 50.

requiritur majus dubium quam pro Baptismo. - 178.

5. Confirmandus existens in mortali debet se disponere ad Sacramentum vel contritione, vel attritione una cum Confessione; secus tamen si abesset conscientia culpae gravis. Confessio enim tunc videtur esse de consilio, non de praecepto. - 179.

CAPUT III.

DE CONFIRMATIONIS NECESSITATE ET CAEREMONIIS.

ARTICULUS I.

De Confirmationis necessitate.

Confirmatio non est necessaria ad salutem necessitate medii. Est *commune*.

Quaeritur 1. An adsit gravis obligatio suscipiendi hoc Sacramentum?

R. Prima sententia affirmat, et illam tenent *S. Bon.*, *S. Anton. etc. Secunda* vero *sententia negat*, et hanc tuentur gravissimi AA., ut *Nav.*, *Suar. etc.* 181. Secunda sententia hodie non videtur *satis probabilis*, ex Bulla *Bened. XIV Etsi Pastoralis*, ubi sic declaratur: « Monendi sunt ab » Ordinariis locorum, eos gravis pec- » cati reatu teneri, si cum possint, » ad Confirmationem accedere renuunt » ac negligunt. » - 182.

Quaeritur 2. An sit obligatio gravis suscipiendi hoc Sacramentum ante susceptionem primae Tonsurae?

R. Affirmant Bon. etc., ex praecepto *Tridentini*, ubi dicitur: « pri- » ma Tonsura non initientur, qui Sa- » cramentum confirmationis non susce- » perint. » *Negant* vero alii *communissime* quod praefata verba *Tridentini* gravem obligationem importent; ita *Nav. etc.* Merito tamen dicunt praefati AA. id non excusari a veniali, saltem ob quamdam deordinationem, quae in tali omissione interveniret. - 183.

ARTICULUS II.

De Caeremoniis confirmationis.

Quoad caeremonias Confirmationis, notanda sequentia:

1. In Pontificali romano praescribitur quod Episcopus debeat esse indutus amictu supra rochetum, vel superpelliceum, si sit Religiosus, ac stola, pluviali albi coloris, mitra et baculo. Et juxta *veriorem sententiam*, mortale est omittere omnia praedicta instrumenta, cum ipsa pertineant ad reverentiam Sacramenti; secus si aliquod tantum omittatur, quia id non videtur esse materia gravis. Advertendum tamen quoad baculum, sufficere quod baculus maneat publice expositus, vel a Clerico detineatur. Item S. C. de propag. fide, declaravit sufficere quod Episcopus sine mitra, adhibita tantum stola, confirmet.

2. Omissio alapae, secluso scandalo, nunquam est mortalis. Omissionem autem cerei *Sa etc.*, absolute negant unquam posse esse mortalem, cum haec caeremonia minime inveniatur praescripta in Pontificali, sed tantum ex solo usu sit introducta. - 184.

3. Requiritur patrinus, et quidem sub gravi, designatus a Parentibus, vel ab Episcopo in eorum defectu. Intelligendum, si confirmandus sit puer.

4. Requiritur ut patrinus sit unus, et quidem ipse confirmatus; aliter non confirmatus tenens peccaret graviter, licet *probabilius* sit quod non contrahat cognationem. - 185 et 186.

5. Debet patrinus esse diversus a patrino Baptismi. Excipit tamen *Croix* cum *Sylv. etc.*, nisi aliqua adsit causa in contrarium.

6. Patrinus debet esse ejusdem sexus cujus est confirmandus, juxta usum Ecclesiae, et ritum Pontificalis Romani; et non debet esse Religiosus.

*

7. Patrinus non contrahit obligationem instruendi Confirmatum, nisi confirmatus non sit instructus et alius desit. Contrahit tantum cognationem spiritualem cum eo et ejus parentibus; dummodo tamen eum tangat.

8. Quoad modum autem suscipiendi in confirmatione, praescribitur in Pontificali Rom., quod confirmandus ponat pedem super pedem dexterum patrini; sed recte dicit *Conc.* hodie receptam consuetudinem habere quod sufficiat ut patrinus manum dexteram super dexterum humerum confirmandi ponat: et hanc consuetudinem testatur *Conc.* approbatam fuisse a S. C. rituum die 20 sept. 1749. - 187.

9. Frons Confirmati obliganda est fascia linea cruce notata, gestanda uno, tribus, vel septem diebus pro consuetudine, illota interim fronte. Potest etiam, si consuetudo aut ratio subsit, statim auferri, et frons ablui; ipsa autem comburi, vel honeste asservari debet, nec ad profanos usus adhiberi, propter contactum Chrismatis.

10. Parochus tenetur in librum referre nomina Confirmatorum et patrinorum suae Parochiae, et haec cura ad Episcopos etiam pertinet; tum propter sciendam cognationem spiritualem, tum propter Ordines suscipiendos.

11. Licet mutare nomen in Confirmatione.

12. Benedictio communis, quae datur ab Episcopo Confirmatis in fine, non est necessaria ad Sacramentum, sed est simplex caeremonia, ut *communiter* dicunt DD. Hinc, *probabiliter* ait *Tamb.*, admonitionem quae fit ne Confirmati ante Benedictionem praefatam discedant, non videri quod obligct. Imo, dicunt *Laym. etc.*, quando magnus est concursus, omittendam esse illam benedictionem, ut aliis locus praestetur; et hanc esse praxim testatur *Croix.* - 188.

TRACTATUS XXI.

DE EUCHARISTIA.

De Eucharistia, ut est Sacramentum et ut est Sacrificium.

CAPUT I.

DE EUCHARISTIA UT EST SACRAMENTUM.

De Eucharistiae natura, Materia, Forma, Effectibus, Ministro, Subjecto.

ARTICULUS I.

De Eucharistiae natura.

Eucharistia est *Sacramentum Corporis et Sanguinis Christi, sub speciebus panis et vini, ad spiritualem animae refectionem divinitus institutum.* Ita *communiter* scholastici. *Unde:*

1. Alii dicunt essentiam Eucharistiae in recto consistere in panis et vini speciebus, et Jesu Christi personam tantum in obliquo ad Sacramentum spectare, tanquam quid extrinsece connotatum. Alii dicunt in recto sive essentialiter consistere tam in speciebus quam in Christi corpore. Utraque sententia est *probabilis.* - 189 et 190.

2. Omnia alia sacramenta dicuntur *transeuntia*, quia tum solum sunt Sacramenta, cum conficiuntur et applicantur. Hoc tantum Eucharistiae Sacramentum dicitur *permanens*, quia consistit in re permanente, et sic corpus Christi post consecrationem existens sub speciebus panis, est vere et proprie Sacramentum, sive sumatur sive in sacrario servetur, ut habetur definitum in *Tridentino.*

3. Usus sive sumptio Eucharistiae non est proprie ipsum Sacramentum, neque aliud Sacramentum ab eo distinctum, nec pars illius sive essentialis sive integralis, sed tantum ap-

plicatio, sive conditio ut Sacramentum operetur.

4. Etsi quaelibet species, imo quaevis pars speciei sit integrum et essentialiter perfectum Sacramentum, ideoque Sacramentum Eucharistiae sub speciebus panis et vini, physice et materialiter specie differat; moraliter tamen, et in ratione Sacramenti est unum specie infima Sacramentum, tum quia est unum signum rei sacrae, tum quia ordinatur ad unum specie infima finem.

5. Etsi physice loquendo, tot sunt numero Sacramenta, quot numero species, vel etiam partes specierum; moraliter tamen unum numero Sacramentum est, quod per modum unius proponitur et sumitur; quia id ad unum finem, scilicet ad unam refectionem spiritualem refertur.

6. Hostiae in diversis altaribus recte concipiuntur ut distincta Sacramenta; contra vero, si Sacerdos unam hostiam in plures partes dividat, vel plures hostias simul sumat, non ideo dicitur accepisse plura numero Sacramenta. - 190.

7. Licet ex concilio *Tridentino* corpus existat sub specie panis, et sanguis sub specie vini ex vi verborum; ipsum autem corpus sub specie vini, et sanguis sub specie panis, animaque sub utraque vi naturalis illius connexionis, et concomitantiae; divinitas etiam propter ejus cum corpore et anima hypostaticam unionem; licet inquam, ex eodem concilio, sub altera tantum specie totus atque integer Christus, verumque Sacramentum sumatur, ac propterea nulla gratia necessaria ad salutem defraudentur qui unam speciem solum accipiunt; attamen *probabilius* est quod cum sub altera tantum specie vi verborum et per se ponatur tantum corpus, vel sanguis, tota ratio specifica hujus Sacramenti non salvatur in sola specie panis, nec vini, seorsim sumpta, sed salvatur utraque specie; cum per utramque solum significetur convivium, seu refectio cibi et potus, in qua consistit ratio specifica hujus Sacramenti. - 191.

Quaeritur 1. An Eucharistia sit necessaria ad primam justificationem obtinendam?

R. Certum est cum *S. Thom.* Eucharistiam esse ad salutem necessariam necessitate praecepti non solum Ecclesiastici, sed etiam Divini, ex *Luc.* 22. *Hoc facite in meam commemorationem.* E contrario, certum est non esse necessariam necessitate medii secundum realem susceptionem. An vero sit necessaria saltem in voto, necessitate medii? *Prima sententia negat*; quia hoc Sacramentum non est institutum ad causandam primam gratiam. *Secunda* tamen *probabilior sententia* docet votum saltem virtuale et implicitum Eucharistiae, respiciens hoc Sacramentum ut finem vitae spiritualis, esse necessarium necessitate medii ad salutem tam adultis quam parvulis. Adulti autem tale votum habent, dum Sacramenta Baptismi aut Poenitentiae suscipiunt; voluntas enim ipsorum omnia praecepta implendi, hoc etiam praeceptum Eucharistiae saltem implicite comprehendit. Parvuli vero votum habent, non ex voluntate propria, sed ex voluntate implicita Ecclesiae, quae pueris applicatur sicut applicatur voluntas suscipienti Baptismum. Ita *S. Thom.* Haec secunda sententia probatur 1 ex *Joanne* 6: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis etc. non habebitis vitam in vobis.* Probatur 2 ratione, quia Sacramenta Baptismi et Poenitentiae, quae certe sunt necessaria necessitata *medii* saltem in voto ad primam gratiam obtinendam, non conferunt gratiam nisi respiciendo ad Eucharistiam, ut ad finem omnium Sacramentorum. - 192.

Quaeritur 2. An Eucharistia in re vel in voto sit medium necessarium

adultis ad vitam spiritualem conservandam ?

R. Negant Suar. Sed communius et verius affirmant Soto etc. Ratio quia sicut vita corporis diu non potest conservari sine cibo materiali, ita vita animae sine cibo spirituali, saltem in voto, et quidem explicito in eo qui necessitatem hujus Sacramenti advertit. Hinc tenent *Salm.*, non excusari a peccato, etiam qui semel in anno Eucharistiam sumunt, si norint Communionem tam raram eis non sufficere ad perseverandum, habita ratione propriae infirmitatis. Vide dicenda, n. 295. - 193.

ARTICULUS II.

De materia Eucharistiae.

Praenotandum sicut in aliis Sacramentis est duplex materia, proxima et remota, ita etiam in hoc Sacramento, sed ordine inverso : nam in aliis, materia remota est res permanens, proxima vero ejus usus qui transit ; hic vero remota transit, et proxima manet, scilicet, species panis et vini. Agitur ergo tantum de remota, illa scilicet, quae facta Consecratione transit in corpus et sanguinem Christi. Igitur :

Materia Eucharistiae est tantum panis et vinum. Est de fide, et probatur ex institutione Christi. *Matth.* 26, et *Luc.* 22. - 194.

Quaeritur 1. An utraque materia, panis et vinum, sit necessaria ad Sacramentum conficiendum ?

R. Certum est necessitate praecepti necessarium esse Eucharistiam consecrare sub utraque specie, ut docet *D. Thom.*, cum aliis *communiter*. Unde *commune* ac certum est apud omnes, nec etiam in articulo mortis licitum esse consecrare unam speciem ad viaticum infirmo porrigendum. Et omnino tenendum est hoc praeceptum esse divinum ex *Trid.*

Quaeritur 2. An Pontifex possit in hoc praecepto dispensare?

R. Affirmant plures graves DD. Sed *negant communiter Suar. etc.* Primam sententiam dico non posse in praxim deduci, quia ut mox dicemus, *probabile* est non fieri Sacramentum nisi in sacrificio, ad quod juxta nostram sententiam referendam *n.* 306, necessario requiritur Consecratio utriusque speciei. Caeterum recte dicit *Tourn.* quod Ecclesia in hoc praecepto nunquam dispensavit, nec unquam dispensabit.

Quaeritur 3. An Consecratio unius speciei sine altera sit valida ?

R. 1. Nemo debitat quin valida sit, si id casu accidat, v. gr. si quis aquam, vel alium liquorem pro vino consecrasset, neque defectum intelligeret nisi diu post ; aut postquam advertisset, neque posset haberi aliud vinum ; vel quamvis haberet, non posset tamen illo uti sine gravi scandalo, vel vitae periculo, vel sine magno simili incommodo. 2. Si vero Sacerdos positivam habet intentionem consecrandi unam tantum speciem sine altera, *Lugo negat ;* quia, ut ait, ratio Sacramenti nequit dividi a ratione Sacrificii. Sacerdos enim non accipit potestatem conficiendi hoc Sacramentum, nisi sacrificando, ut patet ex forma Ordinationis. Unde, cum ad essentiam Sacrificii pertineat Consecratio utriusque speciei, juxta *probabiliorem* sententiam quam infra afferemus n. 306, sequitur quod qui Sacrificium non offert, neque Sacramentum conficit. Alii vero *communiter affirmant ;* ratio, quia in omni Sacramento semper ac minister formam profert super materiam cum debita intentione, perficit Sacramentum. Haec sententia est quidem *valde probabilis ;* sed ratio *Lugonis* non videtur *improbabilis*. - 196.

Quaeritur 4. Qualis debeat esse panis in materia Eucharistiae ?

R. Solus panis triticeus, in conviviis communiter usitatus, qualis morali hominum judicio tantum censetur ille qui ex farina triticea et aqua naturali mixtus, et igne textus sive assus, atque in sua specie incorruptus est, quia hic solus simpliciter dicitur panis ; et patet ex decreto *Eugenii IV*, ubi dicitur de Eucharistia : « cujus ma» teria est panis triticeus, et vinum » de vite. » - 198.

Unde :

1. Non est apta materia ad validam consecrationem 1. panis ex oryza, avena, milio, etc. 2. Massa triticea cruda, vel non cocta per modum panis, sed frixa vel elixa. 3. Panis subactus aquis artificialibus, vel oleo, butyro, lacte et ovis, saccharo, aliove liquore, qui aqua naturali non sit mixtus, quia non est panis usualis. *Caj.*, tamen et quidam recentiores contrarium docent; quare est saltem materia dubia. 4. Panis substantialiter corruptus. 5. Panis ex farre sive spelta, item ex siligine, est materia dubia. - 199 et 200.

2. Valida sed illicita est materia 1. Si aliquot grana vel guttae alterius speciei cum tritico et aqua misceantur, ita ut triticum tamen et aqua plurimum praedominetur ; quia si major pars non sit triticum et aqua, non erit materia valida, de quo monendi sunt illi qui hostias coquunt. 2. Panis mucidus qui ad corruptionem disponitur v. g. si sapor aliqualiter mutaretur, et tunc esset mortale illo uti. - 201.

3. Perinde est ad valorem Sacramenti, sive panis sit azymus sive fermentatus, ut definivit *Tridentinum*, quia uterque est usualis, et proprie dictus panis. Interim in suis Ecclesiis, Latini in azymo, et Graeci in fermentato conficere tenentur sub praecepto gravi et culpa mortali.

Quaeritur 5. An Latinus in locis Graecorum possit celebrare in fermentato, et Graeci in locis Latinorum in azymo ?

R. Conveniunt DD. quod si inter Graecos inveniatur Ecclesia Latinorum, in qua latinus ritus servetur, Sacerdos latinus debeat consecrare in azymo ; et sic e converso. Ita *Suar. etc.* Si vero Latinus transeat per Graeciam, vel contra, censet *Ledes* teneri ad celebrandum in fermentato. E contrario *Vasq. etc.*, dicunt teneri celebrare in azymo. Caeterum *communiter et probabilissime Nat. Alex., Suar. etc.*, docent Latinum tunc posse celebrare sive in fermentato sive in azymo.

Quaeritur 6. An in casu necessitatis, ad praebendum Viaticum infirmo possit Sacerdos latinus consecrare in fermentato ?

R. Affirmant Major etc., quia praeceptum Divinum suscipiendi viaticum praevalere debet praecepto humano celebrandi in azymo. Sed *negat communis* et *probabilior sententia*, quam tenent *Nav.*, *Tourn. etc.*; quia in hoc casu praeferenda est reverentia erga tantum Sacramentum utilitati proximi, cui tale Sacramentum non est simpliciter necessarium. - 203.

Quaeritur 7. Qua forma debeat esse panis consecrandus ?

R. Ex praecepto Ecclesiae debet esse in Ecclesia latina figura orbiculari et integra. Dico *in Ecclesia latina*, quia Graeci quadratum adhibent, et in particulis triangularem. *Tamb. etc.*, docent licere celebrare privatim etiam in hostia minore, qualis datur laicis, quando alia haberi non potest, et scandalum abest ; imo, si causa urgeat, etiam publice, die festo ; eo quod nullum sit praeceptum, neque constet de consuetudine obligante sub praecepto. *Tamb.* id admittit etiam causa devotionis, si absit scandalum, quod potest praecaveri monendo populum. Imo, addit *Ronc.*, quod tenetur Sacerdos in

hostia minori consecrare si dandum esset Viaticum infirmo. - 205.

Nota. Secluso scandalo, est tantum veniale sine rationabili causa consecrare hostiam fractam vel maculatam, nisi fractura vel macula esset enormis: tunc enim esset mortale. Si tamen fractura deprehendatur post oblationem, licite talis hostia consecrabitur, nisi scandalum populi timeatur. - 204.

Quaeritur 8. Quale vinum sit materia Eucharistiae ?

R. Solum vinum vitis, ut docet Fides; et definitum est in *Florentino.* *Unde:*

1. Non est materia apta ad validam consecrationem 1. Sicera, et quicumque liquor ex moris, melogranatis, etc. sive dicatur vinum sive non. 2 Agresta, sive omphacium, id est, succus ex uvis immaturis expressus; quia non est vinum sed in via ad vinum, cujus naturam nondum induit; habetque se sicut massa cruda respectu panis. Succum vero expressum ex uvis passis consecrabilem esse putat *Franc.*, eo quod verum sit vinum. (*a*) 3. Acetum quod est vinum substanliaiter corruptum; unde, si post consecrationem Sacerdos prudenter dubitat an vinum fuerit verum acetum, *Lacroix etc.*, recte censent supplendam esse consecrationem illam, ne sacrificium relinquatur in periculo non integritatis Sed puto hanc secundam consecrationem, fieri deberi sub conditione, nempe si *prior materia non fuerit consecrata*, ne sit periculum secundum sacrificium faciendi mutilatum, si forte prior materia fuerit vere apta. 4. Uvae, seu vinum intra uvas contentum, vel imbibitum, in offa panis, quia non tam est potus, quam cibus. 5. Sapa, seu defrutum, id est mustum ad dimidiam seu tertiam partem decoctum, quia non est amplius vinum, nec potus, sed cibus. 6. Lora, id est aqua expressis acinis superfusa. - 206.

2. Valida quidem consecratio, sed illicita est 1. In musto; et quidem sub mortali juxta *Suar.*, saltem extra necessitatem. 2. In vino, liquoribus aliis, vel aromatibus ita modice permixto, ut naturam vini retineat. Si vero mixtio sit immodica erit materia dubia.

3. Valida et licita est consecratio in vino sive albo sive rubro, etsi etiam specie physica differant; cum utrumque habeatur, et sit simpliciter vinum de vite.

Quaeritur 9. An peccat mortaliter Sacerdos qui consecrat in vino acescente ?

R. Si vinum coeperit acescere vel corrumpi vel fuerit aliquantulum acre, conficitur sacramentum; sed conficiens graviter peccat. Rubrica enim damnat de mortali non solum qui adhibet vinum aceto proximum, sed etiam vinum quod coepit acescere, vel est aliquantulum acre, ob reverentiam Sacramenti. *Probabiliter* tamen dicunt *Gob. etc.*, quod deficiente alio vino,

(*a*) *Cum ab Ethiopis Missionariis Ordinis S. Francisci proposita esset quaestio S. Congreg. utrum liceret celebrare cum vino ex uvis passis, vel zebibo expressis in illis regionibus, in quibus magna est vini penuria; re diligenter per experimenta investigata responsum fuit:* licere, dummodo liquor extrahendus a zebibo, vel uvis passis ex colore, odore, et gustu dignoscatur esse verum vinum. *S. Congr. S. Off.* 22. *Julii* 1706. *Eadem vero decrevit ad utramque ablutionem posse adhiberi solam aquam, ubi tanta sit vini penuria, ut aliter Sacerdotes cogerentur pluries non celebrare. Declarat.* 1665. *De caetero sine gravi hujusmodi penuria, standum esse rubricis Missalis, praesertim circa primam ablutionem. Declarat.* 1707. (*E.N.*)

licet sine scrupulo adhibere vinum tantum parum acescens, sive non notabiliter acidum. Adduntque *Azz. etc.*, quod, urgente gravi necessitate, licitum esset uti vino adhuc notabiliter acescente, modo sit certum vinum (*a*).

Quaeritur 10. An vinum congelatum sit materia valida?

R. Adsunt tres sententiae. *Prima negat. Secunda verior affirmat;* idque clare probatur ex Rubr. Missal. de *Defect. Tertia* docet esse materiam dubiam, cum prima sententia non careat omni probabilitate. Caeterum ego censeo nulli licitum esse consecrare in vino congelato; saltem propter reverentiam erga tantum Sacramentum. Sed si vinum fuerit congelatum, et postea liquefiat, *valde porbabile* videtur licite posse fieri in eo Consecrationem. At casu quo Sacerdos illicite consecrasset vinum congelatum, tenendum est pro vere consecrato, nec ille licite posset alterum vinum consecrare, quia puto primam sententiam nulla pollere solida probabilitate. - 207.

Quaeritur 11. An vino consecrando debeat misceri aqua?

R. Debet misceri non ex necessitate Sacramenti, sed gravis praecepti sub mortali obligantis secundum *Card. de Lugo;* idque caeremonialiter, et in ordine ad sacrificium. Est certum, ut constat ex *Tridentino.*

Quaeritur 12. An hoc praeceptum sit etiam divinum?

R. Affirmant Valent. etc. Negant Suar. etc. Utraque est *probabilis.*

Unde:

1. Si mixtio haec omittatur, valida tamen est consecratio, etsi illicita mortaliter. Ita omnes *communiter.*

2. Miscenda est aqua naturalis. Qui autem misceret aquam rosaceam vel aliam artificialem, etsi in necessitate, licet valide consecraret, peccaret tamen mortaliter, quia ageret contra praeceptum et consuetudinem Ecclesiae in re gravi. Quam ob causam, etiam mortale censet *Fagund.*, miscere calidam: quod tamen aliis quibusdam nimis durum videtur.

3. Mixtio illa facienda est non in dolio vel ampulla, aliove vase, sed in ipso calice; neque domi, sed in ipso Sacro ut fit communiter, vel ante Offertorium vel certe immediate ante Sacrum ut fit apud quosdam, idque vel ab ipso Sacerdote, ut in Missa privata, vel a Subdiacono, ut in solemni: neque enim sufficit si caupo illud diluerit.

4. Si mixtio haec sit omissa, idque notetur ante consecrationem calicis, adhuc facienda est; secus si post.

5. Praeceptum hoc mixtionis non extenditur ad illam, quae fit post communionem, ad ablutionem oris et digitorum. - 208.

Quaeritur 13. An aqua vino mixta convertatur in Sanguinem Christi, et an immediate?

R. 1. Non est quidem de Fide aquam in Sanguinem converti; tantum enim *Innocentius III* dixit *probabiliorem* esse sententiam affirmativam, quae revera hodie est *communis* inter Theologos. 2. Circa autem modum conversionis alii dixerunt quod sicut vinum convertitur in Sanguinem, ita aqua convertitur in aquam, quae fluxit e latere Christi. Alii vero dicunt aquam immediate converti in vinum, et mediate in Sanguinem Christi. Alii tamen sentiunt aquam immediate transire in Sanguinem Christi. Utraque sententia est *satis probabilis.* - 209.

(*a*) *Unde Rubrica non videtur accipienda cum tanto rigore, ut comprehendat omnes etiam primos gradus acrimoniae, sed tantum illos qui tam proxime incipiunt constituere vinum acescens. Vide in* Opere *inter quaestiones ultimo reformatas*, quaer. 24.

Quaeritur 14. Quaenam quantitas aquae sit in calice immiscenda?

R. Habert dicit non esse probandos Sacerdotes qui unam aquae guttulam infundunt: sed hoc sine scrupulo fieri posse censent *Bon. etc.* E converso *Laym. etc. probabiliter* dicunt sine scrupulo posse immitti aquam usque ad octavam partem. Et *Lugo etc.* usque ad quintam partem, quia, ut ajunt, nullum vinum adeo debile creditur, ut tam modica aqua corrumpatur. Imo *Bus. etc.*, putant sufficere ut aqua non excedat tertiam partem. Verumtamen in praxi *Escob etc.* hanc opinionem tertiae partis non admittunt, nisi vinum sit generosum. - 210.

Quaeritur 15. Quae conditiones ad materiae validam consecrationem requiruntur?

R. Ad materiae validam consecrationem requiruntur duae conditiones sequentes: 1. Ut materia Sacerdoti consecranti moraliter et sensibiliter sit praesens. Ita *communiter*, et est certum. 211. - 2. Ut materia sit certa, et a consecrantis intentione, et in individuo determinata. Est *communis* apud *Bon.* et alios; quia hoc requirunt pronomina *Hoc* et *Hic*. - 211.

Unde:

1. Valide consecratur vinum in calice cooperto, vase vel cantharo clauso, panis in canistro, hostiae in ciborio, vel in cumulo sub aliis latentes, aut aliter tectae, v. gr. sub corporali, vel mappa. Item valide consecrantur hostiae praesentes a caeco, vel alio Sacerdote in tenebris; est *communis*. Et sufficit si ex ratione alterius certificatur de praesentia materiae; quia non requiritur ut materia videatur, vel tangatur, vel feriatur sono verborum. - 212.

2. Invalide consecratur, 1. Materia post parietem, aut post tergum postia, vel clausa in tabernaculo; quia moraliter censetur abesse. 2. Materia valde procul; v. gr. centum passibus distans, etsi videri possit. Quanta autem propinquitas sufficiat dubitatur. *Henr.* docet 20, aut 30 passuum propinquitatem sufficere. Putant *Lugo etc.* consecrationem in viginti passus esse certam; quod *Bon.* et alii putant non esse certum. 3. Materia tam modica, ut sensu percipi non possit. Quod intellige, si non sit in toto, sed extra illud, quia in toto etiam minimae ejus particulae consecrantur; ut constat ex *Trid.* - 213.

3. Invalide consecraret, qui vellet tantum consecrare tertiam vel mediam hostiae partem, eam non determinando, vel ex multis v. gr. viginti praesentibus, tantum quatuor, aut quinque, nullas designando. - 214

4. Non consecratur hostia inscio sacerdote posita sive in corporali, sejuncta tamen a cumulo, sive infra illud.

5. Similiter non consecrantur guttae quae exterius calici adhaerent, quia non intenduntur. Quoad eas quae sunt in calice separatae, quando Sacerdos circa eas nihil intenderit; alii negant eas consecrari, alii affirmant. Alii denique affirmant de guttis propinquis, negant de remotis. Monet *Patel* quod Sacerdos advertens statim ante Consecrationem tales guttas, si sint vicinae, admisceat; si vero remotae, vel abstergat, quod tamen ait *Taner.* non expedire, vel excludat ab intentione. Sed *Croix* dicit etiam posse licite includere eas in intentione, ne in calice sit vinum quod non sit consecratum (*a*). Sic etiam dicit *Croix* quod Sacerdos debet consecrare micas adhaerentes hostiis, non autem separatas in patena, vel corporali, nec obstat quod eas sumendo laederetur jejunium: nam magis videtur tunc praecavenda irreve-

(*a*) *Sed melius mihi videtur id intendere de guttis proximis fundo, non vero de remotis.* - *H. app.* 3. *n.* 99.

rentia Sacramenti, quam laesio jejunii. Si vero micae sint in ciborio, eas etiam, ait, intendat consecrare, cum absit periculum eas perdendi. - 215.

6. Valida est consecratio, 1. Si Sacerdos intendat consecrare ex pluribus hostiis praesentibus tantum quinque, eas determinando, vel omnes, praeter infimam et supremam cumuli, quod tamen grave esset. Quod si autem in hoc, vel alio casu, non consecratae misceantur consecratis, totus cumulus ad altera est deferendus, ut Sacerdos totum cumulum consecret sub conditione, *si non sint consecratae.* 2. Etsi putet unam vel duas vel sex hostias consecrandas adesse, cum sint plures sive a se, sive ab alio positae; unde, si Sacerdos advertat post consecrationem esse duas simul junctas, utramque ut consecratam sumet, ut habet Missale. Si vero ante Consecrationem postquam obtulit advertat, alteram seponet; et post Missam ipse vel alius sumat tanquam panem benedictum. 3. Si quis plures hostias ad altare tulerit, aut rationabili modo adverterit ab alio adferri a se consecrandas, vel ante sacrificium monitus fuerit de consecrandis in altari jam positis; etsi dum consecrat earum non ita expresse meminerit, aut etiam ad Oblationem non detegat, modo sint praesentes in corporali; quia intentio praecedens virtualiter perseverat. - 216.

7. Si parvae hostiae pro communicando populo afferantur Sacerdoti paulo post factam Oblationem, licite eas consecrari, suppleta Oblatione mentaliter, docent *Dian. etc.* Et hoc etiamsi Canon sit incoeptus, dicunt *Tam. etc.*, quando plures sine Communione remanerent. Si vero remaneret tantum unus, *Cod.* suadet potius dari illi partem hostiae magnae: quod licite jam fieri potest. Et sufficit pro causa, si communicaturus diu expectare deberet Communionem.

Quaeritur 17. An censendum sit consecratum Ciborium ex oblivione extra corporale relictum?

R. Prima sententia affirmat: secunda tamen *sententia communis* et *probabilior negat:* quia cum intentio consecrandi extra Corporale fuisset peccatum grave, illam te habuisse non praesumeris. Sed quia prima sententia non videtur *improbabilis,* cum res sit dubia, rationabiliter ait *Bened. XVI,* Ciborium denuo consecrandum: et ego melius censeo illas particulas esse sumendas post ablutionem, sed ante purificationem; quia non videtur adesse justa causa illas consecrandi sub conditione, cum jam sumi possint. - 217.

Quaeritur 18. Quae conditiones requirantur ad licitam materiae consecrationem?

R. Requiritur ut non sit major quantitas, quam tempore opportuno possit absumi; quia periculum esset ne species computrescerent; et ut ab usu Ecclesiae, praesertim in Missali praescripto, non recedatur. 218. Unde, peccat 1. Qui vas in quo hostiae consecrandae sunt, non aperit. 2. Qui consecrat materiam positam extra corporale. 3. Qui intendit consecrare guttas calici adhaerentes exterius, quod esset grave. 4. Qui ante Consecrationem ista statueret: *Nolo consecrare hostias appositas, nisi tempore Consecrationis saltem Oblationis fuero memor,* etsi *Tamb.* eo casu nullum peccatum agnoscat. 219.

ARTICULUS III.

De Forma Consecrationis Eucharistiae.

Duplex est forma Consecrationis, una panis et altera vini. Forma panis haec est; *Hoc est enim Corpus meum;* quae verba sunt de essentia, praeter to *enim,* cujus omissio esset veniale secundum *Suar. etc.;* sed *non improbabiliter Conc. etc.* damnant de mortali. Re-

vera enim in re tam gravi non videtur levis materia quaecumque levis mutatio deliberate apposita. Forma vini haec est: *Hic est enim calix sanguinis mei, novi et aeterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*

Unde:

1. Valida sed illicita est consecratio, 1. si consecrans dicat: *Hic cibus, hic potus, hic calix,* vel *haec res* vel *contentum sub his speciebus, est corpus meum,* vel *sanguis meus.* 2. Si dicat: *Hic est calix novum testamentum in sanguine meo,* ut habet *S. Luc.* c. 22. - 3. *Hoc est corpus meum, quod de Virgine sumpsi, etc.* 4. *Meum pro meum. Es* pro *est. Calis* pro *Calix etc.,* esset tamen veniale, si omitteretur diligentia ad proferendum.

2. Invalida erit consecratio, si dicas; 1. *Hic* (adverbialiter) *est corpus meum.* Si autem to *Hic* ponatur masculine pro neutro, valet, etsi non secundum Grammaticam. 2. *Hoc corpus est meum: Hic sanguis est meus.* 3. *Ecce corpus meum: ecce sanguis meus etc.*

3. Dubia erit consecratio, si dicas: 1. *Illud est corpus meum: Ille est sanguis meus.* 2. *Haec est caro mea.* 3. Secundum quosdam, forma ex *S. Luca* primo casu allata. - 221.

Nota. 1. quoad mutationem verborum formae, id quod habetur in *Rubr. Miss.*: « Si quis autem aliquid mi- » nuceret vel immutaret de forma con- » secrationis, et verba idem non si- » gnificarent, non conficeret Sacramen- » tum. Si vero aliquid adderet quod » significationem non mutaret, confi- » ceret quidem, sed gravissime pec- » caret. » - 224. Unde etsi *verior* et *communior* sit sententia *S. Bon. etc.,* quod essentialia sint tantum haec: *Hic est calix sanguinis mei,* vel *Hic est sanguis meus,* aut eis aequivalentia, graviter tamen peccaret qui aliqua ex reliquis omitteret vel mutaret. 2. Debent formae proferri in persona Christi formaliter et significative sive assertive; id est simul recitative et significative, scilicet referendo verba Christi, et applicando eorum significationem ad materiam praesentem, nempe ad panem et vinum, quae Sacerdos in manibus habet, ut illa transmutet in Corpus et Sanguinem Christi. - 220.

Quaeritur 1. An in Consecratione panis praerequirantur verba illa: *Qui pridie. etc?*

R. Ambrosius Catharinus propugnavit Consecrationem perfici per preces antecedentes, verba autem Christi ex praecepto historice tantum recitari; sed haec opinio rejicitur a *S. Pio V,* in *Rubr. Miss. Scotus* non dubitat quin forma Consecrationis panis et vini utique sint verba: *Hoc est corpus meum etc. Hic est calix etc.;* sed si haec sola verba proferatur, praetermissis illis, *Qui pridie etc.,* dicit tunc Sacramentum sub conditione adorandum; quia verba *Hoc est etc.* prolata sine praecedentibus, per se non significant corpus Christi, sed corpus Sacerdotis. Alii vero *communiter* docent ad Consecrationem sufficere sola verba: *Hoc est etc.;* et probatur Decreto *Eugenii IV.* Haec quidem sententia est *communis* et *probabilissima,* sed oppositam non audeo dicere *improbabilem:* tanto magis quia Rubrica, quando forma est repetenda ratione materiae dubiae, vel ex eo quod forma calicis fuerit semiprolata, praecipit ut Sacerdos incipiat ab illis verbis: *Qui pridie etc.,* et *simili modo etc.* - 222.

Quaeritur 2. An in Consecratione calicis sola verba: *Hic est calix sanguinis mei,* sint de essentia?

R. Prima sententia negat, et docet omnia verba sequentia, *Novi et aeterni Testamenti etc.* ad essentiam pertinere. *Secunda* vero *sententia communior* dicit sola verba: *Hic est ca-*

lix sanguinis mei, esse ad formam essentialia Caeterum, utraque sententia est *speculative probabilis;* sed in praxi certum est quod Sacerdos graviter peccaret, si non proferret omnia verba quae in Consecratione calicis habentur; et si forte tantum prima verba dixisset, deberet utique sub conditione integram repetere formam.

Quaeritur 3. Quid significent verba *Hoc et Hic?*

R. Verbum *Hoc* vel *Hic* significant: *Hoc* ens, quod est cibus, *est corpus meum: Hic calix*, sive hic potus, est sanguis meus; omnis enim propositio in fine prolationis habet suam veritatem et effectum. - 223.

Nota. Verba Consecrationis minime replicanda sunt, nisi *valde probabiliter* dubitet Sacerdos aliquid omisisse, ut loquitur Rubrica. Et in hoc casu esset iteranda forma, saltem sub tacita conditione. - 224.

Quaeritur 4. Quandiu Christus maneat in Eucharistia?

R. Manet sub speciebus etiam diversis, et sub quavis earum minima parte, donec tanta earum fiat mutatio, ut consueta substantia panis et vini corrumpatur. Ita *comm.* cum *D. Thom.* et est certum.

Unde:

1. Certum est apud omnes saltem inter spatium horae species in omnibus immutari. Bene tamen advertit *Tamb.* quod juxta qualitatem stomachi magis vel minus calidi, aut validi species consummentur. *Arriaga* censet in laico consummari intra quinque *Pater* et *Ave*, et in Sacerdote postquam vestibus est exutus. Saltem post quadrantem a Communione, etiam in Sacerdote, tenet ut certum *Lugo*, et consentit *Croix* quoad sanos, species consummari. - 225.

2. Gratia datur in prima manducatione etiam primae partis, cum sit totum Sacramentum.

3. Species non sunt retinendae in ore tandiu, donec penitus pereant; quia tunc non manducaretur Christus, nec gratia Sacramenti conferretur: uti nec si moriaris, dum hostia adhuc est in ore.

4. Si quis partem vini vel hostiae sumpsisset indispositus, et deinde se disponeret, acciperet adhuc gratiam in sumptione alterius partis. Quod etiam aliqui *probabiliter* dicunt futurum, si se disponat antequam species consumentur in stomacho. - 227.

5. Non videtur reprehendendus laicus, qui desiderat esse Sacerdos, ut possit communicare sub utraque specie, quod putet plus gratiae dari sub utraque, quam sub una, quod est *probabile;* nec carpenda devotio illius qui multum materiae sumit ad Consecrationem ea mente, ne tam cito in stomacho species consummentur, et sic diutius secum Christus maneat, et saepius gratiam augeat: quod fieri est *probabile*, cum hoc Sacramentum institutum sit per modum cibi. Hoc tamen notandum quod *Innoc. XI* post decretum S. C. damnavit abusum tradendi communicantibus plures particulas simul, vel solito grandiores.

6. Species per vomitum rejectae, si tales sint, ut sub illis panis, vel vinum possit existere, vere sunt adorandae; et si iterum sumantur, iterum conferre gratiam docet *Card. de Lugo.* - 228.

7. Dicunt *Suar. etc.*, quod Christus desinit esse praesens, si guttula vini consecrati injiciatur in altero vino non consecrato potentiori, vel in altero liquore, in quo species vini corrumpantur. In dubio autem dicit *Croix* tenendum species non esse corruptas. - 229.

ARTICULUS IV.

De Effectibus Eucharistiae.

Effectus Eucharistiae sunt sequentes; 1. Conferre augmentum gratiae, ut patet ex *Conc. Florent.* et *Trid.*

Et aliquando per accidens conferre etiam primam gratiam, nempe si quis ignorans se esse in peccato mortali, vel credens habere contritionem, accedit ad Communionem cum sola attritione, tunc de attrito fit contritus. Ita *D. Thom. Ronc., Salm. etc.;* quia de ratione generica Sacramentorum est, ut gratiam conferant supernaturali dolore dispositis et obicem non ponentibus. Vide *n.* 6.-2. Remittere venialia, ut docet *S. Thom.* cum *communi* ex *Trid., ubi* dicitur hoc Sacramentum esse « anti- » dotum, quo liberamur a culpis quo- » tidianis, et peccatis mortalibus prae- » servamur. » 3. Praeservare a mortalibus per auxilium gratiae Sacramentalis, qua excitatur devotio, fortius resistitur tentationibus, fugantur Daemones etc. Imo, asserunt *Salm.* Eucharistiam conferre divinam etiam externam protectionem, qua Deus non permittet ut homo versetur in occasionibus in quibus praevidet Deus illum casurum. 4. Remittere poenam temporalem debitam pro peccatis; hoc autem non directe, sed indirecte, ratione actuum charitatis qui per Sacramentum excitantur. *D. Thom.* 5. Actualis dulcedo spiritualis, qui effectus est quidem infallibilis, si non impediatur ex parte subjecti. Consistit autem haec suavitas in promptitudine voluntatis ad res divinas hilari animo peragendas. 6. Unio specialis cum Christo, et membris ejus, ex *Joanne* 6: *In me manet et ego in illo.* 7. Ademptio gloriae: *Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum.*

Nota. 1. Alios effectus habere hoc Sacramentum erga corpus, scilicet diminuendi fomitem concupiscentiae, excitandi bonas imaginationes, ipsum corpus sanctificandi, corpori tribuendi resurrectionem et gloriam. 369.-2. *Valde probabile* esse species consecratas, quandiu sunt in stomacho, majores gratias causare, majori dispositione accedente.-228

ARTICULUS V.

De Ministro Eucharistiae.

Ago hic tantum de efficiente, id est de ministro; in quo quid requiratur ad confectionem validam, constat tum ex dictis de *Sacram. in gen.*, tum ex *art. II. n.* 211. Quid ad licitum requiratur, patebit ex *art. seq.* de *subjecto suscipiente Eucharistiam;* quia omnes dispositiones quae ad digne suscipiendum sunt necessariae, requiruntur etiam ad licitam confectionem, cum conficiens necessario suscipere debeat. Hic ergo tantum agitur de potestate dispensandae Eucharistiae, et de requisitis ad licitam dispensationem.

§. 1. *De potestate Eucharistiam dispensandi.*

De fide est, ut constat ex traditione et ex definitionibus Conciliorum *Nicaeni, Lateranensis, Florentini*, et *Tridentini*, solos Sacerdotes valide consecrare Eucharistiam, et ad ipsos solos pertinere illam dispensare. 231. Eucharistiam autem dispensare ex officio potest solus Sacerdos habens jurisdictionem ordinariam, delegatam, aut saltem rationabiliter praesumptam, vel privilegium.-230. Dixi 1. *ex officio,* quia extraordinarie, in casu necessitatis, id potest Diaconus ex commissione Parochi, 327. Dixi 2. *vel privilegium*, quale habent Religiosi mendicantes, et nominatim Societatis JESU, ex *Pauli III* Bulla et aliorum, ut scilicet in suis templis per se, vel per alios Sacerdotes illic celebrantes, communicare possint quoscumque Christi fideles; nisi 1. in mortis articulo, in quo tamen, si urget necessitas, praesumitur ratihabitio Papae, etiam invito Parocho. 2. Si Episcopus rationabiliter alicui Communionem prohibeat. 3. In festo Paschali; per *festum* autem *Paschatis*, Pontifices hic videntur intelligere et prohibere communionem illam qua sa-

tisfit praecepto annuae Communionis. - 239.

Unde :

1. Peccat mortaliter, qui sine omni jurisdictione Eucharistiam dispensat; quia violat alterius jurisdictionem in re gravi. Inferior autem Sacerdote incurrit insuper irregularitatem. *Coninch; Laym.*

2. Religiosi ipso facto incurrunt excommunicationem Papae reservatam, si sine licentia Parochi, et quidem speciali, praesumant clericis vel laicis dare Extremam-Unctionem vel Eucharistiam, vel Matrimonia solemnizare, nisi habeant privilegium, vel Parochus absit, aut injuste nolit in articulo mortis-234.

3. Licite ministrat Eucharistiam qui praesumit rationabiliter Pastorem factum suum approbaturum esse. *Palaus* dicit ex consuetudine communiter praesumi consensum Parochi, quoties Communio non fit ex obligatione. Hinc recte ait *Ronc.* quod cui conceditur facultas celebrandi, intelligitur etiam concessa facultas Eucharistiam ministrandi. Et sic revera ubique usus habet, excepto, ait *Pal.*, casu communionis ex obligatione.-235.

4. Si infirmus sacro Viatico muniendus sit, et proprius Pastor absit, vel praesens non possit deferre Eucharistiam, quivis alius Sacerdos, vel regularis, vel saecularis, et hoc deficiente, etiam diaconus ei conferre potest, quia tunc praesumitur voluntas Episcopi, aut Papae, etsi Parochus renuat, sed injuste.-236.

5. *Probabile* est, etiam extra mortis articulum ex gravi causa licere Sacerdoti, praeciso scandalo, sacram hostiam sumere ex sacrario, vel a Diacono allatam sibi ipsi dare, v. gr. si in longo morbo diu non communicasset. Imo *Croix, Suar., Bon. etc.* dicunt sola devotionis causa, Sacerdotem semper posse seipsum communicare, quia praeciso scandalo, nulla est irreverentia, nec ullibi est vetitum, nisi adsit alius Sacerdos. *Concina* addit hoc permitti etiam Diacono, ex Concilio *Nicaeno;* sed concludit disciplinam hodiernam in hoc spectandam esse.-238.

Quaeritur 1. An ut Diaconus ministrare possit, necessitas debeat esse extrema?

R. Affirmat Cont. Tourn. Sed *negant communiter Suar., Lugo etc.*, qui dicunt sufficere necessitatem gravem, nempe, cum nullus adsit Sacerdos qui commode possit ministrare. Omnes autem conveniunt quod in necessitate extrema, absente Sacerdote, Diaconus poterit et tenebitur Viaticum ministrare, adhuc sine commissione.

Nota. Diaconus cum Eucharistiam ministrat, debet esse indutus superpelliceo, et stola transversa.

Quaeritur 2. An liceat Clericis aut etiam laicis in necessitate sumere Eucharistiam per seipsos?

R. Prima sententia negat. Ratio, quia laicus non potest Eucharistiam sumere nisi de manu Sacerdotis, vel saltem Diaconi; e converso, hoc Sacramentum non est necessarium ad salutem. *Secunda* vero *sententia affirmat.* Ratio, quia in tali casu necessitatis, puta in articulo mortis, urget praeceptum divinum communicandi; e converso, nullo praecepto divino vel ecclesiastico id apparet prohibitum; imo notum est quod olim fideles laici Eucharistiam in suas domos deferebant, et seipsos propriis manibus communicabant; et hoc quidem propter necessitatem permittebatur: cur autem eadem necessitate occurrente, aliquando permitti non poterit?

Quaeritur 3. An liceat laico in necessitate ministrare Viaticum moribundo?

R. Negant D. Thom., Tourn. etc. Ratio, quia hoc esset contra universalem Ecclesiae consuetudinem. Excipit *Tourn.* solum casum, quo infirmus

non posset aliud sumere Sacramentum, et dubitaret de perfecta contritione; quia tunc Eucharistia fit Sacramentum necessitatis. *Affirmant* vero *Suar., Caj., Val. etc.* Ratio, qui nulla fit Sacramento injuria, si in tali necessitate morienti ministretur Eucharistia a laico. Neque obstat contraria consuetudo; cum enim hic casus rarissime accidat, consuetudo contraria minime probari potest. - 237.

Quaeritur 4. Quoties Parochus teneatur ministrare Eucharistiam suis ovibus?

R. Aliqui dixerunt Parochum teneri tantum tempore praecepti, et in articulo mortis. Ita *Sylv. etc.* Sed *communiter* hi rejiciuntur ab aliis qui docent teneri ministrare quoties oves rationabiliter et opportune petunt. Ratio, quia Pastori incumbit providere non solum ut oves adimpleant praecepta, sed etiam ut habeant ea quae valde prosunt suo profectui. - 253.

Quaeritur 5. An Parochus tempore pestis teneatur Eucharistiam ministrare cum periculo vitae?

R. Prima sententia valde gravis affirmat, quia licet hoc Sacramentum non sit necessarium ad peccata delenda, est tamen moraliter necessarium ad perseverandum in justitia. *Secunda* vero *sententia negat;* quia hoc Sacramentum non est tantae necessitatis, ut Parochus causa illud ministrandi teneatur prodere vitam. Haec sententia est *valde probabilis* ex declaratione *Gregorii XIII*, 12. Oct. 1576, quae sic habet: « Parochum suis Parochianis peste laborantibus teneri ministrare duntaxat duo Sacramenta ad salutem necessaria, nempe Baptismum et Poenitentiam; posse autem ministrare vel per se vel per alium idoneum, ut Parochus possit audire Confessiones sanorum, quia alias eum reformidarent, si viderent ipsum accedere ad pestilentes. » Tenentur tamen, ut decrevit idem Pontifex, residere tempore pestis in suis Ecclesiis.

Quaeritur 6. An Episcopi teneantur residere tempore pestis, et etiam suis Curatis ministrare Sacramenta?

R. Refert *Agnan. Gregorium XIII*, die 18. Decemb. 1576, sic declarasse: « Decretum factum in Parochis multo magis procedere in Episcopis, qui magis obligandi sunt; tamen posse Episcopus in locis tutioribus manere, et inde providere. » Et hic observare oportet quod hoc Decretum fuit proprium Pontificis, quo generaliter explicatum fuit officium Episcoporum: revera enim, si Episcopus in hujusmodi necessitatibus oves suas deserat, quis alius eis satis providere curabit? - 233.

Quaeriur 7. Quid sentiendum de usu quotidianae Communionis?

R. Male quidem locuti sunt aliqui, qui dixerunt Communionem quotidianam suadendam, imo praecipiendam esse omnibus illis qui sunt in gratia. Nimis rigorose e converso alii sentiunt de quotidiana vel frequenti Communione, qui ab illa animas arcent, si hae valde extraordinaria puritate et fervore non polleant. Ideo super hoc puncto sedulo attendendum est ad Decretum S. S., approbatum a Pontifice *Inn. XI*, ubi, inter alia, primo loco dicitur usum frequentem vel quotidianum Eucharistiae semper fuisse in Ecclesia approbatum a SS. Patribus, sed ratione diversitatis conscientiarum, nihil de ipso constitui posse. Deinde pronuntiatur sic: « Frequens accessus (ad Eucharistiam) Confessariorum judicio est relinquendus, qui ex conscientiarum puritate, et frequentiae fructu, et ad pietatem processu, laicis negotiatoribus, et conjugatis, quod prospiciunt eorum saluti profuturum, id illis praescribere debebunt. » Postea additur: « In hoc igitur

» Pastorum diligentia potissimum in » vigilabit, non ut a frequenti aut » quotidiana sumptione, unica praecepti forma deterreantur, aut sumendi » dies generaliter constituantur, sed » magis quid singulis permittendum » per se aut Parochus seu Confessarius » sibi decernendum putet (loquitur » de episcopo): illudque omnino provideat, ut nemo a sacro Convivio, » sive frequenter sive quotidie accesserit, repellatur. » « Denique (concluditur), quod Episcopi, ubi viget » hujusmodi devotio (id est usus frequentis Communionis), pro illa gratias Deo agant, eamque ipsi, adhibito prudentiae et judicii temperamento, alere debeant. »

Unde :

1. Confessarius, praesertim ex fructu frequentiae et ex desiderio poenitentis, regulam sumere debet augendi vel minuendi usum Communionis. - 254.

2. Error est concedere Communionem frequentem iis qui saepe in peccata gravia labuntur, nec solliciti sunt de agenda poenitentia, ac de sua emendatione.

3. Error est concedere Communionem frequentem iis qui accedunt cum affectu ad peccata venialia deliberata, sine ullo desiderio se ab eis liberandi.

4. Optimum erit non permittere eis qui sic labuntur Communionem plusquam semel in hebdomada : imo poterit expediens esse illis aliquando per integram hebdomadam Communionem interdicere, ut majorem concipiant horrorem in suos defectus, et majorem erga Sacramentum hoc reverentiam, nisi essent in periculo labendi in peccata lethalia ; tunc enim expedit aliquando concedere Communionem, ut vires recipiant ad resistendum. *Praxis Conf.* §. *VI, n.* 149.

5. Illi qui, sublato jam affectu etiam ad venialia, et superata majori parte pravarum suarum inclinationum, magnum communicandi desiderium habent, recte possunt, praevio sui directoris consilio, quotidie communicare, ita *S. Franciscus Salesius.* Et *S. Thom.* dicit : « Si aliquis experien- » tia comperisset ex quotidiana Com- » munione augeri amoris fervorem et » non minui reverentiam, talis debe- » ret quotidie communicare. » - *Ibid. n.* 150.

6. Quamvis aliquo die a Communione abstinere sit etiam virtus, attamen *P. Granata* dicit esse *communem* DD. opinionem, quod melius sit accedere quotidie ad Communionem ob amorem, quam abstinere ob reverentiam. Sic plures Sancti, qui magnam reverentiam erga hoc Sacramentum habuerunt, non tamen abstinuerunt a quotidiana Communione, ut Sancta *Gertrudis*, Sancta *Catharina Senensis etc. etc.* - *Ibid. n.* 151.

7. *P. Granata* docet cum *Cajetano*, personas pusillanimes, quae ob immoderatum timorem suae indignitatis Communionem omittunt, magnum suo proprio progressui inferre praejudicium.

8. *S. Laurentius Justinianus* dicit ad prosequendas Communiones non oportere ut anima sentiat, aut aperte in se discernat augmentum fervoris ; quoniam non raro hoc Sacramentum operatur, quin ipsi animadvertamus.

9. *S. Bonaventura* bene sentit, quod etsi anima experiretur minorem devotionem post susceptam Eucharistiam, quam antea, nec etiam debeat eam omittere... et Sancta *Theresia* docet nullum esse remedium efficacius quam frequens Communio pro anima quam Deus, pro majori suo bono, in tenebris relinquit et desolatione, sine ulla devotione sensibili.

10. Ut concludamus, curare debet Confessarius Communionem suadere quoties advertit animam in spiritu proficere beneficio Communionis, et ve-

rum desiderium habere. Curet etiam insinuare, ut post Communionem immoretur in gratiarum actione pro eo tempore quo potest. - *Ibid. n.* 155.

§. II. *De Requisitis ad licitam administrationem Eucharistiae.*

Ut minister circa Eucharistiae distributionem non peccet, requiritur: 1. Ut sit in gratia. 2. Ut reverenter administret. 3. Ut eam dispenset ritu Ecclesiae consueto. 4. Ut eam neget indispositis animo vel corpore. 5. Denique, si Pastor sit, ut ministret eam ovibus, quoties rationabiliter petunt, ut dicitur - n. 253.

Unde:

1. Eucharistia non est deferenda ad infirmum, nisi cum habitu decenti, id est, cum stola et superpelliceo, ac precedente lumine: secus est de Extrema-Unctione, cujus materia cum non sit Sacramentum, non requirit tantam venerationem. Putant tamen quidam, si habitus haberi non possit, aut sit tempestas, aut iter faciendum, non fore irreverentiam si Sacerdos Eucharistiam in pyxide, vel corporali involutam in sinu suo deferat. Quod certius videtur licere in locis haereticis, ubi etiam necessitate, et clam, praeciso scandalo, poterit porrigere sine stola et superpelliceo; etsi nullo modo celebrandum sit sine vestibus sacris ob Viaticum dandum. *Bon.*

2. Ministrare Eucharistiam sine lumine et solita Confessione, reputatur veniale. Ministrare autem sine stola et superpelliceo, *comm.* censent DD. esse mortale ex genere suo. Omissa tamen tantum stola, dicit *Ronc.* pluribus videri solum veniale. In necessitate tamen *communius* et *satis probabiliter* est quod liceat ministrare viaticum sine lumine, et vestibus sacris. *Croix etc.*

3. Deferre Eucharistiam ad aliud altare sine vestibus sacris, dicit *Croix* non excedere peccatum veniale. Censet etiam *Pasq.* quod Episcopus potest dispensare ut deferatur Viaticum cum pileolo in villis et pagis. - 241.

4. Dicit *Bus.* praestare aegrum non communicatum mori, quam Sacerdotem in habitu cum Sacramento per publicum currere, etsi festinare valde debeat, ut dicit *Quint.* Sed *probabile est* posse sine irreverentia currere in necessitate. A fortiori in Baptismo et Poenitentia, si probabiliter timeretur ne aegrotus decederet in mortali; tunc enim currendum esset. *Bon. etc.* - 242.

5. Ad infirmum longe distantem licere Parocho Eucharistiam deferre in equo mansueto, ita ut non sit periculum lapsus, docet *Quint.* Idem tenet *Elb.* si fiat causa tempestatis vel distantiae, vel quia periculum est in mora.

6. Eucharistia non est deferenda ad aegrum, venerationis tantum causa, ut adoret vel osculetur, si sumere non possit. - 243.

7. *Probabilius* est quod non liceat si qui laborat chiragra, dare Eucharistiam aliis digitis quam pollice et indice; quia etsi tota manus sit consecrata, attamen iudex et pollex ex ritu Ecclesiae ad hoc ministerium deputantur; *probabile* tamen est quod liceat in casu extremae vel gravissimae necessitatis.

8. Non licet tempore pestis porrigere Eucharistiam medio aliquo instrumento, multo minus deponere alicui in scutella, ut ab ipsomet aegro sumatur; sed manu danda est. Quamvis *Passev. non improbabiliter* dicat, posse, praeciso scandalo, et periculo lapsus in terram, instrumento ad id rite confecto dari, puta in cochleari, quia necessitas satis videtur excusare a solito ritu Ecclesiae.

9. Sacerdos podagra laborans, potest deferri ad altare, ut ibi Eucharistiam administret; seclusa tamen alia prohibitione. - 244.

10. Peccat qui Eucharistiam dat sub

utraque specie, locis vel personis quibus a Pontifice non est concessum. Item si morituro, qui ob linguae ariditatem non potest hostiam trajicere, det species vini. - 245.

11. Peccat qui laico dat hostiam majorem ; in necessitate tamen vel in casu magnae devotionis licet ex majore particulam detractam dare.

12. Peccat qui dat peccatori publico. Vid. n. 42. etc.

13. Peccat, qui negat reis morte plectendis, etiamsi crimen negent, et violenta duret suspicio ; quibus etiam potest dari aliquot, imo, una hora ante mortem. Danda vero est si fieri potest, non in carcere, sed alio loco honesto. - 247.

Nota. Pastor, ut Eucharistiam opportune petentibus possit ministrare, tenetur eam asservare cum lumine in Ecclesia, nec licet alibi. Si ob graviter culpabilem negligentiam Parochi, vel ejus cui ista cura commissa est, integro die, vel aliquot integris noctibus, lumen non ardeat ante venerabile Sacramentum, peccare eum mortaliter, secus si per horam tantum, docet *Quint.* Licet *Marchand.* obligationem et consuetudinem tam universalem neget. - 248.

Quaeritur 1. An in Missa de *Requiem* possit dari Communio ?

R. Negat Gavantus. Sed *affirmant* merito *Pignat. etc. ex Trident.* Praeterea ubique viget usus communionem dispensandi intra Missam de *Requiem.*

Quaeritur 2. An in Missa defuncto. rum liceat dare Communionem ex particulis praeconsecratis in alia Missa ?

R. Affirmant Merati, et Bened. XIV, dicentes opinionem oppositam nullo modo esse admittendam prout noviter adiuventam. Sed ex Decreto novissime emanato a S. C. R., non licet dare communionem ex Particulis praeconsecratis in alia Missa, sed tantum ex particulis in eadem Missa consecratis, per modum Sacrificii. Attamen, si Missa de *Requiem* celebraretur cum colore violaceo, ut permittitur, tunc liceret dare communionem ex particulis praeconsecratis, sive intra Missam sive ante aut post.

Quaeritur 3. An Communio possit administrari a celebrante ante vel post Missam defunctorum ?

R. Merito id negat *Merati ;* quia juxta *Rit. Rom.* extra Missam, nunquam in paramentis nigris est distribuenda communio, sed utendum stola coloris officio illius diei convenientis, vel saltem coloris albi ; nisi Missa de *Requiem* celebretur cum paramentis violaceis. Caeterum certum est, ex *Rit. Rom.* intra Missas vivorum, communionem populi statim post Sacerdotis sumptionem fieri debere, nisi justa causa suadeat fieri ante vel post Missam, uti si plurimi interessent, et suspicio esset quod aliqui eorum missae longioris taedio caperentur, ut docet *Bened. XIV.* - 249.

Quaeritur 4. Quid faciendum casu quo decidat hostia ?

R. Primo tengendus locus panno lineo mundo, et postea abluendus, ut praecipiunt Rubricae ; quae tamen non obligant sub gravi, ut notat *Holz.*, qui addit ordinarie omitti posse ablutionem vestis, aut barbae, ad evitandam turbationem populi. Locus vero ubi incidunt species vini debet ablui, cum ipsae imbibantur, etsi non sit opus eas comburere. Si hostia decidat super ubera mulieris, non debet Sacerdos ipse aufferre, sed ipsa mulier manu abstrahat, et reponat in Ciborio. - 250.

Quaeritur 5. Quid faciendum de fragmentis hostiarum ?

R. In Rubrica Missalis, tit. 7, n. 2, sic habetur : « Si deprehendat Sacer-
» dos post sumptionem Corporis et
» Sanguinis, aut etiam post ablu-
» tionem, reliquias aliquas relictas
» consecratas, eas sumat, sive par-
» vae sint sive magnae, quia ad idem

» Sacrificium spectant. » Et hoc non solum immediate post Missam, sed etiam si Sacerdos sit in Sacristia, adhuc tamen indutus vestibus sacris. Secus vero dicendum de reliquiis alterius Sacrificii, nisi adsit periculum irreverentiae. Dictum est, *adhuc indutus*, nam si Sacerdos jam se exuerit vestibus sacris, tunc censet *Bened. XIV*, reliquias vel reponendas in tabernaculo, si adsit, vel reservandas alteri Sacerdoti celebraturo eodem mane, alioquin ab eodem qui celebravit esse sumendas.

Hic autem advertendum 1. quod si Sacerdos deferat communionem infirmo in valetudinario, et remaneant reliquiae in patena vel calice, poterit Sacerdos eas sumere, si adhuc sit sacris indutus vestibus. Bene vero poterit etiam eas dare infirmo statim post particulam ipsi traditam, quia tunc censetur moraliter una Communio, prout recte dicunt *Tamb. etc.*, et *Lugo*, qui testatur sic usum ferre ut, post Communionem aegri, abluatur pyxis, et ablutio ipsi tradatur. Advertendum 2. quod additur in Rubrica praedicta, n. 3. « Si vero relicta sit » hostia integra consecrata, eam in » tabernaculo reponat; si hoc fieri » nequit, sequenti Sacerdoti sumendam » relinquat; si neutrum fieri potest, » in ipso calice decenter conservet; » quod si non habeat quomodo honeste » conservetur, potest eam ipsemet » sumere. » Particulae autem inventae extra corporale, in dubio an sint consecratae, sumendae sunt etiam post ablutionem (*a*) - 251.

Quaeritur 6 Quanam hora possit dispensari Communio.?

R. Per se loquendo, qualibet diei hora dispensari potest, quia circa hoc nulla est prohibitio. Dixi *per se loquendo:* nam non licet Eucharistiam administrare noctu, vel sub vesperis, id est, in extrema diei parte, tum propter scandalum, tum propter hodiernam Ecclesiae consuetudinem. *Pal. etc.* admittunt licere Eucharistiam administrare sub vesperis, si accedat aliqua specialis causa; et hoc *probabile* videtur, sed non intempesta nocte, nisi in solo casu necessitatis. Sic etiam non licet dare Communionem in Missa Nativitatis Domini, quae dicitur media nocte, ex Decreto S. C. R.; nec in die Parasceves, ex Decreto ejusdem S. C. In die autem Sabbati sancti nullum adest Decretum prohibens Communionem. - 252.

ARTICULUS VI.

De Subiecto Eucharistiae.

De Obligatione Eucharistiam sumendi. De Dispositionibus requisitis.

§. I. - *De Obligatione suscipiendae Eucharistiae.*

Duplex adest praeceptum fideles adultos obligans ad Eucharistiam percipiendam, nempe praeceptum divinum, et praeceptum Ecclesiasticum.

1. Praeceptum divinum habetur ex illo Joannis, 6: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Et hoc praecepto obligantur fideles communicare in articulo mortis per modum Viatici, et saepius in vita; et probatur tum ex Scriptura Sacra, tum ex Conc. *Nicaeno* et *Tridentino*, tum ex praxi Ecclesiae, tum quia Eucharistia est instituta per modum cibi, cujus usus saepius est necessarius. 299. Imo, recte dicunt *Salm.* quod aliquando per accidens tenetur homo ex hoc Divino praecepto ad Communionem forte etiam saepius in anno, si hoc censeret necessarium ad superandam aliquam gravem tentationem. Hoc tamen dicit *Suarez* rarissime eve-

(*a*) *Et melius cum eadem ablutione.* - *H. n.* 18.

nire posse, cum ad hoc sufficere possint alia remedia, orationes, poenitentiae etc. Caeterum certum est apud omnes, quod huic praecepto, per se loquendo, quisque satisfaciat communicando semel in anno. - 295.

Unde :

1. Quisque fidelis in periculo vitae quod praevidet vel merito timet, v. g. in gravi morbo, ante conflictum, vel puerperium, praesertim primum, ante navigationem etc., tenetur sub mortali communicare. - 291.

2. Quando aeger jugi vomitu laborat, non potest communicare, si saltem sex horas ab illo liber non sit. In dubio autem an aeger sumens sit particulam revomiturus, *probabilius* dicit *Croix* non est licitum communicare, quia reverentia Sacramenti praeferri debet utilitati infirmi. Si vomitus provenit ex cibo, danda est ei particula non consecrata, quam si retinet, potest ei dari consecrata.

3. In casu delirii censent *Salm.* esse optimam praxim, ut detur infirmo antecedenter particula non consecrata, ad experiendum si decenter possit inde sumere Eucharistiam.

4. Si aeger tussi vexetur, potest communicare, quia licet phlegma quod ejicit, plerumque de pectore ascendat, non est tamen periculum rejiciendi sacras species, cum via per quam sputa tussiendo excutiuntur, non sit oesophagus, seu via cibi et potus ad stomachum, sed est aspera arteria, seu via respirationis ad pulmones; modo tamen possit particula in stomachum descendere ; nam si tussis esset ita assidua, ut id non permitteret, abstinendum esset a Communione. - 292.

5. Pueris doli capacibus, qui sciunt distinguere Eucharistiam ab alio cibo, *probabilius* est in periculo mortis eam esse dandam pro Viatico. Imo, dari debet juxta sententiam *communissimam*. Vide n. 301.

6. Qui post Viaticum sumptum peccavit mortaliter, non tenetur denuo communicare ; sufficit sola Confessio.

7. Qui non communicavit in periculo mortis, non tenetur postea supplere.

8. Judex tenetur, per se loquendo, reis concedere tempus communicandi. Quod si reus noluerit, potest judex procedere; alias daretur reis ansa non communicandi. - 293.

II. Praeceptum Ecclesiasticum habetur ex concilio *Lateranensi IV. Cap. Omnis, de Poenit. et Remis.* ubi dicitur : « Omnis utriusque sexus » fidelis, postquam ad annos discre- » tionis pervenerit, semel saltem in » anno confiteatur... suscipiens reve- » renter ad minus in Pascha Eucha- » ristiae Sacramentum ; nisi forte de » proprii Sacerdotis consilio ob ali- » quam rationabilem causam ad tem- » pus ab ejusmodi susceptione duxerit » abstinendum: alioquin, et vivens ab » ingressu Ecclesiae arceatur, et mo- » riens christiana careat sepultura. » Haec autem poena non incurritur nisi post sententiam. Unde licet olim esset obligatio communicandi saltem ter in anno, nempe in Paschate, Pentecoste, et Natali Domini, ut statuit *Fabianus* Papa ; attamen hodie, ex hoc Concilio, fideles obligantur tantum semel in anno tempore Paschali. - 295.

Quaeritur 1. Quomodo computandus sit annus obligationis hujus annuae Communionis ?

R. Alii censent computandum esse a Januario ad Decembrem. Sed ex *communi* DD. sententia, et consuetudine ubique recepta, tempus computatur a Paschate ad Pascha, quia hic censetur annus Ecclesiasticus. Tempus autem Paschale incipit a Dominica Palmarum, et terminatur Dominica in Albis, ex declaratione *Eugenii IV.* Ex consuetudine tamen, necessitate vel privilegio plus temporis conceditur. - 296.

Quaeritur 2. An qui in Paschate Communionem omisit, teneatur quamprimum communicare?

R. Adsunt tres sententiae. *Prima communior*, cui subscribo, absolute *affirmat*, ex praescripto tum ecclesiastico tum divino. *Ex praecepto divino*, quia licet Christus hoc praeceptum Communionis non determinaverit, reliquit tamen determinandum Ecclesiae, quae postea servandum esse determinavit saltem semel in anno. *Ex praecepto Ecclesiastico*, quia tempus Paschale non est ab Ecclesia determinatum ad finiendam obligationem, sed ad eam sollicitandam; unde quando obligatio jam contracta nondum impleta est, quamprimum impleri debet, quia Ecclesia circa Communionem duo imposuit praecepta, unum communicandi intra annum, alterum communicandi in Paschate, ut colligitur ex citato *cap. Omnis*, et ex *Trid.* ubi dicitur: « Si quis negaverit omnes » fideles teneri singulis annis saltem in » Paschate ad communicandum juxta » praeceptum S. Matris Ecclesiae, anathema sit. » Nota, *singulis annis saltem in Paschate:* ergo, si Communio in Paschate fuit omissa, debet quamprimum impleri antequam terminetur annus. *Secunda sententia* dicit quod si quis omiserit Communionem ex malitia, non tenetur quam primum communicare, quia jam transgressus est praeceptum, quod tempori Paschali affixum est; tenetur vero si ex impotentia fuerit impeditus. *Tertia* vero *sententia* absolute *negat* teneri illo anno ad Communionem eum, qui eam omisit sive ex malitia sive ex impotentia; quia praeceptum communionis est affixum tempori Paschali. Hanc tertiam sententiam non contemnendam puto, saltem quia ex neutro praecepto divino ac ecclesiastico constat haec obligatio communicandi, transacto tempore Paschali. Hoc tamen non obstante, nolo recedere a prima sententia - 297.

Quaeritur 3. An qui non possit communicare tempore Paschali, teneatur id praevenire?

R. Prima sententia negat. Ratio, quia hoc praeceptum addictum est tempori Paschali, quo non incoepto, nulla est obligatio. *Secunda* vero *sententia* dicit quod si Communio non sit differenda ultra annum ab ultima communione facta, non teneris praevenire. Secus vero si ultra annum differri deberet. Haec sententia in se spectata *valde probabilior* mihi videtur: attamen dicendum nullam esse obligationem praeveniendi, cum juxta *communem* sententiam, et universalem usum fidelium, praeceptum non urgeat nisi a Paschate ad Pascha, et proinde talis Communio non esset adimpletiva praecepti, cum nondum incoeperit tempus annuae Communionis. E converso certum est quod, coepto tempore Paschali, si quis impediendum a Communione se praevideat, tenetur illico eam accipere, ut *communiter* docent *Suar. etc.* - 298.

Quaeritur 4. An teneantur fideles tollere impedimenta, ut praecepto annuae Communionis satisfaciant?

R. Communiter dicunt *Lugo, Croix, Tamb. etc.* quod excommunicatus tenetur obtinere absolutionem, ut possit praeceptum implere. Et *Salm. probabilius* censent carcere detentos teneri ad quaerendam libertatem, ut communicent; quia *probabilius* est hoc esse praeceptum divinum juxta dicta n. 297. - 299.

Quaeritur 5. Quo loco sumenda sit Communio Paschalis?

R. Tenetur quivis sumere in parochia a Pastore suo, nisi hujus licentia, privilegio aut consuetudine eximatur. *Nav. etc.*

Unde:

1. Sacerdos ubivis celebrando sa-

tisfacit, ut *communiter* ex consuetudine dicunt *Ronc. etc.*, intellige, si celebret; alias tenetur communicare in Parochia, ut alii laici.

2. Eximuntur peregrini et vagi, qui Parochiam non habent aut ab ea absunt, et ita absunt, ut commode ad illam accedere nequeant. Nec tunc tenentur communicare in Ecclesia Matrice oppidi illius, neque in Parochia in qua transeunter commorantur.

3. Eximuntur famuli monasteriorum, qui in eadem clausara degunt, et sub obedientia suorum praelatorum. - 240.

4. Non satisfacit huic praecepto, qui in Paschate extra Parochiam sine consensu Pastoris communicat. Censet *Bon.* satisfacere qui communicat in Ecclesia cathedrali; sed nescio an opinio *Bon.* sit *probabilis*, nisi adsit in aliquo loco communis usus, qui consensum Episcopi praesumere faciat; oves enim a proprio Pastore agnosci debent. Dixi *sine consensu Pastoris;* quia, cum consensu summi Pontificis, vel Episcopi sive Ordinarii, aut ejus Vicarii generalis, vel Parochi, extra Parochiam communicando, satisfieri praecepto Doctores concedunt. Et quidem sufficere consensum praesumptum, modo adsit certitudo moralis de voluntate Parochi, docent *Lugo etc.* - 300.

Quaeritur 6. An pueri statim ac habent usum rationis possint ac debeant communicare?

R. Prima sententia affirmat, et hanc tenent *S. Antonin. etc. Secunda* vero *sententia communissima* et *probabilior negat* eos teneri; et hanc tenent *Suar. etc.* Ratio, quia communis usus Ecclesiae sic interpretavit obligationem hujus praecepti, tum ut pueri cum majori reverentia et fructu Eucharistiam suscipiant, tum ne ipsi facile exponantur periculo transgressionis. Et quamvis obligentur ad Confessionem, non ideo tamen tenentur suscipere Eucharistiam, quae est majoris excellentiae, et non tantae necessitatis. Caeterum *probabilius* dicunt *Suar. etc.* quod licet pueri non teneantur communicare statim post adeptum usum rationis, non tamen prohibentur ad Eucharistiam accedere, semper ac sciunt discernere hunc caelestem cibum a terreno; quia possunt, ait *D. Thom.*, aliquam devotionem concipere.

Quaeritur 7. Quando censeantur pueri obligati ad communicandum?

R. Communiter dicunt DD, regulariter loquendo, pueros non obligari ad Communionem ante nonum vel decimum annum; nec differendam eis esse Communionem ultra duodecimum vel saltum ultra decimum quartum annum. Dictum est *regulariter:* nam, ut advertunt Auctores, citius possunt obligari pueri qui ante talem aetatem perspicaciores conspiciuntur. Unde recte reprehendit *Ronc.* Parochos, qui indiscriminatim non admittunt ad Communionem, nisi pueros in certa aetate constitutos. Dicunt autem *Nav.* et *Croix*, quod licet pueri anno decimo possint ad Communionem admitti, non tament ipsi ad illam tenentur, sed tum solum cum a Parocho vel Parentibus moniti fuerint.

Quaeritur 8. An in periculo mortis Communio tribuenda sit pueris qui rationis sunt impotes?

R. Negative, tum quia adesset periculum irreverentiae, tum quia talis est usus Ecclesiae Romanae. Et qui aliter ageret, peccaret graviter. Pueris vero qui jam sunt compotes rationis, in articulo mortis, non solum Communio dari potest, sed etiam debet dari, ut *communissime* docent *Suar. etc.* Ratio, quia ex una parte, pueri in tali periculo constituti tenentur ex praecepto divino communicare; ex alia, utilitas Eucharistiae tunc majorem dispositionem non exposcit. - 301.

Quaeritur 9. An Communio sit ministranda amentibus?

R. Perpetuo amentibus omnino est neganda, ut omnes dicunt cum *S. Thom.* Aliis vero amentibus qui non semper caruerunt usu rationis, sed nunc carent, censet *Cob.* quod in periculo mortis absolute potest ei dari Communio. Sed in hoc sequenda est doctrina *D. Thom.* qui sic ait: « Si prius, » quando erant compotes suae mentis, » apparuit in eis devotio hujus Sacra- » menti, debet eis in articulo mortis » hoc Sacramentum exhiberi, nisi » forte timeatur periculum vomitus » vel expuitionis ». Hinc, sufficit quod talis aeger pie vixerit. Ratio, quia ex una parte praesumitur is interpretative Communionem petere; ex altera, huic Eucharistia adhuc necessaria esse potest, nempe, si incidisset in amentiam existens in peccato mortali, de quo solum attritus fuerit. Excipiunt tamen DD. si certo praesumatur talis in amentiam incidisse penitus impoenitens. Extra tamen articulum mortis, nullo modo Eucharistia amentibus est concedenda, ut *Salm.* cum *Suar.* et *communi.* - 302.

Quaeritur 10. Quando concedenda sit Eucharistia semifatuis, mutis et obsessis?

R. 1. Semifatuis, semper ac sciunt distinguere huno caelestem cibum ab aliis, tantum in articulo mortis, et tempore praecepti Communio danda est. 2. Idem agendum est cum mutis et surdis a nativitate, modo ex signis constet eos discretionem habere. Imo, recte ait *Holz.*, quod si isti sint praediti non qualicumque discretione, saepius possunt communicare. 3. Multis surdis et simul caecis a nativitate omnino neganda est Communio. 4. Epilepticis autem negatur Communio tantum in paroxysmo. Idem agendum cum obsessis a Daemone, quando non sunt sui compotes. Caeterum *Salm. etc.* recte ajunt Eucharistiam pluries in anno, juxta prudentiam Confessarii, istis concedendum esse, cum sit spirituale remedium ad Daemones arcendos: hinc, ait *Cassianus*, « eis qui ab » immundis vexantur spiritibus, Com- » munionem a senioribus nunquam » meminimus interdictam. » 303.

§. II. - *De Dispositionibus animae et corporis ad suscipiendam Eucharistiam requisitis.*

PUNCTUM I.

De Dispositionibus animae.

Qui est in peccato mortali tenetur sub mortali ante sumptionem Eucharistiae confiteri, nisi sit necessitas celebrandi vel communicandi, et Confessarius desit. Ita *Trid.*, ubi contrarium docentes excommunicantur de facto. Sic enim habet Concilium: « Nul- » lus sibi conscius mortalis peccati, » quantumvis sibi contritus videatur, » absque praemissa sacramentali Con- » fessione ad sacram Eucharistiam ac- » cedere debet. Quod a Christianis » omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus » quibus ex officio incumbuerit cele- » brare, haec Sancta Synodus perpetuo » servandum esse decrevit, modo non » desit illis copia Confessoris. Quod » si, necessitate urgente, Sacerdos » absque praevia Confessione celebra- » verit, quamprimum confiteatur. » Fundatur autem hoc in illo 1. *Corinth.: Probet autem seipsum homo etc.* - 255.

Quaeritur 1. An hoc praeceptum praemittendi Confessionem ad Communionem sit divinum vel ecclesiasticum?

R. Alii dicunt esse tantum ecclesiasticum. *Communis* tamen et *vera* sententia docet praeceptum hoc esse divinum; quia constat quod ex praecepto Christi praemittenda sit probatio, dum Apostolus testatur illud a Domino accepisse. - 256.

Quaeritur 2. An si quis post Confessionem recordetur alicuius peccati

mortalis inculpabiliter obliti, sed per dolorem universalem iam indirecte remissi, teneatur ante Communionem illud confiteri?

R. Prima sententia inter DD. *communissima* affirmat; quia illud videtur expresse praeceptum in *Tridentino. Secunda* vero *sententia negat.* Spectato intrinseco fundamento, haec sententia mihi videtur omnino rationi consentanea; quia qui Confessionem Communioni praemisit, jam implevit praeceptum Confessionis, vi cujus peccatum oblitum jam est indirecte remissum, et poenitens jam probatus existit. Quamvis autem teneatur ipse peccatum illud deinde clavibus subiicere ante mortem, vel quando urgebit praeceptum Confessionis, minime tamen constat ex *Trid.* adesse praeceptum, ut statim ante Communionem de illo confiteatur.

Quaeritur 3. An talis poenitens qui recordatur peccati mortalis inculpabiliter obliti in Confessione, et qui confiteri vel nequeat vel nolit juxta mox allatam sententiam in praecedenti quaestione, teneatur ante Communionem actum Contritionis elicere?

R. Affirmat Medina. Alii vero ut *Lugo etc.* primam sententiam *communiter* rejiciunt: quia peccatum jam deletum est per Confessionem antea factam. - 257.

Quaeritur 4. Quaenam requiritur necessitas ut quis peccati mortalis conscius, dispensetur a Confessione ante Eucharistiae celebrationem vel sumptionem Eucharistiae?

R. Non sufficit necessitas quaecumque, sed oportet ut sit gravis sive urgens, qualis esse censetur in sequentibus casibus, praemissa tamen semper Contritione. 259. - 1. Periculum mortis, vel ut consecretur Hostia pro morituro. 2. Si Sacrificium vel Communio non possint omitti absque gravi infamia vel scandalo, et Confessarius deest, vel confessio ob angustiam temporis perfici non potest. In hoc casu dicunt *Ronc. etc.* confessionem dimidiari posse, cum obligatione illam postea perficiendi (*a*). 260. - 3. Si Parochus debet celebrare ex officio ut populus Sacrum audiat, nec adsit alius qui celebret, et Parochus non possit omittere celebrationem sine infamia. Secus si non sit Parochus, licet populus in die festo missa carere deberet. 4. Si urgeat praeceptum de annua Communione. Sed negant *Tourn.* et *Salm.* Utraque est *probabilis.* Secus de Sacerdote qui debet potius in die festo omittere Missam, quam sine Confessione celebrare. 261. - 5. Si Sacerdos post Consecrationem committat mortale, vel ante commissi recordetur, tenetur elicita Contritione Sacrificium prosequi. Si vero id fiat ante Consecrationem, et praesertim ante Canonem, debet confiteri si possit vel recedere; caeterum bene advertunt *Tourn. etc.* quod eo casu vix nota infamiae vitari poterit. 262. - 6. Si in scamno communicantium recorderis peccati mortalis quod oblitus es confiteri, nec sine nota aut scandalo gravi possis recedere. Vide n. 257. - 263.

Quaeritur 5. Quando Confessarius censetur deesse?

R. Censetur deesse in sequentibus casibus: 1. Si nullus sit praesens, et absentem vero sine magna difficultate adire non possis, spectatis circumstan-

(*a*) *Si allato viatico ad infirmum, tempus non suppeteret ut confessio compleretur sine periculo mortis aut infamiae, tunc Sacerdos, audito aliquo peccato, debet moribundum absolvere, imponendo ei ut deinceps integram Confessionem faciat, et tunc debet ei Communionem praebere. - H. n. 24.*

tiis debilitatis, aetatis, negotiorum, distanttiae, aeris, brevitatis temporis etc. Hinc quodcumque grave incommodum excusat. 2. Si non adsit nisi ignarus idiomatis vel carens jurisdictione, vel cui non possis confiteri sine gravi damno tuo vel alieno. Requiritur tamen in his casibus contritio et propositum confitendi. - 264.

Quaeritur 6. Quomodo intelligendum praeceptum illud a *Trid.* Sacerdotibus impositum, confitendi quamprimum, si conscii peccati mortalis et necessitate urgente, sine praevia confessione celebraverint, defectu Confessarii?

R. Alii dicunt intelligi, cum primum talis Sacerdos celebraverit; sed haec opinio est *omnino improbabilis*. Alii autem e converso censent intelligi statim ac cesset necessitas, et Sacerdos commode possit Confessarium accedere, adhuc in ipsa die celebrationis. Sed melius *P. Milante* cum *communi* DD. dicunt sufficere ut Sacerdos intra triduum confiteatur: quia cum hoc praeceptum est tantum ecclesiasticum, non censetur Ecclesia velle ad illud obligare cum tanto rigore; unde *quamprimum* moraliter debet intelligi, prout intelligitur in aliis legibus humanis, ubi verbum *statim*, *quamprimum*, *continuo* aut simile, bene extenditur ad spatium trium dierum. *Communiter* tamen dicunt *Card. de Lugo etc.* quod aliquando per accidens ex tali praecepto Sacerdos ille teneretur confiteri eadem die, et forte eadem hora puta, si tunc Confessarium haberet, qui postea per plures dies carebit, vel si cras eadem necessitas urgeret celebrandi, nec posset confiteri.

Nota duas prop. 38. et 39. damnatas ab *Alex. VII.* Prop. 38. « Man» datum *Tridentini* factum Sacerdoti » sacrificanti ex necessitate cum pec» cato mortali confitendi *quamprimum* » est consilium non praeceptum. » - Prop. 39. « Illa particula *quampri*» *mum* intelligitur cum Sacerdos suo » tempore confitebitur. »

Quaeritur 7. An teneatur confiteri *quamprimum* Sacerdos sacrilege celebrans qui non habet necessitatem, vel qui stante necessitate, habet tamen copiam Confessarii?

R. Affirmant Sylv. etc. Sed *communissime et verius negant Suar. etc.* quia sacrilege celebrantes, praeceptum divinum contemnentes, facilius ecclesiasticum contemnerent praeceptum - 266.

Quaeritur 8. An teneatur confiteri *quamprimum* celebrans post Confessionem, in qua inculpabiliter oblitus est alicujus mortalis?

R. Si meminerit post celebrationem, utique non tenetur, ut recte docent *Suar. etc.* Imo hoc *probabiliter* admittunt *Bon. etc.* etiamsi in Missa post Communionem recordetur mortalis; quia nec iste celebrasset conscius peccati, ut loquitur *Trid.* Si vero meminerit ante celebrationem, merito putat *Croix probabiliter* non teneri; quia hic non potest dici celebrasse conscius peccati sine praevia confessione. Vide n. 257.

Quaeritur 9. An Sacerdos qui post Consecrationem recordatur peccati oblivi, nulla premissa Confessione, teneatur confiteri *quamprimum*?

R. Affirmant Suar. etc. Sed *negant Vasq. etc.*; et merito *probabile* putat *Lugo*, cum Rubrica loquens de eo qui meminit peccati post Consecrationem, dicit: *conteratur cum proposito confitendi*, quin adjungatur *quamprimum* (*a*) - 267.

Quaeritur 10. An praefatum praeceptum *Tridentini* confitendi *quamprimum* obliget etiam laicos?

(*a*) *Haec sententia non videtur* improbabilis; *sed est* communior *et forte* probabilior *contraria*. - *H. n.* 31.

R. Prima sententia affirmat. Secunda vero *sententia communissima* et (*a*) *satis probabilis negat ;* quia differt ratio Sacerdotum et Laicorum. - 268.

Quaeritur 11. An accedere ad Eucharistiam cum peccato veniali habituali, sit novum veniale ?

R. Affirmant Laym. etc. Probabiliter vero negant. Sot. etc. Ratio, tum quia haec potius est deficientia perfectae reverentiae quam positiva irreverentia, tum quia ipsa voluntas recipiendi Eucharistiam et ejus effectum, est quaedam virtualis venialium detestatio, qua culpae removentur, ita ut ipsae minime Sacramenti fructum impediant.

Quaeritur 12. An qui communicat cum peccato veniali actuali, peccet venialiter, et fructum Sacramenti amittat ?

R. Quando culpa afficit ipsam Communionem, puta cum quis communicat ob inanem gloriam, vel alium finem venialem, nemo dubitat quin venialiter etiam peccet. Sed si quis communicat cum actuali vel virtuali affectu peccandi venialiter, vel cum veniali concomitante, puta cum voluntaria distractione, vel proferendo verba otiosa, et simili, *negant Vasq. etc.*, eum peccare venialiter. Verius tamen affirmant cum *communi Suar. etc.* Ratio, quia talis communicans positivam irrogat injuriam Sacramento. Hoc quoad culpam. Quoad vero fructum sive effectum Sacramenti, alii dicunt quod accedens sine actuali dispositione quae consistit in exclusione culpae venialis in actu Communionis, et in aliquo pio devotionis motu, nullum recipit fructum Sacramenti. Sed alii *communius* ajunt talem non privari omni fructu. Ita *Suar. etc.* Haec sententia est quidem longe *communior*, sed prima non videtur *improbabilis*. - 270.

Quaeritur 13. An liceat communicare antequam impleatur condigna poenitentia de delictis ?

R. Affirmative : et illud patet ex prop. 22. damnata ab *Alex VIII*, quae sic : « Sacrilegi sunt judicandi qui » jus ad communionem percipiendam » praetendunt, antequam condignam » de delictis suis poenitentiam ege» rint. » - 527.

PUNCTUM II.

De dispositionibus Corporis, seu de Jejunio et puritate Corporali.

1. Ex praecepto Ecclesiae tenetur communicaturus sub mortali regulariter esse jejunus jejunio naturali; id est, ut a medio noctis nihil omnino per modum cibi, potus, aut medicinae sumpserit. Ita *comm.* (*b*). Sed ad hoc jejunium frangendum juxta *communem* sententiam tria requiruntur : 1. Ut quod sumitur, sumatur ab extrinseco. 2. Ut sumatur per modum comestionis aut potationis. 3. Ut res sumpta habeat rationem cibi aut potus. - 278.

2. Nulla corporis macula per se impedit sumptionem Eucharistiae, cum parum faciat ad bonitatem vel malitiam moralem; potest tamen aliquando per accidens impedire propter effectus secutos. Ita *commun.* - 271.

Quaeritur 1. An voluntaria trajectio reliquiarum cibi frangat jejunium ?

R. Prima sententia negat; et hanc tenent *Suar etc.;* quia tales reliquiae non sumuntur per modum sibi, sed per modum salivae. *Secunda* vero *sententia communior affirmat;*

(*a*) *Et* probabilior. - *H. n.* 33. — (*b*) *Dubium tamen an deglutiveris aliquid a media nocte, non impedit a Communione, ut diximus* in Tract. de Consc. - *H. n.* 35.

et hanc tenent *D. Thom. Laym. Ronc. etc.* quia hujusmodi reliquiarum trajectio, cum ex industria fiat, videtur nova comestio. Prima sententia non videtur *improbabilis;* sed haec secunda est *probabilior*, et omnino consulenda. Licet in hoc non sit scrupulose agendum, ut sapienter advertit *P. Suar.* Unde libenter sequor sententiam *Lugonis,* nempe quod reliquiae a dentibus divulsae, quae sensibiliter in lingua percipiuntur, equidem sunt expuendae: non vero est obligatio adhibendi diligentiam ad reliquias illas ex dentibus extrahendas, etiamsi praevideantur deglutiendae, si non extrahantur, et cum saliva deglutiantur; alias enim haec obligatio esset innumeris scrupulis et perplexitatibus obnoxia, ad quod certe non praesumitur Ecclesia voluisse obligare.

Quaeritur 2. An guttulae aquae cum saliva mixtae, aut jusculi degustati, si ex proposito deglutiantur, frangant jejunium?

R. Si praedictae guttulae casu trajiciuntur, certum est eas non frangere jejunium, modo non sint in magna quantitate; ita omnes cum *S. Thom.* Si vero ex proposito deglutiantur, omnino affirmandum cum sententia *communi* eas frangere jejunium. Ita *Suar. etc.* et Rub. Miss. Idem dicendum si quis noctu immittit saccharum in ore, et post mediam noctem aliquid trajicit; quia est continuata comestio. Sic etiam frangit jejunium qui sumit aquam, licet involuntarie, quia labitur in flumen etc. Ita etiam, si quis sugeret sanguinem ex digito, vel lacrymas ex oculis manentes. Secus vero dicendum, si quis deglutit sanguinem defluentem e capite vel e gingivis, aut saniem ex pustula oris emanantem etiam ex industria, ut *communiter* docent *Suar. etc.;* quia ut supra dictum est, quidquid ab intrinseco provenit, non vere comeditur, nec solvit jejunium. - 279.

Quaeritur 3. An solvat jejunium pulvis tabaci sumptus per nares?

R. Affirmant Lez. etc. Sed *communiter negant alii,* etiamsi aliquid in stomachum transmittatur, quia licet talis materia sit nutritiva, tamen non sumitur per modum comestionis, sed attractionis. *Suar. etc.* Haec sententia est quidem *probabilissima*, tum ob allatam regulam, tum ob universalem consuetudinem, qua undique permittitur praefatus tabaci usus ante missam, ut docet Papa *Bened. XIV.* Idem autem quod dictum est de tabaco, dicunt de acqua casu trajecta per nares *Suar. etc.* Id tamen non admitterem, si quis ex proposito tabacum vel aquam per nares in stomachum trajiceret, quia id non sumeret tunc per simplicem attractionem, sed per voluntatem directam trajiciendi; quod nullo modo videtur permissum ab Ecclesia. Pariter non frangit jejunium qui pulverem aut pluviam, flocum nivis, culicem, sive muscam deglutiret, nam si hoc accideret casu per respirationem, hoc non potest dici comestio, sed respiratio, quam Ecclesia noluit quidem prohibere. Secus vero esset, si quis ex proposito vellet culicem aut pulverem trajicere; quia haec esset non mera respiratio, sed voluntaria deglutio.

Quaeritur 4. An solvat jejunium fumus tabaci aut similis?

R. Affirmant pariter *Lez. etc.;* quia, ut dicunt, fumus etiam aliquo modo nutrit. *Negant* vero *communiter* et *probabilius Holz. etc.;* quia fumus tabaci neque est cibus aut potus, neque sumitur per comestionem vel potationem; alias dicere deberemus frangere jejunium etiam eos qui in culina ciborum fumum exciperent. Et hoc currit etiamsi fumus voluntarie imitatur in stomachum.

Quaeritur 5. An solvat jejunium qui sumit folium tabaci vel aroma, ut dentibus conterat, et phlegmata expuat?

R. Affirmant Henno etc. Sed *negant Lugo etc.*, et merito id *probabile* putant *Salm.* Et hoc etiam si deglutiatur, sed praeter intentionem, aliquid modicum succi salivae inseparabiliter mixti, ut dicunt *Lugo*, *Tamb. etc.*, quia si casu id deglutiatur, non per modum cibi, sed per modum salivae trajicitur. Omnes autem conveniunt hujusmodi masticationem esse indecentem ante Communionem, unde puto eam non excusari a culpa veniali, nisi aliqua causa subsit. - 280.

Quaeritur 6. An comestio capillorum, unguium, vel ligni, papyri, lapillorum et similium impediat Communionem?

R. Adsunt tres sententiae. *Prima universe negat;* quia omnia haec non habent rationem cibi. *Secunda sententia* e converso *universe affirmat;* quia, ut dicunt, reverentia ad Eucharistiam requirit ut nihil ad modum cibi deglutiatur. *Tertia* vero *sententia communis* docet minime frangi jejunium, si edantur res omnino indigestibiles, ut sunt capilli, ungues, metallum, vitrum, fila ex serico aut lana etc. Secus vero dicendum de rebus digestibilibus quae a stomacho alterari, et in substantiam hominibus converti possunt, prout sunt charta, palea, filum ex lino, pulvis medicinalis, etc. - 281.

Quaeritur 7. Utrum inter plura horologia dissonantia liceat alicui ultimum sequi ad Communionem accipiendam?

R. Negant Salas etc. Sed *communissime affirmant Sanch., Merati, Spor. etc.* dummodo de errore non constet; vel modo horologium non sit de illis quae ut plurimum errant, quia haec praesumuntur semper errare.

Quaeritur 8. An possit communicare qui cibum deglutit post primum ictum?

R. Affirmant Salm. etc. Sed melius id *negant Lugo etc.*, quia ad primum horae ictum media nox jam expleta est, ut mihi etiam confirmavit peritissimus horologiorum faber. Sentio autem tanquam certum tenendum, quod tempus mediae noctis non moraliter, sed physice accipiendum est.

Quaeritur 9. An in dubio negativo, utrum transacta vel ne sit media nox, possit aliquis communicare?

R. Valde probabilis est, imo *forte probabilior sententia affirmativa.* Vide *Tract. de Consc. n.* 39. - 282.

Quaeritur 10. Utrum liceat aliquando non jejunus communicare?

R. Non jejunus licite communicat in sequentibus casibus, si non possit jejunus sine notabili incommodo: 1. In periculo mortis, sive illud sit ex morbo, vulnere, veneno, sive ex sententia judicis. 284. - 2. Si periculum sit ne Eucharistia pereat vel male tractetur, potest sumi a non jejuno, etiam laico, si alius desit. 3. Si grave scandalum sit oriturum ex omissione Sacrificii vel Communionis. Quod tamen quidam putant vix fieri posse, eo quod occurri possit scandalo, dicendo Sacerdotem casu aliquid sumpsisse, ideoque impediri. 4. Si perfectio Sacrificii vel Communionis urgeat; quod fieri potest quinque modis. 1. Si pro speciebus vini sumpserit aquam Sacerdos, quam si advertat dum habet in ore, non est expuenda ob periculum ejiciendi fragmentum hostiae, et ob irreverentiam, sed deglutienda. Tunc enim tenetur denuo consecrare vel novam hostiam simul cum vino, ut multi volunt, vel solum vinum, ut admittunt alii, si in publico celebretur ad vitandum scandalum. 2. Si celebrans post consecrationem deficiat; tunc enim tenetur non jejunus perficere, si jejunus haberi non possit.

3. Si post Consecrationem etiam unius speciei recordetur se non esse jejunum: tenetur enim pergere. Si autem recordetur soluti jejunii ante consecrationem, et praesertim ante Canonem, debet utique desistere a Missa, si possit sine infamiae nota, aut scandalo. Et sentio cum *Tourn.*, scandalum semper esse timendum, nisi celebrans sit notae, aut saltem praesumptae probitatis. 287. - 4. Si post ablutionem sumptam, licet diu Communionem distribuerit, sumendae sunt reliquiae etiam grandiores consecratae eodem Sacro. 5. Si pars hostiae post ablutionem sumptam, calice aut palato adhaereat; quae pars hostiae, ex Rubrica, vel nova ablutione sumitur, vel ante ablutionem ad labium calicis digito attracta. Dicunt *Suar. etc.* licitum esse dare aegro minimam particulam simul cum ablutione, si ob siccitatem nequeat illam deglutire. Praeterea licite datur etiam sano ablutio aquae aut vini, ut possit deglutire particulae fragmenta, quae ori haeserint, quamvis ablutio prius deglutiatur quam hostia, vel hostiae fragmenta, hoc non obstat jejunio. 288.-5. Ob metum mortis licet juxta plures DD. celebrare non jejunus, secluso contemptu. - 289.

Quaeritur 11. An liceat Communionem iterum ministrare infirmo non jejuno, qui jam Viatico munitus est?

R. Quidquid dicant aliqui *vera* et *communis* est sententia affirmans. Ratio, quia hoc Sacramentum aegrotis non datur praecise ad satisfaciendum praecepto, sed in praesidium contra tentationes, quae tempore mortis magis urgent. Et hoc non solum si novum recurrat periculum, sed etiam si idem perduret.

Quaeritur 12. Quando tempore debeat distare una Communio ab alia?

R. Communior sententia docet distare debere octo diebus circiter. Sed *non improbabiliter Laym. etc.* dicunt quod infirmus assuetus saepius ex devotione communicare, bene possit altero die statim post Viaticum sumptum suscipere Communionem non jejunus; idque in singulis diebus admittunt *Pal. etc.*

Quaeritur 13. An si quis communicaverit paucis ante diebus ex devotione, teneatur sumere Viaticum superveniente periculo mortis?

R. Prima sententia communior negat, etiamsi Communio praecesserit octo circiter diebus. Haec sententia est *satis probabilis*, saltem si periculum mortis naturaliter accidat, quia tunc in illo brevi tempore antecedenti jam moraliter coepit imminere, quamvis fuerit ignoratum. *Secunda* vero *sententia probabilior affirmat*; quia hoc divinum mandatum ex interpretatione Ecclesiae praecise obligat instante periculo mortis, ut contra hostes hoc divino praesidio muniamur; ergo non impletur per Communionem ex devotione susceptam.

Quaeritur 14. An qui mane communicavit ex devotione, teneatur aut possit urgente periculo mortis Viaticum sumere?

R. Adsunt tres sententiae. *Prima affirmat* eum teneri, quia tunc suscipiendum est Viaticum ad implendum praeceptum divinum. *Secunda* dicit eum non teneri, sed posse communicare. *Tertia* dicit eum nec teneri nec posse communicare, quia praxis Ecclesiae est ut nemo bis in die communicet. Omnes has tres sententia *probabiles* putat *Bened. XIV.* Caeterum *probabilior* mihi videtur sententia *Lugonis*, qui distinguit inter morbum naturalem et violentum; et ait quod si quis fuerit vulnere percussus, vel ex alto ceciderit, potest communicare, imo tenetur juxta nostram sententiam superius allatam: quia hic revera non accepit Viaticum in mortis articulo constitutus. Secus vere si quis jam in

aegritudine positus mane ex devotione communicaverit, tunc enim bene potest dici moraliter in periculo mortis communicasse, cum morbus ille jam erat in se periculosus, etsi non adhuc notus. Et idem puto dicendum, si morbus fuerit repentinus, puta apoplexia vel quid simile, nam hujusmodi morbi judicantur jam prius in suis causis dispositi existere, licet ignorentur.

Nota. Si infirmus facile possit jejunus sumere Viaticum in sequenti die, tenetur utique expectare; secus tamen si adsit periculum mortis, vel si non possit commode expectare. De reliquo, bene ajunt *Salm.*, in hoc non esse scrupulose procedendum, cum in Concilio *Constantiensi* simpliciter infirmi excipiantur a lege jejunii.

Quaeritur 15. An Sacerdos ministrans Viaticum possit aliquando omittere verba illa in Rituali praescripta, *Accipe Viaticum?*

R. Negat Clericat etc. Probabiliter vero *affirmant Tourn. etc.* casu quo infirmus magna animi tristitia Communionem per modum Viatici sit suscepturus. Ad satisfaciendum enim praecepto Viatici non requiritur intentio satisfaciendi, sed sufficit ut ponatur opus praeceptum, ut dictum est in *Tract. de Leg., n.* 163. - 185.

Quaeritur 16. An Sacerdos ad Viaticum ministrandum possit celebrare non jejunus?

R. Prima sententia affirmat: quia praeferendum est praeceptum divinum ecclesiastico. *Secunda* vero *sententia communis* et *probabilior negat;* quia licet praeceptum sumendi Viaticum sit divinum, et praeceptum non celebrandi post cibum si tantum ecclesiasticum, tamen hoc in substantia etiam est divinum propter reverentiam Sacramento debitam, quae non excusatur eo casu ob utilitatem moribundi, cum Sacramentum hoc non sit tantae necessitatis. Primam sententiam *probabilem* puto, sed haec secunda *probabilior* mihi videtur, nisi moribundus non possit Sacramento Poenitentiae, vel Extremae Unctionis muniri, nam eo casu Eucharistia poterit esse sacramentum necessitatis, ut ille ex attrito fiat contritus. Secus vero dicendum, si sacerdos cum esset morti proximus, deberet celebrare ad dandam sibi Viaticum; quia tunc bene poterit celebrare non jejunus, ut praecepto Viatici satisfaciat, tunc enim in eadem persona concurrunt praeceptum ecclesiasticum et divinum, quod praeferendum est. Ita *communiter Suar. etc.* - 286.

Quaeritur 17. An qui post comestionem non dormierit, vel non sit digestus possit communicare?

R. Affirmative. Caeterum quandoque convenit talem a Communione abstinere, propter animi torporem; nisi vigilia aut indigestio proveniat ex causa naturali, aut rationabili et honesta, et homo conetur turbationem illam repellere, faciens quantum in se est, ut devote accedat. - 289.

Quaeritur 18. An liceat expuere statim post communionem?

R. Omnes conveniunt congruum esse ut communicantes per aliquod temporis spatium abstineant ab expuendo: dicunt tamen *Holzm etc.* nullum esse peccatum expuere post Communionem, si nullum hostiae fragmentum remanserit in ore.

Quaeritur 19. An liceat edere vel bibere post communionem?

R. Olim praecipiebatur jejunium post Communionem usque ad sextam; sed hoc praeceptum jamdiu est abrogatum. Attamen hodie erit peccatum veniale, propter reverentiam, comedere quamdiu species consecratae perseverant in stomacho, nisi adsit aliqua causa. Quanto autem tempore perdurent in stomacho species consecratae? Vide n. 225. - 283.

Quaeritur 20. An pollutio semper impediat a Communione?

R. 1. Si pollutio fuerit voluntaria, dicunt *Nav. etc.* esse peccatum mortale statim post illam ad Eucharistiam accedere, quamvis contritio et confessio praecesserint. Sed id *negat communis sententia* cum *Lugo etc.* Caeterum *communiter* docent DD. saltem sub veniali teneri hujusmodi poenitentem abstinere ea die a communione propter reverentiam tanto Sacramento debitam. Hoc tamen intelligendum, nisi scandalum vel alia justa causa exigat Communionem, prout prudenti Confessario videtur. 2. Si vero pollutio fuerit involuntaria, *communiter* et recte dicunt *Laym., Gerson, S. Bonav. etc.* eam minime a Communione impedire, si nullam perturbationem reliquerit. Et hoc, etiamsi pollutio proveniat a causa venialiter culpabili, tunc enim tantum ex consilio abstinere hortatur *Sanch.* Omnes autem DD. conveniunt esse veniale accedere ad Eucharistiam cum perturbatione orta ex delectatione ante habita, vel ex turpi imaginatione pollutionem concomitante, saltem usquedum perdurat mentis evagatio; nisi homo conetur eam repellere, faciens quantum in se est ut devote accedat; vel nisi aliqua justa causa necessitatis aut devotionis aliud expostulet. - 272.

Quaeritur 21. An copula conjugalis impediat ab Eucharistia?

R. Alii absolute putant non excusari a culpa veniali conjugem copulam habentem die Communionis. E converso, alii nullam in hoc culpam agnoscunt. Sed dicendum cum *communi* DD. esse veniale accedere ad Communionem eodem die quo habita est copula causa voluptatis, quia id excusari non potest ab aliqua indecentia. Recte autem dicunt *Sanch. etc.* quod a praedicta indecentia excusare valeat quaevis honesta causa, puta solemnitas occurrens, scandalum vitandum, periculum notae, Jubilaeum sive indulgentia lucranda, specialis devotio, etc. Si vero copula fiat sine peccato, puta, causa generandae prolis, tunc certum est apud omnes, quod licet congruum sit abstinere illa die a Communione, hoc tamen est tantum consilii sine obligatione. Ita *Lugo etc.;* quia finis procreationis, cum sit omnino honestus et a Deo volitus, satis reparat quamdam illam indecentiam, quae adest in communicandum post copulam. - 273.

Quaeritur 22. An conjux reddens debitum teneatur illa die a Communione abstinere?

R. Affirmant Caj. etc.; quia, ut ajunt, adhuc redditio relinquit mentis hebetationem. Sed *communiter S. Antonin., S. Thom. etc.* docent abstinentiam tunc esse meri consilii, quia cum redditio debiti sit actus virtutis, non est cur hominem a Communione impediat. Idem procedere censet *Sanch.* cum *Gersone* si copula sit ad incontinentiam vitandam.

Nota. Recte hic advertunt *Salm. etc.* quod conjux ratione Eucharistiae suscipiendae minime eximitur ab obligatione reddendi debitum; tantum poterit honestis precibus resistere, non autem importunis.

Quaeritur 23. Quid Confessarius respondere debeat, si interrogatur a conjuge an reddere teneatur debitum die Communionis?

R. Sapienter *Laym. etc.,* docent respondendum quod si conjux frequenter communicare solet, v. g. omnibus festis, eum obligari ad reddendum, ne periculo exponatur peccandi contra justitiam vel charitatem. Si vero non frequenter communicet, tunc illi suadeat ut roget alterum conjugem abstinere in honorem Communionis, modo non incurrat illius indignationem; tunc enim, si rogatio non proficit, poterit communicare; nisi patiatur ex red

ditione insolitam distractionem, nec conetur eam repellere.

Nota. Die qua conjux jam communicavit debitum reddere nullam esse culpam, dicunt *Alex. etc.* Petere vero censent esse veniale (*a*). Sed *Nav., Sanch. etc.* dicunt abstinentiam a petendo esse tantum consilii, non obligationis. - 274.

Quaeritur 24. An mulieres tempore menstrui possint communicare?

R. Sentit *Suar.* quod si ipsae commode Communionem differre possunt, tenentur differre sub veniali. Sed *communius* et *probabilius* censent *Pal. etc.* hoc esse tantum de consilio.

Nota 1. Debent mulieres ad Communionem modeste accedere, pectore cooperto, et sine vano ornatu; unde, si quae nimis immodeste accedat, huic neganda est Communio. 2. Congruum est etiam accedere, depositis armis. 3. Pertinet etiam quodammodo ad dispositionem corporis accedere ad Eucharistiam corpore mundo, sine aliqua macula notabili, quae sit externa et delebilis; nam si esset occulta, non obest; neque si esset perpetua, ut lepra, fistula, et similis. 4. Sacerdos lepra infectus, vel alio morbo horrorem afferente, prohibetur celebrare in publico. 275. - 5. Sacerdos quando Eucharistiam accipit more laicorum, debet esse stola indutus, sub interminatione excommunicationis ex Concilio *Bracharensi III.* Licet *verius* et *communiter Suar. etc.* eum excusent a peccato mortali, quia res non est admodum gravis, vel quia ex communi usu non videtur sub gravi recepta; merito tamen eum non excusant a veniali. - 276.

CAPUT II.

DE EUCHARISTIA, UT EST SACRIFICIUM

De natura et virtute sanctae Missae. De obligatione celebrandi. De tempore et loco celebrationis. De requisitis ad celebrationem. De Rubricis.

ARTICULUS I.

De Natura et virtute Sanctae Missae.

Missa est Sacrificium; hoc est certum et de fide ex *Trid.* Per *Sacrificium* enim intelligitur oblatio Deo facta per immutationem alicujus rei in signum supremi dominii ex legitima institutione. Porro, haec omnia conveniunt Missae, quae est oblatio a Christo instituta, in qua per consecrationem et sumptionem mystice mactatur Christus ipse, et offertur ut victima Æterno Patri in recognitionem supremi dominii.

Unde :

1. Sacrificium Eucharistiae in lege gratiae institutum, omnium rationes Sacrificiorum antiquae legis perfecte continet; est enim 1. *Holocaustum* in recognitionem divinae excellentiae. 2. *Eucharisticum* in gratiarum actionem. 3. *Impetratorium* gratiarum per merita Christi. 4. *Expiatorium* peccatorum, quia per illud Deus ad misericordiam movetur.

2. Missae Sacrificium incruentum est profecto idem, ac Sacrificium cruentum Crucis, non solum quia eadem persona offertur, sed etiam quia eadem est formalis ratio sacrificii, cum offeratur in protestationem supremi dominii, quod habet Deus vitae et mortis.

3. Sacrificium igitur altaris, ut ait *Trident.* non quidem essentialiter differt a Sacrificio Crucis, sed tantum accidentaliter quoad modum offerendi, nempe quia 1. In illo Crucis intercessit mors realis, in hoc intervenit mystica. 2. Illud oblatum fuit per ipsum Redemptorem in ara Crucis, hoc offertur ministerio Sacerdotum. 3. Illud fuit

(*a*) *Et quidem* probabiliter. - *H. n.* 57.

meritorium, quia ibi solutum fuit pretium nostrae redemptionis; hoc vero non est meritorium, cum hic tantum applicentur merita Christi. - 304.

Quaeritur 1. In quo consistat essentia Sacrificii Missae?

R. Plures adsunt sententiae. *Prima* dicit eam consistere in sola sumptione; quia in illa tantum reperitur destructio sive immutatio victimae. *Secunda* dicit eam consistere in oblatione, cum Sacrificium nihil aliud sit quam oblatio. *Tertia communior* docet eam consistere in sola Consecratione; quia in Consecratione omnia sunt requisita ad Sacrificium, nempe oblatio, quae jam fit in actu exercito, et distructio seu immutatio victimae, dum vi verborum jam corpus a sanguine Christi separatur. Haec sententia est quidem *valde probabilis et communior*, sed *probabilior* mihi videtur quarta sententia; haec sententia dicit essentiam Eucharistiae consistere partialiter in Consecratione, et partialiter in Sumptione; in Consecratione enim ponitur victima, et in Sumptione consumitur. - 305.

Quaeritur 2. An de essentia Sacrificii requiratur Consecratio utriusque speciei?

R. Prima sententia negat: quia per Consecrationem unius speciei totus Christus ponitur et offertur, simulque jam repraesentatur mors Christi, et habetur oblatio et mactatio victimae. Ita *Bon. etc. Secunda* vero *sententia communior et probabilior affirmat;* et hanc tenent *Suar., Tourn. etc.;* quia alias non exprimeretur sanguinis effusio, quod non fit nisi per utriusque speciei Consecrationem, per quam proprie significatur separatio sanguinis a corpore.

Hic autem advertendum id quod habetur in Rubrica Missalis: « Si ma» teria quae esset apponenda, ratione » defectus vel panis, vel vini non pos» set ullo modo haberi, si id sit ante » Consecrationem corporis, ulterius » procedi non debet; si post Conse» crationem corporis aut etiam vini » deprehenditur defectus alterius spe» ciei, altera jam consecrata, tunc » si nullo modo haberi possit, proce» dendum erit, et Missa absolvenda, » ita tamen ut praetermittantur verba » et signa quae pertinent ad speciem » deficientem. Quod si expectando ali» quandiu haberi possit, expectandum » erit, ne Sacrificium remaneat im» perfectum. » Hinc notat *Gavantus* quod si difficillime haberi possit species deficiens, et notabilis inde oriretur offensio populi, Missa absolvi debet, quia jus naturale vitandi scandalum praevalet juri divino positivo integrandi Sacrificium. - 306.

Quaeritur 3. Quisnam sit offerens Sacrificium Missae?

R. Est de fide quod Christus Dominus sit praecipuus Sacerdos offerens in Sacrificio Missae, ut *communiter* DD. Post Christum, Ministri hujus Sacramenti sunt Sacerdotes, qui soli potestatem habent consecrandi, et offerendi corpus et sanguinem Christi; et consecrant, etiamsi sint haeretici, degradati etc., ex *Trid.* Tota Ecclesia etiam dicitur offerri Sacrificium per Sacerdotem. Post Sacerdotes, omnes fideles offerunt Sacrificium mediate per Sacerdotum manus, tribus utique modis. 1. Modo generali, nempe per Sacerdotes, qui offerendo Sacrificium ut publici Ministri, pro quocumque fideli dicuntur etiam offerre. 2. Modo magis speciali, procurando ut Sacerdotes celebrent pro seipsis. 3. Modo, assistendo Sacrificio. - 307.

Quaeritur 4. Pro quibus possit offerri Sacrificium Missae?

R. Certum est posse offerri hoc Sacrificium pro omnibus fidelibus baptizatis vivis, etiam infantibus, vel energumenis, vel peccatoribus non excommunicatis, quoad fructum tantum im-

petrationis. Pro excommunicato vitando tamen licite Sacerdos potest offerre Missam privatim, quatenus est opus proprium suae privatae personae, non autem nomine Ecclesiae, vel ut Minister Christi, quamvis, si offerret tanquam Christi Minister, valide quidem, sed illicite offerret. - 308.

Quaeritur 5. An licite Sacerdos possit orare aut offerre Missam nomine Ecclesiae, vel ut Minister Christi pro excommunicato tolerato?

R. Negant Suar., Bon., Soto etc. Sed *probabilior* est opposita sententia quam tenent *Lugo etc.*

Quaeritur 6. An possit offerri Missa pro infidelibus?

R Negant Vasq., Sot. etc. Probabilius tamen *affirmant Lugo etc.;* quia in lege veteri Judaei soliti fuerunt sacrificare pro gentibus: praeterea, sic celebrans magis conformatur Christo qui pro omnibus se obtulit. - 309.

Quaeritur 7. An possit offerri Missa pro defunctis existentibus in Purgatorio?

R. Affirmandum quod licite et utiliter offeratur, ut docet *D. Thom.;* et constat ex *Trid.*

Quaeritur 8. An Missa prosit defunctis ex infallibili promissione Christi?

R Negant Solus, etc. - Sed *verius et communis affirmant Suar. etc.*

Quaeritur 9. An Missa *de Requiem* prosit defunctis magis quam Missa de Sanctis?

R. Sic docet *S. Thom.*: « Ex parte » Sacrificii oblati aequaliter prodest » defuncto, de quocumque dicatur; » sed ex parte orationum magis pro» dest illa in qua sunt orationes ad » hoc determinatae; sed tamen iste » defectus reconpensari potest per ma» jorem devotionem vel ejus qui dicit » Missam, vel ejus qui jubet dici, vel » iterum per intercessionem Sancti » cujus suffragium in Missa implora» tur. » - 310.

Quaeritur 10. Quot sunt effectus Sacrificii Missae?

R. Quatuor sunt praecipui, nempe: 1. Remittere peccata. 2. Per se immediate remittere poenas peccatorum hominibus justis pro quibus offertur. 3. Augere gratiam. 4. Impetrare bona spiritualia, et etiam temporalia, quatenus ista animae prosint.

Quaeritur. 11. An hoc Sacrificium remittat peccata mortalia per se immediate, in homine attrito, instar Sacramenti Poenitentiae?

R. Affirmat Cassalius. Sed oppositum est tenendum; ideoque solum impetrat auxilium ad Poenitentiam qua remittuntur, ut *communiter* docent *Tourn. etc.* Idemque dicendum de culpis venialibus cum *S. Thom. etc.*

Quaeritur 12. An Sacrificium Missae de se ex opere operato conferat augmentum gratiae?

R. Affirmant Card. etc. Sed *negandum* cum *Suar. etc.*, et *verius* dicendum per Missam impetrari auxilia ad perficiendos actus, quibus gratia accrescit. - 311.

Quaeritur 13. Quotuplex est fructus Missae?

R. Fructus Missae distinguitur ex triplici capite:

1. Distinguitur ex parte causae, id est ex opere operato, et ex opere operantis. Fructus *ex opere operato* est ille qui confertur intuitu meritorum Christi, et ejus promissionis: fructus vero *ex opere operantis* est ille qui confertur intuitu meriti et devotionis celebrantis. 2. Distinguitur ex parte rei, in meritorium, et impetratorium, juxta dicta ex n. praeced. 311. - 3. Distinguitur in generalem, specialem et specialissimum. Fructus *generalis* obtingit omnibus fidelibus vivis et defunctis. Fructus *specialis* ab aliis dictus *medius*, vel *ministerialis* obtingit tam eis pro quibus applicatur, quam assistentibus, et concurrentibus, mini-

strando paramenta, luminaria, hostias etc. Fructus *specialissimus* demum obtingit soli sacerdoti.

Quaeritur 14. An Sacrificium Missae infinitum habeat valorem?

R. Prima sententia dicit habere valorem actu tam intensive, quam extensive finitum, ita ut pluribus applicatum, minus prosit singulis, quam si uni tantum applicetur. Ita *Bus., Scot., S. Bonav. etc. Secunda* vero *sententia* a recentioribus hodie *communissime* recepta, docet valorem Missae esse intensive, et extensive infinitum quoad sufficientiam, ratione infinitae dignitatis Christi, qui in hoc Sacrificio est victima et principalis offerens. Dicitur *intensive infinitus* quatenus potest causare fructum majorem et minorem juxta mensuram dispositionis hominis. *Extensive* autem, quatenus potest infinitos effectus producere, et juvare ita uni soli ac infinitis hominibus. Ratio, quia, ut docet *Trid.*, Missae Sacrificium idem est, etsi modo diverso oblatum, cum Crucis Sacrificio, quod fuit infiniti valoris. Quoad affectum vero, dicitur hoc Sacramentum esse finitum, non jam ex sua institutione, sed ex finita capacitate hominum pro quibus offertur, quorum unusquisque uberiorem recipit fructum juxta suam et offerentis dispositionem. Unde juxta hanc sententiam Missa aeque prodest singulis pluribus applicata, ac si uni applicetur. Haec secunda sententia, speculative loquendo videtur *probabilior;* at quia contraria adhuc est *probabilis*, non licet quidem Sacerdoti, dum accipit stipendium ab uno, applicare Missam pro illo in generali cum aliis, nisi saltem sub conditione, nempe *modo ille non defraudetur.*

Nota. Sacrificium Missae in quantum pertinet ad fructum principalem, tam prodest si offeratur a malo Sacerdote, quam a bono. Cum valor Missae sit *ex opere operato*, pendens a meritis Christi. In quantum autem pertinet ad fructum precum quae in Missa dicuntur, ipsae etiam valent factae a Sacerdote peccatore, quatenus hic orat nomine Ecclesiae; secus, quatenus orat nomine proprio. - 312.

ARTICULUS II.

De Obligatione celebrandi.

Juxta sententiam *longe communiorem et tutiorem* cui subscribo, Sacerdotes tenentur sub culpa gravi aliquando celebrare ex verbis Christi, *Lucae* 22.: *Hoc facite in meam commemorationem.* Ita *D. Thom., Suar., Laym., Salm., Lugo etc.*

Quaeritur 1. Quoties in anno teneatur sub gravi quisque Sacerdos celebrare?

R. D. Thom. ait quod Sacerdos celebrare teneatur in praecipuis festis, et maxime in illis diebus in quibus fideles communicare consueverunt. Imo *Merbesius etc.* sentiunt eum obligari ad celebrandum singulis Dominicis et Festis, praesertim solemnioribus. Alii tamen cum sententia *longe communiori* sentiunt Sacerdotes non teneri ad celebrandum nisi ter vel quater in anno, in festis solemnioribus. Ita *Bus., Nav., Laym., Elbel., Soto etc.* Imo *Suar., Lugo, Bon., etc.*, dicunt sufficere si celebrent ter vel quater in anno quibuslibet diebus. Et non immerito *probabile* putant *Salm. etc.* modo servetur debita distantia. Haec sententia est conformis decreto S. C. Concilii edito mense novemb. 1696, ubi dictum fuit; « Qui sine justa causa » ter vel quater in anno non celebravit, » peccat mortaliter, et potest ab Epi- » scopo puniri. »

Quaeritur 2. Quoties Parochus tenetur celebrare?

R. Juxta *communem* et *veriorem* sententiam, non tenetur celebrare nisi

in illis diebus in quibus tenentur Parochiani Missam audire. *Benedic. XIV, Nav., Bon. etc.*

Quaeritur 3. Quoties Episcopus teneatur celebrare?

R. Habert, ex cap. ult. de privileg. in 6. dicit eos non decere ullam diem transigere sine Missa, remota rationabili causa. Sed advertendum quod textus non loquatur absolute de celebratione, sed vel de celebratione, vel de auditione Missae. - 313.

Quaeritur 4. An Sacerdotes divites possint pro Missis stipendia accipere?

R. Negant Caj., Sylv. etc. - Sed *communiter* et recte *affirmant Suar.; Lugo etc.* Ratio, quia hodie id permittitur a consuetudine universalis Ecclesiae, tum quia quisque operarius, sive dives sive pauper, dignus est mercede sua, et ut inquit Apostolus; *Quis suis stipendiis militat unquam?* 1. *ad Cor.* 9. Vide *Tract. de primo Praec., n.* 55.

Quaeritur 5. Quomodo peccet Sacerdos differendo celebrare Missas accepto stipendio?

R. Utique graviter peccat, si diu differt, ut habetur in decretis S. C. Concilii, editis die 21. Junii 1625.

Quaeritur 6. Quantum temporis spatium intelligatur per illud *diu?*

R. Certum est 1. peccare Sacerdotem, si petitam Missam pro aliqua urgenti gratia impetranda, ille omittat celebrare intra tempus celebrationi aptum, et tenetur restituere stipendium licet deinceps celebraverit. Imo, recte dicit *Spor.* non sufficere si stipendium restituatur, sed monendum esse insuper eum, qui stipendium dedit, de Missis tempore apto omissis. Certum est 2. quod si quis tibi det eleemosynam, ut celebres pro ipso in festivitate hodierna, peccas si postea Sacrum facias: quamvis admittat *Lugo* posse illud facere die crastina. Certum est 3. te non peccare differendo, si dans eleemosynam, audito impedimento, consentiat in dilationem. Praecisis his casibus, laxe dixit *Peyrinus* modicam esse dilationem trium annorum vel sex mensium, ut censuit *Arriaga.* Necnon nimiam puto dilationem trium mensium. Nihilhominus *probabile* videtur id quod dicit *Lugo*, nempe nequaquam peccare Sacerdotem qui dicit Missam promissam intra duos menses. In Missis autem pro defunctis dilationem unius mensis merito gravem reputant *Salm. etc.*

Quaeritur 7. An sacerdos omittens celebrare Missam peccat graviter, si stipendium pro illa acceptum non sit materia gravis?

R. Prima sententia negat. Secunda vero sententia probabilior affirmat.

Quaeritur 8. An peccet graviter omittens dicere unicam Missam gratis promissam?

R. Affirmant Conc. etc. Sed *probabiliter negant Croix. etc.;* quia simplex promissio non obligat sub gravi, juxta sententiam allatam in *Tract. de Contract.*, n. 720; nisi, ut ait *Lugo*, promittens expresse sub gravi se obbliget. Omnes autem conveniunt eum peccare graviter qui omittit Missam debitam ex voto aut praecepto Praelati. - 317.

Quaeritur 9. Quaenam est taxa justi stipendii?

R. Circa taxam justi stipendii *communiter* dicunt DD. stipendium justum Missae esse illud quod taxatum est ab Episcopo vel a consuetudine, vel saltem a viro prudenti, si desit taxa a consuetudine vel ab Episcopo facta. Ita *Suar., etc.* ex declaratione S. C. Concilii, edita die 15 Novemb. 1698. - 319.

Quaeritur 10. An Regulares teneantur stare taxae Episcopi sub gravi obligatione?

R. Negat Nav. Sed *omnino affirmandum* cum *Conc.* et aliis *communiter* ex Decreto S. C. Conc. sub die 15. Jan. 1639.

Quaeritur 11. An Episcopus possit prohibere ne detur eleemosyna pinguior taxa?

R. Certum est 1. quod lex Episcopi vel consuetudo taxans stipendium non prohibet quominus fideles possint dare majus, et Sacerdotes recipere minus, si velint, ut docent *communiter Suar. etc.* Certum est 2. non posse Sacerdotes tale stipendium excedens exigere, quia hoc magna pareret scandala. Ita etiam *communiter Suar., Bon. etc.* Caeterum Episcopus id non potest prohibere, si eleemosyna sponte offeratur, ut docent *Lugo etc.*, et ita decisum fuit a S. C. Concilii, die 16. Jan. 1649.

Quaeritur 12. An Episcopus possit prohibere ne Sacerdotes accipiant stipendium minus justo?

R. Negant Sotus etc. Sed *probabilius affirmant Suar. etc.* ex Declaratione S. C. Concilii, die 16 Julii 1689.

Quaeritur 13. An licitum sit pacisci de Missarum stipendio?

R. Negat absolute Concina. Affirmat vero communiter Less. etc. et hoc *probabile* videtur, si pactum sit de justo stipendio secundum taxam, vel consuetudinem.

Quaeritur 14. Quomodo taxandum sit stipendium Missarum quas reliquit testator?

R. Si testator non taxaverit, tribuendum est juxta taxam; sin autem, recte censet *Ronc.* taxandum esse ab Episcopo juxta morem loci, ut declaravit S. C. Concilii, habita ratione haereditatis pinguis vel tenuis. 320.

Quaeritur 15. An Sacerdos possit curare per alium Missam dici, minus dando quam accepit?

R. Per se loquendo potest per alium bonum Sacerdotem. Dico *per se loquendo*, quia ob speciem turpis quaestus, id prohibuerunt *Urbanus VIII, Innoc. XII, et Bened. XIV.* excommunicat Laicum, et Clericum, vel Sacerdotem ipso facto suspendit suspentione Pontifici reservata, nisi in articulo mortis, qui stipendia majoris pretii pro Missis celebrandis, juxta consuetudinem vel statuta locorum, colligens, Missas ibi vel alibi ubi minora stipendia tribuuntur, celebrare facit, parte sibi retenta.

Ab hac autem prohibitione excipiunt 1. *Ronc. etc.* casum quo aliquis daret majorem illam stipem, non tam intuitu Missae quam amicitiae, paupertatis, gratitudinis, propinquitatis etc.; potest enim tunc Sacerdos excessum retinere, committendo alteri Missae celebrationem, si ex circumstantiis moraliter constet eleemosynam praestitam fuisse intuitu sui. Excipiunt 2. *Cont. Tourn. etc.* casum quo Sacerdos cui committitur celebratio, liberaliter et omni sponte tibi condonet excessum illum (*a*); nisi tu indicans ei majus pretium acceptum, roges Sacerdotem ut remittat; vel ab eo quaeras an consentiat ut tu partem retineas; tunc non posses retinere, licet consentiret; nam hoc a *Bened. XIV.* prohibitum fuit tanquam abusus execrabilis a pluribus Pontificibus vetitus. Excipitur 3. Beneficiarius qui bene potest committere alteri Sacerdoti celebrationem Missae debitam pro Beneficio, tradito stipendio congruo juxta morem loci, quin tradat totam ratam fructuum correspondentem celebrationi illius diei. Ita *communiter Croix etc.* Idem licet Capellano amovibili, ex Decreto S. C. Concilii die 15. Martii 1745, modo pro Capellania certi reditus sint annualim constituti, et perpetuo Capellano assignati. Idem licet illi cui commissa

(*a*) *Haec opinio non est amplius sustinenda post praefatam Bullam Benedicti XIV. - H. n.* 69.

est celebratio Missae perpetuae. Etidem dicunt *Tamb. etc.* de Sacerdote cui commissa est celebratio ex pingui legato ad vitam ipsi relicto cum onere Missarum. Ratio omnium horum est, quia decreta prohibentia retinere partem stipendii, tantum loquuntur de Missis manualibus.

Bene advertunt *Croix etc.* quod si tradatur eleemosyna pinguior Sacerdoti singularis pietatis fama praedito, is nec etiam tradito eodem stipendio, poterit alteri committere Missam, nisi similis probitatis habeatur, vel nisi aliqua causa excuset. Et *Croix* dicit hoc aliquando posset esse mortale, quando v. g. quis graviter ferret quod Missa per alium celebretur. - 321.

Quaeritur 16. An qui retinet partem stipendii, non solum peccet, sed etiam teneatur ad restitutionem ?

R. Prima sententia negat. Secunda vero *sententia* tenenda *affirmat.* Ratio, quia tametsi Sacerdos eleemosynam accipiens acquirat ejus dominium, illud tamen non aliter acquirit, nisi juxta voluntatem dantis; voluntas autem dantis est, non solum ut Missa celebretur, sed ut celebretur, tali stipendio, ideo si partem retinet, injuste retinet.

Quaeritur 17. Cui fieri debeat restitutio ?

R. Croix dicit posse fieri vel danti eleemosynam, vel Sacerdoti celebranti. Sed *communius* et *probabilius* censent *Tourn. etc.* restitutionem faciendam esse celebranti; quia, translato in eum onere, etiam jus ad integrum stipendium juxta voluntatem domini transfertur.

Quaeritur 18. An procurator vel executor testamenti curans celebrari alibi Missas sibi commissas, ubi minor est taxa, posset excessum sibi retinere ?

R. Affirmant Tourn. etc. quia excessus ille erit fructus suae industriae. Sed merito haec reprobant *communiter Conc., Viva etc.;* quia faceret turpem quaestum, et quia nullum titulum habet retinendi.

Quaeritur 19. An Sacerdos colligens eleemosynas pro celebrandis Missis, possit aliquid retinere pro suo labore, si Missae non tradantur ipsi ut ab ipso celebrentur ?

R. Negant Conc. etc. Affirmat tamen *Viva*, si talis Sacerdos moderatam retineat mercedem juxta rationem sui laboris. Idque non videtur *improbabile.*

Quaeritur 20. An Sacerdos cui hodie offeruntur tres julii ut celebret, possit procurare ut alius celebret, pro ipso, promittens die crastina celebrare pro illo, qui pro sua crastina Missa accepit unum julium ?

R. Affirmant Croix etc. Recte vero *negat Conc.;* merito tamen id non audet damnare de peccato gravi : et an paupertas possit ab omni culpa excusare, se remittit prudentum Judicio.

Quaeritur 21. An administratores Ecclesiarum ex eleemosynis datis propter Missas possint aliquid retinere pro expensis altarium, inservientium, luminum, etc. ?

R. S. C. Concilii in decreto confirmato ab *Innoc. XII*, sic respondit : « Permittendum non esse ut loca pia » seu illorum administratores ex eleemosynis Missarum celebrandarum » ullam utcumque minimam portionem retineant ratione expensarum » in Missarum celebratione, nisi alios » non habeant reditus, et tunc nullatenus debere excedere valorem » expensarum, quae pro ipsomet tantum Missae sacrificio necessario sunt » subeundae. » - 322.

Quaeritur 22. An qui alicubi tenetur celebrare sine expressa obligatione applicandi Missas, possit aliud stipendium recipere ?

R. Si in fundatione beneficii, vel capellaniae expressum sit non esse obli-

gationem applicandi pro fundatore, certe poterit aliud stipendium accipere ex Decreto S. C. Concilii, die 18 Julii 1630. Secus vero dicendum si in fundatione nihil fuerit expressum; ut habetur ex decreto ejusdem S. C. approbato ab *Inn. XII.* - 324.

Quaeritur 23. An circa onera Missarum, et conditiones in fundatione appositas possit dari praescriptio?

R. Affirmant Laym., Nav. etc. Sed *verius* videtur nullo modo posse praescribi onera Missarum, et conditiones a fundatoribus requisitae: tum quia primaeva fundatio majorem habet vim quam consuetudo: tum quia in Beneficiariis difficulter praesumi potest bona fides; tum denique quia in *Trid.* sic sancitum fuit. - 325.

Nota. 1. Si cappellanus celebret in alia Ecclesia, vel altari, vel hora, quam a fundatore est constitutum, peccat mortaliter. Ita *communiter Lugo etc.*, modo id faciat saepius aut sine causa, aut sine dispensatione, et modo fundator altare illud destinaverit ob gravem causam. 2. Si quis, stipendio accepto, deberet Missam celebrare in altari privilegiato, et in alio celebraret, non jam teneretur ad restitutionem stipendii, sed tantum ad lucrandas indulgentias applicabiles pro defunctis; ita *Elbel,* ac *Ronc.* qui addit non esse quidem obligationem restituendi, si eleemosyna data sit ordinaria, secus vero si pinguis. - 329.

Quaeritur 24. Quibus diebus teneatur Parochus applicare Missam pro populo?

R. Hodie ex Epistola Encyclica *SS. P. Bened. XIV.* sancitum habemus omnes Parochos teneri applicare Missam pro populo saltem in diebus festis, etiamsi congruam non habeant. Item declarat ibi Pontifex hoc valere etiam pro iis locis et diebus, in quibus populus Missae interesse debet, at aliunde servilibus operibus vacare potest. Proinde casu quo aliquis Parochus sit adeo pauper, ut vivere cogatur ex eleemosynis Missarum, facultatem concedit Episcopis cum eo dispensandi, ut ipse possit etiam diebus festis Missam applicare pro eleemosynam offerentibus, modo intra eamdem hebdomadam Missas omissas pro populo applicet. - 325.

Quaeritur 25. An Parochus infirmus, sive Episcopus (quod dicitur de Parocho, fortius dicendum est de Episcopo), si non possit celebrare pro populo per seipsum, teneatur celebrare per alium?

R. Alii *negant.* Alii vero *affirmant,* et sic tenendum censeo. - 227.

Quaeritur 26. Quis possit reducere Missas?

R. Reductio Missarum hodie tantum a Sede Apostolica, non ab Episcopis fieri potest, ut patet ex decreto S. C. Concilii edito iussu *Urbani VIII*, et confirmato ab *Innoc. XII.* Nam facultas data per *Tridentinum* Episcopis et aliis, tantum fuit pro reducendis Missis ante Concilium relictis, et non impositis in limine fundatoris. E converso, in ipsomet decreto *Urbani* declaratum fuit bene posse Episcopos reducere Missas, si testator expresse hanc ipsis dederit facultatem. Causae autem ex quibus Sedes Apostolica solet Missas reducere, sunt: paucitas sacerdotum, stipendi tenuitas, vel augumentum stipendii currentis, extenuatio redituum Monasterii, vel majores expensae necessariae ad victum, etc.; denique, si urgeret necessitas fratrum, vel fabricae Ecclesiae aut monasterii.

Quaeritur 27. An Episcopus possit minuere Missas, quarum onus non est qui suscipiat ob eleemosynae tenuitatem?

R. Affirmant Croix etc. Sed *negandum Conc. etc.* ex decreto S. C. mox citato, ubi declaratur nullo modo posse Episcopos onera Missarum re-

ducere vel moderari. Sed hoc intelligendum procedere ait *Fagnanus*, quando antea hujusmodi onera Missarum de jure vel de facto adimpleri poterant; sed casu quo reditus a principio fuerint sufficientes, et postea ita imminuatur, ut nullo modo sufficiant ad onera ferenda, tunc dicit *Fagnanus* non videri sublatam Episcopis facultatem, quam habent de jure communi, Missas moderandi vel commutandi.

Quaeritur 28. An Episcopus possit moderari officia, preces et eleemosynas anniversariis annexas?

R. Negat Tamb. Sed *affirmat*, *Pasqual.*, quia prohibitio non loquitur de his, sed tantum de Missarum reductione. - 331.

Quaeritur 29. Cujus sit applicare fructum Sacrificii?

R. Solus Sacerdos offerens valide id facit per suam intentionem, quia est actus potestatis Sacerdotalis. Ita *communiter Suar. etc.*

Unde:

1. Juxta *communiorem* et *probabiliorem sententiam* is valide applicat, etsi peccet sacrificando vel applicando contra voluntatem Superiorum. - 334.

2. Sacrificium quod neque formaliter neque virtualiter ulli applicatum est vel ante vel in ipsa Consecratione, saltem secundae speciei, non potest postea ulli applicari, saltem adaequate quia producit effectum quando existit, neque is suspenditur; ideoque nec licet accipere stipendium pro missa praeterita. Dixi *vel ante*, quia non requiritur ut applicatio fiat in ipso Sacrificio, sufficitque si pridie facta sit, etsi in ipso die de ea non cogites; sufficit enim applicatio habitualis, ut *verius et communiter* dicunt *Suar*, *Bon.*, *Lugo etc.*, quia applicatio missae se habet per modum donationis verbalis, quae semel facta valet donec expresse revocetur.

3. Si quis accipit stipendium a decem personis pro decem Missis, non videtur satisfieri, si singula sacrificia applicantur pro singulis indeterminate. Si vero Sacerdos unamquamque Missam intenderet applicare omnibus illis decem personis, singulis applicando decimam pertem uniuscujusque Missae, non videtur ratio cur non satisfaciat, cum nemo dubitet quin fructus sacrificii sit divisibilis, et ideo tribuitur unicuique quod debetur, unusquisque enim in singulis Missis decimam partem accipiendo. *Bon.*, *Ronc.*, *Tamb. etc.* - 335.

4. Si fructus Sacrificii applicetur, incapaci, tunc ille remanet in thesauro Ecclesiae. In praxi, quando dubitatur, an is pro quo offerimus sit vel ne capax fructus, consultum est in Missis gratuitis illas applicare vel nobis ipsis, vel alteri sub conditione *si persona cui applicantur non sit capax*. In Missis vero debitis ex stipendio, quia *probabiliter* fructus cadit in beneficium propinquorum offerentis ex ejus implicita voluntate, ideo tunc non possumus, cui velimus fructum applicare, nisi sub conditione *ut praejudicium non fiat cui obligatio adsit applicandi*. - 336.

5. Applicatio sub conditione jam impleta, est valida; non autem sub conditione futura contingente. *Suar. etc.*

6. Non satisfacit qui te mortuum putans, Missas, quas pro defuncto teneretur, celebravit. - 337.

7. In die Commemorationis omnium fidelium defunctorum, Sacrificia possunt a Sacerdotibus celebrantibus applicari ad libitum, et potest, ait *Tourn.*, accipi pro talibus Missis stipendium. - 338.

8. Ad lucrandam indulgentiam altaris privilegiati, non semper requiritur ut celebretur Missa *de Requiem*; nam ex decretis S. P. *Alexand. VII*, *Innoc.* et *Clem. XI*, Missae in altari

privilegiato, aut perpetuo aut ad tempus concesso, suffragantur defunctis, sive dicantur *de Requiem* sive de die currenti, quando non licet eas *de Requiem* dicere. Si vero currat festum semiduplex, omnino debet dici *de Requiem* in altare privilegiato, alias non acquiritur indulgentia, etiamsi in Ecclesia solemnitas celebretur, ex declaratione S. C.

Nota. Haec indulgentia altaris privilegiati consistit in liberatione animae a purgatorio, pro qua Missa in illo altari applicatur; et hoc, vi potestatis clavium quam habet Papa applicandi indulgentias vivis quidem per modum absolutionis, defunctis vero per modum suffragii sive solutionis. - 339.

ARTICULUS III.

De Tempore et loco Celebrationis.

§. I. *De Tempore Celebrationis.*

Non licet ordinarie celebrare ante auroram nec post meridiem. In rubrica enim Missalis habetur : « Missa » privata, saltem post Matutinum et » Laudes, quacumque hora ab aurora » usque ad meridiem dici potest. »

Nota 1. Per auroram non jam intelligitur ortus solis, sed tempus illud quod est medium inter noctem et diem. Aurora ergo computanda est ex temporum varietate, juxta tabellas quae directoriis Officii divini apponi solent. Idcirco asserunt *Croix etc.* in mense Junii auroram incipere fere duobus horis cum quadrante ante ortum solis : mensibus Februarii et Septembris hora cum dimidia : in mense Martii hora cum quadrante, in reliquis vero mensibus hora et tribus quadrantibus circiter. 2. Omnes conveniunt quod nulla sit culpa Missas terminare in aurora, et eas incipere parum ante meridiem; quia tempus tam aurorae, quam meridiei non mathematice, sed moraliter accipiendum. 341. - 3 Imo *communiter* DD. in hoc admittunt parvitatem materiae quae excuset a a mortali ; et cum causa etiam a veniali, nempe si Missa terminetur parum ante auroram, et incipiatur parum post meridiem : at valde discrepant in assignanda tali materia, sed *communius* et *probabilius* censent *Sylv. etc.* non esse materiam gravem, nisi incipiatur Missa hora ante auroram, vel hora post meridiem. Item *valde probabiliter* dicunt *Suar. etc.*, privilegium celebrandi hora post meridiem vel ante auroram, intelligi una hora ante vel post tempus, ut supra a DD. concessum etiam non privilegiatis, alioquin privilegium parum prodesset. 346.

Quaeritur 1. An unquam liceat antevertere tempus celebrationis?

R. Licet antevertere in sequentibus casibus : 1. in necessitate; v. g. ut morituro detur Viaticum, quo casu licere media nocte celebrare, ait *Diana cum Lupo communiter*, 2. Ubi est mos rationabilis, ut opifices et famuli summo mane possint audire Sacrum; *Laym., Nav. etc.* Non tamen idcirco post meridiem licebit. 3. Ex privilegio. 4. In nocte Nativitatis Domini; in qua *verius* est non posse dici omnes tres Missas ante auroram ; quia hoc esset contra expressam rubricam Missalis. 343. - 5. Missa privata potest celebrari post solemnem in festivitate, si solemnis protrahatur ad horam et amplius post meridiem. Imo *probabiliter Suar. etc.* admittunt etiam post duas horas posse celebrari, ne magna pars populi Missa careat. 6. Ex causa itineris per horam post meridiem, vel ante auroram, ut *communiter* dicunt *Conc. etc.* Sic etiam ex causa funeris alicujus magnatis, vel ex causa concionis, aut publicae supplicationis, vel quando Episcopus confert Ordines. In his casibus Missa potest anticipari ut supra, vel postponi per horam.

7. Si Episcopus dispenset in aliquo casu particulari ex rationabili causa, juxta quam facultatem possunt Episcopi secum etiam dispensare. Et recte dicit *Croix* eamdem facultatem habere omnes Superiores, secluso privilegio, erga suos Religiosos, cum sint eorum Ordinarii. - 344.

Quaeritur. 2. Quale peccatum sit celebrare Missam ante recitationem Matutini ?

R. Adsunt tres sententiae. *Prima* dicit esse mortale ; et hanc tenent *S. Antonin., Antoine etc. Secunda* nullam in hoc culpam admittit; et hanc tenent *Tamb., Holzm., Gob. etc. Tertia* vero *communior* et *probabilior* quam tenent *Pal., Less., Anacl. etc.*, docet contra primam sententiam, id nequaquam esse mortale ; et contra secundam, id non excusari a veniali, nisi adsit quaedam mediocris causa rationabilis - 347.

Quaeritur 3. An sit mortale canere Missam conventualem, et solemnem, antequam Matutinum in Choro dicatur?

R. Negat Sanch. Sed *Pal. etc. communiter* et *verius affirmant* esse mortale, nisi intercedat justa causa, gravis, publica et sine scandalo ; quia talis est consuetudo, et aliter agendo, graviter laederetur publicus Dei cultus - 348.

Quaeritur 4. Quoties licet celebrare?

R. Per se loquendo . quotidie licet celebrare. Dico *per se loquendo*, quia praecepto obligante sub mortali prohibetur die Veneris sancto celebrare, et Communionem privatim etiam recipere. - 349.

Quaeritur 5. An liceat celebrare privatim in Coena Domini, et in Sabbato sancto ?

R. Affirmant Viva etc. Sed *omnino negandum* ex Decretis S. C. expresse a *Clemente XI.* confirmatis (*a*). - 350.

Quaeritur 6. An liceat saepius in die celebrare ?

R. Ordinarie non licet saepius celebrare in die. Dico *ordinarie*, nam si sis jejunus, licitum est sequentibus casibus, bis vel etiam ter, requisito tamen, si facile haberi possit, Episcopi judicio, nisi in primo : (*b*) 1. Nocte Nativitatis, qua tamen non tenetur, ne Parochus quidem, celebrare tres Missas, sed potest aliquam pro arbitrio omittere. 2. Si Pastor habeat duas Parochias dissitas ; modo non sit alius qui commode possit in altera celebrare. 3. Si concursus populi sit tantus, ut Ecclesia non capiat; et si tunc potius expediat celebrare extra. 4. Si ante ablutionem moneatur de communicando infirmo, et suam jam hostiam sumpserit, nec sit alius Sacerdos; sed hic casus est metaphysicus, aut vix practicus. 352. - 5. Si die festo adveniant personae, quas non deceat Sacrum omittere, v. g. Rex aut Princeps.

Quaeritur 7. An aliquando liceat interrumpere Missam ?

R. Etsi abrumpere essentialiter, sive unam tantum speciem consecrare, nullo modo liceat, ut dictum est supra accidentaliter tamen abrumpere, vel etiam interrumpere, aliquid interponendo, licet his casibus : 1. Ob concionem post Evangelium, vel ob processionem excipiendam. 352. - 2. In gratiam supervenientis Principis, vel turbae peregrinorum die festo, quo alias Missam audire non possunt, vel simili justa causa, ex qua, si non sit facta Oblatio, posse incipere de novo

(*a*) *Licitum est privatim celebrare in Coena Domini, et Sabbato sancto ubi consuetudo viget sic celebrandi ; cum decreta S. C. etiam a Papa expresse confirmata, non obligant ubi non fuerunt usu recepta.* - (*b*) *Advertit tamen Benedic. XIV, quod de hac re semper impetranda est facultas ab Episcopo, etiamsi necessitas intercedere videatur.* - *H. Appendix*, 3, *n.* 127.

ut totum Sacrum audiant, docent *Laym. etc.* 3. Si ante Canonem Sacerdos recordetur alicujus impedimenti; v. g. se non esse jejunum, vel in gratia, vel irregularem, vel excommunicatum, modo possit relinqui Missa sine scandalo, aut gravi nota: vide 262; vel excommunicatus non toleratus praesumat interesse, nec possit expelli. 353.-4. Si urget gravis necessitas vel propria, v. g. morbus, vel proximi, ut si moriturus sit baptizandus, vel absolvendus: in aliis tamen sacramentis non ita necessariis non decet inter consecrationem et sumptionem interrumpere, nisi moriturus esset in propinquo, nec opus esset vestes exuere; vel nisi poenitentiae Sacramentum ob phrenesim suscipere non posset. Revertens autem ad Sacrificium Sacerdos, si fuerit facta Consecratio, incipiet ubi desierit; uti, etsi facta non fuerit, et parva mora interfuerit, v. g. minor quam unius horae, si autem longior, ordietur ab initio.-354.

Nota. Mutilare Sacrificium ex proposito nunquam licet, etiam ad mortem vitandam; verum mutilare per accidens et indirecte, licet aliquando, puta, irruente incendio, vel hoste ad necandum; tum enim posset Sacerdos sumere hostiam consecratam; vel secum ferre calicem non consecrando, quia tunc non mutilat Sacrificium, sed excusatur a perficiendo illud. *Laym. etc. communiter.*-352.

Quaeritur 8. Quomodo Missa ab uno Sacerdote interrupta ab alio sit supplenda?

R. Si deficiat Sacerdos ante Consecrationem, nihil per alium suppleri debet. Si vero deficiat post Consecrationem etiam unius tantum speciei, tunc supplere debet Sacerdos jejunus, si adsit, alias etiam non jejunus, cum urgeat majus praeceptum de integritate Sacrificii; et etiam Sacerdos excommunicatus, atque irregularis supplere debet, si alii desint, et ipse possit sine gravissimo incommodo. Si autem deficiat post sumptionem solius corporis Christi, *Bon.* putat calicem posse sumi in alia Missa; sed *communius* contradicunt *Croix etc.*, et ajunt tunc calicem ab alio esse sumendum. Dicit *Tamb.* quaerendum esse qui suppleat, post septem etiam horas; sed *probabiliter Gob.* ait non esse ultra quaerendum quam per unam circiter horam, alias non censetur unum Sacrificium. Si vero Sacrificium posset suppleri ab eodem Sacerdote, melius hoc esset quam suppleri ab alio, etiamsi ille non esset jejunus.-355.

§. II.-*De loco Celebrationis.*

Communiter non licet celebrare nisi in Ecclesia, eaque consecrata, vel saltem benedicta et non violata, vel execrata, nec interdicta. Patet ex *Trid.* Dico *communiter*, quia in decenti loco, et altari portatili, quod semper sub mortali requiritur, licet celebrare sequentibus casibus; extra quos si fiat, esse mortale docent *Lugo etc.*, cum *communi.*

1. Ex *necessitate*, cum licentia Episcopi, si adsit, quia si praesens est, decet, ait *Laym.*, ut ab eo obtineatur licentia; vel sine ea, si absit. Unde licet v. g. 1. si Ecclesia sit diruta, et alias populus careret Missa. 2. Si quis Sacerdos longam peragat peregrinationem per loca deserta vel infidelium. 3. Quando Ecclesia non est capax populi, ita ut multi Missa carerent. 4. Si exercitus inveniatur in castris, aut navigantium multitudo in littore maris. Ita *communiter* DD.-356 et 359.

2. Ex *dispensatione* Episcoporum, ob rationabilem causam. Nam Episcopi, licet hodie facultate careant ex Tridentino permittendi ad sui libitum ut in privatis domibus Sacrum fiat, quam olim habebant, *communiter* tamen

sentiunt DD. hoc intelligendum esse de licentia perpetuo celebrandi per modum habitus, juxta facultatem quam Episcopi prius habebant; at minime esse eis vetitum hujusmodi concedere licentiam per modum actus pro aliquo tempore, si justa adsit causa vel necessitas. Ita *Suar.*, *Bonac.*, *Tamb.*, *Laym. etc.*, et haec sententia merito *communis* dici potest. Et notatur quod quando a supra citatis DD. vocatur *necessitas*, loquendo de dispensatione, non intelligitur necessitas celebrandi, quia haec dispensatione non indiget, ut superius in priori exceptione observatum est; sed intelligitur necessitas, qua dispensatus celebrandi, vel ad Ecclesiam pergendi, ut Missam audiat, impos efficitur, et justa concurrit causa dispensandi. - 259.

3. *Ex privilegio.* - 360.

Quaeritur 1. In quibus Oratoriis Episcopi possint dare licentiam celebrandi?

R. Praeter casum, superius n. 359. ubi ob justam causam possunt Episcopi dispensationem dare celebrandi, hanc licentiam dare possunt in sequentibus casibus: 1. In oratorio benedicto et designato ad usus Sacros, in quo est janua habens ingressum per viam publicam, etsi sit janua privata affixa domui alicujus saecularis; illud etiam non dicitur privatum, sed publicum Oratorium. 2. In Oratoriis erectis in domibus Regularium, vel alterius Communitatis, v. g. Hospitalium, Seminariorum, et Conservatorium, ut praxis habet. Hae enim domus non dicuntur privatae. Et idem ait *Croix* de Capellis erectis in publicis carceribus. In hujusmodi Oratoriis audientes Missam etiam satisfaciunt, et a quacumque Sacerdote possunt utique Missae celebrari, ac omni die etiam ex solemnioribus. 3. In Oratoriis erectis in Palatiis Episcoporum. In talibus Oratoriis omnes possunt celebrare, et praecepto Missae satisfacere; quia domus Episcopi non censetur privata, cum ipsa gaudeat immunitate Ecclesiastica. - 357.

Nota. Ipsi autem Episcopi possunt celebrare, vel celebrare facere in domibus ubi reperiuntur, extra domum propriae habitationis.

Quaeritur 2. Quoties concedi possit ab Episcopis dispensatio celebrandi in Oratorio domus privatae?

R. Salm. dicunt semel vel bis. Sed alii indefinite loquuntur, et intelligunt concedi posse, durante infirmitate, vel alia causa accidentali. Et merito indefinite loquuntur, nam prohibitio dispensandi est strictae interpretationis, ac intelligenda est, ut superius vidimus, tantum pro dispensationibus continuo permanentibus, non vero pro iis, quae ad tempus conceduntur respectu alicujus causae transeuntis. Et si haec licentia concedi potest ab Episcopis pro saecularibus infirmis, ne Missam audire priventur, tanto magis concedi valet Sacerdotibus, qui saepe habent quamdam celebrandi necessitatem, prout colligitur ex *Trid.* Nam nescirem a culpa levi excusare Sacerdotem illum, qui quotidie celebrare posset (una hebdomadis die excepta ob reverentiam) et sine ulla justa causa, sed tantum ob desidiam a celebrando abstineret, Sacerdos enim non solum pro se celebrat, sed etiam pro bono totius Ecclesiae, populique christiani, cujus minister et intercessor est constitutus, juxta illud Apostoli: *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis.* Hebr. 5. Ideo facilius Episcopi concedere possunt Sacerdotibus celebrandi licentiam in ipsorum domibus, durante eorumdem infirmitate.

Nota 1. Indultum Oratorii privati a Papa concessum durat usque ad

mortem privilegiati tantum, nec perit mortuo Papa, vel Episcopo qui illud designavit. Et si privilegiatus mutet domicilium in aliam dioecesim, non amittit privilegium Oratorii, quod cum sit personale, personam seqnitur, quamvis requiratur nova approbatio Episcopi, et nova inspectio loci. *Croix etc.* 2. Prohibetur celebratio in Oratoriis privatis non solum die Paschatis, Pentecostes, Nat. Christi Domini, ut exprimitur in decreto, sed etiam in die Epiphaniae, feriae quintae in Coena Domini, Annunciationis, Ascensionis, Assumptionis B. Mariae V., in festo SS. Petri et Pauli, et omnium Sanctorum, iuxta Decretum S. C. R. edit. 17. novemb. 1606.-2. Quando Oratorium concessum est propter infirmitatem, potest omnibus diebus, etiam exceptis, ibi celebrari, ut declaravit S. C., decernens insuper quod in die nativitatis D. una tantum Missa ibi celebretur. 4. Si in indulto dicatur: « Una tantum Missa quotidie ce- » lebretur, » nequit sub mortali a quibuscumque Sacerdotibus etiam Episcopis et Regularibus sub praetextu privilegiorum praeter illam Missam aliam celebrari, ut recte inquiunt *Benedictus XIV. etc.*

Quaeritur 3. An liceat in Oratoriis privatis ministrare Eucharistiam sine licentia Episcopi?

R. Certum est Episcopum prohibere posse ministrationem Communionis in Oratorio privato, ut declaravit *Bened. XIV.* At, si non adsit prohibitio, *affirmat Clericat.* quia *Tridentinum* optatur ut singulis Missis fideles adstantes sacramentaliter communicent. *Negant* vero (*a*) *Diana etc.;* quia ministratio Eucharistiae pertinet ad jurisdictionem Ordinarii. Quoad Sacramentum autem Poenitentiae, certum est non esse licitum illud ministrare sine justa causa in Oratorio privato; ut habetur in Rituali Romano-359.

Quaeritur 4. An liceat celebrare in Ecclesia violata?

R. Prohibetur sub gravi celebrare in Ecclesia interius violata, nisi prius reconcilietur; attamen, licet in necessitate cum venia Episcopi, si adiri possit, alioquin sine ea, celebrare, aut mortuos sepelire. Necessitas autem sufficiens censetur, si populus non habet aliam Ecclesiam, ubi Missam audiat. Si vero Ecclesia polluatur incepto Canone, Sacerdos utique Missam prosequi debet.

Quaeritur. 5. An celebrans in Ecclesia polluta incurrat aliquam poenam?

R. Sylv. etc., dicunt incurrere suspensionem ab ingressu Ecclesiae. Sed negant *probabilius Suar. etc.* Tanto minis incurret irregularitatem; quia violatio Ecclesiae non est censura, per cuius violationem incurratur irregularitas.-361.

Nota. 1. Oratoria etsi deputata ad cultum divinum, cum tamen benedicta non fuerint, nisi in ipsis stet altare ad facienda divina, non sunt capacia violationum. 2. Quod fit in turri, sacristia, supra tectum, vel fornicem, in crypta, sub pavimento, nisi sit sepultura, aut singulariter benedicta, non violat Ecclesiam 362.-3. Ecclesia reconciliari debet ab Episcopo, vel Sacerdote, ex privilegio Papae, quale Superiores Regularium pro suis templis habere notat *Diana*, si fuit consecrata; modo adhibeatur aqua benedicta ab Episcopo, vel a seipsis, si distet Episcopus duabus dietis. Si vero fuerit tantum benedicta, potest fieri reconciliatio a simplici Sacerdote aspersione aquae benedictae a seipso, sed cum delegatione episcopi. Imo *Be-*

(*a*) *Communius.* - *H.* append. 3, 114.

ned. XIV. ait: «Si Ecclesia simplici-» ter benedicta fuerit, in hoc casu » *Gregorius IX.* statuit, nulla prae » obtenta delegatione, per simplicem » Sacerdotem, adhibita aqua benedi-» cta, quam Sanctam sive Lustralem » vocant, posse Ecclesiam pollutam re-» conciliari. »-363. (*a*)

Quaeritur 6. Quandonam Ecclesia uti et coemeterium censentur violata seu polluta?

R. Violantur seu polluuntur, modo factum publice constet, in sequentibus casibus: I. Per factum in ea homicidium mortaliter malum, seu injuriosum, saltem immunitati Ecclesiae. Et *probabilius* violatur etiam licet vulnus lethale inferatur sine sanguinis effusione intra Ecclesiam, et mors extra eam contingat. *Lugo etc.* Et sic etiam violatur si vulnus fiat intra Ecclesiam, et sanguis fundatur extra. *Lugo etc.* 364.-II. Per mortaliter malam effusionem proprii vel alterius sanguinis vel seminis, causatam vel factam in Templo. Unde non violantur 1. Si paucula guttae effluant; quia non est effusio. 2. Si effusio fiat ex percussione vel vulnere levi, v. g. narium in rixa puerorum, etiamsi copiosus sanguis effluat, quia in hoc communiter non adest peccatum mortale. Sed *probabilius* violatur Ecclesia, si talis effusio accidat cum peccato mortali. Si fiat ex sectione venae. 4. Per actum conjugalem, quando excusatur a sacrilegio; sed vide *Tract. de sexto praecep. n.* 458. 5. Per fornicationem factam ab amente. 6. Per pollutionem inculpatam. 366.-III. Violatur per sepulturam excommunicati vel tolerati, vel infidelis etiam infantis. Nomine autem infidelis non comprehendi haereticum docet *Car. de Lugo.* 366.-IV. Per destructionem Ecclesiae ex toto, vel majori parte parietum vel crustae: quamquam in eo casu dicatur potius execrari quam pollui. Non autem si solum tectum, vel si successive per partes modicas destruatur et reficiatur, etsi Ecclesia tota renovetur.

Notant *Salm.* quod, polluta Ecclesia, polluatur etiam Coemeterium; sed non contra.-367.

Quaeritur 7. Quid sit, et quando fiat execratio seu resecratio?

R. Execratio dicitur, cum res sacra perdit suam consecrationem, ita ut de novo consecrari debeat, quod fit quando ita destruitur, ut formam et usum suum perdat.

Unde:

1. Polluta Ecclesia, polluta etiam sunt altaria ejus fixa: non tamen execrata Ecclesia, execrantur altaria, nec contra.-368.

2. Ecclesia execratur, si parietes secundum majorem partem destruantur, vel omnis eorum crusta, aut major saltem pars simul auferatur. Vide superius n. 367.

3. Altare execratur 1. si, cum fixum est, lapis consecratus removeatur ab inferiori structura. Intellige hoc de mensa totaliter consecrata, ita ut in qualibet ejus parte possit sacrificari. Non execratur tamen altare, si aliqui lapides structurae dimoveantur. Imo *Vasq. etc.* dicunt non execrari altare, si tota mensa cum lapidibus quibus inhaeret alibi transferatur. Haec de altari fixo, sed altare portatile minime execratur, si ara moveatur a lignis, sive a capsula, ubi ara est inclusa; capsula enim illa non pro forma, sed ad custodiam et ornatum tantum in-

(*a*) *Attendendum ad statuta et consuetudines locorum. Unde si usu receptum sit in aliqua Dioecesi quod simplices Sacerdotes reconcilient de licentia Ordinarii cum aqua benedicta Ecclesiam etiam Consecratam, id licebit.* (E. N.)

stituta est. Altare execratur 2. si ita frangatur sive fixum sive portatile sit, ut in nulla ejus integra parte calix cum patena possit consistere.-369.

4. Calix execratur, si notabiliter frangatur, vel ita ut fiat inutilis ad usum Sacrificii, v. g. si foramen sit in fundo, licet minutissimum : vel si figura destruatur.-370.

5. Corporale execratur, cum redditur ineptum diminutione vel fractione ad decenter continendum calicem cum patena.

6. Vestes sacrae execrantur, quando ita destruuntur, ut perdant suum usum; ut si cinguli parte te non amplius cingere possis, vel si manica ab alba separetur, etiamsi postea reparetur. Non perdunt autem etsi attritis pars aliqua assuatur, vel cinguli parti aptae adhuc ad cingendum altera annectatur; quia tunc accessorium sequitur principale.

7. Partes avulsae a re consecrata, destructa ejus forma, desinunt esse sacrae; non possunt tamen ad usus profanos applicari, aut divendi sine licentia Papae. Statuae autem sacrae et imagines Templi destructi debent in alio collocari, et in loco Ecclesiae Crux erigi. Lacera etiam paramenta, aut vetustate consumpta debent igne absumi, et non adhiberi ad usus profanos. Vide *Tract. de primo Praec. n.* 41-371.

Quaeritur 8. An Reliquiae Sanctorum sint necessariae ad consecrationem altaris?

R. Prima sententia affirmat. Secunda vero *communior negat.* Attamen, puto non recedendum a prima sententia, tum propter universalem contrariam consuetudinem, tum propter decreta S. C. Rituum, ubi declaratur execratum altare a quo removentur Reliquiae, vel frangitur sigillum; unde satis probatur Reliquias esse necessarias ad altaris consecrationem.

Quaeritur 9. An altare amittat consecrationem si frangatur sigillum, vel removeatur sepulcrum cum Reliquiis?

R. Nota. Nomine *sepulcri* intelligitur loculus ille, in quo Reliquiae reconduntur: nomine vero *Sigilli* intelligitur parvulus ille lapis, quo sepulcrum clauditur. Nunc ad quaesitum: *Prima sententia negat*, et hanc tenent *Suar. etc. Secunda* vero *communior affirmat*, et hanc tenent *Holz. etc.* Ratio, quia talis est consuetudo Ecclesiarum, ut altaria, fracto sigillo vel amoto sepulcro, iterum consecrentur. Et hanc sententiam tenendam censeo ex decretis S. C. R. Attamen, dicunt *Tourn. etc.*, quod, urgente necessitate, non erit illicitum in tali altari celebrare.-369.

Quaeritur 10. An execratur calix, si pereat inauratio?

R. Affirmant Az: etc. cum tota unctio in superficie ponatur. *Negant* vero *probabilius* cum sententia *communi Lugo etc.;* quia calix semel consecratus totus deinde per modum unius consecratus remanet.

Quaeritur 11. An calix qui de novo inauratur, nova indigeat consecratione.

R. Affirmant Suar. etc. Negant vero *probabilius Laym., Lugo etc.;* quia cum sit *communis* doctrina, quod calix amittendo inaurationem, non amittat consecrationem; ita pariter consecrationem non amittit si de novo inauretur, prout si ecclesia consecrata de novo dealbetur, nova non indiget consecratione, ut *communiter* sentiunt DD. Sic olim sensui; sed hodie, re melius perpensa, judico, quod nova peracta inauratione calicis, denuo ipse est consecrandus. Ratio, quia tunc superficies calicis, quae immediatum contactum habet Sanguinis Christi, sine consecratione remanet; tanto magis quod talis est praxis Ecclesiae, et recepta consuetudo calices denuo consecrandi, cum denuo inau-

rantur. Casu autem quo per longum usum inauratio deperdatur, puto *probabilius* non requiri novam consecrationem ad celebrandum cum huiusmodi calice; quia tunc viget ratio, quod calix semel consecratus, totus deinde per modum unius consecratus remanet. Cum vero nova fit inauratio, intervenit aurum de novo additum, quod non est consecratum, immediate sanguinem tangens.

Quaeritur 12. An liceat celebrare in calice nunquam deaurato?

R. Affirmat Tamb. Alii vero, ut *Tourn.*, *Lugo*, dicunt non eximi a culpa veniali consecrantem in calice non inaurato, nisi paupertas excuset. Et hoc videtur *probabilius*, cum in Rubrica dicatur, quod calix « debet » saltem habere cuppam argenteam » inauratam etc. » idque confirmatum est ex communi consuetudine.

Quaeritur 13. An calix amittat consecrationem, si cuppa separetur a pede?

R. Si cuppa sit fixa pedi, certum est apud omnes amittere consecrationem; si vero pes sit tornatilis, etiam affirmant *S. Antonin.*, *etc.* quia calix per separationem jam formam amittit. Sed *communiter* negant *Suar. etc.*, quia per talem separationem calix revera formam non perdit, cum ejus partes sine novo artificio jungi possint.-370.

ARTICULUS IV.

De Requisitis ad Missam.

Ad Missam requiruntur haec sequentia: 1. Et quidem sub gravi sacrilegio requiritur altare consecratum ab Episcopo, vel Abbate, aut Sacerdote privilegiato, stabile vel portatile; utrumque ex integro lapide, et tale ut possit capere calicem cum patena. 373.-2. Mappa linea triplex. 374.-3. Sub gravi sacrilegio, vestes sacrae, hoc est, benedictae ab Episcopo. 376.-3. Sub mortali calix, et patena consecrata 379.-5. Corporale lineum, vel ex cannabe. 386.-6. Palla item linea, vel ex cannabe. 388.-7. Purificatorium item lineum. 389.-8. Missale. 390.-9. Minister. 391.-10. Crucifixus. 293.-11. Candela accensa duplex, ex cera. 394.-12. Antipendium, pulvillus, candelabra, bursa, velum, manutergium; sed haec non benedicta.-395.

Quaeritur. 1. An ob metum mortis liceat celebrare sine altari?

R. Negandum, et hoc est *verius*, cum id esset intrinsece malum ob irreverentiam quae sacrificio inferretur; neque ad dandum Viaticum, ut recte docet *Benedic. XIV.*-289.

Quaeritur 2. An possint sufficere duae mappae, vel una duplicata?

R. Affirmant Suar. etc., etiamsi duae mappae totum altare non tegerent. Ego puto non recedendum a Rubrica quae exigit triplicem mappam. *Probabiliter* tamen ajunt *Ronc. etc.* id culpam venialem non excedere. Celebrare autem sine ulla mappa, non excusatur a mortali, ut *communiter* docent DD. cum *Conc.*, qui addit e converso nullam committi culpam, si adsit gravis necessitas sic celebrandi.

Quaeritur 3. An mappae necessario debeant esse benedictae?

R. Negant Suar. etc. Haec sententia non videtur *improbabilis* propter auctoritatem AA. praesertim *Suarii*, qui testatur consuetudinem esse in contrarium. Sed magis adhaereo sententiae oppositae, quia in Rubrica ita praescribitur. Talis vero defectus, ut *probabiliter* dicunt *Escob. etc.* non excedit culpam venialem. Unde recte docent *Az. etc.* nullum esse peccatum uti mappis non benedictis in necessitate, vel cum causa rationabili.

Quaeritur 4. An mappae et corporale debeant ex lino confici, vel sufficiat esse ex cannabe?

R. Tourn. etc. dicunt omnino de-

bere confici ex lino. Sed *probabilius* et *communissime* sufficere esse ex cannabe tenent *Bon. etc.*, quia cannabe et linum juxta communem usum indifferenter sumuntur.-395.

Quaeritur 7. An sit mortale celebrare sine stola, aut manipulo, aut cingulo?

R. 1. Certum est apud omnes mortale peccatum esse celebrare sine ullis vestibus sacris, et praesertim sine casula, vel alba. 2. Loquendo de stola et manipulo, *verius* affirmandum cum *communi* sententia esse mortale sine alterutra istarum vestium celebrare, cum communiter majores aestimantur. 3. Idem dicendum de celebrante cum stola vel manipulo non benedictis. *Probabiliter* tamen excusat gravis necessitas. 4. Idem quod de stola et manipulo, censent de cingulo *Fill.*, *Suar.*, *etc.* Sed *probabiliter negant* esse mortale sine cingulo celebrare, vel non benedicto. *Ronc. etc.* 5. Idem sentit *Croix* de celebrante sine amictu, saltem pro eis qui illo non utuntur ad tegendum caput, sed tantum humeros, ac *Ronc. etc* de celebrante sine cingulo. Unde, *probabile* est nullum esse peccatum celebrare sine cingulo, vel amictu, si desint et adsit aliqua rationabilis causa celebrandi.

Nota. Cavendum est ne sint valde attritae vestes sacrae, et reliqua suppellex sacra non sit valde immunda; alias graviter peccari potest. Et sciendum quod uti vestibus sacris, etiam attritis ad usus profanos, est mortale.

Quaeritur 6. An ob metum mortis liceat celebrare Missam sine ulla veste sacra?

R. Prima sententia affirmat modo absit contemptus; ita *Laym. etc.*; quia vestes sacrae requiruntur tantum de Ecclesiae praecepto quod non obligat cum tanto dispendio. *Secunda* vero *sententia* quam sequimur *negat*; eamque tenent *Suar. etc.*; quia celebrare sine ulla veste sacra vix potest accidere sine contemptu, et non potest fieri sine scandalo, aut saltem sine magna irreverentia; quapropter hic subintrat praeceptum naturale reverentiae in quocumque casu debitae Sacrificio, a quo praecepto metus mortis non excusat. Attamen *non improbabiliter* dicunt *Ronc. etc.*, quod liceat ob metum mortis aliquando celebrare sine aliqua e vestibus, etiam ex majoribus, puta stola, vel manipulo.-377.

Nota. Inferiores Episcopo non debent sumere de medio altaris paramenta pro Missa, nec illis ibi se exuere; sed sumere et ponere in angulo. *Gavant.* Saltem, ait *Croix*, sic permittendum, ubi non est commoditas ea alibi deponendi.-424.

Quaeritur 7. An liceat celebrare sine corporali?

R. 1. Celebrare sine corporali, aut cum eo non benedicto, nequit excusari a mortali, nisi gravis urgeat necessitas celebrandi; hoc certum est apud omnes. 387.-2 Uti corporali valde immundo, est mortale; veniale vero si non sit valde immundum. Imo, in necessitate, nempe si urgeret praeceptum audiendi Sacri, nullum esse peccatum ait *Tourn.*, licet esset notabiliter immundum.-376.

Nota. Quoad lotionem corporalium, pallarum et purificatoriorum, prima lotio fieri debet a Diaconis vel subdiaconis; imo, *probabiliter* fieri potest a Clerico tonsurato. Laicus autem qui hanc primam lotionem faceret, peccaret venialiter, nisi adesset justa causa. Aqua lotionis curporalium, pallarum, et purificatoriorum in Sacrarium est projicienda.

Quaeritur 8. An sit mortale celebrare sine palla, aut cum ea non benedicta?

R. Affirmant probabiliter Suar. etc. Sed *non minus probabiliter negat Sotus.*-388.

Quaeritur 9. An purificatorium sit benedicendum?

R. Affirmat Laym. Sed *communiter* et *probabilius negant Gav., Suar. etc.;* quia in rituali nulla adest benedictio propria de purificatoriis, sicut nec veli nec bursae. Et *probabiliter* dicunt *Suar. etc.*, quod si purificatorium facile haberi non possit, licitum esse sine eo celebrare, ejusque loco adhibere posse strophiolum mundum, quod postea ad profanum usum non adhibeatur. - 389.

Quaeritur 10. An liceat unquam celebrare sine Missali?

R. Prima sententia negat; quia in re tam gravi vitandum est omne errandi periculum. *Secunda* vero *sententia communissima probabiliter* dicit posse quandoque Sacerdotem celebrare sine Missali, si hoc facile non possit haberi, et ob praeteritam experientiam abesset morale periculum errandi. Hinc, *probabiliter* inferunt *Lugo etc.*, licite celebrare Sacerdotem, qui ob visus debilitatem memoriter Missam recitat, modo discernat calicem et hostiam, quantum sufficit ad evitandam irreverentiam, et modo ad notam effugiendam habeat Missale in altari, vel alium librum loco ipsius. Tutius tamen semper erit hanc facultatem a S. C. obtinere. Certum autem est apud omnes, Sacerdoti penitus caeco illicitum esse celebrare, quamvis referat *Bened.* S. C. Conc. hanc licentiam concessisse cuidam Parocho pauperi ex speciali gratia, cum assistentia tamen Sacerdotis.

Nota. 1. Sacerdos Ritus Romani graviter peccaret, si uteretur Missali Regularium etiam in eorum Ecclesiis, vel locorum qua transit, dicendo Missam diversi Ritus, ex decreto S. C., 19. Novemb. 1622. Hoc tamen intelligendum si talis Sacerdos posset Ritum suum servare; nam, alias licite posset ut peregrinus uti Ritu et Missali illius dioecesis in qua reperitur. 2. Confessarii et Capellani Monialium, possunt dicere Missas Sanctorum, de quibus ipsae recitant Officium, non tamen Missas proprias illius Ordinis, seu cum Missali Romano, et communi; ita S. C. R., annuente *Clem. XI.* die 1. Decemb. 1717. - 390.

Quaeritur 11. Quale peccatum sit celebrare sine ministro?

R. Certum est apud omnes esse mortale. Verum *communiter* dicunt DD. licitum esse celebrare sine ministro, urgente necessitate ministrandi viaticum. Et idem concedunt *Tourn., Lugo etc.*, ut populus audiat Missam de praecepto. Celebrantem autem, ut ipse solus Missam audiat de praecepto, etiam excusat *Diana;* et *Tourn.* cum *Sylv.* non damnat, licet non approbet.

Nota 1. *probabiliter* dicunt *Tourn. etc.*, quod coepta missa, maxime si sit facta Oblatio, permittitur celebranti pergere sine ministro, si iste abscesserit, et de brevi non revertatur. 2. *Probabiliter* etiam censent *Salm.* quod celebrans non faciat scrupulum, si minister male pronuntiet, nec facile corrigat errores, ne turbet seipsum, vel circumstantes, vel ordinem Missae; quamvis moneat *Croix*, quod celebrans suppleat omissa a ministro. 3. Dicit *Quarti* Rubricas circa Ritum a ministro servandum, esse tantum directivas, et non obligare ad culpam; sed huic non acquiesco. Rationabiliter vero advertit *Lugo* minorem necessitatem sufficere ad celebrandum cum ministro nesciente respondere, quam sine ministro. 4. Missam solemnem non licet celebrare, nisi duobus praesentibus, et respondentibus. In missa vero privata, unus sufficit assistens et respondens. - 391.

Quaeritur 12. An Sacerdos celebrans, respondente muliere, peccet graviter?

R. Affirmant Nunnus etc. Sed *com-*

*

muniter negant Laym. etc. Hinc dicunt *Tourn. etc.*, bene permitti ut feminae quandoque respondeant a longe, maxime, si sint Sanctimoniales, modo non immediate ministrent in altari, porrigendo urceolos etc.; id enim non posse excusari a mortali, quia Ecclesia omnino interdicit feminis celebranti ministrare. Et ideo, bene advertit *Laym.*, quod, urgente necessitate, satius esset celebrare sine ministro, quam cum femina ministrante.-392

Quaeritur 13. An sit mortale celebrare sine Cruce?

R. Affirmant Renzi, etc. Negant vero *cammuniter Suar. etc.* Caeterum, nullo modo excusari potest saltem a veniali sacerdos qui celebrat sine Cruce, ex decreto *Bened. XIV.* Quae Crux cum Crucifixo, ex eodem decreto, debet inter candelabra ita prominere, ut Sacerdos ac populus eam facile et commode intueri possint. Et S. C. R. decrevit etiam in altari, ubi expositum est Ven. Sacramentum, collocandam esse Crucem cum imagine Crucifixi. Crucifixus autem in altari non requiritur cum tanto rigore, quo requiritur Crux, nam per solam Crucem jam habetur Sacrificii cruenti repraesentatio.

Quaeritur. 14. An quando in altari est statua Crucifixi, requiratur alia Crux?

R. Affirmant Gav. etc.; quia ex Rubrica requiritur ut crux inter candelabra collocetur. Sed *negandum* requiri ex decreto S. C. R., 16. Junii 1663. Et idem dicendum esse de imagine Crucifixi depicta, scribunt *Pasq. etc.* ex decretio S. C., ut refert *Bened. XIV.*

Nota. Crux non debet esse de praecepto benedicta, juxta decretum S. C. 12. Julii 1704. Et idem docet *Pign.* de omnibus imaginibus in altari collocandis, dicens eas posse, sed non debere necessario benedici.-393.

Quaeritur 15. An liceat celebrare sine lumine?

R. Certum est apud omnes esse mortale celebrare sine ullo lumine, et hoc etiamsi urgeat necessitas ministrandi viatici, ut dicunt *communiter Ronc. etc.* Unde, recte censent *Ronc.*, quod si ante Consecrationem deficiat lumen, omnino desistendum est a celebrando; secus, si post Consecrationem. Quo casu, si candelae statim possint reaccendi, dicit *Pasq.* melius esse pergere, quia continuatio Missae pertinet ad unitatem Sacrificii; et idem dicendum, ait *Quint.*, si candelae non possint ita facile reaccendi, ut expectandum sit ad quadrantem, ob eamdem rationem. Recitare autem Evangelium *S. Joannis* extinctis candelis, *probabilius* esse illicitum dicunt *Gav. etc.;* non debent extingui nisi post Evangelium. Non debet autem angi Sacerdos, si dum legit Evangelium, minister candelas extinguit.

Quaeritur 16. An liceat celebrare cum candelis ex Sebo, vel Oleo?

R. Affirmat Toletus. Sed *communiter* Doctores docent id esse mortale. Verum *communiter* et *probabiliter Az. etc.*, dicunt licitum esse celebrare cum oleo, vel sebo in necessitate, modo scandalum absit.

Quaeritrr 17. An liceat celebrare cum uno lumine cereo?

R. Fagundez negat et dicit hoc esee mortale. *Suar. etc.* e contra censent nullum esse peccatum, praeciso scandalo. Sed *communius* et *probabilius* puto id esse tantum veniale. A quo puto perinde quamcumque causam rationabilem adhuc solae devotionis, secluso scandalo, excusare.

Nota. Non est licitum cuicumque, nec etiam vicariis generalibus, celebrare cum quatuor candelis: ut declaravit S. C. die 7. Aug. 1627., nisi sit Cardinalis, vel Episcopus, aut Abbas usum Pontificalium habens, tum so-

lum tamen cum in ipsis celebrat; ex decreto 9. Febr. 1675.-394.

Quaeritur 18. An Praelati regulares possint sacras vestes benedicere?

R. Certum est apud omnes posse pro suis Ecclesiis, ex pluribus privilegiis eisdem concessis; sed non possunt benedicere pro alienis Ecclesiis, ex decreto *Alex. VII.*

Quaeritur 19. An Episcopi possint aliis delegare facultatem benedicendi sacra paramenta?

R. Negant Tamb. etc. Sed *contradicit Nicol.*, dicens quod haec benedictio non est ordinis Episcopalis, sed Sacerdotalis, et ideo bene potest ab Episcopo delegari. Huic opinioni non acquiesco cum nullibi audierim Episcopos hujusmodi facultatem aliis delegasse: imo, plurimi Episcopi illam a S. C. curarunt obtinere: et *Benedic. XIV.*, cum esset Archiepiscopus Bononiae, hanc facultatem ad quinquennium obtinuit (*a*).

Quaeritur 20. An calices et alia remaneant benedicta, si quis in illis sacrificet nondum benedictis?

R. Prima sententia communior negat. Secunda vero *sententia affirmat.* Recte putant *Salm.* nullo modo recedendum a prima sententia.-380.

Quaeritur 21. An pyxis debeat consecrari?

R. Affirmat Vrull. Sed *verius* et *communiter negant Laym. etc.* Ratio, quia in Pontificali romano tantum habetur benedictio de pyxide, nulla autem ibi mentio fit de unctione Chrismatis. Item, in Rituali Rom. benedictio pyxidis annotatur inter eas quae non indigent unctione Chrismatis-384. Juxta tamen *probabiliorem sententiam*, quae est in praxi consulenda, est de praecepto quod debeat benedici; hoc est conformius Rubricae et rationi. Idem dicendum de circulo, seu lunula, ubi reponitur hostia consecrata cum exponitur in ostensorio.-385.

Quaeritur 22. Quibus sit licitum tangere vasa sacra, corporalia, aut vestes?

R. Nemo dubitat quin, exceptis Sacerdotibus et Diaconis, aliis sit mortale tangere vasa sacra, dum continent Eucharistiam: Sed si non continent Eucharistiam, sententia *verior* et *communissima* docet peccare laicos tangentes illa vasa, sed non plus quam venialiter, cum non reputetur haec materia gravis; et minime, si adsit rationabilis causa, secluso scandalo et contemptu. Nunc possunt ea tangere Tonsurati ex consuetudine introducta, ut dicunt *Suar. etc.*, et idem docet *Bened. XIV.* Id quoque concessum est laicis regularibus Sacristis, ex privilegio *Callixti III.* et *Sixti IV.* Nec non Monialibus Sacristis, ex communicatione privilegiorum. Et hodie potest dici ex consuetudine hoc licere etiam laicis oblatis Congregationum Sacerdotum saecularium Sacristis, et omnibus qui in habitu clericali Ecclesiis inserviunt; hi enim in Ecclesia muneribus Clericorum funguntur: saltem dico hos culpa excusari, quia dum officium Sacristae exercent, semper adest aliqualis necessitas sacra vasa tangendi.

Nota. Quod dictum est de tactu sacrorum vasorum, dicendum est de tactu corporalium. Quoad autem vestes sacras, aut alia non immediate attingentia corpus et sanguinem Christi, minime peccant laici ea tangentes.-382.

Quaeritur 23. An color vestium sii de praecepto?

(*a*) *Episcopi tamen Galliae ordinarie dant simplicibus Sacerdotibus licentiam paramenta benedicendi, cum hujusmodi benedictio non reputatur ordinis Episcopalis, licet usu huic reservetur.*

R. Negant Tamb. etc., quia, ut dicunt, Rubrica hoc praescribens est tantum directiva. Sed *contradicunt Spor., etc.* Et hoc puto *probabilius* juxta nostram sententiam adducendam n. 399, nempe quod omnes Rubricae tractantes de rebus, quae Missam concomitantur, sint praeceptivae. Bene tamen censent *Spor. etc.*, hanc Rubricam non obligare sub gravi, nisi scandalum adsit, puta si in die Pascatis, vel in quacumque Missa festiva celebraretur vestibus nigris. Hinc, recte dicit *Spor.* excusare omnem rationabilem causam. Putant autem *Quarti etc.*, quod color croceus, sive flavus aequivalet omni colori; quia omnes ad illum concurrunt.-378.

ARTICULUS V.

De Rubricis Missalis.

Rubricae Missalis distinguuntur in eas quae servantur infra Missam, sive in actu celebrationis, et in eas quae servantur extra Missam. Rubricae quae servantur intra Missam sunt praeceptivae, et obligant sub gravi, nisi levitas materiae excuset. Secus vero de Rubricis quae servantur extra Missam. Ex *Trid.*-399.

Unde:

1. Celebranti illicitum est celebrare capite cooperto. *Probabile* tamen est non esse illicitum siue dispensatione celebrare cum pileolo, excepto Canone et praeciso scandalo, ex rationabili causa, si celebretur in loco privato, vel si causa ita celebrandi adstantibus sit manifesta.-397.

2. Illicitum est celebrare cum capillitio ficto, idque sub poena suspensionis a Divinis Officiis. Ita ex decreto *Inn. XI*, ubi prohibetur Episcopis et Nuntiis Apostolicis hanc concedere licentiam.-398.

3. Celebrans debet esse calceatus, saltem indutus crepidinis. Celebrare autem sine causa nudis pedibus, secluso contemptu, *commune* est non excedere veniale. Cum causa autem rationabili sic celebrare, non est peccatum.

4. Dicit *Croix* eum qui non posset celebrare sine baculo, licite posse illo uti. Additque *Gob.* quod si quis nequiret celebrare nisi utroque brachio super altari innixo, licite sic celebraret privatim, non autem publice, nisi hoc faceret ex necessitate. Hoc tamen puto non excedere veniale, a quo videtur excusari posse, qui ob infirmitatem nequiret rectus stare, et ex sua devotione vellet celebrare, modo vitetur populi admiratio. Dicunt etiam *Croix etc.*, quod si quis non possit elevare Hostiam, sed potest reliqua, potest celebrare privatim, et etiam publice, si adsit necessitas, et populus moneatur; sed puto satis esse populum tantum monere, si quis ex devotione celebret.-402. (*a*).

5. Non excusatur a veniale Sacerdos qui omittit benedictiones, inclinationes, genuflexiones etc. Et idem sentio de eo qui advertenter non genuflectit usque ad terram, vel tantum signat deosculari altare, vel perturbat Benedictiones contra Rubricae praescriptum. Item, dicit *Croix* esse veniale facere ea nimis celeriter, vel nimis prolixe.

6. Praeterea rationabiliter addunt *Conc. etc.*, posse esse etiam mortale, si quis has caeremonias, esto non ex gravioribus, omitteret in notabili parte. Hinc, dicimus difficulter posse excusari a mortali Sacerdotem qui infra quadrantem Missam absolveret, etiamsi

(*a*) *Cum varia sint statuta et consuetudines locorum, multum ad ea attendendum est, ne scandalum detur.*

sit ex brevioribus, vel de S. Maria in Sabbato, quia in tam brevi spatio necessario committere debet duos graves defectus, alterum gravis irreverentiae erga Sacramentum, alterum scandali erga populum. Unde merito ait *Ronc.* Episcopos et Praelatos Regularium teneri sub gravi turpem hanc et scandalosam celeritatem extirpare. - 400.

7. Est peccatum grave, nisi levitas materiae excuset, omittere partes Missae quae dicuntur *ordinariae*, seu quae semper recitantur vel aguntur. Unde *communiter* dicunt DD. esse mortale omittere Confessionem cum aliis in principio Missae, Epistolam, Evangelium, Collectas principales, Offertorium, Fractionem hostiae, et illius mixtionem in sanguine.-404.

8. In Canone autem Missae, mortale est omittere quamlibet orationem, vel ejus verba ita mutare, ut sensus varietur, vel aliquod verbum omittere, quo sublato, reliqua verba sensum non faciunt. Idem dicendum de omissione *Pater noster*, vel *Agnus Dei*. Idem de *libera nos*, *Domine non sum dignus*, et *quid retribuam*. Idem de purificatione patenae et calicis, post sumptionem. Idem, si quis omitteret decem, vel octo nomina Sanctorum, ut *verius* censent *Salm.*, *etc.* - 405.

9. Veniale autem est omittere *Kyrie Eleison*. Idem dicunt *Mazz. etc.* de Evangelio *S. Joannis*, *Ronc.* tamen *non improbabiliter* ait hujus omissionem esse mortalem, saltem dico, si adsit scandalum.

10. Veniale est omittere unam vel alteram crucem super oblata, vel tunsionem pectoris, aut lavationem manuum. Idem ait *Croix* de omissione Psalmi *Judica*, signi crucis super aquam, ablutionis digitorum in Missa, et similium.

11. Veniale est omittere unam ex tribus Collectis principalibus, et mortale omittere duas. Ita *Suar. et Spor.* qui addit quod si omissa sit prima Oratio, ipsa cum Secreta est recitanda, non vero postea. Ita de Collecta propria; nam aliae Orationes, quae, praeter eam adduntur in Missa, non erit mortale eas omittere. - 406.

12. Mutilare verba aut syncope intermediare, salvo sensu, et secluso scandalo, non est plus quam veniale. *Mazz. probabiliter* addit nullum esse peccatum, si id ex naturali defectu fiat. - 407.

13. Peccaret Sacerdos si in purificatione calicis sola aqua uteretur. Sed hoc non erit plus quam veniale. *Tamb.* id etiam a veniali excusat si Sacerdos sit abstemius. In ablutione dignitorum dicunt *Pasq. etc.* nullum esse peccatum solam aquam adhibere; sed melius dicunt *Conc. etc.*, id non excusari a veniali si fiat sine dispensatione Pontificis: excusabitur tamen, ut dicunt, si adsit rationabilis causa, pro qua puto quidem sufficere aliquem esse abstemium; vel vinum esse rubeum, quo purificatoria evaderent indecenter maculata.

14. Decentius est ut sanguis sumatur unico haustu, et calix semel ori admoveatur, immorando ut reliquiae omnes, quantum fieri potest, attrahantur. Monuit autem *S. Pius V.* ut in calicem infundatur eadem vini quantitas, in qua fuerunt species sanguinis, et sumatur per eamdem partem qua sumptus sit sanguis. - 408.

15. Omittere partes extraordinarias, scilicet, quae non in omni Missa dicuntur, non est nisi veniale. Ita communiter omnes, nisi tot partes omittantur, quae simul sumptae notabilem materiam constituerent. Unde veniale tantum erit omittere *Gloria*, aut *Credo*, *Sequentiam*, *Collectas*, praeter propriam Missae, *Tractum*, *Praefationem*, vel *Communicantes*, aut *Hanc igitur* specialia. Ita *communiter Conc. etc.*

16. Lotio manuum ante Missam debet fieri saltem sub veniali ; et sub gravi, si manus sint valde immundae propter reverentiam Sacrificii. Omittere vero lotionem post Missam, nullum erit peccatum. - 409.

17. *Communiter negant Nav. etc.*, esse veniale omittere Orationes ante vel post Missam ; attamen Sacerdos qui sine ulla alia praeparatione saltem domi facta ad sacrificandum accederet, ab aliqua culpa non excusaretur.

18. Veniale est omittere Orationes induendo vestes ; haec est sententia *communis*.

19. Sacerdotem, si in Missa solemni non recitet quae cantantur a Choro, alii dicunt non peccare, et sufficere quod attendat ad ea quae cantantur. Alii vero dicunt teneri sub mortali juxta quantitatem materiae. Alii tandem *non improbabiliter* dicunt teneri tantum sub veniali.

20. Qui Missam celebrat cum notabili voluntaria distractione videtur peccare mortaliter, quia Sacrificium, praeter rationem orationis, habet insuper rationem cultus excellentissimi Religionis, cui gravem videtur ille irrogare irreverentiam, qui dum profitetur actu Religioso Deum colere, voluntarie se distrahit (*a*). - 410.

21. Mortale est apud omnes addere aliqua in Missa, animo introducendi novum ritum. Si vero ex importuna devotione addantur plures collectae ex eodem Missali, vel *Credo*, aut *Gloria*, *Pater*, *Ave*, vel quid simile id non excedit culpam venialem ; ita *communiter Conc. etc.* Rationabiliter tamen censet *Aversa* esse mortale addere *Gloria*, et *Credo* in Missa de *Requiem*. *Probabiliter* autem dicunt *Conc. etc.*, quod licet satius sit servare rubricam, non tamen est vetitum, ex aliqua causa, vel ex devotione addere unam collectam. *Communius* tamen est quod non liceat addere in festo 1 et 2 classis. - 411.

22. Non excusatur a culpa veniali qui in Missa ita submisse pronuntiat verba, ut ne seipsum quidem audire possit ; ita *Tourn.* ex rubrica. Et bene dicit *Quarti* non excusari a mortali qui sic proferret verba Consecrationis, quia cum sit *probabilis* sententia eorum qui dicunt verba quae non audiuntur, vocalem orationem non constituere, ideo exponeretur Sacramentum periculo nullitatis. - 414.

23. Veniale est recitare submisse quae alta voce recitanda praecipiuntur a rubrica. - 415.

24. Non potest excusari a veniali qui alte in Missa profert quae submisse dicenda sunt, cum sit contra rubricam. Imo, sentio peccare mortaliter qui verba Consecrationis, vel Canonis in magna parte tam alte proferret, ut audiri posset ad quadraginta passus ; sed quis nisi mente captus hoc facturus est ? Extra autem hunc casum, agnoscere non valeo in hoc grave peccatum. - 416.

25. Missae votivae prohibentur in dominicis, in omni festo duplici etc. vide rubricam. Exceptis his diebus, semper dici possunt. Id vero passim non fiat, nisi rationabili de causa, et quoad fieri potest, Missa cum Officio conveniat. Vide Rubricam *Tit.* 4. n. 3. - 518. 419.

26. Celebrare Missam votivam vel *de Requiem* in diebus vetitis, non est mortale juxta *communem* sententiam, secluso scandalo aut contemptu ; verum *Ronc.* id censet mortale in festis solemnibus. Saltem in Missa publica

(*a*) *Si distractio sit voluntaria in Canone, et praesertim in consecratione et sumptione, erit mortalis. Si autem habeatur extra Canonem, dicitur idem quod dictum est de Horis Canonicis.* - *H.* Append. *n.* 125.

dicerem hoc difficulter posse excusari a gravi scandalo. Item ait *Ronc.* non excusari a mortali dicere Missam *de Requiem* in diebus vetitis, quia hoc distincte prohibetur in decreto S. C., 5. Aug. 1662. approbato ab *Alex. VII.* Caeterum omnes conveniunt posse celebrari Missas votivas vel *de Requiem* ob causas graves. - 420.

27. Obligatus dicere Missam votivam de *Beata V. M.* vel *de Requiem*, ratione eleemosynae vel capellaniae, in diebus permissis celebrari, satisfacit celebrando Missam currentem. Ita *communissime* et *probabiliter Suar. etc.* - 422.

TRACTATUS XXII.

DE SACRAMENTO POENITENTIAE.

Acturi de hoc Poenitentiae Sacramento, quod Christus Dominus ad humanae imbecillitatis remedium instituit, ante omnia monitum velim Confessarium, ut suas agnoscat partes, nempe Judicis, Patris, et Medici, ad munus suum aequa lance exercendum: sicut enim nimia benignitas iniquitatum fomentum est, sic nimia severitas fit pluribus via ad desperationem. Hinc Christus Dominus declaravit non esse spiritus sui eos, qui nimis rigide cum peccatoribus agunt. Et SS. Patres non solum invehunt in eos qui falsa pietate ducti indebite peccatoribus indulgent, sed etiam in eos qui indiscretum rigorem cum poenitentibus adhibent. Qua re sapienter advertit *S. Bonaventura:* « Cavenda est conscientia » nimis larga, et nimis stricta; nam » prima generat praesumptionem, se» cunda desperationem; prima saepe » salvat damnandum, secunda contra » damnat salvandum. » Imo, *Honorius III.* dixit, caeteris paribus, magis inclinandum in rebus dubiis ad benignitatem, quam ad rigorem. Non dubito quin majori quidem detrimento semper in Ecclesia fuerint Confessarii nimis indulgentes, cum major hominum pars ad vitia proni sint; sed non modice etiam animarum saluti absunt qui per nimiam austeritatem poenitentes ita deterrent, ut ipsi vel peccata sua reticeant, aut sic arctati jugum disciplinae abjiciant; laxisque habenis in vitiorum coenum miserabiliter deinde se immergant.

Aggrediamur ergo hunc tractatum, cui utique omni studio prae caeteris materiis sedulo incumbendum, cum in ipso totius Theologiae Moralis summa, et quaestiones magis ad praxim spectantes contineantur. - 426.

De Sacramenti Poenitentiae natura, materia et forma. De Contritione et proposito. De Confessione. De Satisfactione. De Ministro. De Sigillo Confessionis.

CAPUT I.

DE SACRAMENTI POENITENTIAE NATURA, MATERIA ET FORMA.

I. Poenitentia duplici sensu accipitur; nempe ut Virtus, et ut Sacramentum. Ut *Virtus* definitur; *Virtus tendens in destructionem peccati in quantum est Dei offensa, medio dolore et satisfactione.* Ut *Sacramentum* vero definitur: *Sacramentum consistens in actibus Poenitentis, et Sacerdotis legitime absolventis in modum judicii.*

Poenitentia ut *Virtus* fuit omni tempore necessaria necessitate medii ad salutem; in Lege autem Evangelica, ut *Sacramentum*, est pariter necessitate medii necessaria omnibus lapsis in mortale post Baptismum, saltem in *Voto*, si non possit suscipi Sacramentum in *Re.* - 434.

II. Materia remota et necessaria hujus Sacramenti, est omne peccatum

mortale, post baptismum commissum, et non confessum. Materia sufficiens, etsi non necessaria, est omne veniale post Baptismum commissum, vel etiam mortale, alias rite confessum. Materia proxima sunt actus poenitentis, Contritio, Confessio, et Satisfactio, quarum ultima est integralis tantum, ut patet in infirmo, qui si ratione destituatur, solet absolvi absque satisfactione : duae priores sunt essentiales.

Unde :

1. Etsi peccatum mortale remissum quomodocumque sit, teneris tamen confiteri, si non fecisti. *Trid.*

2. Omitti possunt venialia, vel omnia, vel aliqua ; item mortalia semel rite confessa, v. g. in Confessione generali, in qua etiam non esse necessarium addere peccato mortali, quod post ultimam Confessionem sit commissum, docent *Bon., Lugo etc.* quod est *probabile*, nisi circumstantia aliqua, v. g. speciem mutans, vel reservatio casus, vel proxima peccandi occasio aliud requirat, et poenitentia sufficiens imponatur. Tutius tamen est nova ab antiquis secernere.

3. Ponenda semper est materia certa ; quod si haberi certa non possit, pro ratione dubii danda est absolutio, ut sub dubio, si materia prorsus dubia sit : vel absoluta, si certa videatur. *Suar., Laym. etc. communiter.* - 425.

Nota. Affirmant *communissime Suar., Holz. etc.* mortalia commissa in ipsa susceptione baptismi esse materiam hujus sacramenti poenitentiae ; quia haec peccata licet sint tempore simul cum Baptismo, natura tamen sunt ipso posteriora. Sed haec ratio videtur non convincere. Vide n. 87.-427.

III. Forma Sacramenti Poenitentiae sunt verba absolutionis: *Ego te absolvo a peccatis tuis.* - 425.

Quaeritur 1. An haec omnino verba *Ego te absolvo a peccatis tuis*, sint de essentia formae ?

R. 1. Certum est apud omnes verba *te absolvo* ad essentiam formae pertinere. 2. *Lugo etc.* sentiunt quod si dicatur *Absolvo a peccatis tuis*, non est necessarium ad valorem formae verbum *Te*, cum hoc satis exprimatur in verbo *Tuis*. Attamen communissime huic opinioni contradicunt *Suar. etc.* Prima opinio speculative loquendo, videtur *probabilior :* sed quiae haec secunda est etiam *probabilis*, in praxi est omnino sequenda. 2. Negant *communissime P. Milante, etc.* requiri verba *a peccatis tuis*, si dicatur *Ego te absolvo*, licet esset peccatum mortale ea omittere, ut omnes fatentur. Alii vero tenent ipsa pertinere ad assentiam. Prima opiuio est *probabilior ;* sed in praxi nec recedendum a secunda, cum etiam sit *probabilis.*

Quaeritur 2. An verba *In nomine Patris, etc.* sint de essentia formae?

R Affirmant Durand etc. Sed *communis et vera sententia negat.* Attamen fere *communiter* docetur haec verba omittere esse veniale.

Quaeritur 3. An preces quae adduntur ante et post absolutionem, ut *Misereatur, etc. indulgentiam etc., Dominus noster, etc., Passio Domini etc.*, licite possint omitti ?

R. DD. *Communiter* dicunt omnes has preces posse omitti sine peccato, et hoc videtur *verius*, dum *Tridentinum* dicit quod hae preces tantum laudabiliter adjunguntur (*a*). Nemo tamen dubitat quin convenientius sit saltem in Confessionibus longioribus

(*a*) *Non sine ratione* P. Concina *contendit omittere verba* Dominus noster Jesus Christus etc., *esse peccatum veniale, nisi urgeat aliqua gravis necessitas.* - *H. n.* 5.

hujusmodi preces adjicere, maxime illas quae sequuntur : *Passio Domini etc.*, cum *probabile* sit quod per verba illa eleventur omnia bona opera poenitentis ad satisfactionem Sacramentalem ; saltem consulit *Holz.* ut ea verba dicantur, dum poenitens recedit.

Quaeritur 4. An per verba *te absolvo* possit Sacerdos valide absolvere poenitentem tam a peccatis quam a censuris ?

R. Communiter affirmant Pal. etc. Merito tamen advertunt *Ronc. etc.* id non excusari a culpa veniali, cum sit contra usum Ecclesiae. *Probabiliter* vero *Holz. etc.* id omnino excusant, si nulla adsit probabilis suspicio quod poenitens aliquam censuram incurrerit. Caeterum, recte ait *Conc.* peccare mortaliter Sacerdotem qui contra prohibitionem Ecclesiae vellet poenitentem absolvere prius a peccatis, et deinde a censuris ; quamvis satis sit *communis* sententia, quod valide possit poenitens absolvi a peccatis, si sit in bona fide, non praemissa absolutione a censuris ; quia prohibitio Ecclesiae nequit invalidare Sacramentum, cujus valor pendet a jure divino, cum omnia ad illud requisita essentialia concurrunt. - 430.

Quaeritur 5. An elevatio manus, ejusque impositio in caput sint de essentia formae ?

R. Negative : neque est de essentia formatio crucis, etsi haec omnia consuetudine debeant servari. - 425.

Quaeritur 6. An forma hujus Sacramenti essentialiter in verbis consistat?

R. Affirmative, cum forma non aliter quam voce, non autem scriptura aut aliis signis, exprimi possit. Ita *commune* et certum est apud omnes. Hinc *Clemens VIII* proscripsit propositionem hanc, ut falsam et temerariam : « Licere per litteras, seu per » internuntium Confessario absenti Sacramentaliter confiteri, et ab eodem » absente absolutionem obtinere ; » praecepitque sub excommunicatione sibi reservata, et ipso facto incurrenda, ne haec prop. « unquam tanquam » aliquo casu probabilis defendatur, » aut ad praxim quoquo modo deduc- » catur. » - 428.

Quaeritur 7. Quaenam praesentia poenitentis requiratur, ut absolvi possit ?

R. Requiritur ut poenitens sit moraliter praesens. Haec autem moralis praesentia reputatur illa, intra quam homines communi voce, quamvis altiori loqui possunt et solent. *Elbel* docet talem praesentiam posse extendi ad viginti circiter passus, praesertim ubi poenitens nondum est egressus ab aspectu Confessarii. Recte vero advertit *Spor.* revocandum esse poenitentem, quando omnimode revocari potest ; caeterum censet sine scrupulo absolvi poenitentem qui recessit a confessionali, si certo scitur esse adhuc intra paucos passus. Merito autem *Tamb.* non approbat *Leandrum* qui dicit satis esse ad praesentiam moralem, si Sacerdos videat poenitentem, aut alio sensu percipiat ; praesentia enim pro absolutione majorem propinquitatem requirit, quam pro audienda concione, vel Missa. Unde censet *Tamb.* quod si quis aliquando non posset nisi a longe absolvi, puta si rueret e tecto, tunc absolutio sub conditione danda esset. Ait *Holz.* quod si Confessarius ob periculum infectionis, vel ob aliam causam non posset intrare in cubiculum ubi est infirmus, potest a janua eum absolvere. - 429.

Quaeritur 8. Quaenam forma in hoc Sacramento proferenda sit ?

R. Hodie certum est et de fide debitam esse formam indicativam, ut declaravit *Trid.* - 430.

Quaeritur 9. An possit valide et licite dari absolutio sub conditione ?

R. 1. Omnes conveniunt, ut diximus de *Sacram. in gen., n.* 16, validam quidem esse absolutionem quae datur sub conditione de praeterito, vel praesenti. E converso, *communiter* dicunt DD. invalidam esse, si conditio sit de futuro. 2. Licitum est cum *communi DD.* absolvere sub conditione de praesenti, vel praeterito, dummodo juxta adsit causa; nempe si, negata absolutione, notabile detrimentum immineret animae poenitentis - 431.

Quaeritur 10. Quaenam sint causae justae absolvendi sub conditione?

R. Causae justae, secundum DD. infra citandos, sunt sequentes: 1. Si Sacerdos prudenter dubitet an absolverit vel ne. Ita *Lugo, Spor., Croix, Bon. etc.* 2. Si Confessarius dubitet an habeat jurisdictionem in poenitentem (*a*). Vide *n.* 573. Ita *Spor.* Sed hoc non admitterem nisi poenitens diu deberet carere absolutione; et in hoc casu censeo teneri Confessarium patefacere poenitenti qui ei confessus sit mortalia, quod ipse tantum sub conditione absolutus sit, ut si postmodum forte notum fiat quod Confessarius revera careret jurisdictione, Poenitens iterum confiteatur peccata illa ut debet. 3. Si urgeat necessitas suscipiendi Eucharistiam, ut dicunt *Mazz. etc.* Sed hic obiter advertendum quod licet aliquis posset in hujusmodi necessitate sub conditione absolvi, quia talis necessitas sufficientem praebet causam Confessario absolvendi sub conditione, Poenitens tamen non posset accedere ad Communionem, nisi certo dispositus ad illam, vel saltem *probabiliter*, juxta alios citandos infra n. 474, ad hoc ut servet praeceptum Apostoli, quod omnes accedant probati; unde, in mero dubio negativo suae dispositionis nemo potest communionem suscipere (*b*) 4. Si dubitetur an Poenitens sit rite dispositus per verum dolorem et

(*a*) *Hoc caeteroquin debet intelligi in solo dubio facti; quia si jurisdictio est positive dubia de jure, id est*, si probabilis *est ob DD. auctoritatem, bene potest absolute conferri, nam tunc supplet Ecclesia semper ac gravis adest causa. - H.* 6. — (*b*) *In hoc distinguendum et videndum an dubium sit de peccati actione, aut de Confessione peccati jam commissi: quia si Poenitens est certus quod grave peccatum patraverit, et ejus dispositio est dubia, ille communicare nequit, licet absolutus fuisset sub conditione; et si non potest communicare, nec etiam potest absolvi, nam tunc deest causa necessitatis communicandi, ut sub conditione absolveretur. - H.* Tract. 16, *n.* 6.

(Et in eodem Opere, Tract. 15, *n.* 34. *sic habetur) In Opere n.* 132, *respondimus quod qui dubitat an sit in peccato, non potest communicare: sed melius re perpensa, mihi videtur distinguendum: si quis dubitet an graviter peccaverit vel ne, tunc licite, non praemissa Confessione, potest ad Communionem accedere, sive dubium sit negativum, sive positivum, sufficiendo sibi ut tutius fructum Sacramenti percipiat, ut praeceptum Apostoli* probet autem, etc. *ratione cujus intelligitur praecepta esse Confessio, ut declaravit* Trid., *ligat tantum eos qui sunt conscii, nempe certe sciunt se mortale commisisse, de quo non sunt adhuc confessi, ut idem* Trid. *declaravit dicens: « Ut nullus sibi conscius peccati mortalis ad Eucharistiam accedere debeat. » Itaque praeceptum prohibitionis non incipit possidere; nisi postquam homo sit sui peccati conscius.*

Contra, si quis est certus de peccato commisso, tunc non potest communicare, nisi certus sit se per confessionem probatum fuisse, quia

propositum. Ita *Spor.*, *Mazz. Pal. etc.* Sed huic doctrinae generaliter traditae nec valeo acquiescere ; nam

Dico 1. non posse absolvi sub conditione peccatorem recidivum in culpas lethales, qui non probetur dispositus per signa extraordinaria, prout infra dicemus ubi de recidivis, nisi esset in periculo mortis; vel nisi prudenter timeatur quod peccator ille non amplius ad Confessionem redibit, et in peccatis suis tabescet.

Dico 2. idem dicendum esse de recidivo in venialia, qui sufficienter habet usum rationis, quia cum possit hic Confessarius de brevi certum se reddere de Poenitentis dispositione per experimentum emendationis, ei differendo absolutionem, non videtur adesse sufficiens causa absolvendi illum sub conditione.

Dico 3. *probaliter* posse absolvi puerum, vel semifatuum sub conditione, quando dubitatur de ipsorum dispositione ; et quidem si urgeat periculum mortis, vel praeceptum pascale, *communissime* dicunt DD. tales esse absolvendos sub conditione, si dubie sint dispositi, maxime si confessi sint aliquod dubium mortale : quo casu ait *Lugo* non videri de hoc dubitandum. Idque puto omnino dicendum etiam extra tempus mortis, vel praecepti, ut *verius* dicunt *Spor.*, *Mazz.* et *Laym.*, qui ait absolvi posse sub conditione saltem animo retenta; in eo enim casu non solum adest justa causa utilitatis, ne poenitens privetur gratia sacramentali, sed etiam necessitatis, ne ille forte maneat in mortali, in tantum autem alii usu rationis praediti non debent absoli, cum de ipsorum dispositione dubitatur, quia adest via et spes, fore ut dilata absolutione, brevi illi certe dispositi redeant, et absolvantur; sed quoad hos semifatuos, et pueros nondum perfectum rationis usum habentes, deest haec via et spes, fore ut brevi afferant hanc certam dispositionem. Imo *non improbabiliter* dicunt *Spor. etc.* posse absolvi sub conditione hujusmodi pueros, etiamsi afferant peccata tantum levia, ne diu priventur gratia sacramentali, et maneant in mortali, si forte habeant, ut loquitur *Lugo.*

Dico 4. *probabiliter* posse sub conditione absolvi, ut censet *Bon.*, Poenitentem pium, qui aliquas tantum imperfectionem confitetur de quibus dubitatur an pertingant ad venialia ; hoc tamen non amitterem saepe (*a*); neque si ille posset materiam certam de vita ante acta praebere. Caeterum, cum Poenitens non dat materiam certam, non tenetur Confessarius eam exquirere, ut absolvat, et casu quo exquisierit, et non repererit certam materiam, ait *Spor.*, non tenetur absolvere sub conditione, cum Poenitens tunc nullum jus certum habeat ad illam, quando non affert materiam certam, aut saltem dubie necessariam.-432.

tunc certe possidet in eo praeceptum prohibitionis, unde ille cum dubio negativo aut positivo an recuperavit necne amicitiam Dei : v. g. cum dubitat an Confessio fuerit nulla ex defectu dispositionis aut jurisdictionis, aut si dubitat de Contritione in casu necessitatis communicandi, non potest Communionem recipere, quia tunc agit contra praeceptum, quod requirit probationem non solum probabilem, sed etiam certam, sicut fuit certum peccatum.

(*a*) *Hoc non admitterem, nisi semel in mense.-n.* 6.

CAPUT II.

DE CONTRITIONE ET PROPOSITO.

ARTICULUS I.

De Contritione.

Contritio in genere *est animi dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de caetero*, ut habet *Trid.*

Contritio duplex est, perfecta quae absolute sic dicitur; et imperfecta, quae Attritio dicitur. Contritio *perfecta* est ea quae elicitur ex motivo charitatis, propter Deum summe dilectum; et haec ex se sola mox justificat, etsi cum voto et ordine ad Confessionem, quam deinde facere teneris. *Imperfecta* est, quae ex inferiore motivo, supernaturali tamen, concipitur (*a*), sed quae sit tamen formalis, supernaturalis, efficax et universalis.

Nota. Etsi dolor debeat esse summus appretiative, ita ut nihil magis detesteris quam peccatum, malisque omnia mala hujus mundi perpeti, quam mortaliter contra Deum peccare; non tamen opus est, imo non expedit particulares facere collationes, v. g. mallem hoc, vel illud malum subire, quam mortaliter peccare, quia periculosae sunt. - 433.

Quaeritur 1. An contritio consistat in dolore vel in detestatione?

R. Alii dicunt consistere in dolore qui praesupponat detestationem. Alii vero dicunt consistere in detestatione quam sequitur dolor. Et haec sententia est *satis communis, et verior* videtur. Caeterum, non dubitandum quin in contritione utrumque requiratur, tam dolor, quam detestatio; et quod revera in uno alterum exercite contineatur; qui enim suum detestatur peccatum, necessario de ipso dolet; ita contra qui de peccato dolet, illud necessario detestatur. - 435.

Quaeritur 2. Ex quo motivo debeat elici actus perfectae contritionis, et quando obliget praeceptum talem actum eliciendi?

R. 1. Ex sententia *communi* et *probabiliori* contritio omnino procedere debet ex solo motivo charitatis, nempe divinae bonitatis offensae, quatenus Deus est infinita bonitas, nempe radix et aggregatio omnium perfectionum. 436. - 2. Per se loquendo, certum est apud omnes, obligare illud praeceptum in articulo mortis. Per accidens vero *communiter* dicunt DD. obligare 1. quando aliquis esset in mortali, et deberet Sacramenta ministrare, vel aliquod Sacramentum vivorum suscipere. *Bon., Vasq., Val. etc.* 2. Quando quis graves pateretur tentationes, quas vitare non posse putaret, nisi actum contritionis eliceret. *Laym. etc.* 3. Quando quis tenetur elicere actum charitatis erga Deum, tunc enim, occurrente memoria peccati, tenetur suum peccatum detestari, ut recte ait *Holzm.*

Quaeritur 3. An extra periculum mortis obligat unquam per se praeceptum contritionis, et ejus dilatio sit speciale peccatum?

R. Prima sententia affirmat; probatur 1. ex illo: *non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem, subito enim veniet ira illius. Eccl.* 5. Probatur 2. ex praecepto charitatis quod sine dubio obligat per se saepius in vita, ergo etiam saepius obligat praeceptum contritionis. *Secunda* vero *sententia negat.* Ego censeo quod per se loquendo peccator diffe-

(*a*) *Quae concipitur aut ex turpitudinis peccati consideratione, aut Jehennarum timore, excludens peccati voluntatem*, et *veniae spem concludens.* - *H. n.* 8.

rens poenitentiam extra periculum mortis, *probabiliter* non committit speciale peccatum cum secunda sententia; quia praecepta affirmativa debent habere tempus determinatum, in quo debeant impleri; nullibi autem constat quale tempus sit determinatum ad huic praecepto contritionis satisfaciendum. Id tamen sane intelligendum, praeciso positivo, nam, ex praecepto annuae Confessionis ab Ecclesia praescriptae, quisque procul dubio tenetur ad poenitendum, saltem semel in anno. Hoc tamen est *per se loquendum*, sed per accidens, puto nullo modo excusari a mortali, qui existens in mortali per notabile tempus differret poenitentiam, tum, quia peccaret contra praeceptum charitatis erga Deum, quod saltem pluries in anno quemcumque obstringit, juxta dicta in *Tract. de Virt. Theol.*, *n.* 8, tum, quia insuper peccaret contra charitatem erga se ipsum, cum se exponeret proximo periculo novarum culparum, tentationibus succumbendo.

Quaeritur 4. Qualis dilatio sit grave peccatum?

R. Conc. putat esse hebdomadam (*a*). *Salm.* putant excusari qui satisfacit Confessioni annuali. Sed ego non omnino acquiesco; spatium enim satis notabile mihi videtur ut quis per tantum temporis existens in mortali, possit vitare periculum in alia facile relabendi. Non nego tamen quod peccatores, praesertim rudes, ab hoc peccato dilatae poenitentiae ob inadvertentiam, ut plurimum, imo fere semper excusari possunt.

Quaeritur 5. An qui in articulo mortis susceperit Sacramentum poenitentiae cum attritione, supposito quod attritio sine charitate praedominante sit sufficiens dispositio, juxta dicenda infra, teneatur insuper elicere actum contritionis?

R. Prima sententia affirmat: quia ex lege charitatis quilibet in articulo mortis tenetur tutiora quaerere remedia, ut ab omni periculo se liberet aeternae damnationis. *Secunda* vero *sententia negat;* quia quocumque tempore, sive vitae, sive mortis, homo non tenetur nisi ad eligenda media salutis tuta, non autem tutiora. Utraque sententia est *probabilis*, sed prima est omnino consulenda, cum agatur de summo salutis negotio, cujus periculum est irreparabile. Imo, dico esse omnino sequendam ab eo qui esset in actuali articulo mortis: tunc enim quisque tenetur elicere actum charitatis, cui nemo potest satisfacere si occurrente memoria peccati, ex eodem charitatis motivo peccatum non detestetur.

Quaeritur 6. An in diebus festis obliget praeceptum contritionis?

R. Affirmant Soto etc., quia observantia festi ideo instituta est, ut animae sanctificentur. Sed *negant communiter Canus etc.*, quia finis praecepti non cadit sub praecepto.

Quaeritur 7. An votum confessionis in contritione debeat esse explicitum?

R. Certum est ex *Trid.* peccata non remitti nisi ex voto Sacramenti Poenitentiae. Sed *communiter* et *probabilius negant Bon. etc.* quod hoc votum debeat esse explicitum; quia ex *Trid.* votum hoc includitur in contritione-437.

Quaeritur 8. An ad consequendam justificationem requirantur ad singula peccata singuli actus doloris?

R. Affirmant *Sylv. etc.* Verum omnino tenendum oppositum cum sententia *communi*, quam tradunt *Suar. etc.* sufficit de omnibus universaliter poenitere.-438.

Quaeritur 9. An ad consequendam

(*a*) *Haec sententia mihi videtur nimis rigida.-H. n.* 10.

gratiam in Sacramento Poenitentiae, praeter dolorem requirantur etiam explicite actus fidei et spei?

R. Affirmant Conc. etc. Negant vero *Bon. etc.* At ipse *Escob.* et *Lugo* recte dicunt quod cum quis accedit ad confessionem vere poenitens, necessario elicit explicite, non jam reflexe, sed quidem exercite actus fidei et spei, cum explicite credat virtute Sacramenti sua peccata remitti, et explicite speret per Sacramentum Deum remissurum sibi peccata per merita Christi. - 439.

Quaeritur 10. An ad recte suscipiendum Sacramentum poenitentiae requiratur contritio, vel an sufficiat attritio?

R. Certum et *commune* est apud DD. non requiri contritionem perfectam, sed sufficere attritionem.

Quaeritur 11. An sufficiat attritio sine amore inchoato, qui oriatur a charitate praedominante, quamvis remissa?

R. Prima sententia negat; et hanc tenent *Juenin, Habert, Antoine etc.* Haec sententia docet quod peccatum extra Sacramentum remittitur tantum per contritionem perfectam, nempe quae oritur ex charitate intensa; intra autem per contritionem quae oritur ex charitate remissa, sive per attritionem ortam ex amore inchoato, qui, licet sit praedominans, est tamen remissus. *Secunda sententia fere communis*, quam sequimur, affirmat; et hanc tenent *Canus, Gonet, Tourn., Cabass. etc.* cum aliis innumeris. Hi dicunt sufficere attritionem, quae oriatur ex motivo honesto et supernaturali; nempe ex metu gehennae, aut amissionis aeternae beatitudinis, aut consideratione turpitudinis peccati lumine fidei cognitae, non tamen sine aliquo initiali Dei amore quin sit praedominans. Ratio, quia omnis dolor qui oritur ex charitate praedominante licet remissa est contritio justificans per se hominem extra Sacramentum, ut constat ex Scriptura Sacra, ex Conciliis, Patribus et DD. Ergo, si ad remissionem requireretur in Sacramento contritio proveniens ex charitate praedominante licet remissa, Sacramentum nunquam gratiam causaret per se, cum omnes poenitentes justificati accederent ad hoc Sacramentum: quod est falsum et contrarium institutioni hujus Sacramenti. 440. Hinc, patet oppositam sententiam quae dicit contritionem cum charitate remissa non justificare extra Sacramentum, esse omnino *improbabilem et falsam*, eo quod apertissime contradicat variis Scripturae et Conciliorum ac Patrum testimoniis.

Attamen non negamus ad justificationem peccatoris requiri initium amoris, etiam in Sacramentis mortuorum, ut constat ex Tridentino (*a*). Sed hoc initium amoris jam habetur in attritione quam supra descripsimus. 1. Per timorem divinae vindictae juxta illud *Eccl.* 25: *Timor Dei initium dilectionis ejus.* 2. Per spem veniae. 3. Per spem beatitudinis aeternae; qui enim sic accedit, jam Deum ut suum liberatorem, justificatorem et glorificatorem diligere incipit. Caeterum, quis neget esse omnino expediens ut poenitentes pro viribus conentur elicere actum contritionis perfectae, utque Confessarii studeant semper eos ad illam excitare, ut tutius illi divinam gratiam consequantur? Verum, nostra sententia utique proderit, ut, si quis accedat cum sola attritione, non se retrahat ab hoc Sacramento, et Confessarius eum non rejiciat tanquam indispositum. - 442.

Quaeritur 12. An in Confessione

(*a*) *Et in hoc conveniunt Theologi.* - *H. n.* 14.

sufficiat attritio ex metu poenarum temporalium prout infliguntur a Deo?

R. Prima sententia affirmat; et hanc tenent *Lugo, Suar. etc.;* quia Concilium Trid. inter motiva attritionis ad Sacramentum sufficientis dicit, *ex metu gehennae et poenarum;* per quod verbum *poenarum*, videtur intelligi poena temporalis. *Secunda* vero *sententia negat;* et hanc tenent *Conc. etc.;* quia licet Tridentinum dicat ex metu *gehennae et poenarum*, non tamen distinguit gehennae vel poenarum; unde *probabiliter* ponit utrumque pro eodem. Prima sententia videtur *probabilior*, at cum secunda sententia non careat sua probabilitate, saltem extrinseca, puto *tutius* in praxi eam servandam esse.-443.

Quaeritur 13. An actus doloris debeat praecedere non solum absolutionem, sed etiam Confessionem?

R. Prima sententia affirmat; et hanc tenent *Laym. etc.* Ratio, quia dolor tanquam materia hujus Sacramenti debet esse sensibilis per Confessionem, quae praeterea non debet esse simplex narratio, sed accusatio dolorosa, et dolore informata. *Secunda* vero *sententia communior negat;* eamque tenent *Suar., Bon., Lugo etc.* (*a*). Sed recte ajunt *Salm.* quod haec secunda sententia, sensu quo eam explicant *Suar. etc.* a prima non discrepat. *Laym. etc.* nihil aliud exigunt, nisi quod Confessio non sit mera peccatorum narratio, sed sit accusatio sui ipsius ad absolutionem obtinendam; sed id utraque sententia exigit, scilicet, quod Confessio sit dolorosa, facta animo obtinendi absolutionem, et non simplex narratio peccatorum. Addunt vero *Salm.* quod tantum ad sedandos scrupulos solent Confessarii, si de interna dispositione poenitentis dubitent, excitare illum ad dolendum de peccatis paulo ante explicatis, quod fit si dicatur: « De peccatis » narratis doleo, et me accuso. »-445.

Quaeritur 14. Per quantum temporis spatium actus doloris moraliter perduret ad valide suscipiendum sacramentum?

R. Suar. etc. censent sufficere dolorem qui longo tempore Confessionem praecesserit, modo non sit retractatus. Sed merito hos non approbat *P. Conc.* Alii autem dicunt sufficere dolorem praecedentem per unum diem, modo fuerit elicitus in ordine ad Confessionem. Consentit *Ronc.* etiamsi dolor praecesserit per aliquot dies, dummodo virtualiter perseveret in aliquibus mediis, puta, si poenitens ex vi concepti doloris perstiterit in frequenti oratione, fuga occasionum, etc. Sed *Croix* sentit quod si post dolorem elicitum poenitens ad diversa se converterit, vel per moram notabilem animo ad alia se distraxerit, in praxi breviter dolor sit renovandus; hoc tamen videtur potius ut consilium sequendum, quam ut praeceptum, cum *communiter* doceant DD. bene esse aliquam analogiam inter forum civile, et sacramentale; unde bene potest intercedere aliquod spatium inter discussionem causae, et sententiam, sed non tanta, quanta in foro civili.-446. (*b*).

(*a*) *Primam sententiam affirmativam dico probabilem, ideoque in praxi sequendam. Conveniunt autem* Conc. etc. *sufficere si poenitens post actum doloris dicat:* Iterum me accuso de omnibus peccatis confessis. - *H. n.* 19. — (*b*) *Ego vero cum* Ronc. *non dubito asserere, quoties Confessio derivat ex peccatorum dolore, semper virtualiter perseverare dolorem saltem per unum, aut alterum diem, dum illa Confessio est doloris effectus. Secus*

Quaeritur 15. An, ut dolor sit materia apta, debeat esse elicitus cum intentione Confessionis?

R. Negant Lugo etc. Affirmant vero *Bus. etc.* Prima est *probabilior*, sed cum secunda etiam sit *probabilis* (*a*), ante susceptionem Sacramenti tutius docet *Carden.* hanc esse sequendam.-447.

Quaeritur 16. An si quis statim post absolutionem confitetur peccatum oblitum, teneatur novum elicere dolorem?

R. Prima sententia communior negat. Ratio, quia prior dolor se extendit etiam ad peccata oblita, quae dum poenitens immediate confitetur, fit unus moraliter. *Secunda* vero *sententia affirmat;* quia per primam absolutionem jam completum est judicium; ergo, si impertienda est nova absolutio, nova requiritur materia proxima. Et quamvis dolor in se materialiter perseveret, non tamen perseverat in ordine ad secundam absolutionem. Cum haec secunda sententia est *probabilis*, imo *probabilior*, in praxi omnino sequendam esse dicunt *Croix etc.* Saltem tutius censeo sequendam.-448. (*b*).

Quaeritur 17. Quomodo eliciendus sit dolor in Confessione venialium?

R. Certum est, quod si extra Sacramentum sufficit aliquis motus gratiae vel charitatis ad venialium remissionem, attamen in Sacramento omnino requiritur dolor formalis, non sufficit virtualis,ut *communiter* docent DD.

Quaeritur 18. An sit mortale confiteri venialia sine ullo dolore?

Negant Nat.,Alex.etc. et dicunt non esse nisi veniale suscipere Sacramentum sine certo dolore, quando materia tantum levis affertur in Confessione, et abest animus profanandi Sacramentum. *Affirmant* vero *communiter Lugo etc.;* Ratio, quia irrogatur injuria Sacramento, illud suo effectu frustrando. Et huic sententiae ego adhaereo.

Quaeritur 19. An in Confessione venialium sufficiat dolor de uno peccato sine alio?

R. Negant aliqui. Sed *oppositum est tenendum* cum *communi sententia.* Hinc sufficit de uno tantum veniali dolere, et proponere emendationem, cum venialia non sint materia necessaria, sed tantum sufficiens. Dicunt *Lugo etc.* sufficere etiamsi quis doleat de multitudine aut frequentia venialium, etsi non doleat de singulis in particulari; et recte quia impossibile est dolere de multitudine, et non dolere saltem de illis posterioribus culpis, per quas constituitur multitudo.-449.

Quaeritur 20. An possit dari Sacramentum poenitentiae validum et informe, v. g. si quis duo mortalia commiserit, unum furti, alterum perjurii; deinde memor tantum furti ipsum dumtaxat confitetur, dolens non ex motivo universali, sed ex motivo speciali turpitudinis supernaturalis quam habet furtum; quaeritur an hic, licet gratiam non recipiat, valide tamen confiteatur, ita ut Sacramentum, sublato obice, nempe detestato peccato oblito,

autem si quis ex mera devotione, aut ad votum, aut poenitentiam implendam confiteretur.-H. 21.

(*a*) *Ideo in praxi est sequenda.-H.* 21. — (*b*) *Et quia haec secunda est* probabilis, *ideoque recte dicunt* Croix *et* Concina *hanc in praxi tenendam. Intelligitur tamen hoc ante Sacramenti susceptionem, quia postquam illud susceptum est, probabiles jam sunt omnes sententiae oppositae trium quaesitorum praecedentium* (*Sen. quaer. hujus compendii* 14, 15, *et* 16); *unde post factum recte eas amplecti possumus.-H.* 22.

reviviscat ad causandam gratiam, nec postea sit obligatio repetendi peccatum jam confessum, sed solum omissum?

R. Prima sententia negat; et hanc tenent *Elbel., Conc., Scot. etc.* Ex istis autem alii, ut *Vasq. etc.* dicunt tale Sacramentum esse validum et formatum, id est, cum effectu gratiae; ratio, quia, cum poenitens doleat, ut divinam recuperet gratiam, liceat doleat ex speciali motivo turpitudinis furti, tamen ejus dolor virtualiter se extendit ad omnia mortalia oblita, utpote opposita reconciliationi cum Deo intentae; ac proinde, si dolet de turpitudine specifica, debet etiam dolere de generica, quae talem reconciliationem impedit. Alii vero e converso, ut *Hozlm. etc.* dicunt tale Sacramentum esse non solum informe, sed etiam invalidum; ratio, quia ex *Tridentino* dolor dicitur pars hujus Sacramenti, quatenus operatur remissionem peccatorum: ergo si dolor ille particularis furti remissionem non causat, nunquam erit materia apta ad Sacramentum, ac proinde Sacramentum erit semper invalidum. *Secunda* vero *sententia probabilior affirmat;* et hanc tenent *Lugo, Tolet., Suar., Escob. etc.:* hi auctores dicunt tamen poenitentem non consequi gratiam, quia ex una parte unum mortale non potest remitti sine alio, et ex altera, cum peccator doleat tantum ex motivo particulari turpitudinis furti, non potest obtinere remissionem perjurii cujus non meminit, nec dolet. Dicunt tamen hujusmodi Sacramentum esse validum, quia nulla deest pars essentialis ad valorem; non confessio, cum fiat integra eorum peccatorum quae memoriae occurrunt: non dolor, cum jam adsit circa peccatum confessum; nec absolutio, ut supponitur; unde nihil obstat quominus tale Sacramentum validum dici possit. 444.

ARTICULUS II.

De Proposito.

Propositum *est fixum ratumque consilium non amplius in peccata relabendi.* Et duplex est, explicitum et implicitum. Est *explicitum*, quando quis cogitans de vita futura, formaliter proponit emendationem. Est *implicitum*, quando quis revera dolet de peccatis, sed non cogitat nec proponit explicite de futuro.

Quaeritur 1. Quaenam sint conditiones necessario requisitae ad propositum?

R. Tres sunt conditiones veri propositi, nempe ut sit firmum, universale, et efficax. 1. Propositum *firmum* importat ut poenitens habeat voluntatem omnino deliberatam non recidendi, et sit animo ita dispositus, ut nullius mali timore, et nullius boni cupidine peccata in posterum admittere velit. 2. Propositum debet esse *universale* circa peccata mortalia. Haec est sententia *communis;* quisque enim tenetur absolutam et positivam habere voluntatem omnia mortalia vitandi. Secus vero est de proposito circa venialia; in his enim sufficit quod poenitens non solum proponat peccatum vitare, sed etiam media adhibere ad peccatum vitandum, et signanter occasiones proximas peccandi, ut *communiter* docent DD.

Nota. 1. Non semper verum est tunc solum propositum esse efficax, quando efficitur id quod proponitur; alias quoties poenitens recideret, toties teneretur repetere Confessiones; relapsus enim non semper est signum propositi infirmi, sed saepius tantum signum est mutatae voluntatis; nam bene potest accidere quod quis verum habeat amorem Dei praedominantem, et firmum propositum nunquam peccandi, et nihilominus statim pecçet, prout *D. Pe-*

*

trus vere proposuit potius mori, quam Christum negare, et tamen ad primam ancillae vocem negavit (*a*). Principalis efficacia propositi consistit in avellendis occasionibus proximis peccandi, aut in mediis debitis adhibendis, ut ipsae, si sint necessariae, ex proximis fiant remotae. 451.-2. E converso, res valde difficilis est quod peccatores frequenter ex consuetudine in mortalia labentes, cum vero proposito ad Confessionem accedant: quapropter Confessarius in hoc sedulo incumbere debet, maxime si poenitens alicui vitio magnam habuerit adhaesionem.-450.

Quaeritur 2. An prudenter credi possit quod firmum habeat propositum poenitens, qui asserit se nolle amplius relabi, sed certo credit se relapsurum?

R. Prima sententia affirmat; et hanc tenent *Nav., Laym., Spor. etc.* Sed omnino sequendam puto *oppositam sententiam*, quam tenent *Bus., Conc. etc.* Non nego quod speculative loquendo bene posset consistere firmum propositum voluntatis cum cognitione relapsus; sed cum quis certo credit se relapsurum, practice certam suspicionem praebet propositum suae voluntatis non esse satis firmum. Unde recte ait *Croix*, quod talis poenitens priusquam absolvatur, disponi debet, ut speret non per vires suas, sed per Dei auxilium a peccatis liberatum iri. Secus vero dicendum, si poenitens ex sua praeterita fragilitate timeret relapsum: *communiter* enim dicunt DD. quod ad serium propositum non requiritur ut credatur nullus relapsus secuturus, sed satis esse nunc adesse seriam voluntatem non relabendi; nam bene potest consistere voluntas resipiscendi cum timore lapsus ex mutatione voluntatis.-151.

Quaeritur 3. An in Sacramento Poenitentiae sufficiat propositum virtuale, sive implicitum, inclusum in dolore?

R. Prima sententia negat. Ratio, quia licet dolor includat necessario propositum, attamen *Tridentinum* requirit propositum formale. *Secunda sententia affirmat*, dummodo dolor eliciatur ex motivo universali. Ratio, quia Concilium subdit quod attritio si voluntatem peccandi excludit cum spe veniae, disponit hominem ad impetrandam gratiam in Sacramento. *Tertia vero sententia* dicit, quod si poenitens cogitet de vita futura, debet formaliter proponere emendationem. Secus vero si poenitens nihil cogitet de futuro, puta si quis sit in extremo vitae constitutus; revera enim in quocumque dolore propositum necessario continetur. Hae duae ultimae sententiae sunt quidem *probabiliores;* sed quia prima non caret sua probabilitate, in praxi ante factum *tutius* sequenda est; sed post factum, vide *Quaer. seq.*

Quaeritur 4. An iteranda sit Confessio ob defectum propositi expliciti?

R. Croix dicit quod si bona fide cum vero dolore confessus fueris sine proposito formali, non teneris Confessionem repetere: quia esto *communius* non liceat Sacramentum suscipere cum opinione, quae non sit moraliter certa, ne Sacramentum exponatur periculo frustrationis; attamen non teneris repetere Confessionem, si *probabiliter* valide sis jam confessus, cum praefatum periculum tunc non amplius adsit. Sed ego huic opinioni acquiescere non valeo. Ratio, quia cum sufficienter probabilis sit opinio requirens in Sa-

(*a*) *Aliud tamen judicium fieri debet si poenitens plerumque statim reciderit, post duos nempe vel tres dies a Confessione facta, quin aliquo modo tentationi obstiterit; tunc enim videtur moraliter certus doloris ac propositi defectus.*-103.

cramento propositum explicitum, poenitens qui gravem culpam et certam perpetravit, tenetur de ea Confessionem explere non tantum *probabiliter*, sed etiam *certe* validam (*a*). - 450.

CAPUT III.

DE CONFESSIONE

De Praecepto Confessionis. De conditionibus Confessionis. De Confessione invalida et iteranda.

ARTICULUS I.

De Praecepto Confessionis.

Duplex est praeceptum obligans ad Confessionem, Divinum et Ecclesiasticum.

1. Praeceptum *Divinum* obligat sub mortali omnes et solos baptizatos, saltem in articulo mortis; et hoc est certum. **2.** Praeceptum *Ecclesiasticum* confitendi, sub mortali obligat omnes ac solos baptizatos qui habent mortale, postquam ad annos discretionis pervenerint; et ut confiteantur proprio Sacerdoti, semel in anno, computando a Paschate ad Pascha, ut consuetudo fere obtinuit, propter Communionem. - 662.

Unde tenentur hoc praecepto divino et ecclesiastico sequentes: 1. Haeretici et Apostatae. 2. Pueri doli capaces. 3. Ingrediens periculosam navigationem, vel conflictum. 4. Mulier tenera primum paritura, vel quae solet habere partus difficiles. 5. Reus morti adjudicatus. 6. Qui signa habet mortis naturalis. 7. Peccator, si probabiliter credat non amplius habiturum copiam Confessarii per totam vitam; ita *communiter Lugo, etc.* - 665.

Quaeritur 1. An praeceptum Confessionis divinum obliget per se aliquando in vita extra periculum mortis?

R. Commune est hoc praeceptum non obligare per se statim post peccatum, ita *S. Thom. etc.* Sed obligat ne saltem per se saepius in vita? *Negant* pariter *D. Thom. etc.* Ratio, quia talis obligatio nullo fundamento certo videtur probari, cum possit peccator per contritionem Deo se reconciliare. Sed *communius* affirmant *Salm.* Et hoc videtur *probabilius*, quia juxta dicta n. 297. in simili praecepto, nempe Communionis, cum praeceptum hoc sit divinum, Christus reliquit illud determinandum ab Ecclesia, quae in Canone *Omnia de Poenit. etc.*, determinavit obligare saltem semel in anno. Praeter hoc autem, ut diximus n. 437, tale praeceptum per accidens obligat peccatorem etiam infra annum ad Confessionem, si non conteratur, ratione charitatis erga seipsum, ne diu maneat in mortali. - 663.

Quaeritur 2. An ad satisfaciendum praecepto annuae Confessionis, qui non habet mortalia, teneatur confiteri venialia?

R. Prima sententia affirmat. Secunda tamen *sententia communis* et *verior negat;* quia Ecclesia, praecipiendo Confessionem annuam, tantum illam Confessionem praecipit quae est debita ex Christi institutione. Christus autem nullam aliam praecipit Confessionem, nisi mortalium, ut explicat *Tridentinum.* - 667.

(*a*) *Caeterum, quia prima sententia est satis* probabilis, *ante factum illa sequenda est, sed post factum, si quis bona fide confessus est cum proposito implicito, non tenetur repetere confessiones, ut dicunt* Bellar., Suar., Vasq. etc. communiter; *dum qui* probabiliter *recipit Sacramentum validum, non est obligatus ad illud repetendum; nam tunc cessat periculum injuriae Sacramenti, illud frustrandi. - H. n.* 26. (*Et idem sentit Auctor in eodem opere, n.* 22.)

Quaeritur 3. Qui non satisfecit praecepto, uno anno, tenetur ne satisfacere quamprimum potest, anno sequenti?

R. Probabilius tenetur, quia terminus non apponitur ad finiendam, sed non differendam obligationem. Ac proinde, talis toties peccat mortaliter, quoties oblatam occasionem negligit. Vide n. 297, de annuae Communionis praecepto. - 668.

Quaeritur 4. Utrum per Confessionem factam in sequenti anno, posita obligatione juxta sententiam mox supra dictam, satisfaciat praecepto utriusque anni?

R. Prima sententia affirmat. Secunda sententia negat. Tertia sententia verior, sic distinguit: si poenitens in Confessione manifestet peccata mortalia tam antecedentis quam praesentis anni, tunc bene satisfacit utriusque anni obligationi; si vero poenitens in praesenti anno non peccavit mortaliter ante Confessionem, et postea incidit in mortale, tunc una Confessione non satisfacit praeceptis utriusque anni, sed tenetur iterum confiteri. - 669.

Quaeritur 5. Si quis praevidens sibi in posterum non fore commoditatem confitendi toto anno, debet-ne praevenire tempus et confiteri etiam in medio anni?

R. Affirmat Bus. cum *Lugo.* Vide n. 298. (*a*).

Quaeritur 6. Utrum liceat confiteri cuique approbato, tempore Paschali?

R. Affirmandum, vide n. 564 (*b*).

Nota. 1. Certum est non satisfieri praecepto Ecclesiae per Confessionem invalidam *ex prop.* 14. damnata ab *Alex. VII.* Item, nec per Confessionem venialium. 672. - 2. Excusantur ab hoc praecepto 1. qui physice non possunt, v. g. quibus deest Confessarius. 2. Qui moraliter non possunt; v. gr. qui prudenter timent revelationem sigilli, vel qui non possunt sine notabili incommodo vitae, fortunarum etc. 673. - 3. De jure communi *ex cap. omnis utriusque sexus*, duplex poena incurritur a transgredientibus tale praeceptum, scilicet, prohibitio ab ingressu Ecclesiae, privatio sepulturae; sed non incurritur nisi post sententiam judicis. At impuberes a praedicta poena excusantur. Vide dicta n. 395.

ARTICULUS II.

De Conditionibus in Confessione requisitis, seu, ut sit integra, vocalis, secreta et vera.

§. I. - *De integritate Confessionis materiali et formali.*

PUNCTUM I.

De Integritate Materiali.

Ad Confessionem per se et ordinarie requiritur integritas materialis, sita in eo, ut postquam diligentius te excusseris, et conscientiae tuae sinus et latebras, ut dicit *Trid.*, exploraveris, confitearis omnia mortalia memoriae occurrentia, nondum confessa, eorumque numerum, et circumstantias quae speciem mutant. Patet ex *Trid.* Ratio est, quia alias nec judicium sacramentale recte administrari, neque aequitas in poenis statuendis servari potest. Dicitur 1. *per se et ordinarie*; quia, per accidens, et extraordinarie sufficit integritas formalis, 465. Dici-

(*a*) *Nos affirmamus, quia cum iste jam peccaverit mortaliter, jam contraxit obligationem confitendi in illo anno. - H. Tract.* 12, *n.* 35. — (*b*) *Ideoque S. C. declaravit anno* 1584. *quod si Episcopus juberet ne quis Confessarius in Paschate audiret Confessiones poenitentium sine licentia Curati, talis decreti nullam habendam fore rationem. - H. Tract.* 12, *n.* 35.

tur 2. *numerum*, intellige certum, qui si non constet, dic probabilem addendo plus minus. Quod si deinde deprehendas te errasse, non teneris iterum confiteri, nisi notabiliter fuerit major. Quod si autem nec probabilis haberi potest, dicenda est consuetudo peccandi, tempus et frequentia in die, septimana, mense, vel anno.

Unde:

1. Bene advertit *Spor.* Confessarium non debere esse nimis anxium circa exquirendum numerum peccatorum in poenitente consuetudinario, quia saepe est impossibile talem numerum certum habere; plures enim ad importunitatem Confessarii solum divinando respondent centies, millies; sed quis prudens eis fidem praestabit?

2. Melius faciet Confessarius, si diligenter statum conscientiae exquirat, et exinde interrogando poenitentem de lapsibus plus minusve in die, vel hebdomada, vel mense, saltem in confuso numerum peccatorum apprehendat durante consuetudine commissorum, quin certum judicium faciat cum periculo errandi. - 466.

3. Ad integritatem Confessionis praerequiritur diligens examen, pro capacitate poenitentis, temporis mora, et caeteris circumstantiis. Ad id autem sufficit diligentia mediocris, qualem vir prudens in arduis negotiis adhibet, vel qualem moraliter loquendi docti et timorati adhibere solent.

4. Examen hoc a Confessario potest suppleri; quod tamen *Suar.* reprobat in Confessionibus longis diligentiorum, eo quod impossibile fere sit, ut quis repente rogatus omnia recordetur, et tantum admittit in rudibus. Adverte id quod habetur circa hoc in *Cath. Rom.* « Si Sacerdos hujusmodi homi-
» nes prorsus imparatos cognoverit,
» humanissimis verbis a se dimittet,
» hortabiturque, ut ad cogitanda pec-
» cata aliquod spatium sumant, ac
» deinde revertantur. Quod si forte
» affirmaverint se in eam rem omne
» studium contulisse, quoniam Sacer-
» doti maxime verendum est ne semel
» dimissi amplius non redeant, audien-
» di erunt, praesertim si emendandae
« vitae studium aliquod prae se ferant,
» adducique possint ut negligentiam
» suam accusent, quam se alio tem-
» pore accurata meditatione compen-
» saturos promittant. »

5. Non est necessarium peccata scribere, ne memoria excidant. Imo *Sotus* dicit id non consulendum ob periculum evulgationis. Melius tamen *Laym. etc.*, asserunt suadendum esse, dummodo vitetur anxietas nimia, propter quam scrupolosis prohiberi potest.

6. Invalida est Confessio non integra, ex ignorantia, vel negligentia moraliter culpabili, ut *verius* docent *Suar.* et alii *communiter*, quia *Trid.* requirit diligens examen.

7. Non officit integritati, per se loquendo, si quis subinde gravius lapsus, id alteri prius confiteatur, et deinde ordinario suo venialia tantum, qui imprudenter id aegre ferret, prohiberet, aut reprehenderet; nisi tamen ea occasione poenitens maneat in mortali occasione peccandi, aut ideo circumeat, ut liberius peccet; tunc enim graviter peccabit, et ob defectum attritionis Confessio erit nulla. *Laym., Lugo, etc.*

8. Ex circumstantiis minuentibus illae tantum explicandae sunt, quae vel omnino tollunt malitiam, vel ex mortali faciunt veniale, ut parvitas materiae, indeliberatio, etc.; vel alioqui notabiliter mutant judicium Confessarii, saltem quoad speciem. - 471.

Quaeritur 1. An circumstantiae peccatorum mortalium notabiliter aggravantes sint necessario confitendae?

R. Adsunt tres sententiae omnes *valde probabiles. Prima affirmat* et hanc tenent *Suar., Soto, Sanch, An-*

toine etc. Probatur 1. ex Rituali, et ex Catechismo Rom., ex quibus explicandae sunt circumstantiae quae pravitatem valde *augent*, vel *minuunt*. Probatur 2. ratione, quia eadem ratio quae suadet circumstantias speciem mutantes esse confitendas, urget etiam pro circumstantiis notabiliter aggravantibus, cum utraeque judicium confessarii notabiliter mutent. *Secunda sententia*, quam tenent *Spor. etc.* dicit necessario esse confitendam circumstantiam *quid*, quae scilicet attingit integritatem substantialem peccati in individuo, prout est quantitas furti. Ratio, quia alias confessarius non poterit efformare debitum iudicium de substantia peccati. *Tertia sententia* mihi *probabilior* negat esse obligationem confitendi circumstantias aggravantes; et hanc tenent *S. Antonin.*, *S. Bernar.*, *S. Bonav.*, *Soto*, *Lugo*, *S. Thom. etc.* Ratio prima, quia *Tridentinum* non imponit ut confiteantur nisi solas circumstantias quae mutuant speciem. Ratio secunda, quia alias poenitentes semper inter angustias fluctuarent, cum semper dubitare possent de integritate suarum confessionum, in determinando quae circumstantiae sint vel ne notabiliter aggravantes. Ratio tertia, quia si teneremur manifestare circumstantias notabiliter aggravantes, teneremur etiam confiteri notabiliter minuentes; quam tamen obligationem adversarii negant. Ratio ultima et potior est, quia nemo tenetur servare legem dubiam, ut fuse probatum est in *Dissert.* de *Opin. Prob.*, *Tract.* de *Consc.*, n. 53. Unde, cum lex confitendi circumstantias aggravantes sit valde dubia, ad illam non tenemur; et ideo bene ait *Lugo*, *Tridentinum* non explicavit hanc obligationem illas confitendi, quia non satis concilium id colligere potuit ex Christi verbis et Sacramenti institutione. Excipe, ut recte dicunt *Lugo*, et *Salm.* quando circumstantiae aggravantes inducunt censuram, vel reservationem, aut quando confessarius interrogat, putatque necesse id scire ad medicinam, vel restitutionem imponendam. Nec obstat dicere quod in sacramentorum materia non possimus sequi opiniones solum probabiles, quia hoc procedit cum agitur de valore Sacramenti, secus de integritate: et in quantum ad valorem, certum est sufficere integritatem formalem.

Unde, *probabiliter* dicunt *S. Antonin.*, *Lugo etc.*, quod per se loquendo, poenitens non tenetur furti quantitatem explicare. Dicitur, *per se loquendo*, nam aliunde, quia ut plurimum Confessarius inquirere debet de quantitate furti, ad hoc, ut sciat quomodo se gerere debeat circa absolutionem impertiendam, et obligationem restitutionis imponendam, ideo ut plurimum tenetur poenitens confiteri in furto circumstantiam quantitatis. - 468.

Quaeritur 2. An sit obligatio confitendi peccata mortalia positive dubia, nempe si utriusque adsint rationes probabiles quod peccatum mortale fuerit vel non fuerit commissum?

R. Prima sententia affirmat. Ita *Merbes.*, *Hab.*, et alii antiprobabilistae, qui dicunt in opinionibus aeque probabilibus, tutiorem sequendam esse. *Secunda* vero *sententia communissima negat*; eamque tenent *Sanch.*, *Suar.*, *Sylv.*, *Bon.*, *Holz.*, *Gerson.* et alii probabilistiae *communiter*. Ratio, quia quisque potest licite se conformare opinioni vere probabili. Recte vero advertunt *Holz. etc.* quod in articulo mortis, si quis dubitet an peccatum grave patraverit, vel an illud confessus sit, sciens nunquam Sacramentum Poenitentiae post tale peccatum suscepisse, tunc ad effugiendum damnationis periculum teneretur non jam peccatum illud positive dubium confiteri, sed vel absolutionem sacra-

mentalem suscipere, vel saltem actum contritionis elicere.-473.

Quaeritur 3. An teneamur confiteri mortalia negative dubia?

R. Prima sententia communior affirmat; et hanc tenent *Bus., Sanch., Lugo etc.* quia in *Trident.* sic habetur: « Oportere a poenitentibus omnia » peccata mortalia, quorum post di- » ligentem sui discussionem conscien- » tiam habent, in Confessione recen- » seri. » *Secunda* vero *sententia negat* (*a*). Ita *Habert, Holz., Sa, Maz. etc.* Licet prima sententia sit *valde probabilis*, haec tamen secunda non videtur sua probabilitate destitui. Ratio *prima*, quia *Tridentinum* non obligat poenitentes nisi ad confitenda *omnia peccata mortalia, quorum conscientiam* habent, quod importat habere notitiam peccati. Ratio *secunda*, quia non est pro delicto dubio onus certum imponendum: nec in dubio an lex existat, adest legis obligatio. 474. Hinc referunt *Henrig. etc.* non teneri ad Confessionem qui vult communicare, et negative dubitat an peccaverit mortaliter, tum quia non magis urget praeceptum praemittendi Confessionem ad Communionem, quam praeceptum servandi integritatem Confessionis; utrumque enim est de jure divino; tum quia praeceptum *Tridentini* praemittendae Confessionis non obligat nisi eum *qui est sibi conscius mortalis peccati;* nequit autem dici conscius de suo peccato qui de illo dubitat.

Sed dices quod accedens ad Communionem cum mortali negative vel positive dubio, se exponat periculo frustrandi effectum Sacramenti. Huic difficultati aliquis respondere posset cum *Sanch. etc.* non esse illicitum suscipientibus Sacramenta uti opinione probabili, ad differentiam Sacramenta conferentium, qui nequeunt ea ministrare nisi cum sententia tutiori vel saltem moraliter certa: sufficit autem ad Sacramenta suscipienda, ut quis accedat *probabiliter* dispositus. Si quis autem nolit hac responsione uti, debet dicere cum *Holz.* oportere quod eo casu communicaturus conteratur, vel absolutionem sacramentalem recipiat, quamvis peccatum illud retineat, ut obicem auferat peccati illius si forte adfuit. (Vide notam designatam n. 432, littera B.)

Caeterum in praxi, ordinarie loquendo, omnino suadenda est poenitentibus Confessio mortalium tam negative, quam positive dubiorum, cum id ordinarie prosit ad conscientiae tranquillitatem. Dixi *ordinarie*, nam scrupulosi omnino eximi debent ab obligatione confitendi peccata dubia: ipsi enim tantum confiteri tenentur certa mortalia, et de quibus certe nunquam sint confessi, ut *communiter* docent *Sanch. etc.* Item eximi debent ab obligatione confitendi peccata mortalia dubia ii qui sunt timoratae conscientiae, et non solent deliberate lethaliter peccare, hi enim in dubio rationabiliter, imo moraliter certo credere possunt non consensisse, quia praesumptio sumitur ex communiter contingentibus. *Croix, Bon. etc.*-476.

Quaeritur 4. An teneatur quis confiteri aliquod peccatum mortale certe commissum in dubio an illud fuerit vel ne confessus?

R. Si dubium est negativum, equidem tenetur illud confiteri, ut *communiter* docent *Salm. etc.* Contra vero, si dubium est positivum, ita ut ille *probabiliter* credat se peccatum illud jam confessum fuisse, adest sententia non teneri ad illud confitendum,

(*a*) *Negant* probabilius etc. *et hoc currit, etiamsi quis vellet communicare, ut diximus* Tract 15. *n*, 34, *quidquid dictum sit in Opere.*-*H. n.* 34.

et hanc tuentur *Suar.*, *Nav.*, *Sylv. etc.* Verum, sicut mihi *probabilis* minime visa fuit opinio alibi relata eorum Doctorum, qui dicebant non esse obligationem implendi vota quae *probabiliter* impleta sunt; ita nec valeo hanc approbare sententiam quoad peccatum *probabiliter* confessum, cum obligatio Confessionis sit certa, et satisfactio dubia. Non autem reprobo id quod iidem citati auctores tradunt, nempe quod ille qui diligens fuit in suis peccatis confitendis, si postea dubitat an aliquod peccatum omiserit, postquam multum elapsum sit tempus a quo illud patravit, non tenetur ad confitendum, cum possit credere eo casu moraliter certe jam de illo confessum fuisse. Et subjungit *P. Conc.* quod si quis prius ex prava consuetudine in plura peccata lapsus fuerit, et postea sit vere conversus per constantem vitae integritatem, si tunc dubitet an omiserit in Confessione generali vel particulari facta cum debita diligentia aliquod peccatum vel circumstantiam, Confessarius prohibeat illum ne recogitet quidem de praeterita vita, sed potius imponat ei, ut piis meditationibus tempus impendat. Scrupulosi autem minime tenentur peccata praeterita confiteri, nisi certi sint quod illa nunquam confessi sint, ut *communiter* dicunt *Caj. etc.* Adduntque *Sa* et alii scrupulosum non teneri confiteri nisi quae potest jurare fuisse mortalia, et se nunquam fuisse confessum. Vide *Tract. de Consc. n.* 16-477.

Quaeritur 5. An qui confessus est aliquod peccatum mortale uti dubium, teneatur postea illud repetere, quando uti certum agnoscit?

R. Prima sententia negat; quia peccatum illud jam explicatum fuit uti erat in conscientia tempore Confessionis, jamque directe absolutum fuit. *Secunda* vero *sententia communis*, quam sequimur, *affirmat* (*a*). Ratio, quia licet peccatum fuerit directe absolutum, non tamen fuit expositum uti erat in conscientia, prout praecipit *Trid.*, nec explicata fuit substantia peccati quae consistit in ejus cognita gravitate; ideoque ad supplendam integritatem Confessionis opus est illud ut certum manifestare. *Probabilissime* autem dicunt *Sanch. etc.* quod si quis confitetur peccatum quod nec ipse, nec Confessarius sciebat esse mortale, et postea novit esse mortale ex genere suo, non tenetur iterum illud confiteri. Ratio, quia hoc casu jam poenitens exposuit confessario suum peccatum, uti in sua conscientia erat tunc, et nunc est, et in praesenti nihil novi occurrit, nisi quod cognoscat nunc materiam illius peccati esse gravem, quod prius nesciebat. - 478.

PUNCTUM II.

De Integritate formali.

Etsi ad hoc Sacramentum requiratur semper aliqua confessio, non tamen semper opus est ut ea sit integra materialiter, modo sit talis formaliter seu moraliter, id est, quantum moraliter loquendo, hic et nunc potest fieri, etsi postea debeas, si possis, supplere defectum, non statim, sed quando rursum confiteri obligaveris, aut voles. Porro, quando talis Confessio sufficiat, sequentes regulae docent: 1. Quandocumque quis ad materialiter integre confitendum physice est impotens, sufficit integritas formalis, quia praeceptum divinum non obligat ad impossibile. 479. - 2. Quando vel poenitenti, vel Confessario imminet periculum vitae, quod nec illum integre confiteri, nec hunc audi-

(*a*) *Sed vera et communissima sententia affirmat.* - *H. n.* 31.

re patiatur, sufficit integritas formalis. Ratio est quia tunc materialis non est possibilis moraliter. 484.-3. Quando ex confessione certi peccati vel circumstantiae timetur merito grave damnum proprium vel alienum, sive confessarii sive alterius, corporale, vel spirituale, potest id reticeri. Ratio, quia praeceptum divinum de integritate non obligat cum tanto incommmodo. 4. Si quis aliquod peccatum vel circumstantiam non possit confiteri sine violatione sigilli, v. g. si invalide absolvisses simoniacum, nec posses confiteri nisi illi qui facile inde posset conjicere quisnam ille esset.-487.

Unde excusantur ab integritate materiali, et possunt absolvi ex his regulis expositis, sequentes: 1. Mutus, etsi unum tantum, vel alterum peccatum per nutus significaverit. 2. Surdus qui non potest omnia explicare. *Laym.* (*a*). 3. Ignarus idiomatis, tempore praecepti, vel alterius necessitatis, etsi non integre intelligatur, si neque confessarius linguae gnarus, neque interpres haberi possit; imo etsi adsit interpres, non enim tenetur per eum confiteri, ut docent *Suar. etc.*, etiam tempore mortis, ut docent *probabiliter Salm. etc.*, nisi infirmus dubius sit de contritione; et in hoc casu sufficit tunc dicere unum veniale, ut *Salm. etc.* cum *communi*. 4. Moribundus usu linguae subito destitutus, si petat absolvi, et det signa doloris. 479.-5. Si poenitens, v. g. infirmus, uno alterove peccato dicto, deficiat, vel sit grave periculum ne deficiat. 6. Si infirmus volens confiteri, dum ei fertur Viaticum, deprehendatur multas confessiones fecisse invalidas, et gravitas morbi non patiatur dilationem absolutionis. Vide n. 260.-7. Si ipse Sacerdos in periculo constitutus, videatur ante moriturus, quam poenitens absolvatur. 8. Si tempore pestis prudentum judicio moraliter certum periculum sit ne Confessarius inficiatur; qui si tamen totam Confessionem audire velit, tenebitur ad eam poenitens. 484.-9. Si immineat conflictus, vel si multitudo moribundorum, v. g. in naufragio, nec possint omnes audiri; in quo casu possent etiam omnes simul, dicto uno peccato quod minus infamat, vel etiam secundum quosdam, si aliter fieri non possit, dicendo in genere se esse peccatores, absolvi, dicendo: *Ego vos absolvo etc.* Sed nota quod non est impotentia sufficiens, si multus fuerit ad eumdem confessarium concursus, ut volebat prop. 36 inter damnatas ab *Innoc. XI.* 486.-10. Si Sacerdos certum peccatum sit revelaturus; intellige quod poenitens ipse non teneatur revelare. 11. Si sciat poenitens, v. g. mulier, ex certo peccato sibi, vel Confessario fore periculum ruinae. 12. Si poenitenti inde immineat grave damnum, vel periculum vitae vel famae. In his tamen tribus ultimis casibus videtur requiri necessitas confitendi, v. g. ob Communionem annuam, vel si longo tempore alioqui esset differenda. Dicunt *Lugo etc.* sufficientem etiam habere necessitatem dimidiandi confessionem, qui esset in peccato mortali, et deberet per duos vel tres dies alium Confessarium expectare. 487-13. Qui habet casum reservatum; sed circa hoc vide n. 265.-14. Scrupulosus qui perpetuo angitur de oblitis. 15. Quem Sacerdos absolvit ante finem, nolens omnia audire. 16. Quem fallit memoria, ita ut dicat se scire in genere quod mortaliter peccaverit, non occurrere autem spe-

(*a*) *Intelligitur hoc de omnino surdis, quia surdastri debent adduci in aliquem remotum locum, ut eorum confessiones audiantur.* - *H. n.* 35.

ciem peccati : etsi tunc veniale aliquod addere sit consultum. 17. Qui extreme rudis vel simplex, dicit se dolere de peccatis, nullum tamen in specie, ne veniale quidem, sciat dicere : qui etsi, speculative loquendo, posset absolvi, practice tamen non expedit, sed data benedictione, permittatur communicare. - 488.

Quaeritur 1. An mutus teneatur confiteri per scripturam, si aliter non possit?

R. Prima sententia negat; quia adest periculum manifestationis. *Secunda* vero *sententia probabilior* et *communior affirmat;* quia qui tenetur ad finem, tenetur etiam ad media non difficilia. Id tamen intelligendum, modo absit periculum manifestationis, aut grave incommodum extraordinarium. Mutus autem non solum in periculo mortis tenetur sic confiteri, sed etiam tempore praecepti paschalis. - 479.

Quaeritur 2. An possit absolvi moribundus toties quoties non ipse praestat Sacerdoti praesenti signa doloris?

R. Affirmative, et certum est quod debeat absolute absolvi; imo expedit; quia per illa signa infirmus jam se peccatorem fatetur; tenebitur tamen postea, si possit, peccata sua in particulari explicare, licet jam remissa. - 480.

Quaeritur 3. An possit impertiri absolutio moribundo sensibus destituto, qui per testimonium adstantium desiderium ostendit absolutionis, dando signum doloris, vel absolutionem postulando?

R. Negant Canus etc. Sed *oppositum omnino affirmandum* cum sententia *communi*, quam tenent *Suar.*, *Tol.*, *Laym.*, *Lugo*, *Elbel*, *Con. etc.*

Quaeritur 4. Utrum vero tunc absolutio danda sit absolute, vel conditionate?

R. Communius censent DD. dandam esse absolute. Sed *Croix* dicit absolutionem dandam esse conditionate. Et hoc *tutius* videtur praecipue ubi prudenter de signis datis dubitatur, ut de facili dubitari potest, praesertim si infirmus sit rusticus. - 481.

Quaeritur 5. Quid, si nullus adsit testis de signo poenitentiae praestito ab aegroto, et aeger sensibus destitutus nullum pariter det signum, an hic absolvi possit?

R. Prima sententia negat; quia tunc deest materia Sacramenti, quae debet esse sensibilis. *Secunda* vero *sententia communior affirmat* eum posse et debere absolvi, dummodo infirmus christiane vixerit : quia aiunt *Viva etc.* eo casu bene adest prudens dubium quod moribundus vel ante destitutionem noverit suae damnationis periculum, vel post destitutionem ad illud advertat in aliquo lucido intervallo, in quo praesumitur velle et petere absolutionem signis vere sensibilibus, nempe per suspiria, motus corporis, saltem per anxiam respirationem, quamvis tunc ista signa Confessarius non percipiat : sufficiunt enim talia signa in tanta necessitate, saltem ex prudenti dubio praesumpta, ad dandam absolutionem sub conditione. Haec sententia est *satis probabilis* non solum extrinsece ex auctoritate tot gravium DD., sed etiam intrinsece; saltem ob rationem quia in casu extremae vel urgentis necessitatis licitum est uti materia dubia, ex principio maxime apud Theologos probato. Hoc casu enim possumus uti opinione adhuc tenuis probabilitatis, ut recte ajunt *Sanch. etc.* Et hic maxime advertendum quod Sacerdos, quando potest, tenetur sub gravi absolvere infirmum, ut dicunt *Suar. etc.* Bene tamen advertit *Ronc. etc.* non esse saepius absolvendum moribundum sensibus destitutum intra breve spatium temporis sine novo signo certo, nisi bis vel ter, servata proportionata distantia;

quia revera tunc cessat necessitas quae adfuit in antecedentibus absolutionibus praestitis. Secus vero dicendum, si destitutio perseverat per longum tempus (*a*) 482.

Quaeritur 6. An possit absolvi qui fuerit sensibus destitutus in actu peccati, puta adulterii, duelli?

R. Negant Gonet., Conc., Habert, etc. Sed *affirmant Holz. etc.* Et haec secunda sententia *satis probabilis* mihi videtur ob eamdem rationem quae adducta est in praecedenti quaestione: si enim licite absolvi potest et debet aegrotus sensibus distitutus, qui nullum dederit poenitentiae signum, si christiane vixerit, eo quod de ipso prudenter praesumi potest quod in extremo vitae, si aliquod lucidum intervallum habet, velit absolutionem sacramentalem recipere; sic etiam potest et debet absolvi, intellige semper sub conditione, homo catholicus, etiamsi in actuali peccato sensibus destituatur; pro hoc enim etiam merito praesumi potest quod ipse in proximo periculo suae damnationis constitutus, cupiat omni modo suae aeternae saluti consulere. Dixi, *homo catholicus;* nam secus dicendum de haeretico. Haeretici enim, etiamsi in eo casu dent signa poenitentiae, non debent absolvi, nisi expresse absolutionem petant, quia tales nunquam prudenter praesumi valent ea signa praebere in ordine ad Confessionem a qua summopere abhorrent. - 483.

Quaeritur 7. An sit obligatio confitendi peccatum mortale quod non possit explicari sine manifestatione complicis?

R. Prima sententia negat. Ratio, quia praeceptum naturale servandi famam proximi praeferendum est positivo servandi integritatem Confessionis. *Secunda* vero *sententia communis*, quam sequimur *affirmat.* Ratio, quia praeceptum integre confitendi servari debet semper ac licite servari potest; satis autem licite in casu nostro servari potest, cum manifestatio alieni criminis non sit illicita, quando fit ex rationabili causa, ut docet *D. Thom.;* ergo servari debet. Praeterea complex consentiendo in peccato, jam amisit jus ad suam famam in ordine ad Confessionem illius peccati. Diximus, *peccatum mortale;* nam, ob peccatum veniale explicandum, aut mortale alias confessum, non licet grave crimen alterius manifestare, ut recte dicunt *Lugo etc.* Tenetur vero poenitens, quando commode potest, alium petere confessarium, cui incognita sit persona complicis, et ejus fama servetur; nec *satis probabilis* videtur opinio, quam tenent *Tourn. etc.*, nempe quod hoc sit tantum de consilio; nam *communiter* hoc esse de praecepto dicunt *Suar.* etc. - 487.

Quaeritur. 8. An adsint causae excusantes poenitentem ab exquirendo alio Confessario?

R Juxta plurimorum sententiam excusant poenitentem ab exquirendo alium Confessarium, sequentes causae; 1. Si urgeat periculum mortis, aut praeceptum annualis Confessionis, vel communionis. *Spor. etc.* 2. Si poenitens non celebrando vel non communicando incurreret infamiae notam. *Suar. etc.* 3. Si quis existeret in peccato mortali, et deberet expectare ultra biduum. *Suar. etc.* Sed mihi videtur durum esse ei qui est in mortali manere sine absolutione etiam per diem. 4. Si credatur complicem cessisse juri suae famae, puta si frater peccavit cum sorore, quam scit sejungi non posse a comitatu matris, ut alium adeat

(*a*) *In hoc casu, cum actuale mortis periculum adsit, potest pluries repeti absolutio, v. g. ter, quater in die - H. n.* 37.

Confessarium. *Ronc.* 5. Si alicui solito quotidie celebrare, vel communicare, grave esset omittere celebrationem vel communionem. *Lugo.* 6. Si quis difficulter alteri quam consueto Confessario conscientiam aperiret. *Ronc.* 7. Saepe excusantur matres et uxores manifestantes peccata filiorum et virorum Confessario qui hos novit ; id enim communiter faciunt ad consilium petendum vel ad leniendum dolorem ; alioquin ipsis nimis durum foret novos Confessarios adire *Croix.* 8. Si quis propter consolationem quam sentit ab amico vel docto Confessario, nollet alium quaerere, cum plures DD. dicant non esse plus quam veniale manifestare crimen proximi uni vel alteri viro probo; vide *Tract. de oct. praec., n.* 973. Unde ait *Tamb.* satis excusari ab hujusmodi culpa veniali, qui ob praefatam causam crimen complicis cogniti Confessario prudenti patefaceret. 9. Si quis alias privaretur Jubilaei vel indulgentiae beneficio *Renzi etc.* - 490.

Quaeritur 9. An liceat Confessario exquirere nomen complicis ?

R. Negative ex Bulla *Bened. XIV*, incipiente *Ubi primum*, in qua Pontifex rigorose prohibet Confessariis ne exquirant a poenitentibus nomen complicis peccati : ibi enim maxime detestatur praxis illorum qui a poenitentibus complicis nomen exquirunt. Hoc declarat Pontifex peccatum mortale, et imponit hujusmodi Confessariis suspensionem, sed ferendae sententiae, ab audiendis confessionibus, et excommunicationem Papalem ipso facto in praesumentes docere oppositum ; et insuper aliis qui scirent aliquem Confessarium propter hoc absolutionem denegasse, imponit denuntiationis obligationem, modo ille ex simplicitate hoc non effecerit.

Nota. 1. Dicunt *P. Conc. etc.* et quidem recte, quod hic Pontifex tantum damnavit illorum abusum Confessariorum, qui « tum procurandae » complicis correctionis, aliorumque » bonorum., specioso praetextu colo- » rare ; tum emendicatis quibusdam » Doctorum opinionibus defendere non » dubitarent. » Caeterum Confessarii bene possunt et tenentur ad integritatem confessionis servandam, exquirere circumstantias necessarias, nempe quae vel speciem mutant, vel exquirendae sunt ut poenitentis conscientiae consulatur, puta si Confessarius exquirat an persona complicis sit in primo vel secundo gradu, si ligata voto, si sit ancilla, si habitet in eadem domo, licet veniat in cognitionem complicis. 491. - 2. Praeterea, ultra necessitatem explicandi circumstantias peccati, nulli dubium quod aliquando tenetur poenitens complicem manifestare ad aliquod grave damnum impediendum ; sed spectata tam rigorosa Pontificis prohibitione, ad finem vitandi proximi infamiam, Sacramenti injuriam, sigilli violationem, scandalum etc., prout exprimitur in Bulla, non est licitum Confessario nomen complicis exquirere ad finem faciendae correctionis. Unde, casu quo poenitens vere teneatur complicem patefacere, tantum poterit Confessarius poenitenti imponere in genere, ut complicem revelet alicui, qui scandalum possit impedire, sed nunquam licebit Confessario dicere *revela mihi.* Si vero poenitens ex se et sponte sua rogaret Confessarium ut complicem corrigeret, tunc confessario multa prudentia opus est ; nam ordinarie loquendo non expedit ut se immittat in hujusmodi rem ; ipsi enim tantum incumbit curare damnum sui poenitentis, non alienum, et solummodo intra confessionem, non extra ; et ex alia parte Confessarius difficulter assumet hoc munus corrigendi sine periculo scandali, et offensionis sacri ministerii. - 492.

§. II. - *De reliquis confessionis conditionibus.*

Oportet ut confessio sit etiam *vocalis*, scilicet ordinarie, idque propter usum et praxim Ecclesiae graviter obligantem, nisi subsit justa causa, ut impotentia sive physica sive moralis, quae si adsit, potest fieri nutu, scripto, aliove signo. 493. Dicit *Tamb.* bene posse absolvi poenitentem qui antea sua peccata in scripto legenda dederit, et deinde Confessario praesenti dicat : *de his me accuso.* Quod tamen advertunt *Salm.* non permittendum, nisi ex gravi causa, nempe si quis ob angorem gutturis, impedimentum linguae, aut si puella supra modum verecunda, in explicando voce sua peccata, valde gravem difficultatem sentiat. Oportet ut sit insuper *secreta*, id est, ut fiat soli Sacerdoti, non quidem ex necessitate, sed usu Ecclesiae. Publica autem, qualis in naufragio, praelio, hospitali, ubi alii adjacent, vel per interpretem fit, non obligat saltem respectu peccatorum occultorum, nisi ex charitate sui, eum qui in articulo mortis dubitat de contritione; ac tum adhuc sufficit ea confiteri quae minorem pariunt infamiam. 494. Oportet ut sit tandem *vera*, quod requiritur essentialiter in materia substantiali, et necessaria; quia alias in re gravi deciperetur judex, neque esset confessio integra, ideoque esset irrita. Non tamen in materia libera, tum quia falsitas signi in accusatione circa materiam accessoriam, non facit sententiam irritam: tum quia talis tantum peccat venialiter, cum non sit graviter injuriosus Sacerdoti, nec Sacramento. - 495.

Unde :

1. Non est mortale, nec irritat Sacramentum. 1. Si in confessione mentiaris leviter circa res non pertinentes, aut non necessarias ad Sacramentum; v. g. si historiam falsam narres, vel si neges veniale, vel mortale, quod non teneris confiteri. 2. Si falso te accuses de veniali, quod tamen mortale grave erit, si id facias non dando aliam materiam, cum sic formam reddas irritam, et Sacramentum; nisi tamen facias ex scrupulo, perturbatione, etc. - 496.

2. Sacrilegium est, et absolutio nulla 1. Si mortale quod confiteri teneris, et putas esse, neges aut tegas ne intelligatur. 2. Si mortale tibi falso imponas, nisi tamen fiat ex simplicitate et scrupulo. etc. 3 Si neges vel mentiaris circa peccata alias rite absoluta, quando Confessarius, ut judex vel medicus de iis aliquid, ut necessarium ad praesentem confessionem interrogat.

Nota. Si quis affirmat peccatum mortale quod non fecit vel negat fecisse quod fecit, duplex mortale committit, unum sacrilegii contra virtutem Religionis ob reverentiam Sacramento debitam, alterum mendacii sibi graviter perniciosi contra virtutem veracitatis. - 497.

ARTICULUS III.

De confessione invalida et iteranda.

Confessio potest fieri invalida ex duplici capite, ex parte Confessarii, et ex parte poenitentis.

I. Invalida est confessio ex parte Confessarii in sequentibus casibus. 1. Si jurisdictionem non habeat, vel certe impeditam per censuram, et sit vitandus; secus, si sit toleratus; vel si formam substantialiter vitiaverit, vel non intenderit absolvere, vel peccatum nullum intellexit. 498. Dico, *nullum*, quia, si ob surditatem, somnum, vel distractionem, aliqua, licet mortalia non intellexerit, sine culpa poenitentis, *probabilius* est valuisse absolutionem, ac postea tantum

repetenda esse non audita. Addo, *sine culpa:* quia, si semidormienti mala fide confitearis, peccas, et confessio est invalida, ideoque repetenda. 2 Debet repeti confessio ob ignorantiam Confessarii, quando poenitens jam novit eum insufficientem; vel quando clare videt Confessarium non percipere gravitatem sui peccati. 3. Si finita confessione. intelligas Confessarium aliqua non percepisse, sive propter somnum, sive distractionem, nescias autem quae sint illa, teneris repetere confessionem, si brevis fuerit, quia de singulis prudenter potes dubitare: si autem longa fuerit, ait *Tamb.* te non teneri ob rationem contrariam, et satis esse confiteri quod dubites an aliquod ex tuis peccatis Confessor perceperit; sic etiam tenent *Salm.* qui dicunt Christum D. non praesumi imposuisse praeceptum integritatis cum tanto onere, scilicet, omnia peccata repetendi in tali casu. Ita etiam *Lugo etc., communiter.* 499. Recte notant *Salm. etc* 1. quod Confessarius non tenetur de singulis peccatis certum formare judicium, sed tantum de obviis et claris. 2. Non esse iterandam confessionem factam bona fide Confessario nescienti discernere species et numerum, neque inter mortale et veniale, etiam in casibus obviis. Hoc tamen intelligendum, nisi constet numerum, vel species explicatas non fuisse; alias, integritas confessionis certo supplenda est, ut recte advertunt cum *communi Lugo etc.*; quia licet prior Confessio fuerit valida, Confessio tamen praesens facienda est cum debita integritate. - 500.

II. Invalida est Confessio ex parte poenitentis, in sequentibus casibus; 1. Si fuit excommunicatus, de quo infra. 2. Si mortale tacuit, vel de eo se falso accusavit. 3. Mortaliter negligens fuit in examinanda conscientia, 4. Si non fuit attritus, quod patere solet inde, si sponte quaesierit Confessarium surdum, indoctum, caecum etc., si noluerit tollere occasiones etc.; si peccatum carnale confessus sit suo complici, quod est prohibitum sub poena excommunicationis in absolventem Papae reservatae, vide *n.* 555. - 501.

Unde :

1. Is qui a puero peccatum aliquod grave, v. gr. mollitiem inculpabiliter omisit, vel quia putavit leve esse, vel nullum; non ideo tenetur repetere alia peccata, vel confessiones intermedias, sed hoc tantum.

2. Si ex errore culpabili mortaliter peccatum tale, v. g. mollitiei, vel numerum aliamve circumstantiam necessariam omiseris, non ideo teneris repetere Confessiones intermedias bona fide, et legitime factas, in quibus ex naturali oblivione defectum illum non fueris confessus, cum valida fuerint, et maneant validae. - 503.

3. Rustici, qui sine culpa omiserunt explicare numerum peccatorum, non tenentur repetere confessiones, casu quo uniformem rationem vivendi tenuerint in praeteritis annis, ita ut ex confessione unius anni confessarius possit alias conjicere; intellige, quando in principio confessionis poenitens patefecerit Confessario praesenti, quod in annis praeteritis semper confessus sit male, numerum omittendo, et Confessarius ab initio, confessionem excipiendo illius anni, efformet simul judicium de annis praeteritis.

4. Secus vero dicendum, si Confessarius post confessionem exceptam illius anni, advertat poenitentem omisisse numerum explicare in superioribus annis; tunc enim, si ex confessione praesenti habeat distinctam notitiam peccatorum, poterit quidem, quin repetantur priores confessiones, formare simul distinctum judicium de annis praeteritis; sed si ex confessione

praesenti habeat tantum notitiam confusam de culpis confessis, ut saepius accidit in confessionibus longioribus et implicatis, eo casu, ut bene ait *Lugo*, tenetur sumere distinctam notitiam specierum, et numeri omissi in confessionibus praeteritis, nec sufficit tunc ad absolvendum notitia illa confusa status poenitentis de annis praeteritis, cum ex una parte teneatur poenitens aliquando peccata sua confiteri sigillatim, quod nunquam fecit; et ex altera tenetur confessarius aliquando distinctum efformare judicium de peccatis. - 504.

5. Caeterum, hic sedulo advertendum, non esse cogendos poenitentes ad repetendas confessiones nisi moraliter certo constet eas fuisse invalidas, ut recte dicunt *Croix*, *Gobat.*, *Holz.*, *Mazz.*, *Elbel*, cum *Fill.* et *communi* contra *Antoine*, qui inter rigidos auctores nostri temporis non infimum habet locum. Ratio, quia possessio stat pro valore confessionum praeteritarum, quandiu de earum nullitate non constat. In dubio enim standum est pro valore actus, ut *communiter* tradunt DD.

6. Quoad obligationem repetendi confessiones recidivorum, de quarum valore saepe dubitari potest, hanc regulam optime tradit *Habert*, sic dicens: « Si poenitens aliquandiu post » confessionem dignos poenitentiae fructus fecit, hoc est strenue adversus » tentationes, et peccandi occasiones » pugnaverit, confessarius judicabit » validam fecisse confessionem. Secus, si paulo post confessionem, » seu data prima occasione, lapsus » fuerit. »

7. Tunc enim, ego addo, revera moraliter certum est confessiones fuisse nullas; nam ille qui in confessione vere dolet, et proponit emendationem, saltem per aliquod tempus a peccato se abstinet, saltem aliquem conatum adhibet ante relapsum; unde, qui post suas confessiones ut plurimum cito et sine aliqua resistentia iterum cecidit, certe censendus est nullum vel nimis tenuem habuisse dolorem vel propositum. Aliter vero dicendum, si per aliquod tempus perseveraverit, vel ante casum aliquam saltem resistentiam praestiterit. - 505.

Quaeritur 1. An repetenda sit confessio apud eumdem confessarium, quando confessio fuit invalida?

R. Prima sententia probabilis distinguit, et dicit quod si confessio fuit nulla defectu alicujus partis essentialis in Sacramento, nempe quia defuit dolor, aut integritas in poenitente, aut jurisdictio in confessario, tunc tota repetenda est: quia eo casu confessio non fuit Sacramentalis. Secus vero, si confessio fuit invalida ex parte confessarii ratione tantum sui muneris, nempe quia ipse non bene pronuntiaverit formam, vel non habuerit intentionem absolvendi, et hoc est *commune* apud omnes, modo confessarius reminiscatur status poenitentis. *Secunda vero sententia communior, et non minus probabilis* dicit quod undecumque defectus evenerit, sive ex parte confessarii, sive ex parte poenitentis, non est opus repetere confessionem, sed sufficit si confessarius recordetur status poenitentis, vel resumat notitiam ejus in confuso, et poenitens in communi se accuset de omnibus prius confessis (*a*). Ratio, quia licet prima confessio non fuerit Sacramentalis, utpote sacrilega, vel facta non judici, attamen ratificatio illius, dum poenitens deinde in generali se accuset de culpis confessis,

(*a*) *Haec sententia est valde probabilis.* - *H. n.* 14.

conjuncta cum notitia antecedenter habita a confessario, bene sufficiens reputatur. Item, quia, ut *probabiliter* censet *Croix*, talis Confessio, cum facta fuerit in ordine ad absolutionem recipiendam, sufficienter dicitur etiam Sacramentalis, quatenus ipsa etiam ad sigillum Sacramentale obstringit.

Quaeritur 2. An sit repetenda confessio, si Sacerdos oblitus fuerit peccata audita, antequam absolutionem impertierit?

R. Commune est apud DD. non esse repetendam confessionem factam eidem Confessario, quando illa fuit prolixa, aut absolutio fuit dilata et Confessarius recordatur saltem in confuso status poenitentis. Ita *Nav.*, *Sylv.*, *Suar. etc.*

Quaeritur 3. Quid si Confessarius ne confuse quidem recordetur status poenitentis sed tantum poenitentiae injunctae?

R. Hoc sufficere ad absolvendum dicunt *Nav. etc.*; et ratio videtur esse, quia ex ipsa notitia poenitentiae poterit Confessarius efformare judicium de statu poenitentis.

Quaeritur 4. Quid si Confessarius nec meminerit status poenitentis, nec poenitentiae injunctae, sed tantum quod poenitentiam imposuerit?

R. Adhuc hoc casu dicunt *Suar. etc.* sufficere si memoretur se imposuisse poenitentiam. Sed huic opinioni non acquiesco: quia Sacerdos, dum sententiam profert, debet efformare judicium saltem de statu conscientiae poenitentis. Casu vero quo Confessarius non imposuisset poenitentiam, nec haberet nunc notitiam saltem confusam status poenitentis, non poterit quidem licite absolutionem impertiri; quia tunc non posset convenientem imponere poenitentiam. Si tamen tunc absolveret, facta Confessione in communi, valide absolveret. - 502.

CAPUT IV.

DE SATISFACTIONE.

Satisfactio seu poenitentia a Confessario data, est necessaria necessitate non Sacramenti, sed praecepti, ideoque a Confessario regulariter imponenda est; et quidem proportionata tum peccatis, tum facultati poenitentis. Ratio prioris est, quia est pars Sacramenti non essentialis, sed integralis tantum, habens effectum ex opere operato, et majorem vi Sacramenti, quam sine eo. Ratio posterioris est, quia Sacerdos tenetur curare integritatem Sacramenti, et tam vindicare quam mederi. 506. Sic enim habet *Tridentinum*: « Debent ergo » Sacerdotes Domini, quantum spi» ritus et prudentia suggesserit, pro » qualitate criminum, et poenitenti» um facultate salutares et conve» nientes satisfactiones injungere; ne » si forte peccatis conniveant, et in» dulgentiam cum poenitentibus agant, » levissima quaedam opera pro gra» vissimis delictis injungendo, alie» norum peccatorum participes effi» ciantur. Habeant autem prae oculis ut satisfactio quam imponunt » non sit tantum ad novae vitae cu» stodiam... sed etiam ad praeterito» rum peccatorum vindictam et casti» gationem.» - 508.

Nota. Suar. contendit hanc poenitentiam injungendam esse sub mortali; attamen *Card. de Lugo* concedit ex parvitate materiae posse venialiter peccari, ut v. g. si ob peccata venialia levis poenitentia esset injungenda, ejus enim voluntaria omissio venialis tantum esset. - 506.

Excusatur tamen confessarius minorem justo poenitentiam injungens, in sequentibus casibus: 1. Si poenitentem vehementissime contritum, aut aliter satisfecisse advertat; sed cum id raro, vel nunquam constare satis

possit, tutius est, imo necessarium aliquam semper injungere, praesertim, si poenitentia sit necessaria ad medicinam. 2. Si poenitens sit mentis impos, aut aliter impotens, aut morti proximus, aut valde debilis, cui tamen prudenter injungi levem saltem poenitentiam, v. g. percussionem pectoris, invocationem nominis JESU, saltem corde, aliosve pios motus, vel ut per haeredes Sacrificia, eleemosynas, et similia opera pia fieri curet, monent *Suar. etc. Nav.* addit posse injungi ut patienter ferat infirmitatem; quod tamen *Bonac.* non probat, cum fieri possit, ut id valde angat infirmum timentem se non rite satisfacere. Et nota quod ex Rit. *Rom.* aegris non est injungenda gravis poenitentia, sed indicenda tantum illa, quam si convaluerint opportuno tempore peragant. Dicunt autem *Salm.* si infirmus potest satisfacere per eleemosynas, imponendae sunt a confessario. 3. Quando scrupulosus saepius in eamdem horam redit cum novis culpis: quia supponitur satis imposita in praecedentibus. - 507. 4. Fragilitas animi vel corporis, ob quam timetur majorem non impleturum. 5. Tempus jubilaei vel indulgentiae plenariae. - 508.

Propter has igitur causas, et signanter propter animi infirmitatem qua laborat poenitens, et ob quam censetur satisfactionem proportionatam non impleturus, minuet Confessarius poenitentias. Ratio, quia tametsi juxta divinae justitiae rationem exigatur satisfactio peccatis adaequata, attamen ex divina clementia habenda est ratio virium poenitentium tam corporis quam animi. Ideo dicitur in *Tridentino*: « Divinam clementiam decere, ne no- » bis absque ulla satisfactione peccata » dimittantur.» Nota illud *absque ulla satisfactione*, ergo Deus non omnimodam satisfactionem, sed aliqualem ex sua clementia tantum exposcit.

Idem Concilium dicit, ut supra relatum est, ut satisfactiones imponantur, « quantum prudentia suggesserit pro » qualitate criminum, et poenitentium » facultate salutares et convenientes.» Nota, *pro poenitentium facultate*, id est, spectata illorum infirmitate corporis et animi: et nota, *salutares* et *convenientes*. *S. Carolus Borrom.* sic praescripsit: « Talem imponat con- » fessarius poenitentiam, qualem a » poenitente praestari posse judicet. » Proinde aliquando, si ita expedire » viderit, illum interroget an possit, » anve dubitet poenitentiam sibi in- » junctam peragere, alioquin eam mu- » tabit aut minuet. »- 509.

Ex his colligitur quam imprudenter se gerant Confessarii, qui magnas imponunt poenitentias, quas praevident poenitentes non impleturos. O quam plures Confessarii inveniuntur (loquor experientia doctus in Missionibus, in quibus fere triginta annos sum versatus), qui non dubitant absolvere eos qui vel sunt in proxima occasione peccandi vel recidivi indispositi, et insipienter putant se illos curare graves eis imponendo poenitentias! ex quo fit quod illi, etsi poenitentiam acceptent ut absolutionem carpant, tamen post absolutionem obtentam, quia nullum eis remedium praescribitur quo praeserventur, brevi misere relabuntur, poenitentiam non implent, et ab ejus gravitate deterriti, deinde a Confessione abhorrent, et sic in peccatis diutius tabescunt. - 510.

Nota. Bene advertit Catechismus Rom., « ut poenitentes suorum scele- » rum pravitatem magis agnoscant, » opere pretium erit eis interdum si- » gnificare quae poenae quibusdam de- » lictis ex veterum Canonum praescri- » pto, qui poenitentiales vocantur, » constitutae sint. »- 508.

Quaeritur 1. Quandonam debeat injungi poenitentia?

R. Etsi possit immediate post absolutionem injungi, ut *communissime* dicunt *Salm. etc.*, debet tamen fieri ante, ut servetur ordo judicii.

Quaeritur 2. Quaenam opera injungenda sunt pro poenitentia?

R. Quodcumque bonum opus injunctum in Sacramento Poenitentiae v. g. oratio, eleemosyna, jejunium etc. valet pro opere poenali et afflictivo, prout *communiter* docent DD.; quia respectu ad nos per naturae lapsae statum quaecumque virtuosa actio rationem habet poenae, ex eo quod, amissa originali justitia, omnes ad terrena et propria commoda proni sumus. 514. Quaenam sunt autem opera opportuniora a Confessario imponenda? Vide infra ubi de *munere Confessarii ut Medici.*

Quaeritur 3. An possit imponi pro poenitentia ingressus Religionis, vel susceptio Matrimonii?

R. Ad primum: non potest injungi pro poenitentia ingressus Religionis, quia id nimis durum videtur. Ad secundum, *affirmat Leand.* casu quo Confessarius noverit matrimonium esse poenitenti remedium necessarium. Sed melius hoc reprobant *Laym. etc.;* quia Matrimonium omnimodam requirit libertatem. - 511.

Quaeritur 4. An possit imponi poenitentia publica?

R. 1. Certum est poenitentiam publicam non posse imponi pro peccato occulto; per hoc enim indirecte revelaretur sigillum. 2. Potest imponi poenitentia publica pro peccato publico, juxta *communem* sententiam, et constat ex *Trid.*, ubi sic habetur: « Huic » (publico peccatori) condignam pro » modo culpae poenitentiam publice » injungi oportet.» Nec obstat dicere quod talis publica poenitentia esset manifestatio confessionis; nam, cum illa imponatur de consensu poenitentis necessario praestando si vult absolvi, manifestatio illa potius provenit ex libera actione poenitentis, quam ex praecepto Confessarii. Hinc dicunt *Pal. etc.* Confessarium non solum posse; sed etiam aliquando teneri hanc publicam poenitenitm imponere. Hoc, tamen recte advertunt *Ronc. etc.*, locum habere in solo casu quo aliter non possit nisi per illam publicam poenitentiam scandalum reparari, puta publice restituendo honorem alicui publice dehonorato. Caeterum, si publica poenitentia non sit ita necessaria, merito dicunt praefati AA. non debere Confessarium illam imponere reluctanti, cum aliter possit salus obtineri poenitentis, et scandalum reparari, nempe per publicam frequentationem Sacramentorum, visitationes Ecclesiarum, auditionem Missarum, ingressum in aliquam Congregationem, ubi pietatis opera exercentur et similia. - 512.

Quaeritur 5. An possit pro poenitentia imponi opus alias debitum?

R. Negant Palud. etc. Sed *communiter* et merito *affirmant Lugo etc.* Hoc tamen non faciendum, bene advertunt *Suar. etc.*, nisi spectata fragilitate poenitentis. *Communiter* autem dicunt DD. quod nisi expresse Confessarius imponat opus alias praeceptum, intelligitur impositum opus supererogatorium. Si vero Confessarius imponat auditionem Missae per mensem, non est obligatio audiendi duas Missas in festo, ut satis *communiter* docent *Conc., Laym., Sanch. etc.*

Quaeritur 6. An si poenitens statim post absolutionem deferat aliud peccatum, sufficiat illi eamdem imponere poenitentiam?

R. Affirmant Bonac. etc. Sed merito id reprobant *Palaus etc.* Nam licet opus alias praeceptum bene possit injungi in poenitentiam, non tamen opus praeceptum eodem titulo satisfactionis Sacramentalis. - 513.

Quaeritur 7. An possit imponi opus internum?

R. Negant Sancius etc. Sed merito cum *communi sententia affirmant Sanch. etc.* Ratio, quia tale opus jam per se est satisfactorium.

Quaeritur 8. An possit imponi opus applicandum pro defunctis?

R. Negant Sancius etc. Sed *communius affirmant, et probabilius Pal. etc.* quia satisfactio illius operis licet applicetur defunctis, satisfactio tamen bonae voluntatis poenitentis, qui opus applicat, ipsimet cedit.

Quaeritur 9. An possit imponi cessatio ab aliquo bono opere, nempe a Communione, jejunio etc.?

R. Negat Sancius. Sed *communiter* recte *affirmant Lugo etc.* Recte tamen advertit *Lugo*, regulariter non expedire hujusmodi poenitentiam imponere. - 514.

Quaeritur 10. An poenitens teneatur acceptare justam poenitentiam quam imponit Confessarius?

R. Tres sunt sententiae. *Prima negat;* quia non tenetur acceptare qui vult eam solvere in Purgatorio (*a*). *Secunda* dicit posse non acceptare, sed si acceptet, teneri ad eam exequendam. *Tertia communis* et *vera* dicit peccare qui poenitentiem non acceptat, vel non vult implere, et absolutionem vult recipere; quia sicut Confessarius justam tenetur injungere poenitentiam, ita poenitens tenetur illam acceptare (*b*). *Probabile* tamen est, quod si poenitenti videatur poenitentia illa justo gravior, aut nimis onerosa respectu ad suam imbecillitatem, tunc si Confessarius nollet eam moderari, posset saltem sine culpa gravi discedere absque absolutione, et alium adire Confessarium. Hoc tamen intelligendum, si poenitentia illa vere sit irrationabilis, vel impar debilibus viribus poenitentis; nam si contra poenitentia facile posset ab eo impleri, et nollet ex mera desidia illam acceptare, ac cum levi absolvi velle, non videtur posse excusari a peccato gravi. - 516.

Quaeritur 11. An poenitens peccet graviter, si omittat implere poenitentiam gravem, impositam pro venialibus, aut mortalibus confessis?

R. Commune est quod si injugatur poenitentia levis, non est obligatio illam implendi sub gravi, etiamsi tota omittatur. Si vero imponatur poenitentia gravis, *prima sententia probabilis* et *communior* dicit esse peccatum grave illam omittere. Ita *Lugo etc. Secunda* vero *sententia satis probabilis negat* hanc obligationem esse gravem; ita *Nav., Suar. etc.* Ratio, quia sicut Confessarius non tenebatur, imo nec poterat illam imponere sub gravi, ita nec poenitens sub gravi adimplere. Sentio tamen quod si per accidens peccata illa venialia valde disponerent poenitentem ad mortale, tunc posset Confessarius gravem ei imponere poenitentiam, ut ipsum removeat a periculo peccandi mortaliter, et tunc tenebitur poenitens, si velit absolvi, illam acceptare et adimplere. Praeterea censeo, quod si poenitens pro mortalibus confessis condignam non egerit poenitentiam, tunc si iterum eadem peccata clavibus subjiciat, bene poterit Confessarius gravem injungere poenitentiam; et poenitens, si acceptet, tenetur eam implere.

Quaeritur 12. An circumstantias poenitentiae impositae teneatur poenitens implere sub mortali, nempe ad recitandam coronam flexis genibus, brachiis extensis, el similia?

R. Nulli dubium quod omissio cir-

(*a*) Suar. *et* Bon. *post* Trid. *vocant hanc sententiam temerariam.* - *H. n.* 55. — (*b*) *Et Confessarius non potest hunc recusantem absolvere.* - *H. n.* 55.

cumstantiae erit saltem venialis; quando erit vel ne mortalis, pendet ex molestia levi aut gravi quam affert circumstantia, vel per se, vel respective ad poenitentem, prout significaverit Confessarius poenitentiam imponens : ita *Communiter Sanch.*, *Lugo etc.*-517.

Quaeritur 13. An Confessarius pro culpis gravibus possit imponere poenitentiam gravem, sed sub obligatione levi?

Prima sententia negat. Secunda sententia communior (*a*) *affirmat;* Ratio, quia legislator potest gravem materiam praecipere sub levi. Haec secunda sententia, per se loquendo, *valde probabilis* mihi videtur; sed non probarem, si Confessarius ex hac doctrina vellet pro peccatis gravibus totam poenitentiam imponere sub levi, excepto casu gravis aegritudinis, aut intensissimae contritionis vel alio casu rarissimo, in quo omnino videretur expedire pro salute poenitentis; censeo enim ex praecepto *Tridentini* teneri semper Confessarium injungere aliquod grave opus sub obligatione gravi, ut jam dixi superius, licet sit leve respective ad numerum et gravitatem peccatorum. Praefata ergo sententia deservire poterit ad hoc tantum, ut Confessarius, postquam imposuit aliquam poenitentiam gravem, aliam graviorem injungat sub levi, ut si poenitens illam impleat, sacramentaliter satisfaciat; si vero negligat, non gravetur culpa gravi. Et sic puto recte se gerere Confessarium; cum enim spectata poenitentis imbecillitate possit Confessarius primam tantum gravem Poenitentiam imponere sub praecepto, et graviorem sub consilio praescribere, melius consulet bono Poenitentis imponendo illam graviorem sub levi, ut omnia opera injuncta eleventur ad meritum satisfactionis sacramentalis.-518.

(*a*) *Et probabilior.*-*n.* 48.

Quaeritur 14. An tempore Jubilaei vel indulgentiae plenariae possit Confessarius absolutionem impertiri nulla injuncta Poenitentia?

R. Prima sententia affirmat. Sed *tenendum est oppositum;* et hodie non est amplius de hoc dubitandum, dum *Bened. XIV.* sententiam contrariam tanquam laxiorem reprobat.-519.

Quaeritur 15. An si poenitens oblitus sit Poenitentiae injunctae, teneatur repetere Confessionem, ut aliam Poenitentiam accipiat?

R. Prima sententia dicit hunc teneri saltem praecipua peccata repetere, ut condigna Poenitentia sibi imponatur. Ita *S. Antonin.*, *Bon. etc.;* quia poenitens curare debet quantum commode potest, ut Sacramentum fiat integrum. *Secunda* vero *sententia communis negat* obligationem hanc etiamsi poenitens culpabiliter oblitus fuerit Poenitentiam. Ita *Lugo, Croix etc.* Ratio, quia ex una parte non tenetur amplius ad Poenitentiam cum illius impletio facta sit ei impossibilis : ex altera non videtur extare hanc obligationem repetendi Confessionem, ut integretur Sacramentum, cum nemo videatur teneri repetere sua peccata, semper ac ipsa directe fuerint remissa, hoc enim gravissimum esset onus. Utraque sententia est *probabilis.* Merito autem advertunt *Elbel.*, *etc.* quod talis poenitens teneretur utique, cum commode posset, adire Confessarium suum, si putaret illum adhuc memorem esse Poenitentiae quam injunxit; tunc enim ejus impletio est ei adhuc moraliter possibilis.-520.

Quaeritur 16. Qualis dilatio Poenitentiae censeatur mortalis?

R. Potest graviter peccari Poenitentiam nimium differendo; quod ex variis circumstantiis judicandum docet *Hur.*, *Croix probabiliter* excusat

a mortali, si dilatio sit ad mensem, si Poenitentia sit tantum vindicativa. *Ronc.* vero damnat de mortali si differatur Poenitentia per quindecim dies; sed hoc videtur nimis rigidum. *Lugo* dicit dilationem, ut sit gravis, debere esse ad longum tempus. *Renz.* dicit non esse gravem dilationem infra sex menses, sed hoc videtur nimis benignum (*a*). - 521.

Quaeritur 17. An qui existit in mortali possit implere Poenitentiam impositam?

R. Prima sententia negat. Secunda sententia affirmat, modo non habeat actualem affectum ad peccatum mortale. *Tertia sententia universe affirmat;* et haec est *communis* et *probabilior*. Ratio, quia ad implendum praeceptum satisfactionis sufficit ponere opus praecepti, licet praecepti finis non obtineatur. - 522.

Quaeritur 18. An peccet qui implet Poenitentiam impositam existens in mortali?

R. Conveniunt DD. hunc non peccare mortaliter. Alii vero, ut *Lugo etc.* dicunt nullo modo peccare. Alii tamen *probabilius* tenent peccare venialiter. Ita *Suar etc.;* quia ponere obicem effectui partiali Sacramenti, non potest ab aliqua culpa excusari. - 523.

Quaeritur 19. An teneatur quis implere Poenitentiam etiam medicinalem impositam sub conditione hac *si iterum labatur?*

R. Probabilius affirmandum: modo imponatur proportionata pro peccatis confessis. - 524.

Quaeritur 20. An solvatur qui non implevit Poenitentiam praefixo tempore?

R. Affirmat Renz. Sed omnino tenendum contrarium; quia semper principaliter intenditur a Confessario opus, et accessorie tempus praefixum. - 525.

Nota. Ipse Poenitens non potest commutare Poenitentiam, etiam in evidenter meliorem.

Quaeritur 21. An Poenitens optans Poenitentiam injunctam sibi commutari, teneatur Confessionem factam repetere?

R. Si confitetur eidem Confessario, non erit opus eam repetere, dummodo Confessarius adhuc confuse recordetur status ejus conscientiae. Si vero confitetur alteri, duplex est sententia. *Prima affirmat* esse obligationem repetendi, et hanc tenent *Laym., Lugo etc.* Ratio prima, quia Confessarius non potest poenitentiam commutare, nisi in judicio Sacramentali; hoc autem judicium non potest exercere, nisi poenitens sua deferat crimina. Ratio secunda, quia poenitentia, ut docet *Tridentinum*, non solum debet esse punitiva, sed etiam medicinalis, nempe, ut non tantum sit in vindictam vitae ante actae, sed etiam in custodiam futurae; nequit autem Confessarius convenientem medicinam poenitenti applicare, nisi culparum ejus notitiam habeat. *Secunda* vero *sententia satis probabilis negat* esse hanc obligationem; eamque tenent *Nav. etc.* Ratio, quia in hac secunda Confessione non agitur de judicio ferendo, cum jam fuit efformatum; sed tantum de poenitentis impotentia ad poenitentiam implendam; et insuper Confessarius bene potest praebere medicinam peccatis alias confessis, poenitentiam commutando in aequalem vel minorem, juxta poenitentis dispositionem. Caeterum AA. primae sententiae fatentur eo casu non esse opus singula peccata repetere, sed tantum praecipua, quantum sufficit ad notitiam confusam habendam status poenitentis. Adduntque *probabiliter Nav. etc.*, quod si Confessarius advertat poenitentem non im-

(*a*) *Non peccat qui differt poenitentiam per mensem, modo poenitentia non sit medicinalis, et in posterum possit fieri.* - *H. n.* 57.

plevisse poenitentiam, nec facile impletaturum, etiam eo non petente, poterit illam ei commutare.

Quaeritur 22. An Confessarius inferior possit commutare poenitentiam a Superiore impositam ob casus reservatos?

R. Prima sententia communior negat; et hanc tenent *Gonet., Suar., Lugo etc. Secunda* vero *sententia affirmat;* eamque tenent *Palaus, Elbel., Sanch., Bon. etc.* Prima sententia mihi arridet, *probabile* autem puto quod secunda sententia posset locum habere, si gravis accederet causa, et non esset facilis accessus ad Superiorem; quia tunc inferior licite posset poenitentiam commutare ex praesumpta Superioris conniventia.

Quaeritur 23. An Confessarius possit commutare poenitentiam extra Confessionem?

R. Certum est quod alter Confessarius nequit extra Confessionem mutare poenitentiam etiam injustam a primo impositam. Si vero sit idem Confessarius qui poenitentiam imposuit, censet *Coninck* eum posse poenitentiam commutare extra Confessionem, sed non ultra quam infra eumdem diem. At *verius* puto dicendum cum sententia *communiori,* id tantum posse admitti, si fiat statim post absolutionem antequam poenitens discedat, quia tunc tantum videtur moraliter perseverare idem judicium. - 529 (*a*)

APPENDIX

DE SATISFACTIONE PER INDULGENTIAS.

De indulgentiis in genere. De Indulgentia Jubilaei in particulari.

ARTICULUS I.

De Indulgentiis in genere.

I. Indulgentia est gratia, qua certo aliquo opere quod concedens praescribit praestito, debita Deo poena temporalis, per applicationem satisfactionum Christi et Sanctorum remittitur: idque, vel per modum absolutionis erga subditos Ecclesiae; vel nudae solutionis erga non subditos, ut defunctos, vel catechumenos quibus proinde tantum dantur indulgentiae per modum suffragii.

II. Indulgentia alia est totalis sive plena, plenior, plenaria, plenissima, quae non tantum poenitentiam injunctam per Confessionem vel Canones, aut secundum hos injungi debitam, sed etiam omnes purgatorii poenas tollit. Nec differt a Jubilaeo, nisi accidentaliter privilegiis quibusdam. Vide n. 535. Alia est partialis, qualis est unius, vel aliquot annorum; item septenae, quadragenae, carenae etc., item tertiae partis peccatorum, per quas non significatur tolli durationem purgatorii, sed tantam poenam remitti, quanta deleretur per jejunium unius, aut aliquot annorum, aut quadraginta dierum in pane et aqua, secundum Canones olim imponi solitum. Porro quando indulgentiis plenariis adduntur aliquot anni, vel remissio tertiae partis peccatorum, id secundum diversas sententias, vel ad diversos concedentes referendum est; vel facit ad cautelam, ut si forte causa indulgentiae non fuerit sufficiens, saltem valeat ad illos annos lucrandos, vel ut adjuncta concedatur pro alio tempore, actione et loco; vel denique, ut ea per modum suffragii possit aliis applicari. - 535.

Quaeritur 1. Quae requirantur conditiones ut quis possit lucrari indulgentias?

R. Requiruntur sequentes conditiones: 1. Ut sit baptizatus. 2. Ut sit

(*a*) *Facta commutatione, semper potest poenitens eligere primam poenitentiam ut docent* Suar. etc. - *H. n.* 61.

subditus concedentis. 3. Ut non sit ligatus excommunicatione majori, ut habet *communis*, quia haec privat Communione bonorum spiritualium. 4. Ut sit in gratia saltem tunc, quando opus praescriptum completur, quia poena non remittitur ante culpam. 5. Ut opus injunctum moraliter totum, et integre impleatur. 6. Ut opus praescriptum sit honestum, saltem ex objecto; nam sufficit vitiatum ex fine inhonesto veniali, vel ex alia circumstantia prava. Attamen alii distinguunt, ut *Mazz., Conc. etc., communiter* quod si culpa venialis afficit substantiam operis, puta si quis oret, vel det eleemosynam ob vanam gloriam, tunc non lucratur indulgentiam. Secus, si non est circa substantiam, ut si quis oret distracte. - 533.

Unde :

1. Indulgentiis etiam frui potest, qui ea concessit.

2. Non expirant morte concedentis (*a*), cum sint gratiae, nec, ut habet *Sa*, ante notitiam revocationis.

3. Etsi intelligendae sint ut sonant, cum tamen sint gratiae, large sunt interpretandae, servata tamen verborum proprietate. Unde censendae sunt perpetuae, si datae sunt sine temporis restrictione.

4. Etsi data pro articulo mortis, secundum *Sa* expiret quando semel est accepta; contrarium tamen est *probabile*, ob rationem datam. Illa autem non requirit applicationem Confessarii, aut alterius ministerium. Attamen, expedit moribundos ad invocationem nominis JESU et MARIAE saepius excitare, simulque in memoriam revocare intentionem lucrandi istas indulgentias. *Probabile* enim est, si habent plures imagines, grana, rosaria etc. benedicta, posse, sive intuitu ejusdem concessionis, sive diversarum, toties lucrari, quoties nomen JESU repetierint, vel praestiterint opus requisitum. Sufficit autem ad eas lucrandas quodvis tempus, in quo verificatur mortis articulus, etsi pluribus diebus ab ipsa morte absit.

5. Possunt moribundi plures indulgentias plenarias, ob plures titulos concessas, simul lucrari; v. g. quia habent plura rosaria, vel grana, cruces, imaginesve, quibus sunt applicatae; vel titulo suae Religionis, Confraternitatis etc., dummodo non requirant certa opera pro speciali necessitate applicanda. Idque, etiamsi eas, vel earum aliquas ignorent, aut non recordentur.

6. Requiritur autem ut moribundus crucem, granum, imaginem etc. secum habeat in articulo mortis, ut ratione illius lucretur: et quidem ut tutius ac certius obtineat, ejus habeat dominium, seu possessionem, et apud se teneat. Non tamen est necesse, ut collo appensa, brachio obvoluta, manuve apprehensa sint, etsi aliquo horum modorum habere sit tutius, sed sufficit esse in lecto, vel juxta moribundum, licet ipse nec videat, nec tangat, nec sciat, aut recordetur se habere, nisi aliud exprimatur. Sufficiet etiam habere commodata, seu quoad usum, praesertim si id ipso indulto exprimatur. Neque necesse est retinere, donec expiret, etsi et hoc sit tutius, sed sufficit in aliquo mortis articulo habere, in eoque nomen JESU, si hoc requiritur, invocare.

7. Concessae vivis non possunt applicari defunctis, nisi id exprimatur; quia pendent a voluntate concedentis.

8. *Probabile* est concessam pro certo tempore, posse saepius obtineri repetendo opera praescripta, v. g. eadem die, nisi addita sit restrictio, quia favores sunt ampliandi. *Proba-*

(*a*) *Nisi adsit clausola :* ad beneplacitum nostrum. - *H. n.* 62.

bilius tamen videtur contrarium, ob voluntatem concedentis contrariam rationabiliter praesumptam.

9. Etsi consultum sit, ut opera omnia fiant in gratia, id tamen non videtur simpliciter necessarium. Laborandum tamen est Concionatoribus et Confessariis, ut cum indulgentiae promulgantur, populum ad seriam Confessionem excitent. *Communius* et *probabilius* est sufficere si ultimum opus fiat in gratia.

10. Ut quis lucretur pro defunctis, juxta plures non requiritur ut sit in gratia. Sed *verius* oppositum tenendum. Et hic nota quod licet effectus indulgentiarum pro vivis sit infallibilis: non est tamen infallibilis pro defunctis, cum eis nulla adsit promissio, unde Deus ipsas acceptat tantum ad suum beneplacitum.

11. Opus praescriptum dum fiat, debet esse utile ad finem a concedente intentum, qualis est v. g. eleemosyna praescripta pro redemptione captivorum, etsi fiat cum, aut in peccato, modo aliud opus ei injunctum et praescriptum in gratia fiat. Non autem oratio praescripta ad placandum Deum, si ipsamet sit peccatum ex mala circumstantia; uti nec jejunium, si te inebries, item nec visitatio Ecclesiarum, sine ulla devotione.

12. Possunt uno et eodem opere plures indulgentiae, diversis viis concessae, lucrifieri, si opus sit aeque utile ad finem utriusque indulgentiae: nec sit iterabile intra idem tempus; v. g. jejunium, vel communio.

13. Non lucrantur indulgentias, 1. qui ex impotentia vel ignorantia, sive totum opus praescriptum sive notabilem ejus partem omittunt; nisi tamen ob gravem difficultatem hoc opus ei in aliud est commutatum. 2. Qui opera injuncta alio loco, tempore, vel ordine perfecit, quam praescriptum est, vel per alium qui fuerit causa principalis, ut si per alium jejunaverit, Ecclesias visitaverit. 3. Qui famulo tradidit eleemosynam erogandam, quam is retinuit. 4. Qui aliquid omittit quod secundum sententiam *probabilem*, vel etiam *probabiliorem*, non est necessarium, si tamen sit necessarium reipsa; quia communis error non supplet defectum.

14. Non obstat effectui indulgentiae 1. Etsi ex opere requisito modicum quid omittatur, v. g. caeremonia in sacro, vel si parum comedas in jejunio; quia opus ponitur moraliter integrum. 2. Si opus requisitum praestes per alium habentem se ut instrumentum, v. g. in eleemosyna danda. 2. Si eleemosynam des exiguam, nisi tamen in Bulla exprimatur dandam esse pro cujusque facultate: tunc enim major danda est a divite, quam ab alio. 4. Si Ecclesiam visitandam non possis ingredi ob hominum multitudinem, dummodo oratio fiat ante fores, vel in coemeterio. 5. Etsi in opere praestito non habueris intentionem consequendi indulgentias; hoc videtur certum, saltem si habueris interpretativam.

15. *Probabilius* est, eum qui tantum partem operis praescripti facit, non lucrari partem indulgentiae, nisi tam parum desit, ut censeatur moraliter integrum.

16. Dum praescribitur ut visitentur aliquot altaria, sufficit ad illa se orando convertere eodem loco.

Limitat tamen *Lugo*, si sit tali loco et situ, ut moraliter censeri possit orare ad illa altaria.

17. Nemo consequitur plenariam indulgentiam peccatorum omnium, nisi omni culpa, etiam veniali liber sit quando ultimum opus explet, unde consultum est, ut communio sit ultimum. Nam certum est, peccatum veniale non remissum quoad culpam, non posse remitti quoad poenam. Il-

lud tamen veniale non impedit quominus remittatur poena debita aliis peccatis jam remissis.

18. Ad lucrandas indulgentias, requiritur Confessio peccatorum etiam venialium si in diplomate legatur : *Qui vere poenitentes, confessi etc.* quae confessio potest expleri in vigilia festivitatis. Ita S. C. - 534.

ARTICULUS II.

De Indulgentia Jubilaei in particulari.

Jubilaeum est indulgentia plenissima quae tollit omnem Purgatorii poenam. Differt tamen ab ea accidentaliter Privilegiis quibusdam, ut quod in Jubilaeo licita sit dispensatio in certis votis, absolutio a reservatis, et censuris, et quod Confessarius quivis approbatus possit eligi. - 535.

Unde :

1. Omnes visitationes Ecclesiarum debent perfici uno die, incipiendo diem a media ad mediam noctem, vel a vespera ad vesperam. - 536.

2. Ad lucrandum Jubilaeum debent omnia opera perfici in una hebdomada. Ratio, tum quia haec est praxis communis fidelium; tum quia id patet ex verbis quae apponi solent hujusmodi indultis. Et idem sentio dicendum de Confessione et Communione ; ex verbis enim indulti *verius* mihi apparet Confessionem et Communionem debere impleri sicut et jejunia in una hebdomada. *Probabilissime* autem dicunt *Lugo etc.* quod si quis impleverit alia opera in prima hebdomada, bene poterit ex consuetudine communi perficere Communionem dominica immediate sequenti. Et idem de Confessione *probabiliter* dicunt *Diana*, cum *Soto* et aliis *communiter*, qui contendunt hoc olim declaratum etiam fuisse a *Gregorio XIII.* Ex quo sequitur dominicam mediam esse communem, et pertinere ad utramque hebdomadam. - 537.

3. Potest quis iterum lucrari Jubilaeum ; si reiteret opera injuncta, verum tantum prima vice potest facultatibus gaudere.

4. Praeter excommunicationem majorem Pontifici reservatam, impositam Sacerdoti complici, imponitur hic inhabilitas in quocumque Jubilaeo absolvendi complicem poenitentem. - 536.

5. Per Confessionem invalidam in Jubilaeo non absolvuntur censurae reservatae, nec aufertur reservatio peccatorum, si Confessio fuerit culpabiliter nulla ; quia nulli sua fraus patrocinari debet. Si vero fuerit nulla Confessio defectu doloris, et bona fide fuit facta, idem sentiunt *Bonac. etc.*, quia facultates in Jubilaeo non conceduntur absolute, sed pro veris poenitentibus. Alii vero censent per hujusmodi Confessionem inculpabiliter nullam tolli reservationem. Prima tamen sententia *probabilior* mihi videtur ; quia Pontifex censetur concedere facultatem absolvendi a reservatis illos tantum qui Jubilaeum lucrantur. - 537.

6. Datur facultas dispensandi ab occulta irregularitate ob violationem censurarum dumtaxat. - 537.

7. Non peccat graviter qui postquam est absolutus a reservatis non implet postea opera injuncta, haec est sententia *communior;* neque talis poenitens minime reincidit in reservationem, vel censuras, ut definitum fuit a *Bened. XIV.*

8. Qui confessus est tempore Jubilaei, et oblitus fuit confiteri peccata reservata, aut cum causa illa omisit, potest deinde a quocumque Confessario ab eis absolvi, si tempore Jubilaei Confessarius habuerit expressam intentionem absolvendi etiam a reservatis. Si vero hanc non habuerit, negat *Bon.* cum *Vasq. etc.* Sed *probabilius* affirmant *Bus., Sanch., Suar. etc.*;

quia poenitens vi Jubilaei jus acquisivit ad favorem Pontificis. Omnes autem conveniunt quod si quis coepit Confessionem intra Jubilaeum, possit deinde absolvi ab omnibus reservatis. Et hoc *probabiliter* extendunt *Sanch.* cum *Bossio* et *communi* etiam ad illa reservata quae poenitens committit transacto tempore Jubilaei, quia pro eo perseverat adhuc idem favor facultatum. - 538.

9. Facultas commutandi pia opera non intelligitur data circa Confessionem et Communionem, nisi erga pueros, neque circa orationem.

10. Confessarii tantum in foro Sacramentali et Ecclesiis designatis, possunt absolvere et vota commutare. - 536.

11. Qui confessus est tempore Jubilaei potest postea a quocumque Confessario obtinere commutationem votorum, hoc est *communius* et *probabile* cum *Less., Viva etc.*, etiamsi poenitens tempore Jubilaei memor fuerit sui voti. Contraria tamen sententia est *aeque probabilis*. Recte autem advertunt *Suar., Holz.* cum *communi*, quod pro commutatione praefata votorum, non requiritur specialis causa, sed sufficit causa illa communis, ob quam pontifex motus est ad Jubilaeum indicendum.

12. Si poenitens tempore Jubilaei confessus est cum intentione illud lucrandi, et postea non lucratur, eo quod non implet opera requisita, *probabilius* est quod tunc pro oblitis tollitur etiam reservatio; quia tempore Jubilaei conceditur facultas absolvendi a reservatis omnes qui habent animum illud lucrandi.

13. Potest absolvi a reservatis qui peccatum commisit spe obtinendi absolutionem vi Jubilaei; haec est *sententia communior* et *satis probabilis* (a); quia facultas generaliter concessa non est limitanda; licet contraria sententia sit *valde probabilis*.

14. Vi facultatis concessae in Jubilaeo absolvendi a censuris occultis propter damnum alicui datum incursis, sub conditione *ne poenitentes absolvantur nisi satisfacta parte*, vel saltem praestito juramento satisfaciendi, non potest dari absolutio ante satisfactionem, vel juramentum, si poenitens potest statim satisfacere; alias illicite et invalide absolvitur; haec mihi videtur sententia *verior;* quia illa est vera conditio, qua non impleta, facultas non conceditur. Si vero poenitens sit impotens ad satisfaciendum, tunc valide et licite absolvi potest cum *veriori* et *communiori* sententia, modo satisfaciendi cum poterit juramentum praestet. *Probabilius* est etiam quod sic absolutus a censuris sub promissione satisfaciendi, non reincidat in eas, si postea non satisfaciat.

15. *Communiter* dicunt *Suar. etc.* in Jubilaeo, quando conceditur facultas absolvendi a reservatis Pontifici, dari etiam facultatem absolvendi a reservatis Episcopo, quamvis id non exprimatur. Item, licet nequeant absolvi haeretici, absolvi tamen possunt proferentes blasphemiam haereticalem, et fautores aut receptatores haereticorum; necnon legentes, retinentes, vel imprimentes libros haereticos; quia haec crimina non sunt proprie haeresis formalis.

16. Possunt absolvi publici percussores Clericorum, et alli nominatim excommunicati, vel suspensi. Hoc est *communius*, cum *Spor etc.* Ratio, quia cum indultum non distinguat inter publicas et occultas censuras, non est restringenda facultas ad sola occulta. - 537.

17. Nomine *infirmorum*, *captivo-*

(a) *Probabilior. H. n.* 69.

rum et *itinerantium*, quibus vi Jubilaei possunt commutari aliqua ex operibus injunctis, intelliguntur sequentes: 1. *Infirmi* dicuntur omnes valetudinarii qui absque notabili detrimento, aut difficultate nequeunt opera illa praestare, et tales existimantur etiam senes. 2. *Captivi* dicuntur, qui contra propriam voluntatem alicubi detinentur: his conceditur commutatio, vel prorogatio operum ad lucrandum Jubilaeum. Itinerantibus prorogantur opera injuncta usque ad reditum; et non tenetur quis suum iter differre si commode differre nequit.

18. Ad implendas preces in Jubilaeo injunctas sufficere orationem mentalem *probabiliter* dicunt *Mazz. etc.* Sed *communior* sententia requirit orationem vocalem.

19. *Affirmat Suar. etc.* sufficere modicam orationem vocalem. Sed *probabilius Concina etc.* dicunt requiri aliquam orationem, nempe *quinque Pater* et *Ave*, vel sex cum *Credo* et *Gloria*, ut dicit *Spor.*; vel septem *Pater* et *Ave*, ut vult *Holz.*

Nota. Docent plures graves AA. quod pro visitatione Ecclesiae praescripta, sufficit ad lucrandam indulgentiam orare ante ostium, vel in coemeterio, si prae hominum multitudine illam nequeas ingredi. Imo, addunt *Mazz. etc.* si oras ante ostium Ecclesiae, quando illud est clausum.

20. Pauperes ad Jubilaeum lucrandum tenentur facere eleemosynam; hoc *probabilius* affirmat *Viva*; quia nemo est tam pauper, quin saltem obolum dare possit. Pro religiosis vero, filiis familias, uxoribus et servis, sufficit ut ab eorum Superioribus detur eleemosyna, ipsis scientibus. Quod si superior nolit dare, dicunt *Boss. etc.* posse subditum clam ab eo surripere; sed melius censet *Viva* tunc petendam esse commutationem.

21. Non satisfacit Jubilaeo, qui implet jejunia injuncta alias debita ex voto, ut *communius Sanch. etc.*; et sic hodie tenendum ex *Bened. XIV.* - 538.

22. *Benedictus XIV.* declaravit in Bulla *celebrationem* quod facultas prius data monialibus et earum Novitiis, diligendi sibi tempore Jubilaei quemcumque Confessarium, intelligenda sit de quolibet Confessario approbato ab Ordinario ad Moniales.

23. Tempore Jubilaei Regulares possunt Confessionem explere apud quemcumque Sacerdotem approbatum ab Ordinario etiam regularem possuntque absolvi ab illo etiam a casibus in eorum Ordine reservatis. - 536.

24. Circa Jubilaeum anni sancti *notandum* quod eo tempore omnes indulgentiae pro vivis suspenduntur; non autem pro defunctis, et pro constitutis in mortis articulo, nec indulgentiae concessae ab aliis quam a Papa. Vide alia plura in *Opere*. - 535.

CAPUT V.

DE MINISTRO SACRAMENTI POENITENTIAE.

Minister hujus Sacramenti est Sacerdos approbatus ab Episcopo, saltem respectu saecularium, et habens jurisdictionem. Ratio primae partis sumitur ex Joan. 1. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata etc.* Ratio secundae sumitur ex *Tridentino*, ubi decernitur nullum posse audire Confessiones saecularium, nisi habeat Beneficium parochiale, vel approbationem ab Episcopo. Addidi, *respectu saecularium*, quia circa Confessiones Regularium, Concilium nihil videtur notasse; unde ii cuivis, etiam non approbato, quem Praelatus praefecerit, possunt confiteri; intellige, quantum est ex vi Concilii; quia *Gregorius XV* statuit ut monalium Confessarius ab Ordinario approbetur. Ratio tertiae partis habetur ex *Florentino* et *Tridentino*; quia absolutio est

actus judicialis qui requirit subditos. Nunc ergo. - 539.

De Ministri potestate et Officio.

ARTICULUS I.

De Ministri potestate seu de Approbatione, jurisdictione et de casibus reservatis.

§. I. *De approbatione.*

Approbatio non est collatio jurisdictionis, sed tantum publicum judicium de aptitudine personae ad audiandas Confessiones essentialiter praerequisitum, supposito jure *Tridentini*, ad jurisdictionem recipiendam. - 542.

Nota. Ad approbationem non necessario requiritur examen, modo adsit judicium prudens de sufficientia. - 545.

Quaeritur 1. An Confessio venialium facta simplici Sacerdoti sit illicita et invalida?

R. Quod sit illicita, hodie certum est ex decreto *Innoc. XI de Communione quotidiana.* Quod autem talis Confessio sit invalida, *prima sententia communissima negat;* et hanc tenent *Salm., Lugo etc.*, sed unde habeat sacerdos simplex hanc jurisdictionem, auctores discrepant; nam *Pal. etc.* dicunt simplices sacerdotes habere hanc jurisdictionem a Christo, eo quod peccata venialia non sunt materia necessaria, et consequenter creditur Christus non subdidisse eorum absolutionem potestati Ecclesiae. Alii vero dicunt jurisdictionem accipere ab Ecclesia. *Secunda* vero *sententia affirmat;* et hanc *satis probabilem* puto (*a*); quia, posito quod simplices Sacerdotes non habeant jurisdictionem a Christo, sed ab Ecclesia, hodie, post decretum *Innoc. XI*, non praesumitur Ecclesia velle eis conferre jurisdictionem, cum ipsis expresse prohibeat uti tali jurisdictione. - 543.

Quaeritur 2. An Parochus possit advocare Parochum alienae Dioecesis ad excipiendas Confessiones suorum subditorum?

R. Prima sententia affirmat; et hanc tenent *Pal., Ugo, etc.* Ratio, quia Parochus censetur approbatus pro tota Ecclesia. *Secunda* vero *sententia* cui mihi libet adhaerere, *negat;* eamque tenent *Laym. etc.* Ratio, quia Parochus minime approbatur ab Ecclesia pro universali Ecclesia, sed tantum ex dispositione *Tridentini* a suo Episcopo pro sola ejus Dioecesi, et juxta ejus voluntatem.

Quaeritur 3. An Parochus vocatus ab alio Parocho ejusdem dioecesis possit in ejus Parochia Confessiones audire?

R. Id *affirmant Bon. etc.* Sed *oppositam sententiam* tenent *Barbosa etc.*, quia, ut jam dixi, Parochus non approbatur ab Ecclesia pro Ecclesia universali, sed tantum ab Episcopo juxta Episcopi voluntatem, unde nisi constet aliunde de diversa voluntate Episcopi, Parochus censetur approbatus tantum pro Parochia ad quam eligitur. Recte vero admittit *Bened. XIV*, quod sententia opposita locum habere potest in iis locis, ubi talis adsit consuetudo, quae jurisdictionem bene conferre valet. - 544.

Quaeritur 4. A quo petenda est approbatio?

R. Approbatio petenda est ab Episcopo. Porro nomine *Episcopi* etiam intelliguntur Praelati habentes jurisdictionem Episcopalem, ut quidam Abbates, et capitulum, Sede vacante, non autem provinciales, aut Generales Ordinum. Episcopus confirmatus, etsi nondum consecratus est, recte potest approbare, quia jam habet jurisdictionem; secus, si sit tantum electus, et non confirmatus; vel qui Episcopatum

(*a*) *Valde probabilis est haec secunda sententia.* - *H. n.* 96.

renuntiavit, quia tunc jurisdictione caret.-547.

Quaeritur 5. A quonam Ordinario habenda sit approbatio?

R. Tres sunt sententiae. *Prima* docet habendam esse ab Ordinario poenitentis. *Secunda* docet requiri approbationem ab Ordinario Sacerdotis. *Tertia* docet ex communi praxi fidelium approbationem petendam esse ab Ordinario loci, ubi Confessiones excipiuntur. Et haec ultima sententia hodie est omnino tenenda ex Bulla *Innoc. XII*, edita anno 1700, die 10. Aprilis.-548. (*a*).

Quaeritur 6. An Religiosi etiam exempti debeant approbari ab Episcopo loci in quo degunt?

R. Affirmative; quia illius, quoad hunc actum, sunt subditi: et hoc est certum ex brevi *Innoc.* X.-549.

Quaeritur 7. An approbatus ab uno Episcopo, possit in alia Dioecesi, sine nova approbatione, recipere jurisdictionem?

R. Controvertunt DD., ac licet utraque sententia olim videri potuerit *probabilis*, post decretum tamen *Urbani VIII*, 1628., *negativa* omnino tenenda est.-552.

Nota. 1. Episcopus in sua Dioecesi non potest approbare Sacerdotem alienum, nisi subdatur illi, saltem ad tempus. 2. Episcopus potest approbare per se, vel vicarium generalem, vel alios quoscumque deputatos; quia non est actus ordinis, sed jurisdictionis. 3. Approbatio potest fieri cum restrictione ad certum tempus, genus personarum, locum, etc. *Nav. etc.* 4. Episcopus peccat, si Sacerdoti praesertim regulari, idoneo, sine causa sufficienti negat approbationem. *Bon. etc.* 550.-5. Approbatio semel absolute concessa, non tantum non extinguitur morte concedentis, sed nec revocari potest sine justa causa.-6. Ex justa causa possunt praesertim a successore Episcopo, ad examen revocari non tantum saeculares, sed etiam regulares, ac etiam Parochi.-552 et 792.

Quaeritur 8. An possit approbatus absolvere complicem?

R. Negatur ut constat ex duobus decretis *Bened. XIV, Sacramentum* et *Apostolici muneris*, quibus declaratum fuit Confessarium omnino carere jurisdictione ad absolvendum peccatum complicis turpe contra sextum Praeceptum, atque excommunicationem papalem incurrere, si Confessionem complicis excipere audeat. Excipitur tamen casus extremae necessitatis, nimirum articuli mortis, in quo permittitur ei absolvere complicem, modo deficiat quicumque alius, etiam simplex Sacerdos qui absolutionem impertiri possit; nisi nequeat alius ille Sacerdos vocari, vel accedere sine gravi infamia, aut scandalo approbati; tenetur tamen Confessarius complex talia pericula infamiae, aut scandali avertere si potest sub eadem poena excommunicationis, licet tunc valide absolveret, si non averteret.-553.

Nota. Quod non incurrat hanc excommunicationem Sacerdos qui complicem non absolvit, sed tantum in confessione audit: hoc patet ex verbis decreti *Bened. XIV.*-556.

Quaeritur 9. Quid intelligatur nomine peccati turpis?

R. Intelligitur omne peccatum externum grave contra sextum Praeceptum, licet sit solus tactus, sive colloquium, ut certo dicendum sentio cum pluribus doctis, quos consului super hoc judicio. Contra vero non comprehenduntur peccata venialia inhonestatis, sive sint ex parvitate materiae, sive

(*a*) *Valde probabile est Parochum posse ubique locorum Confessiones suorum subditorum audire. Et circa hoc adest declaratio S. C.-H. n.* 79.

ex defectu advertentiae, aut consensus; quia venialia non sunt de obligatione in Confessione manifestanda: ita *Salm.* Idem dicunt etiam et quidem recte, de mortalibus mere internis, vel non plene exterius significatis: quapropter peccatum non erit reservatum, quamvis interius fuerit grave, si etiam exterius grave non fuerit. Addunt nec reservata esse mortalia dubia, ex dubio facti, vel juris, quia non videntur Superiores velle reservare dubia, nisi expresse declarent; et hoc est juxta *communem sententiam*, quam proferemus infra n. 600. Idem sentiunt *Salm.* si adsit dubium an poenitens graviter peccaverit, licet Confessarius certum mortale commiserit: quia Bulla intelligenda est de complici formali in peccato mortali turpi.-554.

Quaeritur 10. An absolutio a Confessario complici impertita, irrita sit etiam quoad mortalia quae complex, qui nondum ab alio de peccato turpi fuerit absolutus, ipsi confitetur?

R. Affirmative, et hoc infero ex verbis ejusdem Bullae, ubi dicitur: » Atque ideo absolutio nulla, atque » irrita omnino sit. » Secus vero censeo, si de peccato turpi ille jam fuerit absolutus, quia tunc cessat indispositionis suspicio, ob quam Pontifex jurisdictionem Confessario abstulisse videtur. Addunt *Salm.* idem dicendum de peccato mortali commisso et legitime confesso ante expeditionem Bullae: quia lex non respicit retro.-555.

Quaeritur 11. An Episcopus ex concessione *Tridentini*, possit absolvere Confessarium qui complici in peccato turpi absolutionem impertierit?

R. Videtur ex una parte *negandum:* nam si Episcopus vel alius ab eo delegatus, posset hunc casum, quando est occultus, absolvere, reservatio Pontificis evaderet inutilis et elusoria; casus enim hic non potest nisi occulte accidere. Attamen, *probabiliter* videtur posse dici, quod etiam salva facultate Episcopis a Concilio impertita absolvendi hunc casum, quando est occultus, reservatio Pontificis non omnino redderetur inutilis, et elusoria, quia, licet ordinarie hic casus occultus sit, attamen, aliquando potest occidere quod sit publicus.-556.

Nota. Ex bulla *Gregorii XV*, edita anno 1622, denuntiari debent « omnes ..... Sacerdotes tam saeculares » quam .... regulares .... qui personas, » quaecumque illae sint, ad inhonesta, sive inter se, sive cum aliis quomodolibet perpetranda in acto Sacramentalis Confessionis, sive ante » vel post immediate, seu occasione, » vel praetextu Confessionis....etiam... » Confessione non secuta, sive extra » Confessionis occasionem, in Confessionario, aut in loco quocumque ubi » Confessionem audiendam electo, simulantes ibidem Confessiones audire, sollicitare, vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos et inhonestos sermones sive tractatus habuerint. » Et deinde subjungitur: « Mandantes omnibus Confessariis ut » suos poenitentes quos noverint fuisse » ab aliis, ut supra, sollicitatos, moneant de obligatione denuntiandi sollicitantes, seu.....tractantes etc. Inquisitoribus seu locorum Ordinariis etc. » Et si hoc officium praetermiserint, mandat Pontifex ut pro modo culpae puniantur.

In edicto autem generalis inquisitionis imponitur excommunicatio latae sententiae in non denuntiantes infra mensem omnes de haeresi suspectos, inter quos enumerantur Confessarii sollicitantes ad turpia.

Hic advertendum quod SS. P. *Benedictus XIV*, novissime, anno 1741, per Bullam *Sacramentum*, confirmavit, et quatenus opus est, denuo mandavit omnibus inquisitoribus et locorum universi Orbis christiani Or-

dinariis, ut inquirant et procedant contra omnes Sacerdotes sollicitantes cujuscumque dignitatis, praeeminentiae etc.-675.

Vide plura in Opere, n.676.etc.(*a*)(*b*).

§. II. - *De Jurisdictione Confessarii.*

Jurisdictio est auctoritas aliqua in

(*a*) *Nihilominus, de jure naturali, Superioribus sunt denuntiandi morum corruptores intra, sive extra Confessionem.* — (*b*) *Dicitur* I°. Omnes, et singuli Sacerdotes *etc. Est ergo denunciandus etiam Sacerdos non Confessarius ad turpia sollicitans. Patet etiam ex bulla Bened. XIV,* Sacramentum, *ubi dicitur sollicitantem esse denunciandum* « Etiamsi Sacerdos sit, qui jurisdictione ad absolutionem valide impertiendam careat. »-687. *in fin. et* 688, *pariter in fin.*

Dubit. I. An denunciandi sint Episcopi, Nuntii, Legati, vel officiales sedis Apostolicae sollicitantes in Confessione. Resp. Negant Mol., Mazzot., Pall., Escob., Trull. etc. *quia hi non sunt subjecti Inquisitoribus. Sed melius affirm.* Salm., Roncagl., Bon., Hurt. etc., *et quidem Pontifici, si id commode fieri possit, alias Inquisitoribus, quia hi licet non possint contra hujusmodi processum formare, et multo minus punire, possunt tamen ex* Extrav. cum Matthaeus de haeret. *informationem excipere, et hanc Pontifici significare.*-685.

Dubit. II. An sit denunciandus laicus, vel non Sacerdos sollicitans in confessione, simulans se confessarium. Resp. Non est equidem denunciandus ex vi citatae bullae Gregor. XV, cum id ibi non exprimatur, sed denunciari debet ex Constit. Gregorii XIII, ubi praecipitur denunciari quemcumque non Sacerdotem audientem Sacramentaliter confessiones. Et quidem stando ad dictam Constit., ut adsit obligatio eum denunciandi, videtur sufficere, quod confessionem exceperit, cum ibi dicatur, quod Inquisitores S. Officii procedere debeant in non Sacerdotes, qui missas celebrant, aut Sacramentaliter confessiones audiunt, et licet Mazzott., Potest., Pal., Escob. etc. *dicant requiri etiam ut absolvant, quia in edicto S. Inquisit. Gen. dicitur denunciandus esse, qui cum non sit Sacerdos Sacramentum ministrat, et non censetur Sacramentum poenitentiae ministrare, qui absolutionem non impertitur; tamen ex praefato edicto omnino est denunciandus licet non absolverit; dicitur enim ibi, quod tamquam de haeresi suspecti sint denunciandi* « Coloro, che non essendo ordinati Sacerdoti si usurpano di celebrar messa, ancorchè non abbiano profferite le parole della consecrazione, o abbiano presunto di ministrare il Sacramento della penitenza a' fedeli, ancorchè (*nota*) non sia venuto all' atto dell' assoluzione.-688.

Dubit. III. An denunciari debeat poenitens sollicitans Confessarium. Resp. cum communi, et veriore sententia negative, quia leges poenales non sunt extendendae de casu ad casum, neque hic currit eadem ratio, praecise ob suspicionem revelationis sigilli, si Confessarius poenitentem denunciaret.-689.

Dubit. IV. An sit denunciandus interpres, maxime si Sacerdos, qui poenitentem sollicitet. Resp. Affirmant aliqui, quia interpres non solum gerit partes poenitentis, sed etiam Confessarii, unde pariter ac Confessarius injuriam irrogat Sacramento. Sed negant communissime. Pal., Potest. etc.,

alium, ut subditum, in quem, in foro interno, Confessarius accipit potestatem distinctam a potestate Ordinis. Haec enim datur per Sacramentum Or-

quia interpres magis se habet ex parte poenitentis, quam Confessarii, et quia ex Bulla Gregor. cit. tantum Confessarii sollicitantes sunt denunciandi, et leges poenales non extenduntur praeter casus expressos. Ex Concin., Potest., Escob. etc. *tamen sunt denunciandi ex edicto S. Inquisitionis, ubi sunt denunciandi omnes de haeresi suspecti, et inter hujusmodi suspectos enumerantur omnes illi,* che abusino del Sacramento della Penitenza servendosi della confessione, o Confessionario a fini disonesti, sollecitandosi in essi i penitenti *ad turpia* ed avendo con essi discorsi di cose illecite, e non convenienti al fine per cui è stato istituito. *Jam vero interpres iste abutitur confessione poenitentis ad eum sollicitandum, vel cum eo tractandum de rebus inhonestis. Ergo* -690.

II. Personas, quaecumque illae sint etc. *hoc est sive feminae, sive mares, etiam si sint pueri, vel puellae rationis expertes. Solent enim parentes filios suos nondum rationis capaces Confessariis praesentare, ut eos, paulatim ad hoc Sacramentum alliciant. Ita* Potest. Mazzot., *tr.* 6. *d.* 2. *q.* 2. *c.* 5.

III. Ad inhonesta, etc. *scilicet si sollicitet ad res venereas, quod habetur, si quomodolibet turpiter agat, tangat, loquatur, vel provocet ad obscoena sive secum sive cum aliis, sive etiam ut mediet pro se, vel pro aliis. Constat ex bulla Benedicti XIV,* Sacramentum, 1. *Kal. Junii ann.* 1741. *et ex cit. bulla Greg. XV.*-677. *in fin. et* 691: *et probabilius etiamsi turpiter tangat feminam inter confitendum somno aut gravi morbo correptam, quia sic etiam tentat provocare.* Bon. aliique contra Jo. Sanch, et alios. *Imo licet tantum tradat chartam continentem obscoena postea legendam, ut constat ex prop.* 6. *damnata ab Alex. VII.* « Confessarius, qui in Sacramentali confessione tribuit poenitenti chartam postea legendum, in qua ad venerem incitat, non censetur sollicitasse in confessione, ac proinde non est denunciandus.-678. *in fin., et* 676*: Imo etiamsi famulo hujusmodi chartam det alteri tradendam, quia in confessione ponit medium aptum ad sollicitationem.* Mazzolt. *Denique si inhonestos sermones, vel tractatus habeat, etiam sine animo provocandi poenitentem ad turpia. Patet ex cit. Constit. Greg. XV.*

Dubit. I. An sit denunciandus Confessarius, qui in confessione poenitentem sollicitat non ad turpia, sed ad alia peccata. Resp. Affirmant aliqui tum quia in bulla Greg. XV dicitur denunciandus, qui habet cum poenitente illicitos, et inhonestos tractatus, *et to* illicitos *videtur comprehendere omnes alios actus culpabiles praeter materiam inhonestam. Idque videtur magis exprimi in edicto S. Inquis., ubi praecipitur denunciari, qui habent cum poenitentibus* « discorsi di cose illecite, e non convenienti al fine per cui il Sagramento della penitenza è stato istituito, » *tum denique quia in decreto Alex. VII habetur esse denunciandos omnes de haeresi, etiam leviter suspectos. Si igitur denunciari debet tamquam de haeresi suspectus qui sollicitat ad turpia, cur non etiam qui sollicitat ad alia crimina? Sed communissime, et probabilius negant* Mazzot., Pal., Holzm. etc. *quia nullibi habetur expressum hos sollicitantes esse denunciandos, odiosa enim sunt restringenda Et licet in bulla Greg. habeatur*

dinis et omni Sacerdoti, nec tolli potest; illa vero per externam concessionem Ecclesiae, nec omnibus Sacerdotibus, potestque ab iis tolli; ac nisi adsit, invalida est absolutio, ex *Tridentino.*

praeter verbum inhonestos *to etiam* illicitos, *tamen patet utrumque verbum eamdem materiam significare, et idem dic de edicto, hoc enim ad bullam se refert, aut certe referendum est.*-684.

Dubit. II. Si actus externus sollicitationis sit de se venialis, ut si manum, vel pedem feminae tangat, laudet de pulchritudine, etc. adest, necne, obligatio denunciandi? Resp. Affirmant Viv., Mazzott. etc. *cum communi, ut ait, quia licet haec extra Sacramentum forent venialia, tamen si fiant tempore confessionis sunt mortalia ob gravem injuriam Sacramento irrogatam, sicuti sumptio parvi cibi in die jejunii est de se leve peccatum contra temperantiam, et tamen esset grave, si fieret ante Communionem. Sed probabilius negant* Escob. etc., *quia ex una parte certum est, quod ad denunciandum Confessarium requiratur, quod actus sollicitationis sit peccatum grave, cum ipse denunciandus sit tamquam de fide suspectus. At nemo potest censeri suspectus de fide, qui tantum venialiter peccat. Ergo etc. Ex alia parte actus, qui in se levis est contra castitatem, nequit fieri gravis in Sacramento, alias quodlibet leve peccatum in materia veracitatis, patientiae, humilitatis, etc., evaderet grave in Sacramento, quod nemo asserit. Omnes tamen conveniunt, quod si ex circumstantiis certe conjiceretur, quod Sacerdos eo levi actu animum habuerit ulterius progrediendi, tunc censenda sit sollicitatio gravis, ideoque denunciandа.*-683.

Dubit. III. An denunciandus sit Confessarius, si sollicitationis verba, vel actus sint ambigui, et obscuri. Resp. Si persona Confessarii sit certa, et dubitetur an ejus factum vel dictum fuerit vera sollicitatio, ex communiori, et veriori sententia non adest obligatio denunciandi, tum quia dubia in meliorem partem accipienda sunt, tum quia in dubio nemo est privandus fama, quam possidet. Bullae vero denunciationem praecipientes intelligendae sunt de sollicitatione gravi, et certa. Excipe tamen 1. *si accedant talia indicia, quae licet non faciant rem evidentem, fundent tamen quamdam moralem certitudinem de sollicitatione.*- 2. *Si verba de se sollicitationem praeseferant, et dubitetur tantum, an Confessarius ad malum finem ea protulerit; nam tunc praesumptio desumitur ex communiter contingentibus.*-702.

Dubit. IV. An sit denunciandus Confessarius, quando factum, vel dictum sit vera sollicitatio, et tantum dubitetur, an ille, vel alius Confessarius id egerit, vel dixerit. Resp. Affirmative, quia dum crimen est certum, rite judices procedere possunt ad inquirendam personam, de qua dubium vertit.-*Sed hoc intelligendum casu, quo facile judices, adhibita diligentia, fieri possint certi de delinquentis persona, alias enim Sacerdos ille, cum possit esse innocens, remaneret aliquo modo diffamatus, et in dubio illaesa servari debet fama proximi, qui eam possidet.*-702.

Ex dictis infer 1. *Si Confessarius statim post confessionem dicat poenitenti* « Expecta me paulisper» *et post intervallum veniat, et sollicitet, sed prius habuerit cum eo de alio serio negotio tractatum, an sit denuncian-*

*

Duplex est jurisdictio, Ordinaria, et Delegata. Jurisdictio *ordinaria* est ea quam habent ii, qui ex vi proprii officii curam animarum habent, ut Pa-

dus, necne, judicandum ex circumstantiis, an probabiliter intenta fuerit sollicitatio, et negotium, si medium, an vero negotium principaliter, et sollicitatio per accidens.-676. *E contra est denunciandus, si dicat* « Expecta me hodie domi tuae, quia habeo tecum loqui», *et postea domi tractet de inhonestis, quia sollicitatio illa facta in domo dicitur moraliter facta in confessione. Ita recte* Potest.-704.

2. *Si Confessarius dicat poenitenti:* Tecum nuberem, si essem saecularis. Bordon. etc. *negant esse denunciandum, quia haec verba non important peccatum mortale, sed tantum pudicum affectum. Sed probabilius affirmant* Salm., Potest., Dian. etc. *quia haec verba videntur maxime excitativa ad venerem, et cum sint ad confessionem impertinentia, merito sapiunt sollicitationem.*-704.

3. *Si dicat mulieri:* Memento mei, quia te ex corde diligo, *an sit sollicitatio explorandum ex circumstantiis.*-704.

4. *Si dicat:* Haec tua peccata cadere me fecerunt in pollutionem involuntariam, *et tanto magis si dicat* voluntariam, *est denunciandus.* Roncagl., Potest., Bordon.-704.

5. *Si dicat:* Nolo te audire in confessione, ut aliquid mihi contingat, quia amore tui captus sum, *et hoc dicat mulieri petenti confessionem, est denunciandus, quia haec verba videntur esse provocativa ad inhonesta, et proferuntur occasiones confessionis.* Roncagl. etc. *Idem dicendum ex eodem, si dicat:* Totum me commovere sentio ex affectu, quo te prosequor.-740.

6. *Est etiam denunciandus, si Confessarius mulieri asserenti tentationem turpem dicat:* Sed si aliquis pecuniam dedisset, peccasses, *et hanc affirmative respondentem non objurgat, vel si objurgat, postea domi oblata pecunia sollicitat.* Roncagl., Potest. etc.-704.

7. *Si dicat:* Cur etiam mecum non es humana? *vel dicat:* Veniam in domum, et promitte mihi facere, quod voluero: *vel mulieri confitenti turpe desiderium dicat:* De hoc agemus post confessionem, *attendendae sunt circumstantiae.*-704.

8. *Demum est denunciandus, si suam concubinam objurget, quod cum alio se immiscuerit; et judicio prudenti faciat dignoscere objurgationem hanc procedere ex zelotypia, uti etiam si excedat in reprehendendo, addendo minas, injurias, etc., vel objurget tantum peccata commissa cum aliis, et non illa cum seipso, quia tunc ostendit amorem suum lascivum.*-704.

IV. In actu Sacramentalis etc. *Quatuor hic designantur casus sollicitationis denunciandae.* 1. Si fiat in actu Sacramentalis confessionis. *Non ergo ex communi DD. sententia est denuncianda sollicitatio facta in administratione aliorum Sacramentorum. Sufficit tamen si confessio sit incoepta, licet non perfecta.*-676. *et* 684-2. Ante, vel post immediate, *ita ut inter confessionem, et sollicitationem nihil aliud mediet, quo se uterque diverterit. Unde si extra Confessionale impudice loquantur sine ulla intentione praevia confessionis, et postea poenitens tactus conscientia confessionem postulet, non tenetur denunciare, quia per accidens sequuta est*

pa, Episcopus, Parochus; Archiepiscopi erga subditos suorum Episcopo- rum, sed tunc tantum quando actu visitant; Archipresbyteri, Archidiaconi,

confessio. Similiter si post absolutionem alio externe divertant, et Confessarius postea sollicitet extra confessionale, non videtur denunciandus. Pal., Mazzot. etc. - 677. *E contra est denunciandus si statim post confessionem ducat puerum in cubiculum, et sollicitet, quia tunc statim ponit, si non solticitationem, saltem illius medium.* Roncagl., Potest., Dian. etc. 677. - 3. Occasione, vel praetextu confessionis. *Dicitur* occasione *confessionis, quando Confessarius, vel poenitens invitat ad confessionem veram;* praetextu *autem, quando ad confessionem fictam. Hinc* 1. *occasione confessionis denunciandus est Confessarius, qui rogatus ad confessionem divertit, et sollicitat, esto nondum sederit, nec mulier fuerit genuflexa. DD. communiter.* - 678.

Dubit. 1. *An denunciari debeat Confessarius, qui rogatus a femina, ut cras ejus confessionem excipiat, eam sollicitat. Resp. Negant* Pal., Quarti, Leand. etc., *quia talis sollicitatio non est proxima confessioni faciendae, sed potius conventioni de confessione facienda. Sed affirmant* Mazzot., Concin., Potest. etc., *quia jam verificatur sollicitasse occasione confessionis.* - 678.

Dubit. II. An denuntiari debeat Confessarius, qui ob auditam in confessione mulieris fragilitatem, postea domi eam sollicitaverit. Resp. Negant Salm., Trull., Leand., et Auctor Istruz. per li nov. Confessori, etc., *quia is non utitur tunc occasione confessionis, sed notitia ex illa habita. Sed probabilius affirmant* Mozzot., Roncagl., Concin., Potest. etc., *quia cum sollicitatio impulsum habeat a confessione, satis verificatur, quod occasione confessionis fiat sollicitatio.* - 678.

2. *Praetextu confessionis denunciandus est Confessarius, qui ex pravo fine ficte invitat mulierem ad Confessionem, et deinde sollicitat. Si vero Confessarius vadit ad sollicitandam feminam petendo licentiam a suo Superiore sub praetextu confessionis, merito dicunt* Salm., Roncagl. etc., *non esse denunciandum, quia tunc praetextus confessionis non est respectu poenitentis, sed Superioris* - 679. *An autem denunciari debeat Confessarius, qui cum muliere convenit, ut ad eludendos domesticos se fingat aegrotam, et ipsum accersat domum ad patrandum peccatum.* Resp. *Affirmant* Conc., Fagund. etc., *quia praetextus confessionis jam videtur satis manifestus. Sed distinguendum. Si Confessarius extra confessionem sollicitaret, et femina consentiret, et ad eludendos domesticos ita convenirent, non esset denunciandus, quia tunc non verificaretur quod Confessarius sollicitaret praetextu confessionis, sed tantum quod praetextu confessionis peccatum exequeretur. Et tamen minus contra* Concin, etc., *esset denunciandus Confessarius, si mulier nulla conventione praemissa, praetextu confessionis ipsum advocaret, et sollicitaret, quamvis deinde rem haberent, quia ex bulla tunc Confessarius denunciari debet, quando ipse sollicitat praetextu confessionis, non vero quando poenitens ipsum sollicitat tali praetextu. Secus vero dicendum si Confessarius extra confessionem sollicitaret, et femina renueret timens diffamationem, et ideo Confessarius ei suaderet, ut fingens se aegrotam eum accerseret ad peccandum, quia tunc*

Praelati, Religionum, Vicarius perpetuos Episcopi, vel etiam Parochi. 557.

Jurisdictio *delegata* dicitur, quae legitime datur ab habente ordinariam,

vere diceretur Confessarius praetextu confessionis sollicitare feminam ad praestandum consensum. Idem dicendum si Confessarius advocetur a matre puellae, ut filiae confessionem excipiat, et ipse ad cubiculum accedens puellam interroget, an velit confiteri, vel dicat se advocatum fuisse ad audiendam ejus confessionem, et deinde sollicitet, quia tunc sollicitaret praetextu confessionis.-679.

3. *Si fiat in confessionali, quod scilicet construi solet ex tabulis ligneis cum lamina perforata aut loco quocumque ubi confessiones Sacramentales audiuntur, quale est genuflexorum in Sacristiis pro praeparatione Sacerdotum ad missam, ubi etiam confessiones audiri solenti, seu ad confessionem audiendam electo, scilicet hic et nunc ex placito Confessarii, et scamnum, domus*, etc. Simulantes ibidem confessiones audire, etc. *Conveniunt DD. quod in his duobus postremis locis pro denunciando sollicitante Confessario requiratur ut simuletur confessio.*

Dubium ergo vergit. An sit denunciandus Confessarius, qui sollicitat, vel tractat turpia in Confessionario, quin tamen confessionem simulet. Negant Pal., Escob., Roncagl., Salm. etc., *quia dicunt to* simulantes, *cum simus in odiosis, est extendendum ad omnia tria dicta loca. Sed probabilius affirmant* Mazzot., Potest., Trull etc. 1. *ex decreto Pauli V* 10. *Julii* 1614. *ubi dicitur:* «In Generali Congregatione S. R. et universalis Inquisit. coram SS. Paulo PP V, facta relatione, quod multi Confessarii tractant cum mulieribus in confessionali extra occasionem confessionis de rebus inhonestis, Sanctissimus decrevit, ut contra hujusmodi Confessarios procedatur in S. Officio. *Cum ergo in hoc textu nulla mentio fiat de simulatione confessionis, dicendum sufficere ut Confessarius denuncietur, quod ipse in confessionali de turpibus tractet, quin simulet confessionem. II. ex edicto S. Inquisit. Romanae ubi dicitur:* «Debbano denunciare ciascuno di coloro, dei quali sappiano, o abbiano notizia, che contro i decreti, e Costituzioni Apostoliche abbiano abusato del Sacramento della confessione, o Confessionario (*nota*) a fini disonesti, sollecitando in essi i penitenti *ad turpia*, ed avendo con essi discorsi di cose illecite, e non convenienti al fine per cui è stato istituito.-680.

V. Mandantes omnibus Confessariis etc. *Ex quibus verbis eruitur teneri Confessarios sub gravi monere poenitentem ab alio sollicitatum de denunciatione facienda, ita ut si culpabiliter non moneat, aut positive deobligat, puniri possit ab Ordinariis locorum, et ab Inquisitoribus, et incurrat etiam excomm. reservatam, aliasque poenas latas contra non monentes, aut deobligantes a denunciando haereticos, vel quomodolibet suspectos de haeresi.* Potest etc. *ex bulla Alex. VII,* Licet alias, *anno* 1660. *confirmante ampliative bullam Pauli V,* Romanus, *anno* 1606. Mazzott. *Et quidem monere debet etiamsi certo praevideat monitionem non esse profuturam, quia ipsi Confessario expresse id praecipitur a Pontifice Gregor. XV. Et licet generaliter loquendo omittenda sit monitio, quando non est profutura, hoc tamen non currit in praesenti casu, ubi agitur de vitando damno communi.*-694. *v. Praenot. II. etc. Quod si Confessarius sit idem, qui sollicitavit, tunc si potest seipsum deferre ad Inquisitores, vel Ordinarium*

idque vel tacite vel expresse, ut a Papa pro tota Ecclesia, ab Episcopo pro Dioecesi, a Parocho pro Parochia, hoc discrimine, quod Papa possit dare,

antequam denuncietur a poenitente, tenetur monere poenitentem de denunciatione facienda, quia sic sibi non nocet, cum omnem poenam declinet. Si autem id facere nequeat, non tenetur monere contra se, ast poenitens idcirco non declinabit obligationem suam. Mazzott.

VI. De obligatione, *etc. Obligatio denunciandi Confessarium sollicitantem urget I. personam sollicitatam, seu mas sit, seu femina, quae absolvi nequit nisi prius denunciet. Quod si adsit impedimentum statim denunciandi, absolvi poterit, dummodo sit parata id exequi quamprimum poterit, et ipsi credi possit. Ita ex bulla Bened. XIV,* Sacramentum *cit. ubi ait:* « Caveant diligenter Confessarii, ne poenitentibus, quos noverint jam ab alio sollicitatos Sacramentalem absolutionem impertiant, nisi prius denunciationem ad effectum perducentes delinquentem indicaverint competenti judici, vel saltem se quamprimum delaturos spondeant, ac promittant. » - 693. *III. Qui talem sollicitationem vidit, vel propriis auribus audivit. III. Qui scit auditu immediato ex dicto ipsius sollicitantis, aut sollicitati, dummodo sint fide digni, idque etiamsi id sciverint sub secreto naturali, et jurato, nisi vero secretum sit commissum, ex consilio scilicet petito, cum consilium inductum in favorem non sit retorquendum in detrimentum.* Potest. etc. 698. - *Qui autem scit auditu mediato, nempe a tertia persona, etiam fide digna, excusatur a denunciando a* Bordon. etc., *quia* L. 2. ff. De aqua pluv. *de* auditu mediato *dicitur:* Quod audis nescire diceris, *sed non excusatur a* Potest., Bon. etc., *quia dat viam inquirendi in causa fidei, et colligitur ex edicto S. Inquis. Univers. ubi habetur:* Qui scierit, vel audierit. Mazzott. etc. - 695.

Quaer. I. Cui fieri debeat hujusmodi denunciatio. Resp. Fieri debet judicialiter S. Officio, ubi est, aliter Ordinario vel loci delicti vel loci delinquentis, vel loci denunciantis, et quidem nulla praemissa correctione fraterna, utpote in causa fidei ex cit. bulla Alex. VII, Licet alias. 701. *Item ex decreto S. Inquisit. Gen. anno* 1667. *fieri debet intra mensem sub poena excomm. latae sententiae, et Papae, et S. Officio reservatae, uti dictum est supra. An vero haec excomm. sit reservata etiam post denunciationem peractam, probabilius negandum, quia de hac reservatione non constat.* - 693.

Quaer. II. Quinam sollicitantes excusentur, et qui non ab hac denunciatione. Resp. I. Non excusatur 1. *ipse sollicitatus per hoc quod confiteatur cum sollicitante, et hic eum absolvat absque onere denunciationis, ut patet ex prop.* 7. *ab Alex. VII damnata:* Modus evadendi obligationem denunciandae sollicitationis est si sollicitatus confiteatur cum sollicitante: Hic potest eum absolvere absque onere denunciandi. - 2. *Neque excusatur, qui sollicitationem probare non potest. DD. communissime. Patet tum ex praxi Inquisit., tum ex verbis hujus Constitutit., ubi dicitur* testibus etiam singularibus. - 695. - 3. *Neque excusatur si femina sollicitata sit complex turpitudinis. Patet ex bulla cit. Bened. XIV,* Sacramentum, *ubi ait teneri denunciari* sive sollicitationi poenitens consenserit, sive non: 1. *esto non debeat talis femina suum consensum prodere, nec de eo interrogari, nec*

invitis Episcopis et Parochis ; non contra.-557.

Quaeritur 1. An Vicarius Generalis Episcopi habeat jurisdictionem ordina-

in actis Curiae scribi, etiamsi a complice confessario manifestaretur. 700.-4. *Neque excusatur ex eadem bulla Bened. si sollicitatio fuerit habita a longo tempore.* 697.-6. *Neque si crimen sit occultum, alias haec lex denunciationis redderetur fere semper inutilis.* 696.-6. *Neque excusatur, si Confessarius fuerit satis convictus, et punitus, et denuo sollicitet; vel si de sollicitatione non fuerit plene convictus.* 687.-7. *Demum probabiliter neque excusatur si Confessarius sit emendatus, quia Pontifex magis quam emendationem, punitionem rei intendit ad terrorem aliorum, et ad resarciendum scandalum.*-687.

Resp. II. Sollicitatus excusatur a denunciatione, si adsit impotentia physica, vel moralis. Hinc si ob aegritudinem, clausuram, aliudve impedimentum non possit quis personaliter ad judicem accedere, ad id non tenetur. Sed in hoc casu, licet Sanch., Azor., Henriq. etc. *dicant non teneri poenitentem denunciare per litteras, quia hae amitti possunt, neque per internuncium, quia apud hunc infamaret Confessarium, tamen absolute dicendum teneri monere judicem per internuncium, ut mittat domum Notarium, et aptior nuncius esse potest aliquis Confessarius, cui etiam judex committere potest, ut denunciationem recipiat in scriptis cum juramento, et subscriptione denunciantis ex decreto S. Congregationis jussu Urbani VIII anno* 1624., *quia obligatio denunciandi sollicitantem non tam est adeundi personaliter Superiorem, quam indicandi ei delinquentem, et hic agitur de causa fidei. Non expedit tamen, quod Confessarius assumat in se hoc onus deferendi denunciationem vice poenitentis, vel eam excipiendi, quia sic non paucis detractionibus, et periculis exponeretur, et tanto minus ad id tenetur, nisi in aliquo casu raro, puta si alicubi publicum immineret damnum, nec alia pateret via ad illud vitandum.*-699. *Neque tenetur denunciare si ex denunciatione immineat damnum notabile, puta jactura famae, honoris, vitae, aut magnae partis bonorum sibi, vel suis consanguineis, et affinibus, quia sollicitans non est haereticus formalis, sed suspectus de haeresi, ideoque praeceptum denunciationis non obligat cum tanto onere.* Lezan. etc. *qui idcirco docent non teneri, quando Confessarius sollicitans sit usque ad 4. gradum conjunctus personae sollicitatae, cum damnum illius censeatur proprium.*-*de praecept. partic.* 250. *Cum probabiliori contra* Salm. etc. *excusatur quis pariter, si sollicitans sit mortuus, cum tunc cesset adaequatus finis legis, scilicet rei emendatio, et punitio ad differentiam haeretici formalis, quem tenemur denunciare etiam post illius mortem ad reparandum saltem damnum ab eo illatum.* 692. *Item probabiliter contra* Mazzott., Potest., Concin. etc. *excusatur mulier, quae Confessarium sollicitavit, et hic consensit, quia ex cit. bulla Gregorii Confessarii monere debent de obligatione denunciationis, non jam quoscumque poenitentes, qui cum Confessariis inhonestos tractatus habuerint, sed eos tantum, quos noverint fuisse ab aliis sollicitatos.*-681.-*Et sic non erit denunciandus Confessarius sollicitatus ad copulam, qui renuat, et divertat ad solos tactus, quia sollicitans ad copulam virtualiter et ad tactus sollicitat.*-*Secus vero si sollicitatio*

riam etiam in foro Sacramentali, ita ut possit Confessionem audire, et aliis audiendi facultatem concedere?

R. Prima sententia negat. Secunda tamen *verior* et *communior affirmat;* quia Vicarius Generalis, posita nominatione Episcopi, jurisdictionem habet ordinariam tam in civilibus, quam in spiritualibus, non jam ab Episcopo, sed a Canone, cum faciat ipse unum tribunal cum Episcopo. - 558.

Quaeritur 2. An delegatio expiret morte delegantis?

R. Distingue delegationem generalem a particulari. 1. *Communis* est sententia et praxis quod delegatio generalis a Papa non extinguitur per ipsius mortem, nisi concessio facta fuerit hoc modo: *usque ad beneplacitum nostrum:* vel, *ad arbitrium nostrae voluntatis*, et simile. Delegatio autem generalis ab Episcopo, alii sentiunt quod ejus morte extinguatur, si nondum Confessio coepta sit. Alii censent non extingui donec revocetur a successore, vel praefixum tempus labatur; ita *communius* et *probabilius Sanch. etc.* Et hoc firmatur ex praxi,

fuerit mutua, scilicet si Confessarius ad unam turpitudinis speciem sollicitatus, ad aliam divertat in prima non contentam, v. g. sollicitatus ad sodomiam divertat ad fornicationem, vel contra, aut etiam si Confessarius sollicitatus prius dissentiat, vel sermonem divertat, et deinde post aliquod intervallum sollicitet, uti patet ex cit. bulla Bened. - 681 *et* 682. - *Excusatur demum, qui scit ab illo sollicitato, qui jam denunciavit, sua enim denunciatione nihil adderet. Secus vero si fuerit testis oculatus, aut auditus, aut si audisset ab ipso sollicitante, nisi sollicitans se ipsum detulerit apud judicem.* Mazzott. etc.

Si femina sollicitata induci nequeat ad denunciandum, tunc videndum 1. *An possit opinionibus benignis, vere tamen, et solide probabilibus, liberari.* 2. *Si non potest, S. Congregatio Inquisit., annuente Pontifice Urbano VIII, decrevit in epistola ad Archiep. Mediolan., ut Episcopus, vel Inquisitor tribuat Confessario facultatem accipiendi denunciationem in scriptis, et sub juramento, quam statim deferat ad judicem competentem.* 3. *Si neque ad id possit poenitens induci, voluit Pontifex, ut ad S. Sedem recurratur pro opportuno remedio, et interim poenitens, utpote indispositus, non absolvatur, ita aliquando S. Sedes rescripsit dando facultatem absolvendi pro ea vice citra onus denunciandi.* Mazzott. - 699. *in fin.*

Porro poena contra sollicitantem, ultra dictam denunciationem, de jure communi ex bulla Bened. XIV, In Generali Cong., *est perpetua inhabilitas ad sacrificii celebrationem, dummodo tamen sollicitaverit vel in actu Sacramentalis confessionis, sive illius occasione, aut praetextu. - Ast haec inhabilitas incurritur tantum post sententiam declaratoriam criminis, cum haec sententia requiratur etiam quoad poenas privativas, vel inhabilitantes casu, quo reus non possit poenam exequi absque propria infamia, prout in casu nostro ordinarie eveniret, si Confessarius sollicitans deberet per longum tempus se abstinere a celebrando. - Dico per longum tempus, nam si de brevi posset impetrare dispensationem, et interim sine infamia celebrationem intermittere, deberet utique ab ea abstinere Episcopus autem, cum ex cap.* Liceat. *Concil. Trid. possit dispensare in omnibus irregularitatibus occultis ex delicto, excepto homicidio voluntario, bene poterit et ab hac inhabilitate dispensare.* - 705. (E. N.)

et regula generali quod gratiae factae non expirant finita jurisdictione concedentis. 2. Si vero delegatio fuit in particulari, scilicet, de audienda alicuius tantum Confessione, recte *Salm.* tenent quod expirat morte concedentis, nisi Confessio fuerit incoepta. - 559.

Quaeritur 3. An qui habent potestatem delegatam, possint eam alteri subdelegare?

R. Negative; quia diversa est potestas utendi jurisdictione, et eam delegandi. Excipitur nisi hoc ipsum concessum sit; vel nisi quis sit delegatus ad universitatem causarum, quamvis non a Principe, quod fit duplici modo. 1. Cum ei committitur aliquod officium, cui annexa est jurisdictio; idque currit etiamsi officium non sit proprium, sed Vicarii, v. g. Viceparochi, seu vicerectoris pro Parocho absente; aut non adhuc sacerdote; hujusmodi delegatus bene potest jurisdictionem suam subdelegare, non quidem totam, sed pro una vel altera causa, ut *communiter* DD. docent. 2. Cum alicui delegatur non officium, sed jurisdictio, velut privilegium perpetuo annexum suo officio aut dignitati: tunc enim talis jurisdictio reputatur tanquam ordinaria. Vide *Tract. de Leg., num.* 193-566.

Nota. Valide absolvit is qui audit Confessiones, praesente vel sciente et non contradicente Ordinario, v. gr. Episcopo, cui constat eum aliunde non habere jurisdictionem; quia tunc praesumitur tacite eam dare; sed non sufficit praesumptus Episcopi consensus de futuro, sive ratihabitio, quods cilicet quando resciverit, futurus sit contentus, quia consensus futurus non dat jurisdictionem pro tempore praesenti quo datur absolutio. - 570.

Quaeritur 4. An haeretici, schismatici, et excommunicati vitandi possint absolvere in articulo mortis, si alius desit?

R. Prima sententia affirmat, et hanc tenent *Nav., Sanch. etc.*, et illam probant ex Concilio *Trid.*, quod sic habet: « In Ecclesia Dei custodi» tum semper fuit, ut nulla sit reser» vatio in articulo mortis; atque ideo » omnes Sacerdotes quoslibet poeni» tentes a quibusvis peccatis et cen» suris absolvere possint. » *Secunda* vero *sententia sequenda negat;* et hanc tenet *S. Thomas.* Ratio, quia Concilium minime loquitur de simplicibus Sacerdotibus, sed de carentibus jurisdictione in casus reservatos: qua non carere declarat in articulo mortis. Hoc tamen non obstante, recte dicit *Cont. Tourn.* quod in hoc casu bene poterit Sacerdos haereticus, vel excommunicatus vitandus, absente alio, absolvere moribundum sub conditione; quia in extrema, vel urgenti necessitate, ex *communi* sententia DD., ut diximus num. 482, licitum est uti opinione adhuc tenuis probabilitatis (*a*). Imo, addit *Cont. Tourn.*, quod sicut olim *communis* erat secunda sententia, hodie *communis* est inter DD. prima affirmativa; ex illis enim verbis Concilii: « Ne hac occasione aliquis pereat » satis eruitur intentio Ecclesiae, quod in casu necessitatis bene possit vitandus moribundum absolvere. Praeterea refert idem *Cont. Tourn.* quod, hoc dubio delato ad *Innoc. XI*, hic Pontifex praecepit non amplius dubitandum de veritate primae sententiae affirmativae. - 560.

Quaeritur 5. An quilibet Sacerdos possit absolvere a quibuscumque peccatis, et censuris, non solum in articulo, sed etiam in periculo mortis?

(*a*) *Nunc dicimus haereticum, schismaticum, aut excommunicatum vitandum, posse absolvere eos qui sunt in periculo mortis, si alius desit.* - *Ex quaest. ultimis refor. Quaerit.* - 9.

R. Negant Soto etc. Sed *verius* et *communius affirmant Suar. etc.*; quia in hac materia pro eodem accipitur articulus et periculum. Tale autem periculum censetur adesse in praelio, in longa navigatione, in difficili partu, in morbo periculoso, et similibus. Idem de eo qui est in probabili periculo incidendi in amentiam. Idem de captivis apud infideles cum exigua spe libertatis, si credantur nullos alios Sacerdotes habituri. - 561.

Quaeritur 6. An Sacerdos simplex possit poenitentem absolvere moribundum, etiam praesente Confessario approbato?

R. Prima sententia communissima negat; et hanc tenent *Sanch., Suar. etc.* Ratio, quia Ecclesia non ei confert jurisdictionem, nisi quando deest copia Confessarii approbati, *ne aliquis pereat.* Ita *Tridentinum. Secunda* vero *sententia affirmat;* et hanc tenent *Sa, Nav. etc.* Ratio, quia a Concilio videtur indistincte concessa omnibus Sacerdotibus potestas absolvendi tempore mortis ad salutem animarum faciliorem reddendam. Hoc non obstante, puto non recedendum a prima sententia, ob auctoritatem Catechismi Romani, qui sic tenet. - 562.

Adverte tamen, quod *probabiliter* simplices Sacerdotes possunt absolvere tempore mortis, etiam praesente Confessario approbato, in sequentibus casibus: 1. Si approbatus nollet, vel non posset audire Confessionem: quia tunc idem accideret ac si deesset; ita *communiter Sanch. etc.* 2. Si approbatus sit nominatim excommunicatus, vel suspeneus: quia tunc praeferendus est simplex Sacerdos. *Sanch., Suar. etc.* 3. Si approbatus esset alienae Dioecesis; quia iste respectu ad infirmum, minime dicitur approbatus: ita *probabilius Lugo etc.* 4. Si moribundus ita horreret manifestare sua crimina Confessario approbato, ut esset in periculo confitendi sacrilege. 5. Si Confessarius approbatus superveniat, jam incoepta Confessione cum Sacerdote simplici, quia tunc compleri debet judicium jam inceptum. 6. Si Sacerdos approbatus fuerit complex infirmi in peccato turpi juxta dicta n. 553.

Quaeritur 7. An, praesente Superiore, possit quivis Confessarius moribundum absolvere a peccatis, et censuris reservatis?

R. Sic distinguendum; quoad peccata reservata, *verius* puto bene posse inferiorem ab eis absolvere, quia in articulo mortis omnis cessat reservatio, *ne hac occasione aliquis pereat,* ut declaravit *Tridentinum.* Secus vero dicendum censeo quoad censuras reservatas, quia poenitenti ipsis innodato tenetur Confessarius carens facultate imponere ut, elapso periculo mortis, se praesentet Superiori. Vide n. 585. Ergo si infirmus potest illi tunc ante absolutionem se sistere Superiori, utique tenetur prius absolutionem a censuris obtinere, ut deinde possit a peccatis absolvi.

Quaeritur 8. An occurrente periculo mortis, in casibus Pontifici reservatis, si non possit adiri Pontifex, adeundus sit Episcopus?

R. Prima sententia, quam tenent *Suar. etc.*, distinguit et dicit, quod si casus sit occultus, tunc omnino adiri debeat Episcopus, quia Episcopi jure ordinario possunt absolvere a reservatis occultis ex concessione *Tridentini.* Secus vero, si casus esset publicus. Sed contradicunt *communius Nav. etc.*; quia omnes casus a Papa reservantur propter censuram, et censurae reservatae nequeunt ab inferiori absolvi, praesente Superiore, ut mox. Sed hoc non obstante, non puto *improbabilem* primam sententiam.

Quaeritur 9. An quilibet Confessarius possit absolvere moribundum a

censuris reservatis, si possit peti facultas a Superiore per litteras, vel internuntium?

R. Prima sententia negat; et hanc tenent *Bon., Suar., Lugo, etc. Secunda* vero *sententia communior* et *probabilior affirmat;* et hanc tenent *Az., Spor. etc.;* tum quia adest in hoc casu periculum manifestationis; tum quia impeditus dicitur quicumque est aliquo praepeditus impedimento quominus Pontificem adire possit. - 563.

Quaeritur 10. An Fideles possint confiteri cuique approbato, etiam tempore Paschatis?

R. Affirmative: idque fuse probat *Bened. XIV;* et hoc etiam invito Parocho. Illud autem quod dicitur in *C. Omnis de Poenit.*, nempe, quod Fideles debeant confiteri semel in anno proprio Sacerdoti, intelligendum, omni Sacerdoti ab Ordinario approbato. Et hoc, saltem ex praesenti universali consuetudine, hodie certum est, quidquid antiqui aliter dixerint; dum pro Sacerdote *proprio*, ut declaravit *Clemens XIII*, et *Clemens X* in bulla *Suprema*, intelligitur de quocumque Confessario approbato. - 564.

Quaeritur 11. An peregrini possint absolvi a Sacerdote approbato loci, quin habeant ibi domicilium, vel quasi domicilium?

R. Communiter docent DD. peregrinos, spectata consuetudine, et tacito consensu Episcoporum, posse confiteri cuilibet approbato in loco ubi reperiuntur. Ita *Palaus, Lugo, Conc. etc.* Limitant tamen praefati Auctores, dummodo ipsi peregrini ex industria non discedant e proprio domicilio, ut extra confiteantur. Sed *Tam., Mazz. etc.*, *verius* dicunt quod praedicta limitatio non est necessario servanda, ex illa regula generali juris, quod nullus videtur fraudulenter agere qui utitur jure suo. Idem dicendum, recte sentiunt praefacti Auctores, pro implenda Confessione praecepti Paschalis. Vide supra n. 564. Et de hoc hodie non est amplius dubitandum ex praesenti consuetudine universali. - 569.

Quaeritur 12. Utrum, stante errore communi, suppleat Ecclesia jurisdictionem in Sacramento Poenitentiae?

R. 1. Si error communis est cum titulo colorato sive putativo, certum est apud omnes ab Ecclesia conferri jurisdictionem. Ita *Sanch., Antoine etc.* Ratio, quia ex benigna interpretatione praesumitur eo casu pia mater Ecclesia ob bonum animarum supplere jurisdictionem. Bene tamen advertit *Sanch.* quod, ut Ecclesia suppleat, non sufficit titulus fictus, sed requiritur titulus, qui licet sit tantum putativus, quia forte est ex aliqua causa invalidus, attamen sit revera collatus a legitimo Superiore, etsi huic vetitum sit aliunde titulum illum conferre. 2. Si vero error communis sit sine titulo, adest duplex sententia. *Prima affirmat.* Ratio, quia Ecclesia pro bono fidelium praesumitur jurisdictionem supplere. *Secunda vero sententia communior negat* sufficere solum errorem sine titulo. Ratio, quia Ecclesia non praesumitur in hoc casu velle supplere jurisdictionem, eo quod inde maius proveniret damnum fidelibus quam utilitas; cum plures Sacerdotes impii ex hoc occasionem sumerent simulandi se Confessarios, et fideles seducerent, haereses et errores disseminando. Sed haec ratio non omnino convincit: nam hic Sacerdotes impii possent, etsi Ecclesia eis deneget jurisdictionem, errores disseminare; et ex altera parte, fideles ob invaliditatem suarum Confessionum evidenti periculo perditionis exponerentur. Unde merito primam sententiam *probabilem* putant Card., *Viva etc.* Et ideo *probabiliter* dicunt non esse obligandos fideles ad repetendas Confessiones bona fide factas

apud Sacerdotem, qui ex communi errore Confessarius reputabatur. - 572.

Quaeritur 13. An liceat administrare Sacramentum Poenitentiae cum jurisdictione praesumpta?

R. Affirmative, quando quis audit Confessiones praesente vel sciente, et non contradicente Ordinario, cui constat aliunde eum non habere jurisdictionem, quia praesumitur tacite eam donare; praesumptio ergo debet esse fundata in signis, et non sufficit consensus revera internus. - 570.

Quaeritur 14. An liceat administrare Sacramentum Poenitentiae cum jurisdictione dubia?

R. Negative; dicunt tamen *probabilius Holz. etc.* sufficere ad absolvendum cum jurisdictione dubia sequentes causas: 1. Si urgeat periculum mortis. 2. Si urgeat praeceptum annuae Confessionis. 3. Si poenitens deberet celebrare vel communicare, et alias infamiae notam incurreret. 4. Addunt *Salm.* si Sacerdos teneretur celebrare ex obligatione; sed vide n. 432. *Probabiliter* autem censent *Suar. etc.*, in his casibus poenitentem non teneri ad Confessionem, sed tantum ad contritionem, quia semper eget, etiamsi confiteatur. Vide notam designatam littera *a* positam n. 432. (*a*).

Quaeritur 15. An liceat administrare Sacramentum poenitentiae cum jurisdictione tantum probabili?

R. Adsunt tres sententiae. *Prima negat.* Ratio, quia non licet exponere Sacramentum periculo frustrationis. *Secunda* vero *communis* docet licitum esse absolvere cum probabili jurisdictione, modo opinio sit vere probabilis, gravi fulcita ratione et auctoritate. Ratio prima, quia error communis, etiamsi non adsit titulus coloratus, praebet jurisdictionem, modo opinio ab omnibus teneatur ut probabilis. Ratio secunda, quia in Ecclesia adest universalis consuetudo fere omnium Confessariorum absolvendi cum jurisdictione probabili, ut testantur *communiter Suar. etc. Tertia sententia,* quam amplector, dicit licitum quidem esse ministrare hoc Sacramentum poenitentiae cum jurisdictione probabili, sed non nisi quando adest causa gravis necessitatis, magnae utilitatis, ut ajunt *Elbel etc.*, vel causa rationabilis, ut ajunt *Suar. etc.* Ratio hujus limitationis est, quia licet Ecclesia eo casu ob bonum animarum bene censeri possit jurisdictionem supplere, attamen non praesumitur, nulla justa causa accedente, velle connivere merae libertati Sacerdotum.

Nota. Hujusmodi causa censetur adesse in sequentibus casibus: 1. Quando poenitens indiget auxilio, sive consilio illius Confessarii. 2. Si complex peccati poenitentis sit notus apud Confessarium, qui certa pollet jurisdictione, et ignotus apud Confessarium habentem solum probabilem. 3. Si Confessarius, qui habet jurisdictionem probabilem, prudenter timeat poenitentem non facturum confessionem integram apud eum, qui certam habet. 4. Addit *Spor.* ne poenitens incidat in aliquam aversionem, vel damnosam suspicionem Confessarii certi. 5. Si urgeat praeceptum Confessionis, aut singularis indulgentia lucranda; vel quia diu quis non poterit confiteri. - 673.

Quaeritur 16. Cuinam debeant confiteri Religiosi?

R. Debent confiteri Sacerdotibus sui ordinis a Superiore designatis, nisi

(*a*) *Caeterum, in casibus allatis dicunt AA. citati posse Confessarium conditionatam dare absolutionem,* si possum. *Advertunt Suar. etc., expedire tunc quod poenitens se accuset de aliquo peccato veniali ut directe ab illo absolvatur, et indirecte ab aliis.* - *H. n.* 84.

habeant facultatem extraordinariam a Superiore concessam. - 574.

Quaeritur 17. Cuinam Religiosi peregrinantes debeant confiteri?

R. Religiosi peregrinantes, si habent socium sui Ordinis, debent ipsi confiteri, modo socius ille sit idoneus, si vero desit socius, vel alius Confessarius idoneus sui Ordinis, bene possunt, ex praesumpta licentia Praelati, confiteri alteri Sacerdoti idoneo regulari vel saeculari. Haec est sententia *communis*.

Quaeritur 18. Utrum Religiosi peregrinantes possint confiteri Sacerdoti saeculari etiam non approbato?

R. Negant Wigandi, etc. Alii vero *communissime* et *verius affirmant* (exceptis Capucinis, qui ex bulla *Bened. XIV* debent confiteri approbatis); et probatur ex concessionibus *Sixti IV*, et praesertim *Innoc. VIII*. Advertendum tamen quod facultas quam habent Religiosi itinerantes confitendi cuicumque Sacerdoti idoneo, non habet locum respectu casuum reservatorum. - 575.

Quaeritur 19. Cuinam confiteri debeant Moniales?

R. Confiteri debent Sacerdoti particulariter designato ab Episcopo, sive sint exemptae sive non; ex *Gregorio XV*, *Innoc. XIII*, et *Ben. XIV*; et hoc etiam pro Confessione venialium, ut declaravit S. C.

Quaeritur 20. An Monialibus concedi debeat aliquando Confessarius extraordinarius?

R. Affirmative; et hic ex bulla *Bened. XIV*, *Pastoralis*, nota sequentia: 1. Quod si superior vel Episcopus negligant dare Confessarium extraordinarium, nihil aliud Monialibus conceditur, quam ad Poenitentiarum recurrere. 2. Quod Moniales, etsi non teneantur extraordinario confiteri, tenentur tamen ei se sistere, ad audienda monita salutaria. 3. Quod Episcopi hoc idem observent cum Conservatoriis. 3. Quod in articulo mortis cuilibet postulanti concedatur ad Episcopo Confessarius particularis; et si Monasterium sit exemptum, non concedente Praelato regulari, assignetur ab Episcopo Confessarius particularis; et si Monasterium sit exemptum, non concedente Praelato Regulari, assignetur ab Episcopo, vel recusante etiam Episcopo, a Poenitentiario majori, si tempus suppetat. 5. Quod si aliqua Monialis renuat confiteri Confessario Ordinario, deputetur ei alius ab Episcopo pro certis vicibus, et si Monasterium sit exemptum a Praelato regulari, et ipso recusante, concedatur ab Episcopo, vel Poenitentiario majori. 6. Hortatur autem Pontifex Episcopos ne difficiles ad peculiaribus Monialibus extraordinarium Confessarium aliquando petentibus concedendum. 7. Demum statuit, quod Praelati Monialium regulares teneantur bis vel ter in anno assignare extraordinarium ex approbatis ab Episcopo ad Confessiones Monialium, qui saltem semel in anno sit vel saecularis vel alterius Ordinis, alias deputet illum Episcopus; et eo tempore Ordinarius nullius, neque Abbatissae, neque Novitiarum audiat Confessiones. - 526. Vide plura in *Opere* circa Confessarios Monialium, n. 577.

Quaeritur 21. Quinam habeant privilegium Confessarii sibi eligendi?

R. Ex jure hanc habent facultatem Episcopi omnes, etiamsi sint tantum titulares; item, superiores Episcopis, ut Archiepiscopi, etc.; item, Praelati iis inferiores exempti, ut Abbas exemptus, Generalis, Provincialis, Prior, salvis tamen privilegiis Ordinum; item Reges et Principes; denique domestici Pontificis. 2. *Ex consuetudine,* hanc habent facultatem Cardinales, qui etiam domesticis de Confessore providere possunt, sed non extra Urbem, licet ex *Fagnan.* possint secum ducere

Confessarium approbatum in Urbe. 3. *Ab homine*, eam habent, quibus sive Pontifex, sive Episcopus concessit.

Nota. 1. Ex declaratione S. C., Episcopi extra Dioecesim degentes, et alii ut supra possunt tantum sibi eligere Sacerdotem subditum, aut Parochum, aut alium approbatum a proprio Ordinario, id est, ab Ordinario domicilii Sacerdotis. - 565 (*a*). 2. Capellani exercituum nequeunt absolvere milites degentes in praesidiis sine facultate Sedis Apostolicae, aut licentia Ordinarii, ex pluribus declarationibus S. C. - 577.

§. III. *De Casibus reservatis.*

De Reservationis natura, Potestate, Absolutione.

PUNCTUM I.

De natura Reservationis.

Reservatio est *negatio jurisdictionis circa aliquod peccatum.* Ac certum est in Ecclesia potestatem esse quaedam peccata reservandi, a quibus inferiores Confessarii non possint absolvere, ut sic subditi melius dirigantur et absterreantur a peccatis, quorum difficilem remissionem vident: quamquam, nisi graves causae sint, non debeat quivis, neque qui potest, quidvis facile reservare, neque difficulter veniam dare absolvendi a reservatis, ne alioqui cedat in destructionem, quod debebat in aedificationem. - 578.

Sola mortalia, eaque nonnisi graviora externa, opere consummata, prudenter reservantur; unde incestus, vel sodomia extra vas non reservatur. Insuper peccata reservata debent esse perfecta in sua specie; unde sodomia imperfecta, v. g. maris cum femina, non intelligitur reservata. - 582.

Quaeritur 1. An sit licita et valida reservatio facta sine justa causa?

R. 1. *Communiter affirmant* peccare lethaliter Superiores, si sine rationabili causa casus reservant. 3. Invalidam esse reservationem factam sine causa dicunt *Soto etc.*; quia ex Concilio Episcopis datum est reservare casus in aedificationem, et non in destructionem. Oppositam tamen *communius* et *verius* tenent *Laym.*, *Holz. etc.*; quia tota jurisdictio emanat ab Episcopo. In omni autem dubio standum pro potestate Superioris qui eam possidet. Limitant vero *Lugo* respectu Parochorum, si tanta sit reservatio, ut moraliter non possent suum officium exercere; tunc autem illa reservatio tantum esset nulla, quae esset posterior et excedens. - 579.

Quaeritur 2. An ignorantes reservationem alicujus casus, ab ea excusentur?

R. Distinguendum inter casus reservatos a Papa, et reservatos ab Episcopo. 1. Si casus sit Papalis, *commune* est inter DD. ignorantes a reservatione excusari. Ita *Suar.*, *Sanch.*, *Mol. etc.* Ratio, quia casus Papales principaliter reservantur propter censuram, a qua certe excusat ignorantia, juxta dicenda in *Tract. de Cens. n.*43. Si autem aliquis sciens censuram, ignorabat esse reservatam, *Bon. etc.* excusant eum a reservatione. Sed melius dicit *Mazz.* non excusari, quia is jam consentit in poenam censurae, ideoque implicite in ejus reservationem et in omnes alios effectus ejusdem, licet ignoratos. - 580. 2. Si autem casus sit ab Episcopo reservatus, adsunt tres sententiae. *Prima universe affirmat. Secunda,* quae parum differt

(*a*) *Concessum est tamen Episcopis secum ducere Confessarium jam approbatum, et ei confiteri etiam in aliena Dioecesi.* - *H. n.* 85.

a prima, distinguit et dicit incurri quidem reservationem factam ab Episcopo per praeceptum particulare; secus vero si facta fuerit per legem generalem, aut statutum Synodale, prout sunt casus reservati, qui annotantur in Tabella. *Tertia* vero *communior*, cui subscribo, *universe negat* posse absolvi ignorantes reservationem. Ratio, quia reservatio non est quidem poena respiciens poenitentes, sed restrictio jurisdictionis respiciens Confessarios, et de hoc non videtur dubitandum, ex *Tridentino*.

Quaeritur 4. An ignorantes excusentur a casu reservato ab Episcopo, si casui est annexa excommunicatio?

R. Certum est quod ignorantia excusat ab excommunicatione. Sed quoad reservationem, duplex est sententia. *Prima affirmat. Secunda verior negat.* Ratio, quia in hoc differunt casus Papales ab Episcopalibus; in Papalibus enim, ut jam dixi, principaliter reservatur censura; in Episcopalibus vero principaliter et per se reservatur casus, eique annectitur censura, ad hoc ut peccantes fortius ligentur, et per duplicem reservationem a peccando absterreantur. - 581.

Quaeritur 4. An possint reservari peccata mere interna?

R. Videtur *negandum*. Sed *communiter* et recte *affirmant Elbel, etc.* Ratio, quia omnia peccata etiam interna absolvuntur vi jurisdictionis, quae ab Ecclesia potest restringi. Advertit tamen *Tamb.* Ecclesiam numquam consuevisse hujusmodi peccata interna reservare.

Quaeritur 3. An cadat sub reservatione peccatum externe leve, si interne sit grave?

R. Affirmat Turrianus. Sed alii *verius* et *communiter negant*; quia Superiores non intendunt reservare peccata, nisi graviter exterius consummata, cum non soleant reservare interna. - 582.

PUNCTUM II.

De Potestate reservandi.

Casus reservare possunt omnes Superiores, qui potestate Ordinaria gaudent, prout sunt Papa, Episcopi, Praelati Religionum, et etiam qui potestate quasi Episcopali fulgent, sicut declaravit S. C.; non autem Parochi, nam ipsis saltem ex consuetudine haec facultas abrogata est.

Quaeritur 1. Quinam sint casus, quos Praelati Religionum reservare possunt?

R. Clemens VIII statuit ut Praelati regulares, si quidem velint, undecim tantum casus reservare possint, nec plures sine consensu Capituli generalis pro tota Religione, vel Capituli provincialis pro Provincia. Casus autem *Clementis* sunt sequentes: 1. Apostasia a Religione, etiam retento habitu. 2. Nocturna ac furtiva egressio e Monasterio. 3. Veneficia, incantationes, et sortilegia. 4. Proprietas contra votum paupertatis, quae sit peccatum mortale. 5. Furtum mortale de rebus Monasterii. 6. Lapsus carnis voluntarius opere consummatus. 7. Juramentum falsum in judicio legitimo. 8. Procuratio, consilium, vel auxilium ad abortutum foetus animati, etiam effectu non secuto. 9. Occisio, vel vulneratio, seu gravis percussio cujuscumque personae. 10. Falsificatio manus, vel sigilli officialium Monasterii. 11. Malitiosum impedimentum, retardatio, aut aperitio litterarum a Superioribus ad inferiores, vel contra.

Nota. Religiosi exempti non subjacent reservationi Episcopi, nec eorum Novitii, neque ipsorum familiares, modo ibi sint continui commensales. Si vero Novitius inciderit in casum reservatum ante ingressum, non po-

terit quidem absolvi a quolibet Confessario saeculari, sed poterit a Confessario Religionis, ob privilegium.

Quaeritur 2. An Praelati regulares possint casus reservare cum censuris?

R. Communius et *probabilius negant* DD. posse Praelatos imponere censuram super aliquem casum: quia hoc esset indirecte velle reservare, et eludere prohibitionem *Clementis.*-583.

Quaeritur 3. An Moniales subjaceant casibus et censuris ab Ordinario Dioecesis generaliter reservatis?

R. Negant plures. *Affirmat* vero *communis* et *verior sententia*; quia quando verba generalia concurrunt cum verisimili mente legislatoris, tunc omnes comprehenduntur qui in lege non sunt expresse excepti.

Quaeritur 4. An praedictae reservationi subjaceant etiam Moniales exemptae?

R. Affirmat probabiliter Tamb., negant vero adhuc *probabiliter Pelliz, etc.*; quia monasteria exempta sunt prorsus extra jurisdictionem Episcopi, ac si essent extra territorium; et quamvis Episcopus debeat approbare earum Confessores quoad idoneitatem, non potest tamen ipse limitate eos approbare.

Quaeritur 5. An Episcopus circa clausuram, ut delegatus Sedis Apostolicae, possit reservare casus quoad Moniales exemptas, v. g. si ostio aperto loquantur cum saecularibus?

R. Affirmat de Alexand. Sed non videtur *improbabilis sententia opposita Dianae etc.*, qui dicunt delegationem praedictam concessam Episcopis respicere tantum forum externum.-602.

PUNCTUM III.

De Potestate absolvendi a reservatis.

Absolvere potest a reservatis, 1. Ipse reservans. 2. Ejus in spirituali jurisdictione Superior. 3. Cui ipse delegavit. 4. Sacerdos inferior quando Superior adiri non potest.

Unde:

1. Extra periculum mortis, nullus inferior per se et directe absolvere potest, nisi ex jure vel privilegio concedatur. Dico *nisi etc.*, quia a casibus papalibus absolvere potest Episcopus, per se, vel Vicarius, quando sunt occulti, ut docent *Nav. etc.*

2. Poenitentiarii majores Cathedralium, quamvis habeant potestatem ordinariam absolvendi, non possunt tamen absolvere a reservatis Episcopo vel ab Episcopo, et tanto minus eam delegare, ut habetur ex Declaratione S. C. Concilii, die 6. Julii 1647.-599.

3. Certum est quod Regulares nequeant absolvere a casibus reservatis ab Episcopis, ex Bulla *Gregorii XIII, Cum a sacra.* Et hoc sive casus sint reservati ab Episcopo, sive ab ejus Synodo. Sed *probabilius* est quod possint absolvere a casibus reservatis Episcopis a jure communi; exceptis tamen sex casibus a *Clemente VIII* reservatis, nimirum, percussio Clerici, duellum, violatio immunitatis Ecclesiae, violatio clausurae monialium ad malum finem, simonia realis, et confidentialis. Facultas enim a praedictis casibus absolvendi expresse a *Clemente* fuit Regularibus adempta. Vide *Tract. de Cens., n.* 96. *Probabiliter* autem absolvere possunt procurantes abortum foetus animati, cum hic casus non fuerit a *Clemente* reservatus. Vide n. 96.-599.

4. Is qui confitetur reservatum mittendus est ad Superiorem. Suadebit tamen charitas, imo aliquando coget ut ipse Confessarius, tacita persona et casu, a Superiore veniam petat absolvendi. Ordinarie tamen loquendo, consultum est ut Confessarius a subeundo tali onere se abstineat.-584.

Quaeritur 1. Quid, si Superior nisi difficulter adiri possit, et sit causa

urgens v. g. timor infamiae, vel scandali ex omissione Confessionis vel Communionis, vel diu manebit poenitens in peccato mortali?

R. Tunc quivis Confessarius potest indirecte absolvere a casibus reservatis ab Episcopo, et etiam reservatis a Papa, si Episcopus non possit adiri, ut diximus n. 563, et hoc, etiamsi peccatum sit reservatum cum excommunicatione. - 584.

Quaeritur 2. An si impedimentum adeundi Superiorem sit perpetuum, possit tunc inferior directe absolvere peccatum reservatum sine censura, ita ut poenitens dispensetur in posterum ab adeundo Superiore, si postea cessabit impedimentum?

R Affirmant Sanch., etc. Sed *verius* docent *Suar. etc.*, quod extra articulum mortis nullus inferior Sacerdos potest directe absolvere a reservatis. Hoc vero procedit in casibus Episcopalibus; nam in Pontificiis regula juris est, quod quoties non patet aditus ad Pontificem, potest poenitens directe absolvi ab Episcopo, vel cum etiam adsit impedimentum adeundi Episcopum, a quolibet Confessario, cum onere in posterum se praesentandi ad Pontificem, quando poterit, si impedimentum non est perpetuum: nam, si est perpetuum, omnino liberatur, juxta dicenda in *Tract. de Cens.*, *n.* 88 (*a*). De absolutione autem horum casuum papalium pro eis qui sunt impediti Pontificem adire, vide alia dicenda in *Tract. de Cens.*, *n.* 84-585.

Quaeritur 3. An absolutus in articulo mortis, teneatur postea se sistere Superiori, vel alteri pro reservatis?

R. Probabile est, imo haec est sententia *verior*, quod non teneatur, nisi haec habeant annexam censuram. Vide *Tract. de Cens.*, *n.* 91.-567.

Quaeritur 4. An qui habet peccatum reservatum, et non habet copiam Confessarii habentis facultatem, teneatur confiteri apud inferiorem, ut possit communicare?

R. Si iste nullum aliud mortale habeat nisi reservatum, conveniunt DD. non teneri ad Confessionem, sed sufficere ut conteratur. Censent tamen *Lugo etc.*, quod eo casu Sacerdos advertens se non habere Contritionem, sed solam Attritionem, tunc tenetur confiteri venialia quae habet, vel mortale alias confessum, ut sic a reservato saltem indirecte absolvatur, et in statu gratiae communicet. Et hoc *probabilius* est juxta sententiam mox dicendam. Imo, docet *Lugo*, quod hoc poterit semper facere, etiamsi habeat Contritionem, ut securius Eucharistiam recipiat.

Quaeritur 5. Sed quid, si hic habeat simul mortalia reservata, et non reservata?

R. Prima sententia negat teneri ad Confessionem, et dicit posse hunc communicare, praemissa tantum Contritione. *Secunda* vero *sententia probabilior* et *communissima* docet hunc omnino teneri ad Confessionem. Ratio, quia cum urgeat praeceptum divinum praemittendi Confessionem Communioni, debet fieri Confessio saltem formaliter integra, si non possit fieri integra materialiter.

Quaeritur 6. An hic praemittendo Confessionem, teneatur confiteri tam mortalia non reservata, quam reservata?

R. Prima sententia affirmat; quia Confessarius debet agnoscere totam poenitentis conscientiam, ut debitum

(*a*) *Debet saltem se praesentare Episcopo. Et advertendum quod tunc si peccatum est reservatum cum censura, non se praesentando, reincidit in censuram.* - *H. n.* 133.

formet judicium an ille sit capax absolutionis vel non, forte quia est recidivus in reservatis. *Secunda* vero *sententia non minus probabilis*, imo forte *probabilior negat* hunc teneri per se ad Confessionem reservatorum. Ratio, tum quia alias hic teneretur bis peccata illa confiteri, primo inferiori, deinde Superiori; tum quia non videtur esse obligatio confitendi peccata illa super quibus Confessarius nequit esse judex, cum nullam super eis jurisdictionem habeat. Dixi *per se:* non dubito enim quin talis poenitens aliquando, puta si sit recidivus in reservatis, vel in occasione proxima recidendi, teneatur etiam reservata inferiori aperire, ut Confessarius de sua dispositione recte possit judicare; sed hoc esset quidem per accidens, non autem per se, sive ex obligatione integritatis Confessionis, cum eo casu sufficiat integritas formalis (*a*).

Quaeritur 7. Quid, si poenitens habeat excommunicationem reservatam?

R. Alii dicunt hunc extra mortis articulum nunquam posse communicare. Sed *communiter* contradicunt *Suar. etc.*, ac recte censent cum bene posse Eucharistiam recipere, urgente scandalo, vel nota infamiae. Ratio, quia praeceptum Ecclesiae prohibens excommunicatis suscipere Sacramenta, non obligat concurrente praecepto naturali vitandi scandalum, vel non obligat cum tanto incommodo perferendi infamiam.

Quaeritur 8. An excommunicatus possit tunc confiteri non habenti facultatem super excommunicationem?

R. Prima sententia probabilis negat, et hanc tenent *Vasq. etc.*; hunc dicunt posse quidem communicare, praemissa Contritione, licet habeat alia peccata mortalia, non reservata; non posse tamen confiteri, cum sit innodatus excommunicatione quae ipsi interdicit a susceptione Sacramenti Poenitentiae. *Secunda sententia probabilior affirmat.* Ratio, quia eo casu excommunicatio sicut non privat susceptione Eucharistiae, ita nec Poenitentiae quae debet suscipi cum possit, ut servetur divinum praeceptum praemittendae Confessionis ad Communionem. Recte autem probant *Suar. etc.* valide posse aliquem a peccato absolvi, non praemissa absolutione a censura. Ratio, ut bene ait *Suar.*, quia prohibitio Ecclesiae ne excommunicatus Sacramenta recipiat, non potest irritare Sacramenti valorem, qui pendet a jure divino. In tantum enim excommunicatus invalide reciperet Sacramentum Poenitentiae, in quantum, stante prohibitione Ecclesiae, accederet indispositus; sed quando urget necessitas, haec bene ipsum eximit pro illo tunc a prohibitione Ecclesiae, unde valide tunc et licite Poenitentiam suscipit. - 265.

Quaeritur 9. An possit Superior absolvere poenitentem a reservatis, et pro aliis eum remittere ad inferiorem?

R. Alii *universe affirmant.* Alii vero *negant*, et dicunt id tantum licere casu gravis necessitatis, puta, si Superior non posset se expedire ab aliquo gravissimo negotio, et contra necessarium judicaret personaliter audire peccatum reservatum; idque admittunt *Lugo, etc.*, sed in casu rarissimo, addito quod poenitens esset in necessitate communicandi et nollet eadem peccata bis confiteri. Hoc ultimum non videtur *improbabile*, posito casu cum omnibus his conditionibus. - 595.

Quaeritur 10. An poenitens, si bona fide confiteatur peccatum reservatum non habenti potestatem, vel si inculpate peccati illius obliviscatur, aut

(*a*) *Tenetur etiam aperire, si a Confessario de hoc interrogetur.* - *H. n.* 183.

de eo confiteatur urgente necessitate, Confessarius simplex valide, et licite ipsum absolvat?

R. Negat Antoine, et per se loquendo sua sententia satis est *probabilis; probabile* est enim Confessarium simplicem omni carere jurisdictione in habentem reservata. *Secunda* vero *sententia communis* et *probabilior affirmat.* Ratio, quia licet Confessarius non possit sine rationabili causa absolvere a non reservatis, non absolvendo a reservatis, in quo potestate caret, non per hoc tamen caret potestate in non reservata. Unde, quando bona fide confitetur poenitens, vel habet necessitatem confitendi, tunc bene potest directe absolvi a non reservatis et indirecte a reservatis. Et cum haec sententia sit *communis*, ut fatetur ipse *Antoine*, et *valde probabilis*, imo *certe probabilior*, ut diximus, bene potest deduci in praxim; eum, ut probavimus n. 573., est moraliter certum quod cum opinione probabili Ecclesia supplet jurisdictionem. - 596.

Quaeritur 11. An si poenitens confessus sit Superiori et inculpabiliter sit oblitus peccati reservati, poterit deinde cuilibet illud confiteri et absolvi?

R. Prima sententia communissima affirmat; quia praesumitur Superior poenitentem recte dispositum velle liberari ab omni vinculo peccatorum a quo potest. *Secunda* vero *sententia negat;* quia, ad auferendam reservationem requiritur ut peccatum subiiciatur judicio Superioris, eo quod finis reservationis est ut non tantum poenitentes a peccato absterreantur, sed etiam ut convenientem medicinam et poenitentiam recipiant. Excipe 1. Nisi ex aliquo positivo iudicio habeatur praesumptio voluisse Superiorem reservationem auferre. 2. Nisi poenitens ad hunc finem adiverit Superiorem vel habentem facultatem, ut ab omnibus reservatis absolveretur, et hanc suam intentionem illi manifestaverit. 3. Nisi privilegium fuerit concessum in favorem poenitentis, prout est privilegium Jubilaei et Bullae cruciatae. Caeterum, praecisis istis tribus exceptionibus, hanc secundam sententiam *probabiliorem* censeo, licet prima videatur etiam *probabilis.* (*a*) Omnino tamen dicendum puto reservationem non auferri, quando adesset positiva praesumptio, quod, si Superior audivisset peccatum reservatum, absolutionem distulisset. - 597.

Quaeritur 12. An per Confessionem inculpabiliter invalidam tollatur reservatio?

N. Negat Conc. Sed *communis sententia* et *probabilior affirmat.* Ratio, quia reservatio principaliter ordinatur, ut peccata deferantur Superiori, utque ipse super ea ferat judicium, praebendo monita salutaria, ac poenitentiam imponendo, unde, semper ac subditus suum peccatum subjicit judicio Superioris, vel alius habentis facultatem, jam obtinetur finis reservationis.

Quaeritur 13. An tollatur reservatio per Confessionem culpabiliter nullam?

R. Prima sententia valde probabilis negat; quia non praesumitur Superior velle quod subditus ex sua iniquitate commodum reportet. *Secunda longe communior, nec carens sua probabilitate affirmat;* quia pro Confessione sacrilega currit eadem ratio ac pro inculpata nulla; alius enim est finis Confessionis, alius reservationis. Finis Confessionis est, ut remittantur peccata; finis autem principalis et directus

(*a*) *Sententiam affirmativam nunc reprobare non possumus. - Ex ultimis Quaest. reform. Quaerit.* 20.

reservationis est ut hujusmodi peccata reservata committentes subijciantur judicio Superioris ; ergo cum subditus peccatum suum Superiori defert, et poenitentiam ab eo impositam acceptat, etiamsi sacrilege confiteatur, jam obtinetur finis reservationis, quamvis non remittatur peccatum. Excipe 1. cum *Lugo*, si poenitens culpabiliter reticeat ipsum peccatum reservatum, vel illa sacrilega Confessione inculpabiliter obliviscatur confiteri peccatum reservatum. 2. Cum *Suar.*, si poenitens habuerit animum non vitandi in posterum peccatum illud reservatum, vel non implendi poenitentiam impositam, dicit vero *Suar.* tolli reservationem si animum mutet. 3. Si Confessio invalida sive culpate sive inculpate facta sit in Jubilaeo. Vide n. 537. - 598.

Quaeritur 14. Utrum in dubio an poenitens incurrerit casum reservatum, possit illud absolvere simplex Confessarius ?

R. Si dubium est facti, nempe, si poenitens dubitat an peccaverit graviter vel non, *communior* est sententia quod possit absolvi a quolibet Confessario, quia reservatio est strictae interpretationis ; unde debet intelligi de peccatis certe gravibus. Si vero dubium est juris, nempe, si quis dubitet an aliquod peccatum sit reservatum, *negant Conc. etc.* Sed pariter *Communiter affirmant* DD. et hoc, sive dubium sit positivum, vel negativum, quia in utroque eadem ratio currit; tum quia, ut diximus, reservatio stricte interpretatur ; tum quia melior est conditio possidentis. Et cum haec sententia sit *communis*, et *certe probabilis* (*a*), certum etiam est Ecclesiam jurisdictionem supplere, ut supra dicta, n. 573.

Quaeritur 15. An qui confessus est inferiori peccatum dubie reservatum, omnino liberetur a reservatione, etiamsi postea illud cognoscat ut certum ?

R. Negat Conc. Sed *communiter* alii *affirmant ;* quia cum peccatum dubie reservatum est confessum, jam directe est absolutum, ac proinde manet directe ablata reservatio. Unde, quamvis teneatur poenitens, cum recordatur peccati certi prius confessi ut dubii, illud iterum tanquam certum confiteri, ut ad supplendam integritatem illud exponat uti erat in conscientia, ejusque cognitam gravitatem Confessario manifestet, attamen non tenetur amplius se sistere Superiori pro ablatione reservationis, quia, ablato peccato, ablata est etiam reservatio. - 600.

Quaeritur 16. An absolvi possit a reservatis, qui peccavit in confidentiam licentiae ?

R. Videntur *negare Covarr. etc.*, sed *affirmandum* cum *communi* (*b*), quia, esto quod concedens licentiam nolit ut peccatores propter ipsam facilius peccent, non tamen excludit quominus ii, qui occasione ejus peccaverint, possint absolvi, si vere proponunt illud vitare.

Quaeritur 17. An licentia data absolvendi a reservatis, extendi possit ad peccata post ipsam commissa ?

R. Distinguendum : si concessio facta sit praecise pro peccatis narratis, vel per tot vices commissis, tantum pro eis valere potest. Secus vero, si licentia est concessa indefinite ; ita *communissime*, *valde probabiliter Lugo, etc.* ; dummodo, recte limitant, non interponatur magna distantia, puta ultra mensem, inter concessionem licentiae, et commissionem novarum culparum : intellige, si pro quodam particulari poenitente sit tantum impertita licentia. Item advertit *Ronc.*

(*a*) Et probabilissima. - *H. n.* 142. — (*b*) *Cum communiori.* - *H. n.* 144.

et quidem bene, praefatam sententiam non procedere, si licentia impertita fuerit intuitu alicujus festivitatis. - 601.

Quaeritur 18. An peregrinus, discedens in aliam Dioecesim, possit ibi absolvi a casibus reservatis?

R. Si peccatum in utraque Dioecesi est reservatum, *commune* est apud omnes non posse absolvi a quolibet Confessario; sed posse absolvi a Confessario habente facultatem in reservata dicunt *Suar. etc.* cum *communiori;* quia talis poenitens judicandus est, quoad Confessionem, tanquam incola illius Dioecesis. - 587.

Quaeritur 19. An possit absolvi a simplici Confessario peregrinus habens peccatum, quod est reservatum in illa Dioecesi, sed non in patria?

R. Prima sententia affirmat; quia peregrinus debet judicari juxta leges Superioris sui. *Secunda* vero *sententia communior* et *longe probabilior negat.* Ratio, quia Confessarius loci nequit absolvere eum a peccato, in quo sibi limitata est jurisdictio a suo Ordinario. - 588.

Quaeritur 20. An possit absolvi peregrinus irretitus peccato, quod est tantum in sua patria reservatum?

R. Prima sententia negat. Secunda vero *sententia communissima* et *verior affirmat.* Ratio, quia sic habet universalis consuetudo, ut peregrini quoad Confessionem reputentur uti incolae loci ubi versantur. Haecque consuetudo approbata est consensu Praelatorum. Idque confirmatur in Bulla *Superna, Clementis* X, nisi venerit in fraudem reservationis, quae limitatio valet non solum pro Confessariis regularibus, sed etiam pro saecularibus.

Quaeritur 21. Quomodo intelligenda sunt haec verba *in fraudem reservationis?*

R. Multi *probabilius* explicant haec verba, quando quis alienam Dioecesim petit ob principalem finem obtinendi absolutionem, vitandique judicium proprii Pastoris; quia fraus dicitur intervenire, ubi lex redditur elusoria, quod in hoc casu eveniret.

Unde, bene potest absolvi 1. qui abscesserit ad aliquam Dioecesim ob aliquem honestum finem, puta negotii agendi, vel indulgentiae lucrandae, vel ut confiteatur cum minori incommodo, aut citius confessionem expediat, vel ut Confessarium incognitum aut prudentiorem inveniat, qui melius eum dirigat, et tranquillitati suae conscientiae consulat, et similia. 2. Sed non potest absolvi, qui in aliquam Dioecesim venit ex principali fine, ut effugiat judicium sui Superioris, vel ut facilius absolvatur, licet credat bona fide hoc ei non esse vetitum; nam licet tunc ipse non migraret cum fraude, revera tamen migraret in fraudem reservationis. - 589.

Quaeritur 22. An poenitens extra Dioecesim possit absolvi a censura, quae tantum in patria est reservata?

R. Affirmant Passer. etc. Sed melius *negat Wigandt, etc.;* quia in censuris reservatis nihil potest Confessarius simplex, ex C. *Nuper.* - 590.

Quaeritur 23. An peregrinus peccando in alia Dioecesi, ubi casus ille est reservatus, incurrat reservationem, et nequeat ibi absolvi nisi a facultatem habente?

R. Prima sententia negat; quia peregrini non tenentur legibus loci in quo versantur, nisi ibi saltem quasi domicilium habeant. *Secunda* tamen *sententia probabilior affirmat.* Ratio, tum quia licet peregrinus *probabilius* non subjaceat legibus loci per quem transit, ut diximus in *Tract. de legibus* n. 156, attamen, ratione delicti illo tunc, quo peccat, fit subditus; tum quia, ut diximus n. 588, Confessarius, quem respicit reservatio, non potest absolvere peregrinos, nisi

juxta limites jurisdictionis, quam habet a suo Ordinario. - 591.

Quaeritur 24. An peccans intra Dioecesim, sed in monasterio exempto, incurrat casum reservatum ?

R. Prima sententia negat, quia non incurritur reservatio ubi nulla est. *Secunda* vero *sententia communior*, quam amplectimur, *affirmat ;* quia casuum reservatio non jam respicit poenitentem, sed Confessarium, cui limitatur jurisdictio ; ergo Confessarius nequit illum absolvere.

Quaeritur 25. An Episcopi possint absolvere peregrinos in sua Dioecesi versantes a casibus papalibus, et cum eis dispensare in irregularitatibus et suspensionibus Papae reservatis ?

R. Quoad hanc dispensationem pertinet, decisum est a *Gregorio VIII*, nihil posse Episcopum cum alienigenis, etiamsi hi fungentes officio praetoris, aut Medici in ejus Dioecesi commorentur. Quoad absolutionem vero casuum, *commune* est apud DD. quod Episcopus bene potest absolvere peregrinos a casibus papalibus, modo sint occulti, ex facultate *Tridentini*. Concilium enim, in *C. Liceat,* concessit Episcopo hanc facultatem erga delinquentes sibi subditos ; porro subditi dicuntur tales peregrini, cum in foro sacramentali subjiciuntur Episcopo dioecesano. Eamdem autem facultatem habent Vicarii capitulares, Sede vacante, ut dicunt *communiter Sanc. etc.*

Quaeritur 26. An eamdem facultatem habeant Abbates, et alii Praelati habentes jurisdictionem quasi Episcopalem ?

R. Negant Concina, etc. Affirmant vero *Sanch., etc.;* tum, quia nomine *Episcoporum* veniunt etiam Praelati qui habent jurisdictionem quasi Episcopalem privative ad Episcopos; tum quia, quando concessio facta est in jure, habet rationem Legis quae extendi debet ad omnes casus ubi eadem ratio currit. Eadem autem ratio currit tam pro Episcopis, quam pro hujusmodi Praelatis ; quia alias eorum subditi non haberent ad quem recurrerent pro absolutione praedictorum casuum.

Quaeritur 27. An Praelati regulares hanc habeant facultatem in non subditos ?

R. Affirmat Sanch. Sed *negat Croix*, ex Declaratione S. C.

Nota 1. Quod ex praefata Declaratione S. C. Episcopi extra Sacramentum poenitentiae non possunt absolvere a praedictis casibus papalibus. Ita etiam declaratum fuisse a *Greg. XIII* fert *Fagn.* 2. Quod ex eadem Declaratione S. C., si Episcopus inciderit in aliquod crimen, de quo fit mentio in *C. Liceat*, poterit deputare proprium ipsius Confessarium, esto sit extra suam Dioecesim, ad se absolvendum cum eadem facultate, qua ipse posset alios sibi subditos absolvere. 3. Quod pariter ex eadem Declaratione S. C., non sit tutus in conscientia qui absolveretur aut dispensaretur a proprio Episcopo in casibus sive irregularitatibus, aut suspensionibus contractis ob crimen patratum coram duobus vel tribus testibus, quia utitur *Tridentinum* termino *occultis*, quod proprie loquendo est illius quod probari non potest. Sed alii *communiter* dicunt illud esse occultum, quod non est notorium, et quod potest aliqua tergiversatione celari, etiamsi per aliquos testes probari possit. Ita *Suar., etc.* Hinc, dicunt *Sanch. etc.*, tunc crimen dici publicum, quando scitur a majori parte oppidi, viciniae, vel Collegii, modo ut ajunt *Sanch. etc.* saltem ibi sint decem personae. - 593.

Quaeritur 28. An facultas a *Tridentino* intelligatur Episcopis concessa pro solis casibus et irregularitatibus Papae reservatis ante Concilium ?

R. Affirmant Floronus, etc. Sed *valde probabiliter negat Sanch., etc.* Ratio, quia Concilium indefinite concedit Episcopis facultatem absolvendi in quibuscumque casibus occultis etiam Sedi Apostolicae reservatis; ubi autem lex non distinguit, nec nos distinguere debemus.

Quaeritur 29. An Episcopi possint absolvere a casibus occultis, reservatis ab aliis Episcopis etiam cum censura?

R. Affirmant Bon. etc., ex eo quod in *C. Liceat Tridentini* dicitur concedi omnibus Episcopis facultas absolvendi « delinquentes in quibuscumque » casibus occultis etiam Sedi Apostolicae reservatis: » ex qua particula *etiam* satis ostenditur comprehendi facultas absolvendi a casibus, et excommunicationibus ab aliis Episcopis reservatis. Hanc opinionem olim *probabilem* censuimus; sed postmodum *negativam* coacti fuimus tenere ex duplici Declaratione S. C., et maxime ex Declaratione emanata a *Bened. XIV*, quae incipit, *Pias Christi fidelis etc.* Cum enim in civitate Januensi concessum fuisset privilegium cuidam confraternitati sub invocatione *S. Mariae de Succursu*, ut confratres eligere possent quemlibet Confessarium ab Ordinario loci approbatum cum facultate absolvendi eos in articulo mortis, et bis in vita a casibus *etiam Sedi Apostolicae* reservatis, Pontifex declaravit per enuntiatum privilegium, « absolvendi facultatem.... non vero etiam » Ordinariis locorum reservatis.... per » Nos in praecitatis nostris litteris » concessum fuisse, et consequenter » absolutiones contra praesentis nostrae Declarationis tenorem forsan » de praeterito impertitas, aut in posterum impertiendas, nemini suffragari potuisse, sive posse, decernimus et declaramus. »

Quaeritur 30. An Episcopus hanc facultatem *Tridentini* possit generaliter aliis Sacerdotibus committere?

R. Negant Henriq., etc. Sed *probabilius* et *communissime affirmant Sanch., etc.* posse Episcopum generaliter committere vices suas quoad absolvendos casus Papales occultos, quia hoc modo jam alii Sacerdotes reputantur specialiter deputati. Ratio, quia facultas haec competit Episcopis jure ordinario, cum ipsa sit annexa dignitate Episcopi, et ideo bene potest alteri generaliter delegari. Hinc, recte ait *Sanch.*, Vicarium Episcopi non habere potestatem absolvendi ab his casibus ex generali commissione Vicariatus, nisi specialiter ab Episcopo committatur. Hoc quoad absolutionem casuum: quoad facultatem autem dispensandi in irregularitatibus et suspensionibus, Episcopis impertitam, dicunt *Sanch., etc.* et etiam posse ab Episcopo illam delegari generaliter cuicumque Sacerdoti, cui Episcopus suam facultatem committat, et hoc ex potestate ordinaria, quam Episcopi habent. - 594.

Quaeritur 31. An possit Superior denegare facultatem absolvendi a reservatis?

R. Recusat semper valide, sed illicite si non adsit justa causa.

Unde:

1. Si Superior injuste neget facultatem absolvendi a reservatis, non potest ab alio Confessario directe absolvi, ut recte dicit *Laym.*, contra plures; et hoc tenendum puto cum *communi*, quia ex *Tridentino* inferiores nihil possunt in reservatis.

2. Peccant Superiores, si sine justa causa se praebeant difficiles in licentiis concedendis pro absolutione reservatorum; et si ex negatione timeatur grave subditi detrimentum, peccant contra charitatem et justitiam; unde ait *Suar.* Superiorem peccare si licentiam neget casu, quo sciat poe-

nitentem nullo modo posse induci ad ipsum adeundum.

3. Potest autem aliquando Superior justis de causis negare facultatem, et cogere subditum ut ad se veniat; nam si ex casu reservato grave scandalum, vel damnum Communitatis timeatur, potest Superior negare absolutionem, donec poenitens per se, vel per Confessarium Superiori det sufficientem notitiam ad illud evitandum, alias, non est satis tutus, nec dispositus ab absolutionem.

Nota. 1. Si Superior Confessario Regularium ad hoc deputato neget facultatem absolvendi, Confessarius autem judicet debere concedi, potest is pro ista vice absolvere. Sic Lugo referens ita declarasse *Clementem VIII. Viva* dicit, quod *pro ista vice* intelligitur toties quoties Superior injuste negat facultatem. - 483 - 2. Propter privilegium concessum fratribus Minoribus, omnes Regulares semel possunt absolvi a reservatis per eorum Confessarios, licet super reservatis careant facultate. *Suar. etc.* Hic ultimo *nota*, quod ex Decretis S. C. emanatis anno 1601 et 1602, auctoritate *Clementis VIII*, et anno 1607, auctoritate *Pauli V*, quicumque Confessarii praesumentes praetextu alicujus privilegii absolvere a casibus reservatis Papae vel Episcopis, incurrunt ipso facto Excommunicationem Papae reservatam - 602.

ARTICULUS II.

De officio Ministri.

De Confessarii Muneribus, et modo agendi cum variis Poenitentibus.

§. I. - *De Confessarii muneribus*

Ut Patris, Medici, Doctoris, Judicis.

PUNCTUM I.

De Munere Confessarii, ut *Patris.*

Confessarius, ut boni patris partes adimpleat, debet charitate esse plenus. Et 1. charitatem adhibere debet in benigne excipiendo omnes sive pauperes, sive rudes, sive peccatores sint. Nonnulli tempus solummodo insumunt in audiendis Confessionibus aliquorum devotorum, aut personarum spectabilium; et si ad se aliquis miserabilis peccator accedat, aegre auditur, et conviciis oneratus arcetur; unde fit, ut ille miser in perditae vitae lubricum laxis habenis praeceps ruat, et in salutis disperationem incidat. Secus boni Confessarii agunt; cum ad se hujusmodi peccatores confluunt, benigne eos excipiunt, et *quasi victor capta praeda*, exultant perpendentes sibi sortem contigisse animam de manibus daemonis eripere. Sciunt hoc Sacramentum proprie non pro iustis fuisse constitutum, sed per peccatoribus. Sciunt Christum protestatum fuisse his verbis: *Non veni vocare justos, sed peccatores. Marc.* 2, 17. Propterea Confessarius charitatis viscera induens, quo magis animas peccatorum multitudine et atrocitate coinquinatas reperiat, eo magis, ut Deo ipsas lucrifaciat, majore charitate eas amplectatur, eisque animum praebeat, ut sincere confiteantur, et ad Dominum fiducialiter convertantur.

2. Charitatem deinde longe majorem ostendere debet in Confessionem excipiendo. Caveat ne se impatientem, aut taedio affectum exhibeat; nec ostendat admiratione percelli de peccatis, quae narrantur; modo poenitens non sit ita animo durus, aut petulans, ut plura et atrociora peccata sine ullo rubore, et sine ulla displicentia animique sensu exponat, quia tunc opus est pro viribus efficere, ut a poenitente quanta sit illorum deformitas, et magnitudo percipiatur; ideoque tunc acrior requiritur correctio, ut ipse a lethali lethargo exper-

gefiat. Verum quidem est quod, ut dicunt Doctores, in actu Confessionis abstinere debeant Confessarii a correctione facienda, ne forte exterriti poenitentes peccata reticeant; nihilominus hoc intelligitur regulariter loquendo; nam multoties expedit ad ulteriora non procedere, et statim poenitentem corripere, praecipue cum confitetur peccatum valde enorme, aut si ipse fuerit in aliquo vitio habituatus, ut peccati gravitatem comprehendat. Advertat tamen, ne eum exasperet, nec perterreat. Quapropter postquam eum, quantum opus fuerit, corripuerit, statim ei animum faciat ad reliqua peccata confitenda.

3. Deinde in fine Confessionis oportet ut Confessarius vehementiori ardore ac studio incumbat, ut poenitenti percipere faciat gravitatem et multitudinem ejus peccatorum, ac miserum damnationis statum in quo reperitur; sed hoc semper maxima cum charitate fiat. Verumtamen est congruentius tunc verbis gravioribus uti, ut sic melius ad bonam mentis frugem redire possit; nihilominus efficere debet ut poenitens intelligat hoc, quod ei dicitur, non ab animo irato, sed ex singulari amore et commiseratione erga suam animam procedere. Postea adjuvabit eum ad doloris actum efformandum, et si dispositus est, eum absolvat; et remedia salutaria, quibus possit se a peccatis servare, suggerat, atque ei poenitentiam imponat. Si autem fuerit absolutionis incapax, aut expediens videbitur differendam esse absolutionem, assignet ei diem in quo regredi debeat, et sic dulcibus verbis a se dimittat.

Haec est via qua peccatores salvi fieri possunt, nempe cum eis agere quanta maxime fieri potest charitate, alioquin si ipsi in Confessarium incident, qui cum eis inclementer agat, a Confessione horrebunt, confiteri negligent, et effrenate in perditionem ibunt. - *Ex Praxi Conf. 3, etc.*

PUNCTUM. II.

De Munere Confessarii, ut *Medici.*

Confessario, ut sui poenitentis infirmitatibus remediis opportunis occurrat, cognoscenda est origo et causa omnium spiritualium ejus morborum.

Nonnulli Confessarii, praeter species et numerum peccatorum, nihil aliud inquirunt. Si poenitentem dispositum vident, statim eum absolvunt; sin minus, quin unum verbum impendant, illico dimittunt, oculo retorto dicentes: « Discende a me, quia te » absolvere non possum. » Aliter procedunt boni Confessarii: hi enim prius investigare incipiunt morbi originem et gravitatem, interrogando de peccandi consuetudine, de occasionibus, de tempore, de loco, de personis quibuscum, quo rerum concursu. Sic enim melius poterunt poenitentes corripere, eos ad absolutionem disponere, et remedia salutaria adjungere.

2. His interrogationibus adhibitis, et cognitis morbi origine ac gravitate, Confessarius procedat ad debitas animadversiones faciendas. Et quamvis ipse tanquam *Pater*, debeat charitate poenitentes anscultare, tamen ut *Medicus* tenetur, quantum opus est, eos monere et corrigere, eos praesertim qui multis mortalibus gravati, ad Poenitentiae Sacramentum raro accedunt. Et hoc munus etiam adimplere debet, si poenitens aliqua illustri qualitate fulgeat, nimirum si fuerit Magistratus, Princeps, Sacerdos, Parochus aut Praelatus, si de aliquo sui muneris sine minimo animi sensu se accusaret. Nec Confessario tunc debet attendere alios poenitentes, qui ipsum circumstant; nam, ut ajebat *S. Franciscus Xav.*, melius est paucorum Confessiones rite factas audire, quam multorum inordinatas, et sine fructu.

Hic advertere oportet quam perperam agant illi Confessarii, qui si poenitentem indispositum nanciscuntur, ne cum illo aliquid insumant temporis, statim a se eum abire jubent. Sciant istiusmodi Confessarii validis niti rationibus sententiam illorum Doctorum, qui volunt pro viribus teneri Confessarium, poenitentem, licet accedat indispositus, ad absolutionem disponere; consideranda ei proponendo v. g. injuriam maximam, qua Deum suis sceleribus afficit, periculum imminens ejus damnationis etc. (a) Et parum refert quod alii expectent, aut inconfessi discedant. Confessarius enim de hoc tantum qui sibi nunc confitetur, non vero de aliis in die Judicii rationem reddere debet. Vide n. 608.

3. Post debitas correctiones sive monitiones, praestat ut laboretur ad disponendum poenitentem ad absolutionem per actus veri doloris, et propositi; quocirca monitos esse volo Confessarios, perpaucos esse illos poenitentes, praesertim rudes, qui praeposito actu doloris ad confitendum accedant. Nonnulli Confessarii putant satis suo muneri fecisse, si dumtaxat hujusmodi poenitentes interogent, et nullo alio verbo interposito, absolutionem eis elargiuntur. Sed longe aliter agunt boni Confessarii: hi enim imprimis laborant ut poenitentes qui lethalibus tenentur, verum dolorem et detestationem peccatorum concipiant, eis proponendo prius motiva attritionis, et deinde verae contritionis, ut super his vere doleant de peccatis commissis.

4. Demum incumbendum est Confessario ut applicet ea remedia, quae opportuniora judicabit pro salute poenitentis, imponendo ei eas satisfactiones, quae magis conveniunt ejus morbo, et eas quas prudenter judicabit illum fore executurum. Remedia autem, quae insinuari debent poenitentibus, alia sunt generalia, alia particularia pro aliquo vitio particulari.

Generalia omnibus insinuanda, sunt 1. Amor erga Deum. 2. Saepe se commendare Beatae Virgini, Rosarium recitando, se commendare Angelo Custodi, et alicui Sancto singulari protectori. 3. Frequentia Sacramentorum, et si unquam in aliquod peccatum mortale inciderit, statim se confiteri. 4. Veritatum aeternarum consideratio, et prae caeteris consideratio mortis; et patribusfamilias insinuanda est quotidiana mentalis oratio in communi cum familia, aut saltem Rosarium una cum filiis. 5. Dei praesentia, cum urget tentatio, dicendo: *Deus me videt.* 6. Quolibet vesperi conscientiam scrutari, cum animi dolore, et proposito. 7. Saecularibus, ut in aliqua congregatione se adscribant, et Sacerdotibus oratio mentalis, et gratiarum actiones post Missam, et ut perlegant saltem aliquem libellum spiritualem ante et post Missam.

Remedia autem particularia assi-

(a) *Si Poenitens accedit indispositus, tenetur Confessarius, ut docent Laym etc., pro viribus efficere ut eum disponat ad absolutionem. Circa quod nescio quomodo excusari possint coram Deo illi Confessarii desides, qui ubi cognoscunt poenitentem non esse satis dispositum, cum a se dimittunt, dicendo: « Discede hinc, te absolvere non possum, redi in posterum. »*

Ego dico cum Auctoribus citatis, Confessarium, quoties poenitentis Confessionem suscipit, sub rigorosa charitatis obligatione quantum facere potest, teneri ut ad absolutionem eum disponat, ei proponendo illius peccatorum turpitudinem etc. · H. n. 105.

gnabuntur pro vitiorum diversitate; v. g., illi qui aliquo odio tenetur, insinuetur ut quotidie commendet Deo illum quem odit, recitando pro ipso orationem Dominicalem, et salutationem Angelicam; et cum se turbari sentit memoria injuriae sibi illatae, reminiscatur contumeliarum, quibus ipse Deum affecit. Illi qui in peccata turpia prolapsus est, ut otium vitet, malos socios et occasiones aufugiat, ut opera carnem coercentia sibi imponat: et illi qui habitum pravum per longum tempus contraxit in hoc vitio, ut non solum vitet proximas occasiones, sed etiam quasdam remotas, quae sibi tam debili ad resistendum factae erunt proximae. Huic praecipue imponatur ne unquam intermittat recitare ter salutationem Angelicam in honorem Puritatis Beatissimae Virginis, mane et vesperi, repetendo semper coram ejus Imagine propositum non peccandi, et supplicationem ut sibi perseverantiam impetret. Potissimum autem Confessarius curet, ut frequenter hic communicet, cum Eucharistia dicatur *vinum germinans virgines*. Illi qui solitus fuit blasphemias proferre, insinuetur ut novies vel quinquies lingua signet crucem super terram, et ut quotidie saltem semel dicat orationem Dominicalem et salutationem Angelicam in honorem Sanctorum, in quos execratus fuit; et ut quolibet mane dum e cubitu surgit, renovet propositum patienter ferendi occasiones indignationis, et ter dicat Beatae Virgini quolibet mane: *Domina mea, da mihi patientiam;* quod faciet etiam in occasionibus irascendi. Addictis peccato avaritiae imponat eleemosynas etc. etc. - *Ex praxi Conf.* - 6, etc.

PUNCTUM III.

De Munere Confessarii, ut *Doctoris*.

Confessario, ut *Doctoris* officio rite fungatur, opus est ut sit doctus et prudens; qui enim legem ignorat, non potest alios docere. Et hic advertatur id quod scribit *S. Gregorius*, nempe officium dirigendi animas per viam salutis aeternae esse artem artium: *Ars artium regimen animarum*. Et *S. Franciscus Salesius* dicebat, officium audiendi Confessiones esse omnium maximum et difficillimum; et revera, cum agatur de vita aeterna, et de munere quod requirit scientiarum, officiorum, artium omnium notitiam. Unde nullus Confessarius intermittere debet Theologiae moralis studium; quia ex tot rebus tam diversis, et inter se disparibus, quae ad hanc scientiam pertinent, multis quamvis lecta, quia rarius accidunt, temporis progressu a mente decidunt. - *Ex praxi Conf.* - 99, etc.

Quaeritur 1. Quaenam scientia requiratur in Confessario, ut absolvere possit?

R. Confessarius, ut valide absolvat, oportet et sufficit ut cognoscat peccata, saltem sub confusa ratione peccati. Ut vero licite, requiritur ea scientia, ut possit ferre prudens judicium in hoc foro; ideoque scire debet sequentia: 1. Quae sint mortalia, quae venialia, saltem ex genere suo, et saltem de his quae communiter occurrunt. 2. Species et circumstantias necessario explicandas. 3. Quid constituat occasionem proximam. 4. Spectantia ad restitutionem bonorum et famae. 5. Casus reservatos, et excommunicationes saltem communiores. 6. Censuras et irregularitates communiores pro Sacerdotibus. 7. Requisita in poenitente ad bonam dispositionem. 8. Remedia peccatis opportuna.

Unde:

1. Satis est si Confessarius intelligat quae frequentius accidunt, et de aliis sciat dubitare.

2. Major minorque requiritur scien-

tia pro diversitate locorum et poenitentium.

3. Graviter peccat tum ille qui sine sufficienti scientia huic muneri se ingerit, tum ille qui talem sine necessitate constituit, aut cum possit corrigere, tolerat.-627.

4. Excusatur tamen Confessarius qui caret sufficienti scientia, si adsit necessitas, nimirum si aliter poenitentes deberent diu carere Confessione, ut evenit in captivis. Et idem dicunt *Lugo etc.*, pro parvis oppidis, aut triremibus, ubi, si haberi nequeunt docti Sacerdotes, deputari possunt minus docti, quales possint haberi. Admonendi tamen ii sunt de obligatione addiscendi.

5. Si poenitens advertat Sacerdotem non percipere peccati gravitatem, tenetur illum monere se peccasse mortaliter.

6. Qui sciens prudens confitetur ei, quem scit suam conscientiam judicare non posse, tenetur Confessionem repetere apud peritiorem, quia graviter peccaret sic confitendo.-628.

Quaeritur 2. Quaenam prudentia requiratur in Confessario?

R. Requiritur prudentia tum in instructione, monitione, curatione poenitentis, tum in interrogatione.-629.

Quaeritur 3. An teneatur Confessarius suos poenitentes juvare?

R. Rudiores ordinarie debet juvare. *Unde:*

1. Rustici qui putantur non satis examinati, *communiter* non sunt dimittendi ad se melius examinandum, et *P. Segneri* oppositum merito putat intolerabilem errorem. Hinc, recte ait *Spor.* quod Confessarius examinare debet ordinarie rusticos; nam licet isti dimittantur ut se melius praeparent, vix tamen paratiores unquam redibunt: imo, absterriti a difficultate examinandae conscientiae, facile a Confessione se retrahent. 607. Et hoc pejor esset error, si ob defectum examinis dimitteret aliquem rudem, qui antea propter ruborem aliquod peccatum reticuerit, quamvis repetendae essent Confessiones multorum annorum, propter majus periculum quod tunc subest, nempe quod si non redeat, peribit.-*Ex praxi Conf.* 18.

2. Non est obligatio interrogandi eos, qui videntur satis instructi et diligentes in dicendis peccatis cum suis circumstantiis.

3. Confessarius non debet esse nimis anxius in interrogando, sed interrogare debet tantum de his quae probabiliter poenitenti conveniunt, juxta suam conditionem; alias, interrogatio erit onerosa poenitenti.-607.

4. Interrogationes in materia castitatis debent esse paucae, et cautae, ne vel occasionem det investigandi, aut traducendi Confessionem aut ignorantem doceat, aut offendat, aut se vel illum periculo exponat. Ac si haec timeat, potius debet aliquid deesse integritati materiali. Et quidem, si in hac materia negantur cogitationes, non opus est progredi ad opera: rudiores tamen cogitationes negant, verba et opera rogati fatentur, quod illas non aeque agnoscant, aut advertant.-632.

5. Melius est examinare singula quae poenitens dicit, quam omnia in finem reservare.-607.

6. Debet disponere quantum potest suum poenitentem, qui indispositus accedit, etiamsi multum temporis in hoc impendere debeat; ad hoc tenetur ex rigorosa charitatis obligatione, et culpa non caret si desides dimittat, nulla ut valde modica praemissa diligentia ad eum curandum.-608.

Quaeritur 4. Quid debeat agere Confessarius cum poenitente de quo sciat, vel suspicetur aliquod peccatum quod ille non confitetur?

R. Distinguendum: Si sciat extra Confessionem, et noverit ex propria

scientia, sine dubio non debet absolvere, si ille negat: modo non adsit prudens dubium an alteri fuerit confessus, vel justam habeat causam tacendi. Ita *communiter* omnes cum *Bus. etc.* Si vero Confessarius id habet ex suspicione, vel ex aliorum relatione, dicunt etiam *communiter Suar. etc.*, quod post diligentem interrogationem regulariter debet absolvere negantem, tunc enim putare debet quod ille aut fuerit peccati oblitus, aut alteri confessus, vel quod habeat justam causam reticendi, aut relatores deceptos fuisse: quia in hoc foro omnino poenitenti credendum est tam pro se, quam contra se. Sed ego puto cum *Elbel*, quod si Confessarius notitiam habeat alicujus peccati ex certa relatione aliorum, tunc non posset absolvere poenitentem illud negantem; revera enim, si istius crimen mihi referrent testes tam graves, qui de eo me redderent moraliter certum, et ex alia parte certus essem quod poenitens non potuerit oblivisci, nec ullam causam reticendi habeat, tunc non auderem huic absolutionem impertiri; nam, regulam illam quod credendum sit poenitenti, dico procedere quidem in re dubia, non vero in re moraliter certa; moralis etenim certitudo, vera certitudo est.

Si autem Confessarius noverit peccatum ex Confessione alterius, tunc utique non poterit specialiter poenitentem de illo interrogare; nisi expressam ab illo altero licentiam habeat, sed tantum poterit generatim interrogare, et hoc dico, quod Confessarius non sit nimius in interrogationibus repetendis; quia in hoc etiam esset periculum revelationis. Ita *communiter Laym. etc. Non improbabiliter* tamen dicunt *Nav. etc*, quod si aliquod peccatum sit commune talibus personis, possit de eo speciatim interrogare, prout in sponsis commune est prolabi in tactus inhonestos, vel saltem in pravas cogitationes.

Quaeritur 5. An possit Confessarius, casu quo complex confitens neget peccatum, illum absolvere?

R. Affirmant posse et debere *Lugo etc. Elbel* autem censet debere absolvere sub conditione. Sed melius meo judicio sentit *Croix*, quod eo casu nullo modo absolvat, sed tantum aliquid oret ad occultandam negationem absolutionis.-631.

Quaeritur 6. An Confessarius, praevidens monitionem poenitenti non esse profuturam, teneatur nihilominus eum monere?

R. Certum est teneri, si ignorantia sit culpabilis, vel si circa aliquod medium ad salutem necessarium, alias poenitens esset certe indispositus. Si vero ignorantia sit inculpabilis, et circa res, quae non sunt de necessitate medii, adest duplex sententia. *Prima affirmat. Secunda* vero *communis* et *vera* docet, quod si poenitens laborat ignorantia inculpabili sive sit juris humani sive divini, et non speratur fructus, imo prudenter judicatur monitio esse magis obfutura, quam profutura, tunc Confessarius potest et tenetur eam omittere, relinquendo poenitentem in sua bona fide. Ita *Suar., Nav., Sot., Laym., Sanch., Lugo., Vasq., Bon. etc.* Nostra sententia maxime probatur ex illa validissima ratione, scilicet quod de duobus malis minus est permittendum, ut majus evitetur; unde, in concursu peccati materialis et formalis, quod solum punit Deus, cum ex solo peccato formali reputet se offensum. Vide *Tract. de Virt. Theol. n.* 36.-610.

Hinc *infertur* 1. quod si Confessarius noverit poenitentem invalide contraxisse matrimonium ob aliquod impedimentum occultum, et periculum sit infamiae, scandali, aut incontinentiae, si nullitatem manifestet, tunc de-

bet omittere monitionem et illud relinquere in bona fine, donec obtineatur dispensatio; nisi dispensatio de facili et statim obtineri possit ab habente facultatem, et etiam ab Episcopo, ut liberetur poenitens a peccato materiali. Vide *Tract. de Matrim., n.* 1123, imo *Lugo etc. communius et probabilius* affirmant posse Confessarium hoc casu obligare conjugem debitum negantem ad illud reddendum; quia, stante persuasione conjugis quod matrimonium sit validum, tenetur ille reddere ut dictamen suae conscientiae sequatur.-611(*a*).

Si vero matrimonium sit contrahendum, *Holz.* ait omnino tunc monitionem esse faciendam, etiamsi certe non sit profutura, et certe obfutura, quia magis praecavenda est nullitas Sacramenti, quam peccatum, aut infamia poenitentis. E converso, *Sanch. etc.* absolute dicunt adhuc in eo casu omittendam esse monitionem, quando ipsa *probabiliter* censetur non profutura. *Probabilius* mihi tamen videtur dicendum quod, regulariter loquendo, omnino monitio tunc facienda est, tum quia ex matrimonio nullo frequenter plura inconvenientia oriuntur, tum quia saepe post tale matrimonium ignorantia cessare solet, et tunc facile adest periculum peccandi formaliter. Si vero Confessarius certo moraliter desperet de fructu, tunc merito dicit *Croix* quod omittere debeat monitionem, donec obtineat dispensationem, quia melius est permittere peccatum materiale, quam praebere occasionem certi peccati formalis. Nec obstat ratio *Holz.*, nam sacramenta non exposcunt majorem reverentiam, quam praecepta divina; unde, si in praeceptis divinis permitti potest materiale peccatum, cur non poterit permitti materialis irreverentia Sacramenti in tanta necessitate, ut peccatum formale vitetur?-612.

Sed si sponsi accedant ad Ecclesiam ad contrahendum matrimonium et alter eorum manifestet Confessario impedimentum occultum, dum omnia sunt parata, et non possit sine scandalo et infamia matrimonium differri, *Lugo etc.* dicunt tunc consultius esse quod Confessarius relinquat sponsos in bona fide, et sinat nuptias contrahere. Sed *communissime* alii DD. *probabilissime* docent in eo casu posse Episcopum dispensare. Ratio, vel quia tunc praesumendus est Pontifex delegare Episcopo facultatem dispensandi, quam requisitus certe ei non denegaret, vel quia Episcopus potest in sua Dioecesi quidquid potest Pontifex in tota Ecclesia, nisi aliquid Pontifex sibi reservavit. Ergo in eo casu intelligitur cessare reservatio, et ideo Episcopus ex sua potestate ordinaria potest tunc dispensare, sicut potest in aliis legibus pontificiis, quando aditus ad Papam non patet. Et in eo casu *probabiliter* dicunt *Sanch. etc.*, quod Episcopi legitime possint praedictam facultatem dispensandi delegare aliis, etiam generaliter pro omnibus casibus occurrentibus, quia haec facultas conceditur Episcopis ratione dignitatis, unde accipit conditiones potestatis ordinariae. Imo, addit *Pignatell.*, quod eo casu censetur omnino cessare lex qua prohibetur tale conjugium contrahi, quia quando lex evadit perniciosa, utique non obligat, ut docet D. Thomas. Ideo dicit idem Auctor, tunc alius inferior legislatore potest declarare quod lex impedimenti cesset et non obliget. Unde dicit *Ronc.*(*b*),

(*a*) *Sed in hoc* tutior *mihi videtur opinio* Sati, etc., *quod tunc Confessarius ei dicat in genere quod illa nequit absolvi si obligationi suae satisfacere renuit; et quod jam scitur conjugem teneri debitum reddere-H. n.* 113. — (*b*) *Et quidem non sine fundamento,-H. n.* 114.

quod si aliquando nec etiam ad Episcopum aditus pateret, et nullo modo aliter vitari posset gravissimum periculum infamiae aut scandali, posset Parochus, vel alius Confessarius declarare quod lex impedimenti eo casu non obligat, quia eadem ratio, ut supra tunc urget, nempe quod cessat lex, quando potius est nociva quam utilis. Notant tamen praefati Auctores, quod esto tunc permittatur contrahi matrimonium, tamen quantocius, saltem ad maiorem securitatem, et ad salvandam reverentiam legibus Ecclesiae debitam, recurri debet ad sacram Poenitentiariam, ut ab illa dispensatio obtineatur. - 515.

Infertur 2. quod ubi non speratur fructus, omittenda est monitio etiam de restitutione facienda; quia Confessarius magis praecavere debet ejus spirituale damnum, quam damnum alterius temporale. Bene tamen advertunt *Viva etc.*, non facile judicandum quod poenitens, cognita veritate, monitioni non obtemperabit.

Infertur 3. omittendam esse monitionem etiam quando timentur scandala aliorum, infamiae, rixae, et similia; quia semper praestat vitare mala formalia aliorum, quam materialia poenitentis. - 614. Excipiendum est 1. Quando damnum redundaret contra bonum commune; unde omnino monendus est Parochus qui erronee, etsi ex ignorantia invincibili, circa mores populum instrueret. Item, bene addunt *Salm.* Confessarium debere admonere Episcopos, Praelatos, Principes, Confessarios etc., qui ex ignorantia invincibili perperam se gerunt circa sua officia; quia raro contingit hujusmodi ignorantiam esse inculpabilem, vel non esse perniciosam aliis qui facile licita sibi putant, quae a Superioribus fieri observant. - 615.

2. Si poenitens interroget: tunc enim Confessarius tenetur detegere veritatem, nec potest dissimulare; quia, cum ille jam incoeperit laborare ignorantia vincibili, dissimulatio Confessarii esset erroris approbatio; recte dicunt *Sanch. etc.*, quod cum poenitens interrogat, Confessarius non plus respondere debet, quam ipse interrogatur. 3. Si poenitens brevi sit monitioni obsecuturus, quamvis in principio non acquiescat.

Quaeritur 6. Utrum facienda sit monitio in dubio an sit profutura vel obfutura?

R. Si non timetur de damno, omnino quidem fieri debet: si vero dubitatur tam de damno quam de fructu secuturo, tunc Confessarius pensare debet damnum et utile, item gradum timoris damni, ac spei utilitatis, et eligere id quod judicat praeponderare. Caeterum, in dubio regulariter mihi videtur dicendum, quod mala formalia potius evitanda sint quam materialia. - 616.

PUNCTUM IV.

De Munere Confessarii, ut *Judicis*.

Sicut Judex tenetur prius rationes cognoscere, inde causae momenta discutere, et deinde sententiam proferre; ita Confessarius prius debet conscius fieri poenitentis conscientiae, postea ejus dispositionem inspicere, et deinde absolutionem impertire aut negare. - *Ex Praxi Conf.* 102.

Unde:

1. Confessarius debet, quantum fieri potest moraliter, omnia peccata poenitentis intelligere.

2. Peccat, si absolvit cum cujus peccata per negligentiam non satis intellexit, quia fert sententiam, incognita causa. - 626.

3. Confessarius cognoscens poenitentem non satis diligenter conscientiam suam discussisse, tenetur eum interrogare prius de peccatis, in quae ve-

risimiliter incidere poterat, et postea de eorum specie et numero. *Ex Praxi Conf.* 102.

4. Non sit tamen nimis sollicitus et anxius ad formandum certum judicium de numero peccatorum; notet frequentiam in genere, et in confuso judicium faciat, apprehendendo peccata quot-quot sint apud Deum. Vide de *integritate materiali*, *n.* 465.

5. Circa peccata interna habituatorum, non sufficit interrogare de tempore quo duravit habitus, sed adhibeat interrogationes generales de propria applicatione, de loco, de animi inclinatione etc., ut formet judicium majoris vel minoris frequentiae actuum internorum; quia ex negotiis exterioribus, locis etc., provenire potest quod sint pauciores aut frequentiores cogitationes. Caeterum, post duas vel tres interrogationes, non debet angi Confessarius, si ei judicium quod facit videtur esse nimis confusum, nam ex conscientiis implicatis et confusis, moraliter impossibile est majorem claritatem sperare.

6. Poenitentem sine causa non obliget ad iterandas Confessiones; nam, licet Confessiones generales sint utilissimae, nihilominus non debet Confessarius esse valde rigorosus ad eas exigendas. Non est enim obligatio, ait *P. Segneri*, repetendi Confessiones, nisi in casu manifestae necessitatis, et in quo error sit evidens. - *Ex praxi Conf.* 20. *etc.*

Quaeritur 1. An possit absolvi Poenitens qui vult sequi opinionem contrariam illi, quam tenet Confessarius?

R. Prima sententia negat. Ratio, quia Poenitens tenetur stare judicio Confessarii, qui est judex; alias erit indispositus ad absolutionem. Ita *Conc. etc.* *Secunda* vero *sententia communis* et sequenda docet non solum posse, sed etiam teneri sub gravi Confessarium absolvere Poenitentem, qui vult sequi opinionem *probabilem*, licet opposita videatur *probabilior* Confessario. Ita *Suar. etc.* Ratio, quia Poenitens, facta Confessione, cum sit dispositus, habet strictum jus ad absolutionem, quam denegando Confessarius gravem illi injuriam irrogaret, tum quia privaret eum gratia Sacramenti, tum quia obligaret ad magnum onus subeundum, nempe ad repetenda apud alterum sua gravia peccata (*a*). Neque dicatur quod Poenitens sit indispositus, cum nolit sequi judicium Confessarii; nam, Confessarius non est judex opinionum, quas Poenitens sequi tenetur, sed tantum dispositionis seu contritionis et propositi sui Poenitentis, ut patet ex *Tridentino*. Adde, quod si Confessarius non posset absolvere eos qui volunt sequi opinionem minus probabilem, contra suam, quam ipse putat probabiliorem, multa videntur inconvenientia sequi. Ponamus enim casum: duo Confessarii habent duas opiniones contrarias, quorum utrique sua apparet probabilior; si unus velit alteri confiteri, deberet hic suam deponere opinionem captivando intellectum, ut Confessario suo judici constituto pareat. Contra vero, si alter postea huic confiteatur, deberet hic secundus Confessarius suam resumere opinionem, quae sibi probabilior apparet; tunc enim deberet judicare secundum suum pro-

(*a*) *Si Poenitens est indoctus, adeo ut nequeat sibi formare conscientiam rectam ex probabilitate illius opinionis*, certum *est tunc eum non posse absolvi; si vero sit capax sibi formandi conscientiam rectam*, communis sententia *docet Confessarium in eo casu teneri absolvere sub gravi, saltem si Confessio facta fuerit de materia gravi, dum dicunt* Suar. etc., *negare absolutionem de materia levi, non excedere veniale.* - *H. n.* 118.

prium judicium, et deberet illum obligare ut deponat opinionem quam sibi prius sequendam imposuit, et en comoedia risu digna, quae quotidie inter Confessarios eveniret.-604.

Quaeritur 2. An in delectu opinionum expediat Confessario uti opinionibus rigidioribus aut benignioribus?

R. Recte ait *Croix* quod si Poenitens ostendat se paratum ad sequendum id quod est tutius, tenetur Confessarius per se loquendo eum dirigere secundum sententias tutiores; quia cum hoc sit majoris perfectionis, tenetur quidem Confessarius incumbere majori profectui sui Poenitentis. Spectat autem ad prudentiam Confessarii deinde perpendere utrum tutioris vel minus tutae sententiae usus suo Poenitenti sit profuturus. Ideo, dixi *per se loquendo*, quia licet id per se sit tutius et perfectius, attamen periculosius erit pluribus imponere obligationem operandi semper secundum regidiores sententias. Unde, ait *Gerson*, « Fit ut per tales assertiones » publicas nimis duras et strictas, » praesertim in non certissimis, ne- » quaquam eruantur homines a luto » peccatorum, sed in illud profun- » dius, quia desperatius emergantur. » Idcirco in praxi Confessarius, quoad fieri potest, debet potius esse benignus quam rigidus cum Poenitentibus. Unde *S. Gregorius Nazianz.* sic dixit: « Hortamur Sacerdotes ut cum Poeni- » tentibus leniter agant, ex illo *Apost.* » *ad Galat.* 6: *Instruite in spiritu* » *lenitatis.* Unde *S. Odilo* abbas, » reprehensus de nimia benignitate in » administrando Sacramento Poeni- » tentiae, respondit: Etiamsi damnan- » dus sim, malo tamen de divina mise- » ricordia, quam ex duritia damnari. »

Sapienter autem dicit *Holz.* quod Confessarius in delectu opinionum tunc debet benigniores sententias sequi, quando illae potius inducunt Poenitentem ad vitandum peccatum. Secus vero, si illae potius conducant ad legis transgressionem, prout sunt opiniones illae quae licet speculative videantur probabiles, attamen in praxi sunt valde periculosae, sicut in materia sexti praecepti sunt opiniones aliquae de tactibus, osculis, choreis, comoediis, de reprimendis motibus sensualibus et similibus; item, in materia simoniae et usurae, ubi plura videntur excusari ratione liberalis gratitudinis, sed in praxi magnum periculum involvunt; item quando agitur de compensatione facienda, vel de accusatione prosequenda contra offensores, ubi facile est periculum injustitiae, aut vindictae.-605.

Quaeritur 3. Ad quid teneatur Confessarius si erravit circa valorem Sacramenti?

R. 1. Si erravit sine culpa, conveniunt omnes non teneri cum gravi incommodo famae vel honoris monere Poenitentem de errore, ita *Lugo etc.* Ratio, quia tunc Confessarius tenetur ad monitionem tantum ex charitate, quae non obligat cum gravi incommodo. Hoc tamen valet pro Confessario delegato; aliter enim videtur dicendum de Parocho, juxta dicta in *Tract. de Virt. Theol.* n. 40, eo quod Parochus tenetur ex justitia reparare grave damnum spirituale subditorum. Recte autem addunt AA. quemcumque Confessarium teneri advertere Poenitentem de nullitate absolutionis ei collatae, si ille sit in articulo mortis, vel in gravi periculo non amplius se confitendi. 2. Si vero erravit Confessarius cum culpa gravi circa valorem Sacramenti, *prima sententia negat* eum teneri monere Poenitentem cum gravi suo damno. *Secunda* vero *sententia*, quam sequimur, *affirmat.* Ratio, quia licet Confessarius ex charitate onus susceperit audiendi Confessionem Poenitentis, attamen post-

quam audivit tenetur ex officio, et ex quasi contractu cum Poenitente inito rite ipsi ministrare Sacramentum, unde tenetur, petita licentia, illum de errore monere. Dixi *petita licentia*, nam *probabilius* dicunt *Bon. etc.*, quod si ex monitione gravis sequeretur offensio Poenitentis, non tenetur tunc Confessarius, nec potest monere, quia sigillum laederetur juxta dicenda n. 622. Item, *probabile* videtur, quod si Poenitens iterum alteri confessus fuerit, tunc non tenetur Confessarius cum gravi incommodo eum monere de nullitate primae Confessionis. Ratio, quia tunc jam moraliter certo Poenitens supponitur justificatus; et ideo, sicut ille non tenetur cum gravi dispendio procurare integritatem Confessionis, ita nec Confessarius. Et idem potest dici si Poenitens Eucharistiam deinde susceperit, quia, ut diximus in *Tract. de Sacram. in gener., n.* 6. cum *S. Thom.* et aliis *communiter*, Eucharistia cum attritione et bona fide suscepta per accidens primam gratiam confert. - 619.

Quaeritur 4. Quid si error non fuerit circa valorem, sed circa integritatem Confessionis, nempe si Confessarius neglexerit interrogare de speciebus, et numero peccatorum?

R. Si Confessarius in hoc negative se habuit non interrogando, tunc non tenetur monere de errore, nisi intra Confessionem; et hoc etiamsi Confessarius culpabiliter interrogare neglexerit. Ratio, quia obligatio faciendi Confessionem integram directe afficit Poenitentem, non Confessarium. Si vero ipse positive induxit Poenitentem ne explicaret ille species sive numerum, tunc, si cum culpa gravi id fecerit, tenetur etiam extra Confessionem cum licentia Poenitentis eum monere de errore, sed sine scandalo et sine gravi suo damno; nam sicut grave damnum excusat Poenitentem ab integritate Confessionis, ita etiam Confessarium. Quod si Confessarius in hoc non graviter peccaverit, tunc multo minor causa sufficiet ad eum excusandum a monitione facienda. Hinc, recte ajunt *Lugo etc.*, quod Confessarius, qui bona fide dispensavit Poenitentem ab explicanda specie, sive numero, regulariter non tenetur admonere extra Confessionem, quia regulariter, et dico semper, sine incommodo et rubore id facere non potest. - 620.

Quaeritur 5. Ad quid tenetur Confessarius, si positive dispensaverit vel non monuerit Poenitentem de restitutione facienda?

R. Si illum positive dispensavit cum sua culpa gravi, omnes dicunt teneri ad monitionem, etiam cum gravi incommodo, vel intra Confessionem, si Poenitens brevi ad confitendum redeat; vel extra petendo licentiam, si non redeat. Alias non monendo, vel monendo postquam Poenitens factus sit impotens, tenebitur ipse Confessarius ad restitutionem, casu quo, intelligendum, Poenitens jam restituisset, si fuisset monitus. Ita *communiter Lugo etc.* Ratio, quia Confessarius suo injusto consilio jam fuit causa damni. Si vero sine culpa gravi Poenitentem dispensavit, non tenetur jam cum gravi suo incommodo illum de restitutione monere; tenetur vero, si commode potest. Imo tenetur etiam cum aliquali suo incommodo; quia ex charitate quisque tenetur cum levi incommodo reparare grave damnum proximi.

Quaeritur 6. An Confessarius, si tunc omittat monere, cum possit, sine gravi suo incommodo, teneatur ipse ad restitutionem?

R. Negant Sanch. etc., sed *communus et verius affirmant Lugo etc.* Ratio, quia licet Confessarius sine

culpa saltem gravi Poenitentem dispensaverit a restitutione debita, attamen, cum suum consilium pergat influere in damnum creditoris, cognito errore, tenetur ipse ex justitia causam damni auferre, si commode potest; alias, obligatur restituere, cum hic et nunc ipse sit causa damni. Bene autem advertunt *Lugo etc.*, quod cum Confessarius jam monuerit Poenitentem, priusquam ille fieret impotens, tunc ad nihil tenetur, etiamsi culpabiliter antea eum dispensaverit a restitutione: quia consilium tunc solum influebat ex auctoritate Confessarii, unde, revocato consilio, cessat sua auctoritas influere.

Quaeritur 7. Quid, si Poenitens tempore Confessionis erat dispositus ad restitutionem, si monitus fuisset, et postea, mutato animo, nollet monitus restituere cum possit?

R. Antoine dicit quod tunc Confessarius ad nihil tenetur. Sed merito sapientissimus *Lugo* non excusat Confessarium eo casu a restitutione. Ratio, quia esto is qui auctoritative dat pravum consilium, revocato consilio, ad nihil amplius tenatur, ut *communiter* docent DD.; hoc tamen procedit, quando damnum non est adhuc factum, non vero cum ex consilio damnum est jam illatum alteri. Quando autem Confessarius positive, et culpabiliter dispensat Poenitentem dispositum ad restituendum, tunc ipse est causa ut actu damnum creditori inferatur, cum alias si non dispensaret, jam actu fieret restitutio; unde, si damnum jam actu infertur, Confessarius, etiamsi postea quaerat inducere Poenitentem ad restitutionem, si ille renuat, non excusabitur ipse a restitutione, cum ipse fuerit causa damni illati. Sic dicendum, si Confessarius positive restitutionem impedivit. Si vero negative se habuit, negligendo monere Poenitentem, tunc distinguendum: si inculpabiliter sic egerit, non tenetur quidem cum gravi suo incommodo monere Poenitentem, sed tenetur cum aliquali, quia charitas obligat quemquam ad reparandum cum levi suo incommodo grave detrimentum proximi. Et in hoc advertit *Lugo*, incommodum mensurandum esse respective ad damnum; quod si sit gravissimum, aderit forte obligatio illud reparandi etiam cum notabili incommodo. Si vero Confessarius culpabiliter neglexit monere de restitutione, merito dicunt *Lugo etc.*, teneri cum majori suo incommodo ad monitionem faciendam.

Quaeritur 8. An omittendo hanc monitionem, teneatur ipse restituere?

R. Si inculpabiliter omittit, conveniunt omnes ad nihil teneri. Si vero culpabiliter, adest triplex sententia. *Prima absolute affirmat.* Ratio, quia Confessarius ex officio tenetur Poenitentem docere de sua obligatione, alias non docendo, ipse est causa damni. *Secunda* censet Confessarium delegatum non teneri: teneri vero Parochum, quia Parochus ex officio obligatur impedire ne sui subditi damnum aliis inferant. *Tertia* vero *communissima* docet, Confessarium, sive delegatum, sive Parochum non teneri ad restitutionem. Ratio, quia delegatus tenetur ad monitionem ex sola charitate, quae non obligat ad restitutionem. Parochus autem, cum ipse sit constitutus tantum pro bono spirituali subditorum, tenetur quidem ex suo munere damna ipsorum spiritualia impedire, non autem temporalia aliorum. Et hoc *verius* puto dicendum, etiamsi Confessarius studiose negligat monere Poenitentem ut ipse non restituat; quia adhuc tunc deest positivus influxus in damnum aliorum, qui omnino requiritur ad obligationem restitutionis, ut docent *communiter* DD. juxta dicta *in Tract. de just.* 621.

Quaeritur 9. Quae et quanta sit obligatio Confessarii audiendi Poenitentes?

R. 1. Quivis Sacerdos etiam simplex, quando non est alius paratus, tenetur in extrema necessitate, v. g. in periculo mortis, audire et absolvere volentem confiteri. Ratio est lex charitatis. 2. Parochus et quivis Sacerdos curatus tenetur audire Confessionem sui subditi non tantum in casu necessitatis, aut praecepto Confessionis urgente, sed etiam saltem per se, vel alium, quoties Poenitens id rationabiliter petit; quia tenetur ejus bonum spirituale promovere. *Suar.*, *Vasq.*, *Lugo etc.* Si tamen nimis frequenter, vel intempestive peteret, excusaretur. *Avers.* Quod si etiam semel tantum, vel bis negaret, aut differret, non peccaturum graviter ob levitatem materiae docet *Suar.* Admittitque *Aversa*, si non petat ex urgenti occasione, v. g. solemnis festi, etc. Vide dicta n. 58. Quotiescumque Poenitens ex mera devotione vult confiteri, Parochum teneri illum audire docent *Azz. etc.*; sed recte limitat *Avers.* si non adsint alii Confessarii delegati, et Parochus non legitime impediatur.

3. Reliqui Sacerdotes, per se loquendo, non tenentur audire Confessiones; si tamen coeperint, tenentur absolvere, nisi quid obstet, neque possunt remittere ad alium: quia Poenitens eo ipso habet jus ad absolutionem, nec potest fructu et gratia Sacramenti privari. *Avers.* - 623.

Quaeritur 10. An Confessarius non Parochus teneatur cum periculo vitae absolvere moribundum existentem in mortali?

R. Prima sententia negat. Ratio, quia dum proximus potest absolute a periculo damnationis se liberare, eliciendo actum contritionis, non est in tanta necessitate, ut alter teneatur ei succurrere cum periculo vitae. *Secunda* tamen *sententia* (*a*), quae mihi magis arridet, *affirmat.* Ratio, quia esto in rigore loquendo posset moribundus per contritionem sibi providere, attamen non potest negari quod magno periculo exponatur ille suae aeternae salutis, si absque absolutione relinquatur: et sicut cum certa est damnatio proximi si non absolvatur, teneris certam mortem subire, ita dico, cum proximus est in probabili periculo damnationis, teneris ei subvenire cum probabili periculo mortis, ex lege charitatis, quae obligat in pari periculo exponere vitam temporalem ad salvandam vitam proximi spiritualem. Si tamen Sacerdos nesciat eum esse in mortali, non tenetur absolvere cum periculo vitae. - 624.

Quaeritur 11. An simplex Sacerdos, qui degit in Oppido, ubi talis esset penuria Confessariorum, ut incolae gravi laborarent necessitate spirituali, utrum hic tutus sit in conscientia, si negligat Confessiones excipere, vel cum possit, ad eas excipiendas se habilem reddere?

R. Certum est Christum misisse Sacerdotes praecipue ad salvandas animas, absolvendo a peccatis; hoc est ergo proprium Sacerdotum munus, ac consequenter ipsi tenentur saltem in gravi populorum necessitate suam potestatem exercere, et ad hoc se habiles reddere, ne dicatur quod in vanum gratiam Dei receperint. Hoc posito, non video quomodo Sacerdotes illi, qui ob desidiam ab hoc onere se substrahunt, possint esse tuti in conscientia, et excusari ab exprobratione Domini, ac a supplicio damnationis inflicto servo illi otioso, qui talentum abscondit. Nec dicant hujusmodi Sacerdotes satis suam obligationem explere, si alio modo animabus subveniant,

(*a*) *Haec est sententia verior.* - *H. n.* 125.

nempe instruendo, corrigendo, orando, quin Sacramentum Confessionis ministrent; nam illis tenentur subvenire in eo quo indigent ad propriam salutem. Et ad illud obligantur non tantum ex charitate, sed ex proprio Sacerdotis officio. - 625.

§. II. - *De modo agendi Confessarii cum variis Poenitentibus; seu cum versantibus in occasione peccati. Cum habituatis et recidivis. Cum scrupulosis et devotis. Cum mulieribus. Cum pueris et puellis. Cum rudibus. Cum mutis et surdis. Cum animabus spiritualibus. Cum infestatis a daemone. Cum moribundis. Cum reis et capite damnatis.*

PUNCTUM I.

De modo agendi Confessarii cum versantibus in occasione peccati.

Maxima Confessarii cura debet esse se bene gerendi cum iis, qui sunt in proxima occasione peccandi. Certum est quod si homines satagerent occasiones fugere, major peccatorum pars evitaretur.

Occasio distinguitur 1. in proximam et remotam. Occasio *remota* est illa, in qua homines constituti regulariter ut plurimum non peccant. Occasio *proxima* duplex est; per se, et per accidens. Occasio proxima *per se* est illa, in qua homines *communiter* ut plurimum peccant. Occasio proxima per *accidens*, sive respectiva, est illa quae, licet per se respectu aliorum non sit proxima, eo quod non sit apta de sua natura communiter inducere homines ad peccatum, attamen respectu alicujus est proxima; vel quia hic in illa occasione, etsi non fere semper, nec frequentius, frequenter tamen cecidit, vel quia spectata ejus praeterita fragilitate, prudenter timetur ipsius lapsus. Et notandum quod aliquando occasio quae respetu aliorum communiter est proxima, respectu hominis valde pii et cauti poterit esse remota.

Distinguitur occasio 2. in voluntariam et necessariam. Occasio *voluntaria* est illa, quae facile dimitti potest. Occasio *necessaria* est illa, quae physice, vel moraliter non potest avelli. Dicitur *physice* necessaria illa quam quis deserere non potest, ut v. g. si esset in carcere. *Moraliter* necessaria illa dicitur, quae tolli non potest sine scandalo, aut gravi damno vitae, famae aut bonorum.

Periculum autem proximum peccandi aliud est formale, aliud materiale. Periculum *formale* est illud, quod est proxime conjunctum cum peccato, ita ut homo in eo constitutus probabiliter peccabit, sive in peccatum consentiet; et hoc periculum semper vitandum est. Intelligendum tamen hoc si periculum sit consensus, non autem simplicis tentationis aut motuum. Periculum *materiale* vero est illud, quod cum peccato non est proxime conjunctum, sed tantum remote, ratione necessitatis et mediorum, quae homo adhibet ad peccatum vitandum; unde, tunc accidet quod occasio de se sit proxima et periculum remotum, prout evenire potest in chirurgo, qui in medendis partibus secretioribus puellae utique esset in occasione proxima peccandi, sed ratione necessitatis et officii, si debitas adhibeat cautiones piarum cogitationum, precum, protestationis de non consentiendo, bene poterit a culpa excusari; quia tunc, divina adjuvante gratia, periculum fit remotum et materiale.

Hinc *infertur* esse in occasione proxima sequentes: 1. qui domi retinet mulierem, quacum saepe peccavit. Si quis autem non habet ad suam dispositionem mulierem quacum peccat, sed cum ea peccat semper ac accedit in

illius domum, tunc illuc accedere erit occasio proxima, etiamsi semel in anno accederet, et peccaret. 2. Qui in ludo frequenter labitur in blasphemias, vel fraudes. 3. Qui in aliqua domo, caupona, aut conversatione incidit in ebrietatem, rixas, verba aut gestus lascivos. Hujusmodi Poenitentes non sunt absolvendi regulariter, nisi prius occasionem deseruerint. Nec pariter sunt absolvendi illi, qui licet in occasione non peccent, aliis tamen scandalum praebent, ut *communiter* docent *Palaus, Bon., Salm. etc.*

Addunt *Croix, Tourn., Cabass.* quod, cum occasio externa conjungitur cum passione aut tentatione vehementi, vel habitu vitioso, peccat qui eam non relinquit, etsi necdum cesserit tentationi; quia raro accidet quod talis se continebit si ab occasione non separetur. Unde, ait *Tourn.* quod ancilla vivide sollicitata ab hero, tenetur ab illius domo discedere; qui enim libere commoratur ubi tam periculose ad malum allicitur, non potest rationabiliter sperare victoriam tentationis, nisi auxiliis gratiae extraordinariis, quae sperari sine temeritate nequeunt ab eo, qui libere periculum vitare potest et non vult. Haec tamen intelligenda sunt, si hujusmodi persona sit fragilis et parum devota, nam si esset pietati debita et cauta, et opportuna adhiberet remedia ad tentationes repellendas ac passioni obviandum, tunc eam non obstringerem ad occasionem auferendam.

Dicit autem *Ronc.* non esse negandam absolutionem juveni et puellae, qui aliquo tempore se invisunt animo Matrimonium contrahendi; nemo enim, ait, tenetur ducere personam ignotam, sed per aliquod tempus potest experiri quibus moribus alter sit praeditus. Haec assertio speculative loquendo videtur rationabilis; sed ego experientia doctus vix semel vel iterum permitterem sponso ad domum sponsae accedere, vel sponsae aut parentibus illum in domo recipere; raro enim reperi qui in tali accessu non peccaverit, saltem verbis aut cogitationibus, cum omnes aspectus et colloquia inter hujusmodi sponsos sint incentiva ad peccandum, et moraliter impossibile sit ipsos invicem tractare, et stimulos turpes non sentire ad ea quae tempore conjugii inter se futura sunt. - 452.

Et generaliter loquendo de adolescentibus et puellis, qui invicem se adamant, quippe non sunt isti omnes indistincte de gravi culpa damnandi, sed ordinarie puto ipsos difficulter esse extra occasionem proximam lethaliter peccandi. Id nimia experientia patet; nam ex centum adolescentibus vix duo aut tres in occasione a mortalibus invenientur immunes, tales enim adamantes paulatim in mille crimina ruunt. - *Ex praxi Conf. n.* 3.

In his autem omnibus, praesertim ubi turpium lapsuum periculum imminet, advertat sedulus Confessarius quod nunquam crudelius se geret cum Poenitente quam benignius agendo, et quo majorem severitatem adhibebit, eo melius saluti consulet. *S. Thomas de Villanova* vocat *impie pios*, Confessarios in his nimis benignos.

Ex his omnibus concludo, quod ordinarie loquendo, nunquam absolvi debet Poenitens, qui versatur in occasione proxima voluntaria, etiamsi extraordinaria signa doloris afferat, antequam occasionem removeat: occasio enim extrinseca, praesertim ubi agitur de vitio turpi, quando praesens est, ita mentem excaecat, ut omnia proposita e memoria deleat, et ad peccata ita impellit, ut aliquis etiamsi certam suam damnationem ab illo crimine securturam cognosceret, adhuc a peccato non desisteret. - 452.

Quaeritur 1. An peccet mortaliter,

qui se exponit periculo tantum probabili mortaliter peccandi?

R. Prima sententia negat. Sed *omnino tenendum oppositum.* Ratio convincens, quia si est illicitum uti opinione probabili sine justa causa cum periculo damni alieni spiritualis vel temporalis, quanto magis id non licebit, ubi periculum imminet propriae salutis? Dixi, *sine justa causa;* nam, ubi justa causa adest, non est obligatio tale periculum vitandi, nisi certo moraliter praevideatur lapsus in peccatum. Vide dicta in *Tract. de Virt. Theol. n.* 26. Et sic excusantur chirurgi, si periculo se exponunt in medendis feminis, cum aliquoties in praeteritum ob talem occasionem jam lapsi fuerint. Sic excusantur Parochi, qui in excipiendis Confessionibus eamdem miseriam fuerint experti; sic etiam excusantur alii, qui proprium officium, puta curialis, militis, cauponis, aut mercatoris non possunt deserere sine gravi detrimento. Ita *Salm., Nav., Elbel, Ronc. etc.* Ratio, quia periculum de se proximum tunc fit remotum tam ratione circumstantiae necessitatis, quam ratione simul mediorum praecaventium, quae persona proponit, et tenetur adhibere, nempe diligenter avertendo animum a delectatione turpi, vel ab alia passione, et insuper se muniendo piis cogitationibus, orationibus ac Sacramentorum frequentia. Quae utique media licet non sufficiant ad excusandum ubi non adest causa, eo quod Deus non adjuvat temere se periculo exponentes, bene tamen opem suam praestat ei, qui ex justa causa occasionem non deserit, dum is eo casu non ex affectu ad peccatum, sed ex quadam necessitate in illa occasione permanet. Secus vero dicendum de simplicibus Confessariis, qui pluries lapsi fuerint in audiendis Confessionibus, quia hi tenentur a tali exercitio abstinere, si possint sine gravi detrimento famae, vel facultatum. Si vero quis in iis occasionibus semper vel fere semper lapsus fuerit, et spes non effulgeat emendationis, ille tenetur cum quacumque jactura occasionem deserere, et animam suam salvam facere. Vide infra *n.* 457. *L.* 5. *n.* 635.-453.

Quaeritur 2. An Poenitens, qui versatur in occasione proxima voluntaria, possit prima vel secunda vice absolvi?

R. Prima sententia affirmat. Et hanc tenent *Suar., Pal., Elbel, Spor. etc.* Ratio, quia talis Poenitens potest esse bene dispositus, si vere proponat dimittere. Sed hic distinguendum cum *S. Carolo Borromaeo,* inter occasiones quae sunt *in esse,* prout cum aliquis concubinam domi detinet, vel dum aliqua famula peccat cum hero, quoties ab eo tentatur; et inter occasiones quae *non sunt in esse,* utpote si quis loquendo prolabitur in blasphemias, aut versando in cauponis, prorumpit in rixas et ebrietates, aut convivendo cum sociis, ruit in verbis et cogitationibus obscoenis. In occasionibus hujus secundae speciei, quae *non sunt in esse,* recte docet *S. Carolus* quod si Poenitens firme proponat ab eis se cavere, potest per unam aut duas etiamque tres vices absolvi. Quod si postmodum emendatio non apparet, differri ei debet absolutio, donec ille cum effectu occasionem derelinquat. In occasionibus vero prioris speciei, quae sunt *in esse,* ait *S. Carolus* Poenitentem neque prima vice absolvendum, quascumque promissiones proferat, nisi prius occasionem amoveat. Et hanc sententiam censeo saltem ordinarie loquendo, omnino sequendam. Ratio, quia ablatio occasionis est res magnopere ardua, et non fit nisi quis magnam vim sibi inferat ut avellatur ab illa occasione, ad quam propter praete-

ritam sui animi adhaesionem remanet valde propensus; et ideo si occasio non auferatur ante absolutionem, Poenitens de facili post absolutionem se decipiet, falso sibi suadendo quod tentationibus resistet, et sic, occasione non demissa, profecto redibit ad vomitum.

Qua de re, si talis vellet absolvi antequam occasionem deserat, esset indispositus, quia se constitueret in probabili periculo infringendi propositum: ac propterea, Confessarius qui eum absolveret, ipsum relinquendo in tali periculo, utique peccaret tam contra officium judicis, quam medici; quia absolveret indispositum, non applicando illi remedium suae saluti necessarium.

Dixi tamen, *ordinarie;* nam merito excipiendus est 1. casus quo Poenitens afferat extraordinaria signa doloris, quia tunc propter hujusmodi signa Confessarius prudenter potest judicare non adesse in Poenitente periculum illud proximum infringendi propositum: signa enim illa indicant Poenitentem uberiorem recepisse gratiam, qua magis constantem se geret in occasione removenda. Nihilominus ait *Ronc.*, quod ipse etiam in hoc casu absolutionem differret, usquedum occasio auferatur, si absolutio commode differri posset; et ita etiam ego agerem. Excipiendus est 2. casus quo Poenitens, si absolutio differatur, non possit ad Confessarium redire, vel non nisi post longum tempus, tunc enim si ille jam fuerit confessus peccata sua, et Confessarius prudenter judicare valeat eum firmam habere voluntatem tollendi occasionem statim ac poterit, tunc potest ac debet ipsum absolvere, quia tunc Poenitens habet jus ut statim absolvatur.

Nec obstat dicere quod ipse tunc remaneret in eodem periculo infringendi propositum; nam respondetur quod hoc casu tale periculum de proximo fit remotum: sicut enim ratione gravis damni, ut infra dicetur, non tenetur Poenitens occasionem auferre, eo quod periculum per se proximum ratione illius necessitatis evadit remotum: ita in casu nostro periculum illud infringendi propositum, fit remotum ratione magni oneris, quod Poenitens deberet subire iterum repetendi Confessionem apud alterum: tunc enim est constitutus in morali necessitate recipiendi absolutionem, antequam occasionem dimittat. Hoc tamen non admittendum, st Poenitens ab alio Confessario jam fuerit admonitus de occasione tollenda, et non abstulerit, quia tunc habetur tanquam recidivus, et minime est absolvendus, nisi forte afferat extraordinaria signa doloris, ut supra. - 454.

Quaeritur 3. An possint absolvi qui sunt in occasione proxima necessaria?

R. Bene possunt absolvi, occasione non sublata, cum non teneatur Poenitens tunc illam auferre, sive sit *physice* necessaria, ut patet, sive sit tantum *moraliter*. Nam, *communiter* docent DD. non teneri Poenitentem occasionem dimittere, si aliter grave damnum temporale passurus sit, dummodo interim sit paratus uti mediis praescriptis. Ratio, quia occasio peccandi non est in se peccatum, neque affert necessitatem peccandi; quapropter bene potest cum ea consistere vera detestatio peccatorum, et firmum propositum non relabendi, ac adhibendi debita remedia. Et quamvis praeceptum vitandi occasionem proximam per se obliget ad non permanendum in occasione, attamen illud intelligendum est obligare, cum quis voluntarie in occasione persistit, non vero si maneat ex necessitate.

Quaeritur 4. Quaenam sunt media adhibenda ad reddendam occasionem de proxima remotam?

R Remedia pro his, qui reperiuntur in occasione proxima praesertim peccati turpis sunt, videlicet, 1. Major oratio. 2. Frequentior usus Sacramentorum. 3. Quotidie ante imaginem Crucifixi renovare promissionem non amplius peccandi. 4. Vitare ne versetur solus cum sola. 5. Fugere ab aspectu complicis, et similia.

Quaeritur 5. An teneatur Confessarius absolvere Poenitentem, qui versatur in occasione proxima necessaria, sed quam reddit remotam mediis adhibitis?

R. Potest Confessarius ut jam dixi talem absolvere Poenitentem, sed non tenetur; cum omnes conveniant expedire ut ei differatur absolutio. Imo, ut ego quid sentiam in hac re ingenue dicam, nunquam absolverem eum qui est in occasione proxima extrinseca, (nam de intrinseca aliter infra loquar) praesertim si occasio sit de materia turpi, semper ac absolutio commode differri possit. Censeo enim quod Confessarius tanquam Medicus tenetur aptare suo Poenitenti remedia opportuniora, ut ille suam faciat salutem: reorque nullum aliud aptius antidotum ministrari posse ei qui est in occasione proxima, quam dilationem absolutionis, dum experientia docet quod Poenitentes, postquam absoluti discedunt, ut plurimum negligunt media praescripta adhibere, et sic facillime recidunt. Cum e converso quando ipsis absolutio denegatur, vigilantius satagunt remedia exequi, et tentationibus obsistere, impulsi quidem a timore, ne cum ad Confessarium redibunt, iterum sine absolutione dimittantur. Et casu quo Poenitens prius admonitus ab alio Confessario media praescripta neglexerit, et eodem modo fuerit relapsus, dico omnino dimittendum esse sine absolutione, nisi forte extraordinaria signa doloris exhibeat. Et etiam huic adhuc extraordinaria compunctione donato, ordinarie loquendo, absolutionem denegarem, quando commode absolutio posset differri. Fortasse alicui haec tradens nimis rigidus videbor; sed ego, cum Poenitentes offendissem hujusmodi occasionum laqueis irretitos, sic semper egi et semper agam, hac enim via incedens non me rigidum, sed maxime erga eos benignum esse puto; quandoquidem nullus isto aptior modus mihi videtur, ut ipsi a peccatis et ab aeterna damnatione eripiantur; et e contrario crederem quod, si benigne agendo absolutionem quam petunt eis praestarem, causa essem ut misere in vitiis marcescerent. - 456.

Quaeritur 6. An qui in occasione necessaria etiam adhibitis remediis semper eodem modo relabitur, possit absolvi, nisi prius occasionem deserat?

R. Prima sententia, quam tenent *Lugo etc.*, dicit posse eum absolvi toties quoties, modo habeat sufficientem dolorem et propositum. Advertit tamen *Lugo*, quod cum aliquis semper immediate post Confessionem facile recidit, is censetur carere vero dolore et proposito, et ideo non absolvendus. *Secunda* tamen *verior sententia* tenet hunc non posse absolvi, nisi occasionem deserat, cum jactura adhuc vitae si opus sit, quando nulla emendatio, nec probabilis spes emendationis appareat. Ratio, quia homo tenetur cum omni jactura vitare periculum proximum peccati formalis. Et licet aliquando ob justam causam possit permitti periculum peccati, nunquam tamen potest permitti peccatum, cum autem nulla spes apparet emendationis, periculum utique fit formale, et a peccato sejungi non potest, et ideo omnino est vitandum cum quocumque damno temporali etiam vitae. Hic enim currit illud *Marc.* 6. 46.: *Si oculus tuus scandalizat te, ejice*

eum; bonum est tibi luscum introire in regnum Dei, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis. Et aliunde *Lucae* 9. 23.: *Quid enim proficit homo si lucretur universum mundum, se autem ipsum perdat, et detrimentum sui faciat?* Secus vero dicendum cum *Holz.* et aliis *communissime*, si in praesenti hujusmodi Poenitens afferat extraordinaria signa doloris, tunc enim jam effulget opus emendationis. - 457.

Quaeritur 7. An aliquando possit absolvi concubinarius qui concubinam ejicere e domo non posset sine scandalo aut infamia?

R. Communiter loquendo non est absolvendus, et semper expedit omnino ut saltem differatur absolutio, donec experimento probetur continentia Poenitentis, nisi Poenitens satis dispositus non amplius posset redire ad peccata confitendum; vel si imminneret necessitas communicandi ad vitandum positivam infamiam. - L. 3. n. 435.

Quaeritur 8. An extra rarissimum praedictum casum infamiae, aut scandali, possit absolvi concubinarius, antequam concubinam dimittat, si sedulo se eam dimissurum promittat?

R. Alii concedunt pro prima vice et secunda. Alii omnino negant etiam pro prima vice, quando occasio est proxima. Alii denique distinguunt sic: si concubinarius est publice notus, minime est absolvendus, etiamsi det signa magni doloris, nisi concubinam dimittat. Si vero concubinarius est occultus, nec etiam absolvi potest, nisi in aliquo casu raro, v. g. si confitetur vir nobilis territus morte socii etc.; hoc tamen tantum admittendum puto, quando est moraliter impossibile quod concubina ante absolutionem brevi dimitti possit, vel quando urget necessitas communicandi ob vitandam magnam infamiam; quia experientia nimis constat quod obtenta absolutione, difficulter occasio postea aufertur.-L. 3. n. 436.

Quaeritur 9. An quis teneatur tollere occasionem proximam peccandi cum concubina, etiam cum suo gravi damno temporali?

R. Negant Tancred. etc. Sed *contrarium* omnino tenent *Salm.* Attamen primam sententiam *probabilem* censeo. Sed in hoc casu expedit omnino ut differatur absolutio usque ad emendationem. - L. 3. 441.

Quaeritur 10. An concubina, quae a concubinario sustentatur, possit absolvi, antequam a domo illius discedat?

R. Recte negant Salm. Excipiunt tamen 1. nisi ei eveniret grave damnum, puta infamiae, vel aliorum scandalum. 2. Nisi femina nequiret manuum labore se alere, aut mendicare sine dedecore. Sed in his casibus semper est differenda absolutio. - L. 3. n. n. 437.

Quaeritur 11. An possint absolvi famulae cum heris peccantes, si etiam antea cum eis peccaverint?

R. Si illae bis vel semel tantum peccaverint, et post admonitionem Confessarii, occasionem tollere curaverint, tunc absolvi posse recte dicunt *Salm.* Secus, si occasionem removere neglexerint. Quare nunquam eas absolverem, si peccatum fuerit frequens, nisi in casu gravis necessitatis, ac ipsae essent sufficienter dispositae; et etiam in eo experimentum quaererem. - L. 3. n. 439.

Quaeritur 12. An possit absolvi uxor, si ipsa est in occasione proxima peccandi cum viro suo, qui eam contra naturam cognoscat vel prostituat?

R. Negative. Tenetur enim tunc uxor divortium facere; sed hoc intelligendum, nisi ad hoc sit moraliter impotens. - L. 4. n. 449.

PUNCTUM II.

De modo agendi Confessarii cum habituatis et recidivis.

Consuetudinarius, sive habituatus intelligitur ille, qui prima vice suum pravum habitum confitetur. Recidivus autem est ille qui post Confessionem in eadem peccata relapsus est.

Quaeritur 1. An possit absolvi Consuetudinarius?

R. Affirmative, etiamsi nulla emendatio praecesserit, modo eam serio proponat, ut cum sententia *communissima* dicit *Croix*. Ratio, quia talis Poenitens ex una parte non est praesumendus malus, ita ut velit indispositus ad Sacramentum accedere; ex alia bene praesumitur dispositus dum peccata sua confitetur, cum ipsa spontanea Confessio sit signum Contritionis, nisi obstet aliqua positiva praesumptio in contrarium: omnes enim conveniunt quod dolor per Confessionem manifestetur. Nec valet dicere quod eadem prava consuetudo est signum indispositionis, nam licet pravus habitus reddat peccatorem propensiorem ad peccatum, non tamen dat praesumptionem suae infirmae voluntatis. Attende quae docet Catechismus rom.: « Si, audita Confessione, judi- » caverit Sacerdos neque in enumeran- » dis peccatis diligentiam, nec in de- » testandis dolorem Poenitenti omnino » defuisse, absolvi poterit. » Nota *omnino defuisse*.

Quaeritur 2. An possit absolvi recidivus?

R. Adsunt tres sententiae. *Prima*, quam tenent *Sylv. etc.*, dicit hunc absolvendum esse toties quoties confitetur, nisi ex aliqua circumstantia judicetur indispositus; alias semper dispositus est censendus, utque talis jus habet ad absolutionem. Sed haec sententia falsa est, ut infra dicemus. *Secunda omnino opposita*, quam tenent *Merbes etc.*, dicit nunquam peccatorem habituatum censendum esse dispositum ad absolutionem, nisi diu conversionem suam per emendationem probaverit. *Tertia communis*, quam sequimur et tenent *Sanch., Pal., Bon., Lugo, Spor., Viva etc.*, docet quod peccator recidivus rediens cum eodem habitu pravo non potest absolvi, nisi afferat extraordinaria signa suae dispositionis. Ratio primae partis responsionis nostrae est, quia ut Confessarius possit absolvere Poenitentem, debet esse moraliter certus de ejus dispositione, quod non fit quando Poenitens jam admonitus fuit in alia Confessione, et eodem modo cecidit nullo adhibito conatu, et nullo impleto ex mediis a Confessario praescriptis. Frequens ille relapsus signum praebet, vel saltem prudentem dat suspicionem, quod sua poenitentia non sit vera. Qui enim firme proponit, saltem per aliquod tempus perseverat et difficilius aut rarius cadit. Et hoc, ait *Lugo*, accidere potest etiam in Confessione venialium, in quibus Poenitens sit habituatus. Unde merito dicit *Elbel* timendum esse, ne sint nullae et sacrilegae Confessiones illorum, qui propositum de praedictis venialibus vitandis nimis generaliter concipiunt, et Poenitentes hujusmodi potius quam se vexent ut omnia sua venialia exacte confiteantur, attendere debere ad illa clavibus subjicienda de quibus noverint verum habere dolorem et propositum. Ratio secundae partis responsionis nostrae contra rigoristas est, quia relapsus, tametsi praebeat aliquam suspicionem, non tamen certum exhibet signum indispositionis, bene enim contingere potest quod Poenitens vere habuerit firmam voluntatem non relabendi, et tamen vi pravi habitus sit relapsus. Unde, quoties Poenitens affert signa extraordinaria doloris, per ea tollitur suspicio illa de in-

dispositione, et tunc Confessarius prudenter judicare poterit suum Poenitentem satis esse dispositum.

Nec verum est quod sola temporis probatio unicum sit signum mutatae voluntatis : nam, voluntatis mutatio pendet a divina gratia, quae tempore non indiget, sed in instanti operatur; et ideo non solum per experimentum temporis, sed etiam per alia quidem signa patefieri potest. Imo aliquando alia signa praesentis dispositionis multo melius manifestant mutationem voluntatis, quam experientia temporis: nam signa illa directe indicant dispositionem Poenitentis, experientia vero tantum indirecte, adeo ut non raro evenire poterit quod aliquis etiam longo tempore se a vitiis pro mundi hujus honestate contineat, et nihilominus non sit rite dispositus. Propterea, quoties Poenitens affert vera signa doloris et propositi toties bene absolvi poterit. - 459.

Quaeritur. 3. Quaenam sint haec signa extraordinaria doloris, cum quibus recidivus statim absolvi possit ?

R. Plura hujusmodi signa traduntur ab AA., videlicet, ut sequentia : 1. Major dolor patefactus per lacrymas, suspiria, aut cordialia verba; *Lugo*, *Laym. etc.* Lacrymae enim Poenitentium ut plurimum oriuntur ex compunctione cordis, maxime si effundantur post auditam concionem vel monitionem Confessarii praebentis aliquod compunctionis motivum: et nisi aliud percipiatur oppositum, ordinarie ex *S. Leone* credendus est Poenitens ex inspiratione Dei lacrymas effundere. 2. Minor numerus peccatorum. *Bus.*, *Spor. etc.* Hoc tamen intelligendum, cum Poenitens fuerit in eisdem occasionibus et tentationibus peccandi: aut si ille post ultimam confessionem diu se continuerit, v. g. per viginti aut triginta dies, cum ante assuetus fuerit prolabi pluries in hebdomada: vel si relapsus fuerit post magnum conflictum, ut recte ajunt *Croix etc.* 3. Studium adhibitum ad emendationem, aut si Poenitens adhibuerit jejunia, eleemosynas, orationes et missas, ut bonam faceret Confessionem, et ad absolutionem se disponeret. Fuga spontanea occasionum, impletio mediorum praescriptorum a Confessasio. - *Maz.*, *Vigandi etc.* 4. Si Poenitens quaerat media ad se emendandum, aut si promittat remedia adhibere ; vel antea praestita melius exequi, maxime si nunquam admonitus fuit de mediis adhibendis. *Lugo*, *Croix etc.* Sed hujusmodi promissionibus puto non omnino confitendum, cum Poenitentes facile promittant, ad absolutionem obtinendam, omnia exequi quae Confessarius imponit, sed non raro postea negligunt. 5. Spontanea Confessio, *Tamb.*, *Segneri etc.*, dummodo Poenitens non confiteatur ex obligatione praecepti paschalis, vel impulsus a parentibus, paedagogo aut domino, nec propter quemdam usum se confitendi in aliquibus festis, sed accedat omnino sponte, et vere a lumine divino inspiratus, ad solum finem adipiscendi Dei gratiam. Praecise haec spontanea Confessio signum esset dispositionis, si Poenitens, ut accederet ad Sacramentum, notabilem conatum adhibuit, scilicet longum iter est aggressus, abstinuit a lucro illius diei, magnum conflictum internum sive externum superavit et similia. 6. Si accedit ductus ab aliquo extraordinario motivo, nempe concionis auditae, mortis alicujus amici, vel ex timore terrae motus, alluvionis, pestis etc. *P. Milante* et *Croix* 7. Si Poenitens confiteatur peccata prius culpabiliter omissa. *Croix* 8. Si Poenitens priusquam accedit, restituerit ablatum, vel reparaverit famam proximi laesam. *Milante.* 9. Si post peccata Poenitens ad monitionem Confessarii

significet se adeptum fuisse novam cognitionem suae iniquitatis et periculi suae damnationis. *Milante.* Addit *Croix* esse etiam signa extraordinaria, si Poenitens dicat se poenituisse statim post peccatum, si cupiat satisfacere, si magnam Poenitentiam bono animo acceptet, si protestetur ex se ipso malle mori quam relabi. Haec signa dico saltem deservire posse ad alia signa dispositionis adjuvanda.

Nota. Haec signa dispositionis recidivorum AA. praefati non casu tradiderunt, sed experientia docti. Unde puto nequaquam errare eum qui se dirigit cum sententiis *communiter* receptis ab iis AA. non humilis notae. Dicere autem quod ipsi scripserint ex passione affecti, ut suae doctrinae cum plausu exciperentur, vel propter aliquid hujusmodi, non videtur carere aliqua labe temeritatis. Quod si hoc non est addendum, non debet putari hos tam graves DD. a Deo lumine suo fuisse destitutos in re, quae directionem respicit conscientiarum totius populi Christiani, tanto magis quod circa tales sententias nulla Ecclesiae proscriptio intercessit. Nec officit quod plures opiniones, quae circumferuntur non sunt ab Ecclesia damnatae, et tamen ab aliis *communius* ut laxae reputantur; nam Ecclesia non omnes opiniones, quae casus particulares respiciunt, damnat, quamvis non approbet, sed sententias quae universalitatem conscientiarum spectant, Ecclesia nec approbat, nec tacet, ut dixit *S. Aug.* - 460

Quaeritur 4. Quaenam requiratur certitudo dispositionis Poenitentis ut absolvi possit?

R. Cum in Sacramento Poenitentiae materia sit moralis, prout sunt actus Poenitentis, sufficit certitudo moralis; sive respectiva. Unde sufficit quod Confessarius habeat prudentem probabilitatem de dispositione Poenitentis, et non obstet ex alia parte prudens suspicio indispositionis; alias vix ullus posset absolvi, dum quaecumque signa Poenitentium non praestant nisi probabilitatem dispositionis. Et hoc videtur satis exprimi in Catech. Rom. ubi dicitur « Si audita Confes» sione, Sacerdos judicaverit neque » in enumerandis peccatis diligentiam, » nec in detestandis dolorem Poeni» tenti omnino defuisse, absolvi po» terit. » Ergo semper ac Confessario positive non innotescit Poenitenti omnino defuisse dolorem, ipsum absolvere potest. - 461.

Quaeritur 5. An possit Confessarius differre absolutionem Poenitenti dispositio sine ejus consensu?

R. Affirmative, semper ac prudenter judicat dilationem esse utilem ejus emendationi. Ratio, quia Poenitens quamvis habeat jus ad absolutionem ratione Confessionis peractae, non tamen habet jus ut statim absolvatur; Confessarius enim, cui non solum judicis, sed etiam medici competit munus, bene potest, imo meo judicio, ut supra dixi, tenetur differre absolutionem, quando judicat tale remedium esse necessario utile saluti sui Poenitentis. - 462.

Quaeritur 6. An saepius expediat differre absolutionem Poenitenti sufficienter disposito sine ejus consensu?

R. Commune est apud DD. nullo modo expedire absolutionem differre, quando dilatio magis obfutura quam profutura censetur. Idem dicendum, cum ex dilatione absolutionis Poenitens pateretur notam infamiae. Extra autem hos casus sentit *Hurtadus* semper expedire differre absolutionem Consuetudinariis. Alii vero dicunt raro expedire quod Poenitenti disposito differatur absolutio. Melius dicendum quod certa regula in hoc statui non possit, sed Confessarius ex circumstantiis occurrentibus se di-

rigere debet, et postquam Deo se commendavit, ut erit a Deo inspiratus, absolutionem differat, vel impertiatur. Ut autem hic meum proferam judicium, dico, quod si Poenitens relapsus sit ob causam, seu fragilitatem intrinsecam ut accidit in peccatis pollutionis, delectationis morosae, odii, blasphemiae et similium, raro puto differendam esse absolutionem recidivo sufficienter disposito per signum extraordinarium, quia in tali Poenitente magis sperandum, profuturam fore gratiam Sacramenti, quam dilationem absolutionis. Et casu quo dilatio videatur expedire, *verius* dicendum absolutionem non differri debere plusquam ad octo vel ad decem dies (*a*) - 463.

Quaeritur 7. Cur differenda est absolutio Poenitenti qui est in occasione extrinseca, et non illi qui relapsus est ex prava consuetudine, cum eodem modo impellat ad peccandum occasio extrinseca, ac prava consuetudo ?

R. Alio quidem longe diverso modo ad peccatum impellit occasio extrinseca, quam pravus habitus : occasio enim per objecti praesentiam, quae vividas excitat cogitationes, vehementer movet sensus pronos ad peccandum, effectumque ad peccatum redit intensiorem, et ideo Poenitens maximam sibi vim inferre debet, non solum ad superandam tentationem, sed etiam ad conandum ut periculum per fugam familiaritatis cum persona complici ex proximo fiat remotum. Prava autem consuetudo, cum non habeat objectum extrinsecum praesens, non ita utique sicut occasio ad peccandum impellit, unde fit ut Poenitens minorem vim sibi inferre debeat ad abstinendum a peccato. Praeterea cum pravus habitus sit quid intrinsecum et inseparabile a persona, extirpatio habitus minus quam remotio occasionis pendet a propria voluntate; et ideo magis sperandum est ut Deus bonam voluntatem per majora auxilia adjuvet ad perseverandum. Et praesertim quoad peccatum pollutionis *Toletus* sic inquit : « Vix puto esse » aliud efficax remedium quam fre- » quentissimam Confessionem adhibe- » re ; est enim hoc Sacramentum » maximum fraenum, et qui hoc non » utitur, non sibi promittat emenda- » tionem nisi per miraculum. » Hocque remedio frequentis Confessionis pro recidentibus in tale vitium legimus D. *Philippum Nerium* maxime usum fuisse. Et huic doctrinae alludit id quod habetur in Rituali Romano, ubi sic : « In peccata facile recidentibus » utilissimum fuerit consulere ut saepe » confiteantur ; et si expediat, com- » municent. » Neque dicatur recidivos perversiores fieri, cum absolvuntur antequam emendentur; nam ego rogarem numquid recidivi, cum sine absolutione dimittuntur, gratia Sacramenti carentes, omnes validiores fiunt, et emendantur ? quot miseros ipse cognovi, qui ob denegatam absolutionem se dejecerunt in desperationem, et per plures annos a Sacramentis aversi aberrarunt ! Caeterum, unusquisque in hoc puncto impertiendae vel differendae absolutionis dirigere se debet juxta lumen a Deo sibi donatum.

Tandem, ut meae conscientiae dictamen exponam, sic concludo : aliquando poterit alicui hujusmodi ex intrinseca fragilitate recidivo prodesse dilatio absolutionis. Semper quidem proderit deterrere hos relapsos negationem absolutionis minando. Ordina-

(*a*) *Ad summum, per quindecim aut viginti dies.* - *H. Tract. ultimus, n.* 10.

rie vero loquendo magis proderit eis absolutionem impertire cum dispositi accedunt per signum extraordinarium doloris. - 464.

PUNCTUM III.

De modo agendi Confessarii cum scrupulosis et devotis.

I. De modo agendi Confessarii cum scrupulosis vide *Tract. de Consc.*, ubi fusius de hac re.

II. Circa modum agendi cum personis devotioni deditis, nota sequentia:

1. Personis devotioni deditis, quae frequenter accedunt ad Communionem, ordinarie loquendo, insinuandum est ut saltem in qualibet hebdomada Sacramentalem absolutionem suscipiant.

2. Quando Poenitens de certis venialibus confitetur, sed usualibus, sive quotidianis, si frequenter et sine resistentia in hujus modi culpas relapsus sit, tunc cum eo agendum tanquam cum recidivo. Vide n. 459. *Ex praxi Conf.* 99.

3. Caveat Confessarius ne his suis Poenitentibus spiritualibus praesertim feminis, prohibeat accedere ad alium Confessarium ; imo ipsis imponat ut aliquando apud alios confiteantur; nisi sint valde scrupulosi et de quibus prudenter timere potest ne incidant in perturbationem, si accedant ad alium qui eorum conscientiam ignorat.

4. Nunquam absque necessitate de aliorum Confessariorum defectibus loquatur, sed potius sedulo quaerat eos ab aliquo errore commisso excusare.

5. Directionem non suscipiat alicujus qui vult Directorem suum relinquere, nisi adsit urgens causa, quia ut ait *S. Theresia*, saepe est daemonis tentatio. Unde ad mutandum Confessarium non satis est quod Poenitens aliquam erga eum abominationem sentiat.

6. Evitet Confessarius partialem se ostendere cum aliquo Poenitente, et si necessarium est, assignet illi aliquem diem aut tempus particulare, quin alii incommodum recipiant. *Ex praxi* 100.

7. Non sit facilis permittere devotis puellis ut capillos praecidant, et aliquem induant habitum religiosum, sed curet ut ipsae prius per multum tempus in vita spirituali et in virtutibus radices prius immiserint. Propter istam nimiam facilitatem Confessariorum, quot puellae postea habitum dimittunt, et nuptias ineunt cum scandalo loci, et malo exemplo aliorum!

8. Neque his puellis indulgeat Confessarius, ut a viris doceantur legere, et tanto minus scribere ; alioquin, eas non absolvat, nec etiam absolvat matres quae hoc permittunt. Quot puellae simplices, quia didicerunt, animae jacturam luxere!

9. Neque concedat feminis juvenibus ut vagant, Ecclesias visitando utque in Ecclesia morentur plusquam est necessarium, cum perturbatione parentum; sed eas moneat ut attendant eis parere, labores domesticos amplectendo. *Ex praxi Conf.* 101. etc.

PUNCTUM IV.

De modo agendi Confessarii cum mulieribus

1. Summe cautus debet esse Confessarius in excipiendis Confessionibus mulierum.

2. Ex decreto S. C. Episcoporum 24 Jan. 1610, Confessarii non debent sine necessitate audire Confessiones mulierum post crepusculum vespertinum, et ante auroram.

8. Ipse regulariter in Confessionario cum junioribus sit potius rigidus quam suavis, nec permittat illas ante Confessionarium accedere, ut sibi loquantur

4. In actu Confessionis non osten-

dat eas agnoscere : et sciat quod sit imprudentia conjicere oculos in Poenitentes, cum e Confessionario recedunt, easque per aliquod tempus intueri.

5. Extra Confessionarium omnem familiaritatem cum eis evitet ; abstineat a recipiendis munusculis, et praecipue ad illarum domum nunquam accedat, uno excepto casu gravis infirmitatis, et tunc nonnisi vocatus accedat, relinquens januam apertam, sedens in loco ubi ab aliis videri possit, et nunquam oculos in faciem Poenitentis defigens.

6. Utatur hac prudentia praesertim erga personas spirituales, cum quibus est periculum majoris adaesionis, ideoque cum mulieribus ejus sermo sit brevis et rigidus.

7. Non adeo mulierum Confessionibus sit addictus, ut per hoc homines ad se venientes audire recuset. O ! qualis miseria est cernere tot Confessarios, qui impendunt bonam diei partem in audiendis Religiosis aliquibus mulierculis, quas vulgo dicunt *Bizocas*, et cum postea vident ad se accedentes homines aut feminas uxoratas, qui sunt pleni angustiis et molestiis, et qui aegre domos et negotia sua relinquere potuerunt, dimittunt eos dicendo : *habeo aliud quod agam, ite ad alios.* Scio esse opus valde Deo carum dirigere animas ad vitam perfectionis : sed assero probos Confessarios praeferre animam indigentem animabus devotis, ut fecerunt *S. Philippus Nerius, S. Joannes a Cruce, S. Petrus Alcantara, etc.* - *Ex praxi Conf. n.* 119.

PUNCTUM. V.

De modo agendi Confessarii cum Pueris et Puellis.

1. Cum pueris et puellis Confessarius adhibere debet omnem charitatem, et modos suaviores quantum fieri potest.

2. Interrogare debet an sciant res fidei ; et si nesciant, oportet eos instruere, si tempus habet, vel eos ad alium mittere ut instruantur saltem circa necessaria ad salutem.

3. In principio Confessionis curare debet, ut ex se ipsis confiteantur peccata quorum memores sunt, et deinde eos prudenter interrogationibus juvare.

4. Si constet quod ipsi sufficienter usum rationis jam habeant, et appareat quod ipsi jam comprehendant cum peccato se offendisse Deum et meruisse infernum, tunc, si satis videantur dispositi, absolvantur : ac si in peccatis lethalibus sunt recidivi, ipsi tractandi sunt sicut adulti.

5. Si autem dubium sit an puer perfectum usum rationis habeat, tunc si est in periculo mortis, aut in obligatione implendi praeceptum paschale, absolvendus est sub conditione. Idque agendum, licet sit recidivus, quia non est spes melioris dispositionis in pueris, qui perfecto usu rationis carent. Vide *n.* 342.

6. Oportet curare ut hi pueri eliciant actum doloris necessarium ad suscipiendam absolutionem ; ut poenitentia his injungenda levis sit, quantum fieri potest, ut illa quantocius impleatur.

7. Curet magnopere Confessarius pueris insinuare devotionem erga Deiparam, recitando quotidie Rosarium, et ter *Ave* mane et sero, ut liberentur a peccato mortali.

8. Circa statum ab aliquo adolescente eligendum, non audeat Confessarius illum ei determinare ; sed tantum ex indiciis curet suadere statum illum, ad quem prudenter judicare potest ipsum a Deo vocari.

9. Si aliquis adolescens Religionem ingredi vult, curet Confessarius qualem Religionem : nam, si unquam institutum illud relaxatum est, melius

erit, ordinarie loquendo, ut in saeculo maneat: nam illi se aggregando, ipse se geret sicut se gerunt alii. Si autem Religio observantia floret, probet Confessarius vocationem sui Poenitentis, et praesertim expendat finem an sit rectus. Si autem finis est bonus, et abest impedimentum, nec debet, nec potest Confessarius, neque alius, ut docet *D. Thom.*, sine culpa gravi, illi impedire, aut dissuadere Religionem.

10. Si aliquis adolescens vellet suscipere statum presbyterii saecularis, non sit facilis Confessarius ad annuendum, sine longa et probata experientia recti finis, et scientiae, vel sufficientis capacitatis. Ut quis bonus evadat Sacerdos in saeculo, in quo raro, ne dicam, rarissime boni inveniuntur, oportet ut prius egerit vitam valde exemplarem, remotam a ludis, ab otio, a pravis sociis, et deditam orationi et Sacramentorum frequentiae, alioquin se ponit in statu quasi certae damnationis, praesertim si hoc faciat ut obtemperet parentum fini, qui est res domesticas augere.

11. Quoad adolescentes illos, qui volunt aut debent ducere uxorem, advertendum quod tenetur Confessarius eos prohibere si vellent cum dedecore familiae inire, aut quamvis conjugium non esset dedecorum, vellent tamen illud contrahere, invitis parentibus, et cum eorum scandalo, quin ipsi filii justam causam habeant, ob quam excusentur.

12. Quoad puellas vero, quae virginitatem suam Jesu Christo consecrare cupiunt, non permittat eis castitatem vovere, nisi cognoscat eas bene fundatas in virtutibus, et edoctas in vitae spiritualis regulis, et praecipue in oratione exercitas. Sub initio iis tantum permittere potest, ut castitatem voveant per aliquod definitum tempus, nimirum a solemnitate alicujus festi ad aliam alterius. - *Ex praxi Conf.* 90. *etc.*

PUNCTUM VI.

De modo agendi Confessarii cum rudibus.

Confessarius interrogare debet rudes, quos cognoscit incapaces examinis faciendi; debet eos instruere ante absolutionem circa mysteria principalia; quoad vero caetera necessaria de *Praecepto*, sufficit quod Poenitens promittat quod se instruere faciat ab aliis, saltem quoad substantiam; debet eos ad contritionem excitare, et sic dispositos absolvere. - *Ex Praxi Conf.* 21. - Vide insuper n. 607.

PUNCTUM VII.

De modo agendi Confessarii cum mutis et surdis.

1. Si mutus esset etiam surdus, ut ordinarie evenit, ad ejus confessionem excipiendam oportet eum adducere in aliquem occultum locum, ad exigendum quoddam signum suorum peccatorum et doloris meliori modo quo potest. Sed priusquam eum audiat, curet Confessarius instrui ab ejus familiaribus de ipsius vitiis, et de modo tenendo, ut eum percipiat, et ab eo percipiatur; et cum aliquod jam perceperit, ejus particulare peccatum, cum signo doloris, illum debet absolvere. Sed ego semper eum absolverem sub conditione, nisi quamdam moralem certitudinem haberem de sua dispositione.

2. Mutus, si sciret scribere, tenetur ad confitendum per scripturam. Vide n. 479.

3. Si unquam accederet ad Confessarium aliqua mulier surda, et Confessarius in progressu Confessionis, interrogans de circumstantiis peccati confessi, adverteret esse surdam, quid

agendum in hoc casu vide n. 664. - Ex *Praxi Conf.* 102. etc.

PUNCTUM VIII.

De modo agendi Confessarii in dirigendis animabus spiritualibus.

Cum videt Confessarius Poenitentem vivere immunem a culpis mortalibus, omnem curam adhibere debet ut eum in viam perfectionis, et Divini amoris introducat.

In tribus autem praecipue posita est directio Confessarii quoad animas spirituales, scilicet in Meditatione et Contemplatione, in Mortificatione, et in frequentia Sacramentorum. Vide plura de his in *Praxi Conf.* n. 121 *etc.*

Sequentia monita insuper eis dabit.

1. Collocare omnem suam fiduciam in Deo, et omnino diffidere de se, et de suis bonis propositis.

2. Cavere a quocumque minimo defectu deliberato; et non tristari post admissum, sed cito se humiliare, et poenitere.

3. Alienare se ab omnibus propinquis, rebus, voluptatibus.

4. Laetari quoties se cernit contemni, irrideri, et omnium vilissimum reputari, ideo specialiter amare suos inimicos.

5. Alere ardentissimum desiderium amandi Deum, illique placendi.

6. Habere magnam uniformitatem divinae voluntati in omnibus rebus appetitui nostro contrariis, et se pluries in die Deo offerre.

7. Praestare exactam obedientiam regulis, superioribus et Patri spirituali.

8. Attendere semper divinae praesentiae, dirigere intentionem placendi Deo in quacumque actione quotidiana sive spirituali sive corporali.

9. Quotannis exercitia spiritualia peragere per octo vel decem dies, singulis mensibus aliquam diem ad se colligendum destinare.

10. Habere devotionem specialem erga S. Josephum, Angelum suum custodem, sanctum suum tutelarem, et praecipue erga S. Michaelem; sed ante omnia, erga Beatissimam Virginem Mariam. - *Ex praxi* 160.

PUNCTUM IX.

De modo agendi Confessarii cum infestatis a Daemone.

1. Aliqui obsessi a malis spiritibus vexantur spectris horribilibus, aut corporalibus cruciatibus. Horum facilis est cura; insinuetur eis oratio, patientia, et super omnia divinae voluntati uniformitas.

2. Qui magis solent Confessariorum mentem gravioribus difficultatibus implicare, sunt ii qui turpibus visionibus, motibus ac etiam tactibus vexantur a Daemone, qui non solum fomitem sensualem excitat, sed aliquando etiam cum eis carnale commercium sub forma viri aut mulieris, habet; quapropter *succubus*, vel *incubus* appellatur.

3. Si quis unquam advenit infestatus ab hoste huiusmodi genere tentationis, dictae *spiritus fornicationis*, debet Confessarius multum satagere ad praemuniendum Poenitentem in tam horrendo conflictu. Nam ejus salus in magno periculo versatur, si remedia non adhibeat multum efficacia, et aliquando, si oportet, etiam extraordinaria.

4. Itaque, si Confessarius judicare potest nullam omnino adesse culpam in hac tentatione ex parte Poenitentis, ipsum admoneat ut jugibus precibus sibi subveniat, frequenter invocando SS. nomina *Jesu* et *Mariae*, se diligenter avertat a sensuum voluptatibus, communionem frequentet, saepe utatur signo crucis, illam ferendo quoque

secum, utatur etiam aqua benedicta, cum ipsa lectum et cubiculum aspergendo; afferat etiam secum aliquam reliquiam Sanctorum, et Evangeliorum librum, secum pariter adhibeat Exorcismos privatos, dicendo: « Spi» ritus nequam, in nomine Jesu Chri» sti praecipio tibi ut a me discedas, » et ne me amplius vexes. » Saepe in actibus humilitatis se excitet, quum Deus aliquando, propter superbiam, has tentationes permittit.

5. Si quis autem in his tentationibus misere cadit, hujus curatio est valde difficilis. In hoc casu ante omnia Confessarius adversus daemonem praemittat exorcismum saltem privatum, qui certe licitus est, hoc modo: « Ego » ut Dei minister praecipio tibi, aut » vobis, spiritus immundi, ut rece» datis ab hac creatura Dei. » Eadem remedia supra annotata illi praescribat, differat eum absolvere, et hortetur ut saepe redeat, nec eum absolvat, nisi post longum experimentum; tales enim conversiones raro sunt verae, et rarissime perseverantes. Isti impii et perditi homines, etiamsi confiteantur, de facili peccata committunt. Ex *praxi Conf. etc.*, 110.

PUNCTUM X.

De modo agendi Confessarii cum Reis et capite Damnatis.

1. Erga reos Confessarius observare debet quae notantur Tract. *de praec. part.* n. 886.

2. Erga capite damnatos, maxima charitas et patientia adhibenda est. Priam vice, qua Confessarius reum visitat, incipiat ei significare mortem istam donum esse Dei, qui vult eum salvum facere. Dicat quod nos omnes ex hoc mundo discessuri sumus, et de brevi ipsi loquatur de felici beatorum vita, et de miseria damnatorum. Eum inducat ut mortem hilari animo acceptet, eam conjungendo cum morte quam Christus pro suo amore perpessus est. Eum confortet dicendo, quod ipse mortem propter sua peccata acceptando, certe salvus est, et cum magno merito salvus. Insinuet ei postea, ut confiteatur, et libere peccata sua manifestet. Praecipue interroget an odio adversus aliquem teneatur. Postquam autem eum absolverit, curet ut ille pluries communicet, monendo etiam ut frequenter Deiparae se commendet, ut bonam ipsi mortem obtineat. Dum e carceribus reus ad patibulum pergit, dicat ei: « Eia, fili mi, » sequere Jesum Christum, qui ante » te profectus est ad Calvarium. » Cum ad locum supplicii perventum sit, iterum eum reconciliet, et absolvat: moneatque ut aliquam indulgentiam lucretur, et deinde sic dicat: « Eia, N. hilari esto animo; jam pa» tet tibi paradisi janua. Conjunge » mortem tuam cum morte Jesu. » Amas-ne illum? Dic mecum: Do» mine, super omnia te diligo, mori » volo, ut tuam faciam voluntatem. » Mortem pro meis peccatis accepto. » Me poenitet te offendisse. Cupio cito » venire ad caelum, ad te in ae» ternum amandum. Maria Virgo, » adjuva me. Domine, in manus » tuas commendo spiritum meum. Je» sus et Maria. » Ex *praxi Conf. n.* 108.

Si autem reus nollet confiteri, Confessarius oret pro eo, eumque commendet aliis, et praecipue communitatibus Religiosis. Interroget an forte de sua salute desperet. Primis tamen vicibus talem obstinatum ne importune cogat, ut statim confiteatur quoniam obstinatior fiet. Melius alloquatur eum de poenis inferni et de gaudiis paradisi. Enarret ei exemplum alicujus peccatoris qui mortuus est impoenitens, vel mortem sanctam sortitus est, deinde relinquat eum, ut

ista animo revolvat. Rediens inquirat an mutatus sit, et dicat ei : « Fili mi, » jam tua mors appropinquat, et ani- » madverte, quod si obstinate dece- » dis, per totam aeternitatem te poe- nitebit. » etc., etc.

PUNCTUM XI.

De modo agendi Confessarii cum Moribundis.

1. Confessarius, in excipiendis moribundorum Confessionibus, non debet tam exacte procedere circa numerum et circumstantias, praesertim, si jam accessisset Sacerdos cum Viatico, aut si Medicus instaret ut cito Viaticum suscipiatur; tunc enim melius est ad dispositionem Poenitentis, quam ad Confessionis integritatem attendere. Sufficit tunc imponere infirmo, ut, cum convaluerit, Confessionem repetat.

2. Satisfactio sit levissima, imponendo proportionatam pro tempore, quo ille convalescet, vel satis erit ei adjungere, ut redeat tempore sanitatis.

3. Vulnerati, et puerperae, quae ordinarie nequeunt ab assistentibus deseri, sufficit ut se accusent generice de suis peccatis, et in particulari de aliqua culpa levi, cum proposito integre confitendi si convalescant.

4. Si moribundus tenetur ad aliquam restitutionem, quam valeat tunc implere, ei imponere debet ut statim faciat, et non sufficit quod ille de illa onus haeredibus relinquat; alias eum non absolvat.

5. Cum tempore mortis fortiores sunt inferni vires, infirmorum vero debiliores, aegrotantes frequenter invisere debet Parochus, praesertim si eos spiritu aegrotare advertit. Quod si legitime sit impeditus, per alium Sacerdotem pium et prudentem providebit, vel defectu hujus, per laicum pium et charitate praeditum, qui sanctis verbis infirmo praesto sit. - Ex *praxi Conf.* 105.

CAPUT VI.

DE SIGILLO CONFESSIONIS.

Sigillum hoc est obligatio juris divini strictissima in omni casu, etiam quo integri regni salus periclitaretur, ad tacendum, etiam post mortem Poenitentis, dicta in Confessione, id est in ordine ad absolutionem sacramentalem, omnia quorum revelatio Sacramentum redderet onerosum, vel odiosum. - 634.

Quaeritur 1. Quot peccata committeret violans secretum Confessionis? - 634.

R. Violatio hujus sigilli triplicem habet malitiam, nempe 1. Sacrilegii contra Sacramentum. 2. Infidelitas gravis, cum ex parte Confessarii intercedat onerosa, quamvis tacita, promissio secretum servandi. 3. Detractionis, si peccatum non sit publicum : neque hic datur parvitas materiae. Ita *Spor.*, *Ronc. etc.*, *communiter*. - 635.

Quaeritur 2. Qui tenentur ad sigillum Confessionis?

R. Tenentur ad sigillum omnes, ad quos quomodocumque notitia sacramentalis Confessionis pervenit: et sic tenentur sequentes: 1. Confessarius, qui, si de auditis in Confessione rogetur, potest negare. *Lugo.* 645. - 2. Superior, cui se sistit absolutus a reservato, vel a quo petitur licentia absolvendi a reservato. *Conc.*, *Antoine etc.* 3. Interpres. Ita *probabilius Pal.*, *Salm.*, *etc.* 4. Qui furtive vel casu aliquid audit, licet inculpate, ita *comm. Pal. etc.* 5. Adstantes, in quorum praesentia confessio fit ex necessitate, puta in naufragio, conflictu etc. *Suar.*, *Bon. etc.* 6. Omnes, quibus aliquid sacrilege revelatum est, unde de hoc nec inter se colloqui possunt. Ita *communiter Holz.*, *Spor. etc.* 7. Laicus, qui pro Sacerdote est habitus.

Suar. etc. 8. Qui alicujus rudis Confessionem scripsit. 9. Etiam, secundum aliquos, ipse Poenitens (*a*): verum *communiter* et *verius Laym., Suar., Bonad. etc.*, eum tantum teneri secreto naturali, ratione materiae, si id ea requirat, tacere audita a Confessario, quia sigillum institutum est tantum in favorem Poenitentium, non Confessariorum, quapropter jus sigilli non Confessariis, sed tantum Poenitentibus confertur. Verumtamen, omnes cum *Holz.* dicunt teneri Poenitentem vinculo secreti naturalis de dictis a Confessario, quorum propalatio ei damnum posset afferre. Mihique videtur teneri Poenitentes huic secreto, quamvis naturali, strictius quam alii; alii enim voluntarie consilia praebent, sed Confessarius tenetur praebere ex officio. Unde, cum Confessarius obligatur necessario ad dandum consilium Poenitenti ut ille sibi caveat a damnis spiritualibus, ideo Poenitens rigorosius tenetur cavere ne Confessario damnum obveniat ob consilium, sibi praestitum.-647.

Nota 1. Confessarius tenetur ad sigillum, etsi Poenitens discedat indispositus, modo iste dixerit peccata ad obtinendam absolutionem. 2. In dubio an aliquid sit dictum a Poenitente in ordine ad Confessionem, Confessarius tenetur ad sigillum, quia alias redderetur odiosa Confessio, dum alioquin plura peccata revera in Confessione audita, ob defectum memoriae, et hallucinationem Confessarii, possunt impune manifestari.-637.

Quaeritur 3. In quibus casibus non adest obligatio sigilli?

R. Non est obligatio sigilli in sequentibus casibus: 1. Si Confessio ficte facta sit, v. gr. ad furandum, illudendum, vel Sacerdotem pervertendum, vel ad se conquerendum, etsi hoc casu adhuc prudenter tacendum sit, est *commune*. 2. Si quis extra Confessionem accipiat aliquid sub sigillo Confessionis; quia tantum est obligatio secreti naturalis gravior aut levior pro rei exigentia. Ita *Conc. etc.*, cum *communi*.-636.

Quaeritur 4. In quibus casibus non frangitur sigillum?

R. Non frangitur sigillum in sequentibus casibus: 1. Si in genere dicas *Titium* tibi confessum esse materiam venialem, aut esse probum, innocentem, modo non dicas in his circumstantiis, ex quibus colligi possit alios esse nocentes, vel confessos mortalia. 2. Si dicas N. tibi esse confessum, etsi in certis circumstantiis hoc quoque periculosum sit. Imo si Poenitens verbo vel facto, v. g. clam accedendo, significaverit se nolle sciri quod sit confessus, Confessarium revelare sigillum volunt *Reg. etc.* Et recte consentiunt *Spor. etc.*, quia Poenitens confitendo Confessario extraordinario veniret in suspicionem gravioris criminis. 3. Si peccata ita referas, ut moraliter loquendo, persona innotescere non possit, neque Communitas aliqua etiam parva infametur, ut quod ibi talia vitia regnent, id enim esset contra sigillum. Vide *n.* 654.-4. Si utaris notitia extra Confessionem acquisita, imo ipsum peccatum quod aliunde tibi innotuit aperias, modo nullam circumstantiam ex sola Confessione notam, nec certius referas, quam extra Confessionem nosti, quo in casu opus est magna cautela, et tutissimum est silere. *Laym.*-638.

Nota. Quando plures v. g. studiosi vel aulici etc. tenentur ferre testimonium Confessionis, *probabilius* est et *communius* quod si in schedula scriptum sit Poenitentem tantum esse confessum, schedula sit concedenda,

(*a*) *Sed hoc negat* communis et vera *sententia*.-*H. n.* 148.

ut tenent *Laym.*, *Croix etc.*, quia negare schedulam, idem esset ac indirecte revelare eum non esse rite confessum. Secus vero si Confessarius in schedula deberet scribere Poenitentem non solum esse Confessum, sed etiam absolutum; quia cum mendacium sit intrinsece malum, nunquam proferri potest, ut *communiter* docent DD. *Lugo*, *Pal. etc.* Si tamen schedulae essent jam typis editae, ubi asseratur absolutio impertita, videtur *probabile*, ut aliqui recentiores dicunt, tradi posse confessis non absolutis, saltem si publice petant, quia tunc Confessarius nullum profert, aut scribit mendacium, sed tantum materialem actum operatur, talem schedulam tradendo (*a*).-639.

Quaeritur 5. Quae cadant sub sigillo?

R. Sub sigillum cadunt sequentia: 1. Omnia peccata Poenitentis tam futura, quam praeterita, siquidem haec animo se accusandi sint manifestata; secus, si per modum simplicis narrationis etc. Ideoque peccat mortaliter qui sive directe sive indirecte aperit aliquod veniale in particulari, etiam leve *Titii*, quia materia sigilli parvitatem non habet, ut est omnium fere sententia. Vel qui in genere dicit eum sibi confessum esse aliquod mortale, vel casum reservatum, vel excommunicationem, vel non esse absolutum ob indispositionem. Imo Confessorem, qui dicat absolute, *Ego Petrum non absolvi*, frangere sigillum dicit *Diana*, cum *Suar. etc.* 2. Peccata complicis, sive prudenter sive imprudenter dicta. *Suar. etc.* 640.-3. Poenitentia imposita, si gravis sit, hoc est, quae consuevit injungi pro mortali, qualis esset Corona B. M. V., non vero *Miserere* (*b*). Peccatorum circumstantiae, quas taceri Poenitentis interest, etsi dictae sint post absolutionem, v. g. si spurius sacros Ordines susceperit etc. Bona vero Poenitentis et caetera impertinentia, quae per accidens interponuntur, nec odium Sacramento pariunt, v. g. propositum Religionis etc., saepe quidem, si nimirum Poenitens ea tecta velit, sub obligationem secreti naturalis, non tamen sacramentalis, cadunt. Excipiunt *Tann. etc.*, nisi Poenitens talia dixerit in ordine ad explicanda peccata, tunc enim sigillo sacramentali claudi tenent. Idem de virtutibus affirmant *Lugo etc.*, si detegantur Confessario ad manifestandum aliquem defectum commissum, aut propriam ingratitudinem erga Deum.

Quaeritur 6. An possit Confessarius monere complicem de licentia Poenitentis?

R. Prima sententia non satis probabilis negat. Secunda vero *sententia communissima* et *vera affirmat*, quia complex ex Confessione alterius complicis nullum jus acquirit ad sigillum Sacramentale. Hoc enim sigillum institutum est tantum in favorem Poenitentium. Ita D. *Thom.*, *S. Antonin.*, *Suar. etc.* Vide n. 491. et 641.

Quaeritur 7. Quomodo cadat sub sigillo objectum peccati?

R. Quod cadat nimirum, si v. g. filius confiteatur se odisse matrem ob illius adulterium, adulterium enim illud cadet sub sigillo tanquam objectum peccati. *Prababiliter* vero dicunt *Tamb. etc.*, quod si Poenitens confiteatur se gavisum de homicidio in publica platea commisso, non teneretur Confessarius ad sigillum, quia

(*a*) *Quam schedulam caeteroquin negare non potest, quin Poenitentis indispositionem manifestet.-H. n.* 162. — (*b*) *Imo melius dicendum si non est de minimis, quae plerumque solent imponi pro venialibus levissimis.-H. n.* 153.

cum homicidium sit publice notum, et per accidens lateat Confessarium, non censetur illud velle sigillo subjicere. Caeterum, ubi nullum adest periculum revelationis, vel gravaminis Poenitentis, juxta dicenda *n.* 659, minime cadit sub sigillo objectum peccati.-641.

Quaeritur 8. An frangat sigillum Confessarius, qui propalat defectus naturales sui Poenitentis, nempe quod sit ignobilis, pauper, aut ignarus, surdus et similia?

R. Si Confessarius tales defectus noverit, quatenus a Poenitente fuerint manifestati ad explicanda peccata, tunc certe cadunt sub sigillo. Et hoc etiamsi manifestatio dictorum defectuum nihil conferret ad explicationem peccati, sed Poenitens jam illos exponeret ad plenius suam conscientiam manifestandam. Secus vero si Confessarius noverit defectus illos, quatenus Poenitens incidenter, sive impertinenter ad Confessionem eos detexerit. Et hoc est *valde probabile*, quia cum Poenitens tales defectus ultro detegat, sine ullo ordine ad explicanda peccata, eos minime censetur subjicere, nec subjicere posset clavibus sigilli, cum ad Confessionem nihil pertineant. 642. Idem dicunt *Lugo etc.*, si defectus illi innotescant Confessario ex actionibus ipsius Poenitentis, sive ex modo confitendi, nempe quod sit blaesus, surdus, rudis, hebetis ingenii, etc. Et sic pariter, si Poenitens ostendit se naturae molestae, irresolutae, durioris ad credendum. Sed huic sententiae merito contradicunt *Pal. etc.*; quia, cum defectus hi sint odiosi, et Confessarius eos noverit occasione Confessionis dum Poenitens sua peccata explicabat, eorum manifestatio semper redderet aliquo modo Confessionem odiosam, et ab ea retardaret. Tantummodo prima sententia locum habere posset, quando omnino constaret Confessario Poenitentem ex illius defectus manifestatione minime gravari. Sic pariter cadunt sub sigillo, ut recte sentit *Holz.*, defectus naturales paupertatis, ignobilitatis, et similium, etiamsi ita referantur a Poenitente, ut ex adjunctis colligatur eos esse communiter notos, quia, cum defectus illi ex peccatorum Confessione cogniti sint a Confessario, manifestatio eorum retardaret Poenitentes a Confessione (*a*). -643. Idem dicendum de defectu scrupulositatis, quia eadem ratio currit, cum non pauci aegre ferant scrupulosos appellari. Tantum id admitti posset, si minime redundaret in gravamen poenitentis, prout facile accidere potest loquendo de saecularibus qui potius laudantur, cum dicitur de eis quod sint scrupulusi, hoc enim pro eis qui in saeculo versantur indicium est bonae et timoratae conscientiae, secus, si dicatur de Praelato, Confessario, et similibus, quibus scrupulositas est signum mentis confusae, vel irresolutae.-644.

Quaeritur 9. An cadant sub sigillo peccata quae commiserit Poenitens in ipsa Confessione, puta impatientiae, contumeliae in Confessarium vel in alios?

R. Affirmative; quia talia peccata, licet non sint materia sigilli, attamen periculum revelationis involvunt; probabile enim indicium praebent quod Confessarius vel noluerit absolvere,

(*a*) *Nihilominus hoc intelligitur tantum pro iis defectibus, quorum manifestationem ex se aegre ferre potest Poenitens, ut esset dicere quod sit hebes mente, pauper, si ille est civilibus natalibus, rudis etc.; non vero cum sunt defectus qui rubori ei non sunt, ut est esse mendicans etc.: et qui jam communiter innotescunt.-H. n.* 154.

vel acriter reprehenderit propter aliquam culpam graviorem.-643.

Quaeritur 10. Quid agere debeat Confessarius, si quis confitendo de aliqua materia gravi non satis distincte, Confessarius ideo eum interrogans de circumstantiis, de consuetudine, vel simili, noverit Poenitentem esse surdum, cum minime adaequate interrogationibus illo respondet, et contra Confessarius altius vocem extollere nequit, ne alii circumstantes audiant?

R. Si circa initium Confessionis advertat Poenitentis surditatem, imponat ei ut redeat alio tempore, et loco opportuno, ubi loqui libere possit Confessarius, ne alii audiant, et interim, patefacere potest aliis surditatem Poenitentis, quando talis defectus communiter sit patens. Si vero advertat hoc in progressu Confessionis, et Poenitens post plures debitas interrogationes recte non respondeat, tunc non licet Confessario alta voce imponere Poenitenti ut redeat, ita ut circumstantes hoc audiant, quia magna daretur eis suspicio quod materiam gravem ille sit confessus. Ideoque in tali casu consilium esse puto quod Confessarius intelligendo peccata meliori modo quo possit, absolvat; absolute quidem, si Poenitens probabiliter censeatur dispositus; sub conditione vero si de dispositione dubitatur (*a*).-644.

Quaeritur 11. An Confessarius interrogatus de peccato Poenitentis, possit dicere illud nescire etiam cum juramento?

R. Affirmandum cum *communi*. Ratio affertur a *S. Thom.* qui dicit: « Homo non adducitur in testimonium » nisi ut homo, ideo, potest jurare se » nescire quod scit tantum ut Deus. » Caeterum, ad hujusmodi interrogationes Confessarius debet ab initio respondere has interrogationes non esse faciendas. Item, si interrogetur an absolverit aliquem, semper melius est respondere objurgando interrogantem: « Quaenam interrogatio est ista, quam » facis? » Si autem Confessarius aliquem non absolverit, et dum Missam celebrat interroget eum minister an ponat formulam pro communione illius Poenitentis, respondeat Confessarius; « interrega ipsum, an velit communi- » care. »-646.

Quaeritur 12. An Doctor consultus a Confessario ex licentia Poenitentis, teneatur ad sigillum Sacramentale?

R Adest triplex sententia. *Prima negat* teneri ad sigillum sacramentale, sed tantum ad naturale. *Secunda* censet consiliarium non teneri ad sigillum, sed bene teneri ad servandum secretum arctissimum, ita ut nullo casu possit illud revelare. *Tertia probabilior* docet teneri consiliarium aeque ac Confessarium ad sigillum, semper ac notitia peccati manifestator ei, ut Confessarius bene se gerat circa munus suum. Ratio, quia sic Christum instituisse creditur, ne Confessio fiat odiosa, nempe, ut omnes quibus immediate, sive mediate pervenerit notitia peccatorum, occasione sive in ordine ad Confessionem, ad sigillum teneantur.

Notandum quod eo casu, non obstante sigillo, is doctor bene poterit pluries loqui cum Confessario et etiam cum aliis ad consilium ex eadem licentia convocatis de casu desceptato, si judicium a Confessario nondum sit completum. Ratio, quia moraliter censetur licentia data esse a Poenitente usque dum sacramentum perficiatur.-648.

Quaeritur 13. An is, a quo petit consilium Poenitens in ordine ad suam Confessionem faciendam, teneatur ad sigillum Sacramentale?

(*a*) *Et Poenitentiam in hoc casu debet adjungere levem, cum alii eam audituri sunt.-H. n.* 155.

R. Prima sententia affirmat. Secunda vero sententia probabilior negat. Ratio, quia, ut *communiter* docent DD., obligatio sigilli oritur ex sola Confessione Sacramentali, in qua Poenitens actu manifestat peccata ad absolutionem obtinendam. Consiliarius ergo tenebitur tantum ad secretum naturale. Si tamen Poenitens, antequam confiteatur, suas culpas committit Sacerdoti propter Confessionem in posterum ei faciendam, tenebitur Confessarius ad sigillum, quia talis manifestatio est quaedam inchoata Confessio, dum Poenitens tunc praemittit manifestationem sui peccati, ut citius postea Confessionem expediat.-649.

Quaeritur 14. An teneatur ad sigillum qui legit chartam, in qua Poenites scripsit Confessionem?

R. Prima sententia affirmat. Secunda tamen *communissime* et *probabilior negat;* quia, ut jam diximus, obligatio sigilli sacramentalis non provenit nisi ex actuali Confessione; at scriptura illa non est Confessio, sed tantum praeparatio ad Confessionem. Ita *Lugo. Wig., Suar., Laym. etc.* Excipiunt tamen *Lugo etc.* 1. Si mutus confiteatur per scriptum Confessario praesenti, et casualiter alius legat eam. 2. Si quis per epistolam peteret a Superiore licentiam pro casu reservato. Excipiunt etiam recte *Wig. etc.* si legeris chartam relictam in Confessionali post Confessionem peractam, vel porrectam Sacerdoti pro Confessione facienda, quia porrectio illa est quaedam inchoata Confessio. Caeterum, praecisis his casibus, dicunt *Laym. etc.*, quod legentes, tanto magis revelantes hujusmodi scripturam, graviter peccarent, nisi certo scirent ibi minimas culpas, et quotidianas contineri. Addunt etiam *Laym. etc.*, quod, eo casu, quem dicunt vix accidere posse aliquando, in magna necessitate, puta ad salvandam Rempublicam aut vitam innocentis, posse licite secretum revelari.-650.

Quaeritur 15. An extra Confessionem, cum licentia Poenitentis, possit agi de auditis in Confessione sive cum ipsomet sive cum quocumque alio?

R. Affirmative, et hoc sic *verius* tenendum; quia sigillum Confessionis est institutum tantum in favorem Poenitentium. Sed requiritur ut licentia sit 1. Formalis et expressa. 2. Libera, spontanea, non vi, dolo, vel per preces importunas extorta, neque per metum reverentialem Confessarii obtenta. 3. Petita ex rationabili causa, et melius extra Confessionem. 4. Non revocata. 5. Et perinde est si fiat scripto aut verbo aut facto, quod quidem aequivaleat expressae concessioni; v. g. si Poenitens extra Confessionem incipiat loqui cum Confessario de dictis in Confessione, tunc enim posse hunc prosequi docent *communiter Lugo etc.* Bene tamen advertit *Lugo* quod eo casu adhuc perseverat sigillum respectu ad alios.-651.

Quaeritur 16. An frangatur sigillum si cum Poenitente extra Confessionem sine ejus venia agas de auditis in Confesssione, aut ea te scire ostendas?

R. Affirmative. Communiter tamen dicunt DD. licitum esse Confessario loqui de auditis in Confessione cum Poenitente statim post absolutionem, antequam ille discedat; quia licet Sacramentum sit completum, attamen judicium adhuc moraliter perseverat.-652.

Quaeritur 17. An Confessarius possit loqui extra Confessionem cum Poenitente de defectu commisso in Confessione, sine ipsius licentia?

R. Prima sententia dicit non solum posse, sed etiam teneri. *Suar., Spor. etc. Secunda* vero *sententia,* cui subscribo, id *negat.* Sic *Sanch., Lugo.* Ratio potissima, quia licet monitio illa fiat ad reparandum defectum praeteritae Confessionis; attamen, cum non sit cum

illa conjuncta, et judicium jam fuerit completum, evadit illicita; eo quod esset quaenam peccati exprobatio, et ideo odiosam Confessionem redderet. Hoc tamen intelligendum, si Confessarius judicium jam perfecerit, absolutionem impertiendo; nam, si non absolverit, vel quia oblitus est absolutionem dare, vel quia eam male protulerit, tunc *valde probabiliter* dicit *Croix* bene posse Confessarium non petita licentia, dicere Poenitenti se eum non absolvisse; quia hic nullum est gravamen pro Poenitente.

Quaeritur 18. An intra Confessionem possit Confessionem loqui cum Poenitente de culpis in alia Confessione auditis, sine ipsius licentia?

R. Negant Diana etc. Sed affirmat sententia communissima et verior; quia saepe pertinet ad munera judicis et medici quae habet Confessarius, recolere peccata prioris Confessionis, ad melius Poenitentem corripiendum vel dirigendum. Unde bene poterit Confessarius loqui cum Poenitente de omnibus peccatis in praeterito ab eo confessis, semper ac putat hoc fore utile Poenitentis, 653.

Quaeritur 19. An Confessarius violet sigillum, si asserit in aliquo loco gravia crimina perpetrari, quae audierit in Confessione?

R. Prima sententia negat. Secunda communissima et longe probabilior docet, quod si oppidum sit parvum, puta, si non constat tribus millibus hominum circiter, tunc violatur sigillum; quia licet tunc non revelatur persona, attamen cum revelatio emanet in infamiam totius communitatis, redundat etiam in gravamen Poenitentis, qui illius communitatis est membrum. Secus vero si oppidum sit amplum, et crimina sint publica. Hocque permittit *Petrocorens* etiam concionatoribus, modo non dicant se audivisse in Confessionibus. Idem sentit *Habert*, dicens licitum esse Confessariis in conclonibus generatim invehere in vitia quae occulte grassantur. Idque expresse permittitur in *C. si Sacerdos*, ubi dicitur: « Si Sacerdos sciat pro certo » aliquem esse reum alicujus criminis, » vel si confessus fuerit..... non de» bet arguere nominatim, sed inde» terminate. »

Quaeritur 20 An frangat sigillum Confessarius, qui dicit Religiosum ex tali Conventu sibi confessum esse grave peccatum?

R. Negat Escob. Verius tamen *affirmant Bus. etc.;* quia tunc singuli illius Conventus detrimentum patiuntur. Et sic pariter Confessarius violabit sigillum, si dicat in Conventu illo talia peccata committi, non vero si tantum diceret se audivisse peccatum Religiosi cujusdam Ordinis, nisi Religio illa esset arctioris observantiae. 654.

Quaeritur 21. An liceat aliquando uti notitia in sola Confessione accepta?

R. Nullo casu uti licet, si periculum sit revelationis saltem indirecte, vel gravaminis Poenitentis.

Quaeritur 22. An sit contra sigillum facere aliquid, ex quo soli Poenitenti innotescere possit id fieri ex notitia Confessionis?

R. Negant D. Thom. etc. Affirmant Sylv. etc.; si tale sit quod Poenitenti ruborem vel molestiam afferat, v. g. si vultum ei austeriorem ostenderet, vel eum declinaret. Secus, si ei sit gratum, vel saltem Confessionem odiosam aut difficiliorem non reddat; v. gr. si audivisset eum ad indignationem, aut odium provocatum, vel in tentationem incidisse ex certo facto, vel dicto ipsius Confessarii, indeque ipse a talibus factis vel dictis abstineat etc. 655. Caeterum generalis regula est fere ab omnibus recepta, licitum esse uti notitia Confessionis, ubi nulla revelatio intervenit, nec ul-

lum Poenitenti gravamen infertur. Quapropter *Holz. etc. communiter* admittunt bene posse Sacerdotem ex notitia Confessionis orare pro Poenitente, vel benignius erga ipsum se gerere: item, consulere libros et sapientes. Insuper *Habert., etc.*, admittunt posse ex notitia cautiorem se reddere in re familiari, socordiam excutere, diligentius invigilare super gregem suum; sed in his maxime caute procedere debet, cum difficile sit in his casibus periculum revelationis vel gravaminis Poenitentis omnino vitare.-657.

Quaeritur 23. An Superior ob peccatum auditum in Confessione, possit amovere subditum ab officio?

R. Affirmat Sambovius. Sed huic doctrinae obstat hodie Decretum *Clementis VIII.*-656.

Quaeritur 24. An Superior in electione Beneficii vel officii, possit negare suffragium ei, quem ex sola Confessione noverit indignum?

R. Affirmat idem *Sambovius.* Sed *omnino* illud *negandum;* hocque hodie certum est ex decreto S. C. Gen. Inquisitionis, edito auctoritate *Inn. XI.* Hinc, bene advertunt *Viva etc.*, illicitum esse Confessario ex notitia Confessionis claudere Poenitentem in cubiculo, ne exeat ad peccandum; dimittere famulum, vel auferre ab eo claves, ne furetur; item ostendere Poenitenti vultum severiorem, vel ei negare pristinam communicationem amicitiae; neque amittendum licitum esse ex scientia Confessionis abstrahere claves aut pecuniam ab arca, claudere fores, non amplius committere claves famulo etc., quia haec omnia redundarent in gravamen, seu exprobationem Poenitentis. Si vero Superior ex alia via quam Confessionis sciret aliquem indignum, puta ex defectu aetatis, scientiae, prudentiae, vel quia noverit alios digniores ad Beneficium, tunc posse, imo debere suffragium Poenitenti negare, dicunt *Nat. Alex. etc.* Sed hanc sententiam censeo locum tantum habere casu, quo tales occurrerent circumstantiae aliunde cognitae, sive ante sive post Confessionem, quae vere moverunt Superiorem ad suffragium negandum, etiamsi nullam ex Confessione notitiam habuisset indignitatis Poenitentis.-757.

Quaeritur 25. An Confessarius possit Communionem denegare Poenitenti, cui prius negavit absolutionem tamquam indisposito, si ille postea occulte Communionem petat?

R. Prima sententia affirmat. Secunda tamen vera *sententia negat*, quia hujusmodi denegatio Confessionem redderet odiosam. Haec sententia hodie est omnino tenenda ex supra citato decreto *Innoc. XI*, ubi vetatur quilibet notitiae Confessionis usus, ex quo sequatur qualecumque Poenitentis gravamen.-658.

Quaeritur 26. An Sacerdos, qui ex Confessione noverit parare sibi insidias, possit fugere, sive aliter sibi cavere aliquo praetextu arrepto?

R. Certum est posse, si ex tali cautione minime manifestatur aliis peccatum confessum, nec ullum gravamen Poenitenti afferatur. Sed si alii, jam conscii peccati Poenitentis, ex fuga conjiciant Poenitentem esse illi confessum tale peccatum, non ei licet fugere. Et licet Confessarius fugam simularet ex aliquo praetextu, semper tamen aliquam rationabilem suspicionem praeberet peccati confessi.

Quaeritur 27. Quid, si Confessarius noverit aliquem ex Confessione solitum esse multa peccata, vel tenuem dispositionem auferre, an possit se celare vel excusari ab eo audiendo?

R. Negative, quia hoc Poenitenti gravamen afferre posset, et aliquo modo odiosam reddere Confessionem, cum facile tunc Poenitens credere possit, quod si ipsi confessus non fuisset

bene tunc suam Confessionem apud illum Confessarium ut coepit, expleret Et hoc tenendum etiamsi Poenitens nullo modo adverteret hoc fieri ob Confessionem peractam. Sed potest se celare Confessarius si justam habeat causam, et erga eum se gerat ac erga alium, de quo nunquam Confessionem excepisset.

Quaeritur 28. An Confessarius possit aufugere a Poenitente, qui ipsum minatur ob negatam absolutionem?

R. Affirmative; quia tunc illae minae non sunt peccatum manifestatum ad absolutionem obtinendam, sed peccatum in Confessione commissum, quod sigillo non gaudet. Haec tamen fuga tantum permittitur Confessario, si fugiendo non ingerat aliis suspicionem negatae absolutionis; quod si autem ingereret, posset recitare aliquam orationem, non jam intendendo deceptionem Poenitentis, sed solam liberationem ab illa vexatione, quamvis Poenitens se decipiat, credens illam orationem esse formam absolutionis. Vide n. 59.-659.

Quaeritur 29. An Confessarius sciens ex Confessione Ecclesiam esse pollutam, possit ibi celebrare?

R. Prima sententia dicit Confessarium posse et teneri celebrare. *Secunda* tamen censet non posse celebrare(*a*); et haec sententia videtur satis *probabilis*, si revera nullum sequatur Poenitentis gravamen, et nulla fiat revelatio indirecta, puta, si Confessarius justum exponat praetextum alibi celebrandi.

Quaeritur 30. Si ex Confessione scias aliquem, cui solitus es confiteri, non esse Sacerdotem, vel non esse Confessarium, an possis et tenearis pergere ad ei confitendum?

R. Negat Sanch. Attamen *communius* et *verius* tenent oppositum *Lugo etc.*, quia in tali omissione, quamvis non adsit revelatio sigilli, semper tamen adest quaedam odiosa exprobatio Poenitentis. Neque tunc oportet tibi simulare Sacramenta, quod revera esset intrinsece malum, sed potes illi ficto Sacerdoti vel Confessario simpliciter aliquod peccatum manifestare sine intentione absolutionis: quod in hoc casu non esset illicitum, cum tua cooperatio ad peccatum illius esset tantum materialis.-660.

Nota. 1. Confessarius in hac materia tam gravi et periculosa, debet esse valde cautus, ne Poenitentes ex Confessione aliquod injustum gravamen subeant; attamen non tenetur cavere omnes leves conjecturas, quas facile malitiose faciunt, sed tantum ne praebeat suspiciones probabiles de peccatis auditis.-661.

Nota 2. In materia sigilli Sacramentalis, non licet uti opinionibus *probabilibus*, et nemo potest uti scientia habita in Confessione, nisi certum sit moraliter, aut saltem certe *probabilissimum* quod ex tali usu nulla eveniat Confessionis revelatio, et nullum Poenitenti gravamen; quia aliter Poenitenti *probabile* gravamen inferretur, ob quod Confessio odiosa ei redderetur. Et haec ratio quidem valde urget; ut enim dictum est ubi *de poss. dub. fidei*, n. 35., non est licitum uti opinione *probabili* in praejudicium juris certi quod alter possidet; Poenitens certum possidet jus, ne occasione suae Confessionis ullum patiatur detrimentum.-633.

(*a*) *Potest, imo debet abstinere a celebratione, sublato periculo revelationis aut gravaminis.-H. n.* 159.

TRACTATUS XXIII.

DE SACRAMENTO EXTREMAE UNCTIONIS.

De hujus sacramenti natura, materia et forma, effectibus, ministro et subjecto.

CAPUT I.

DE HUJUS SACRAMENTI NATURA, MATERIA, ET FORMA.

1. Extrema Unctio est *Sacramentum a Christo institutum ad aegroto de vita periclitanti conferendum salutem animae, vel etiam corporis, per unctionem olei benedicti, et orationem Sacerdotis.* Est de fide ex *Trid.*

Institutum fuit hoc Sacramentum a Christo post Resurrectionem, et promulgatum a *S. Jacobo*, c. 5, *v.* 14. et 15, ubi dicitur : *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum oleo . . . et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus; et si in peccatis sit, remittentur ei.*

Certum est Sacramentum hoc unum esse; licet enim plures sint unctiones, omnes tamen pertinent ad unam significationem interioris medelae.-706.

2. Materia hujus Sacramenti remota est oleum benedictum, quod in pyxide chrismali signatur littera I, idque renovandum est quotannis in coena Domini, veteri exusto, et hoc ex praecepto *Clementis VIII.*

Materia vero proxima est unctio certarum partium corporis, ac saltem quinque sensuum; vel si mutilati sunt, vicinarum partium, facta a Sacerdote: non simpliciter necessaria contactu immediato manus; nam, peste grassante, potest uti virga oblonga oleo tincta, quam postea comburat.

3. Forma hujus Sacramenti constat his verbis : « Per istam sanctam Un» ctionem † et suam piissimam mise» ricordiam, indulgeat tibi Dominus » quidquid per visum (si ungitur ocu» lus, et sic de aliis) deliquisti. Amen.» Quam formam Sacerdos, pollice intincto in oleo sancto, et ungens infirmum in modum crucis, ut praescribit Rituale Romanum, in partibus infra scriptis, aptare debet proprio loco.

Nota. 1. Minister, si est in sacris, vel ipsemet Sacerdos post quamlibet unctionem tergere debet loca inuncta novo globulo bombacii vel rei similis, eaque in vase mundo reponere, et ad Ecclesiam postea deferre, comburere, cineresque projicere in sacrarium. 2. Advertit pariter Rituale, quod cum Sacerdos ungit partes corporis quae pares sunt, prout oculos, aures etc., incipiendo semper a parte dextera, non absolvere debet formam, antequam ambas perunxerit. 3. Aures inungendo, repetere debet Sacerdos eamdem formam, dicendo, per *auditum;* ad nares per *odoratum*, ad os, compressis labiis, *per gustum et locutionem;* ad manus, Sacerdotibus exterius, reliquis interius in palmis, *per tactum;* ad pedes, scilicet in plantis, *per gressum;* ad renes, *per lumborum delectationem.* 4. Quando autem periculum mortis imminet, praecipit Rituale ut infirmus cito ungatur praedictis verbis : *Per istam S. Unctionem etc.*, et postea, si supervivat, dicantur orationes praetermissae. Haec omnia habentur in Rituali.

Quaeritur 1. An praeceptum renovandi quotannis oleum benedictum obliget sub gravi?

R Negat Escob. Sed *probabilius affirmant Bon. etc.;* quia videtur materia satis gravis, et talis est universalis Ecclesiae consuetudo; si tamen novum haberi non possit, licet uti antiquo; et si hoc non sufficiat, aliud consecratum, vel in necessitate non

consecratum, in minore tamen quantitate quam vetus est, licet addere; ita *Croix* ex praxi Ecclesiarum. Quae mixtio potest pluries fieri, modo oleum quod immiscetur sit minoris quantitatis veteri, et adsit necessitas.

Quaeritur 2. Quodnam debeat esse hoc oleum?

R. Certum est hoc oleum debere esse olivarum; quia ex communi usu, nomine olei, hoc proprie intelligitur; ita *communiter* DD. et patet ex decreto *Florentini*. - 708.

Quaeritur 3. An hoc oleum debeat esse benedictum?

R. Certum est apud omnes hoc oleum debere esse benedictum ex necessitate praecepti. 2. Sententia *communissima* est, quod debeat esse benedictum ex necessitate Sacramenti. Ratio, quia Concilia in hoc dogmatice locuta sunt, unde utrum ad valorem hujus Sacramenti requiri declararunt.

Quaeritur 4. An Oleum debeat esse necessario benedictum in ordine ad Extremam-Unctionem?

R. Negant Suar. etc. Affirmant vero *Palaus etc.* Utraque sententia est *probabilis*, unde prima in praxim non potest deduci, nisi in casu necessitatis, quo deest oleum infirmorum; tunc enim poterit ministrari Extrema-Unctio chrismate, vel oleo Cathecumenorum sub conditione, et si postea haberi possit oleum infirmorum, repetendum est Sacramentum.

Quaeritur 5. An hujusmodi benedictio possit committi a Pontifice simplici Sacerdoti?

R. Negant Pal. etc. Sed *affirmandum* cum *Holzm. etc.*, ex decreto *Clementis VIII*, qui declaravit Sacramentum Extremae-Unctionis collatum a Sacerdotibus graecis oleo ab eisdem Sacerdotibus benedicto esse validum.

Quaeritur 6. An sufficiat ministrare hoc Sacramentum una gutta olei?

R. Negant Suar, etc.; quia ungere proprie est oleum per partes diffundere. *Affirmant* vero *communius Escob. etc.*, modo omnes partes ungantur, quia, qui ungit una stilla olei, vere ungit, cum oleum plus quam alii liquores diffundatur. Haec sententia mihi est *probabilior;* at quia prima non est *improbabilis* saltem intrinsece, in praxi sequenda est. Pro valore autem Sacramenti recte dicunt *Salm.*, quod sufficit intingere in oleo extremum digiti, et ungere. - 709.

Quaeritur 7. An unctio quinque sensuum sit de necessitate Sacramenti?

R. Prima sententia negat, et dicit sufficere ad valorem unicam tantum unctionem. *Secunda* tamen *communior* et *tutior affirmat*, ex usu Ecclesiae, et communi DD. sensu; quapropter tantum tempore pestis, vel alia urgente necessitate, poterit adhiberi sub conditione una unctio in aliquo sensu, et consultius in capite; et tunc, dicit *Tourn.* sufficere quod dicatur: « Per istam Sanctam Unctio- » nem..... indulgeat tibi Deus quidquid » deliquisti per sensus, visum, audi- » tum, gustum, adoratum et tactum, » praemittendo verbum *deliquisti*, quia si *deliquisti* proferatur in fine, et interim aeger moriatur, nullum est Sacramentum. Si autem aeger supervivat, merito ait *Croix* repetendas esse unctiones in singulis sensibus, addendo Orationes omissas; et si dubium sit an vivat, unctionem prosequatur sub conditione, dicens: « Si vivis, per » istam etc. » ait Rituale Rom.

Quaeritur 8. An requiratur de necessitate Sacramenti gemina unctio in geminis partibus, v. g. utroque oculo, aure etc.?

R. Recte *negant Ronc. etc.*, et hoc certum est; unde, urgente necessitate, nempe si adsit periculum infectionis, vel si infirmus nequeat verti ad illud latus, sufficit ungere unum oculum, unam aurem etc. Unctio autem renum,

ut praescribit Rituale, « in mulieribus » honestatis gratia semper omittitur, » atque etiam in viris quando infir- » mus commode moveri non potest. » Unctio vero pedum non est de necessitate Sacramenti, ut *communiter* dicunt *Pal. etc.*, qui volunt in hac unctione pedum servandam esse consuetudinem Ecclesiarum.

Quaeritur 9. An de necessitate Sacramenti servari debeat ordo inter unctiones partium ?

R. Negative ; quia hujus ordinis inversio minime impedit Sacramenti significationem ; *communiter* tamen dicunt *Suar. etc.*, id esse graviter illicitum, quia esset contra usum Ecclesiae in re notabili. - 710.

Quaeritur 10. An per quamlibet unctionem partialis gratia conferatur?

R Affirmant Elbel etc. Sed *negant* cum *communiori D. Thom. etc.* Ideo in ultima unctione gratia impenditur. Utraque sententia est *probabilis.*

Quaeritur 11. An possit dari hoc Sacramentum validum et informe, ita ut, recedente obice, gratia conferatur ?

R. Affirmant communiter Suar. etc. Hinc inferunt *Salm.*, quod si infirmus bona fide vel sensibus destitutus Sacramentum suscipit in mortali, sufficit quod postea attritionem habeat, ad gratiam recipiendam ; secus si mala fide. Id autem currit si obex tollatur, perseverantibus eodem morbo et periculo ; saltem quoad effectum specialium auxiliorum (*a*). - 707.

Queritur 12. An sint de essentia verba *deliquisti..... sanctam..... per suam piissimam misericordiam ?*

R. Verbum *deliquisti* merito dicunt *Croix etc.*, esse de essentia ; nam alias non exprimeretur in forma unus ex principalibus effectibus hujus Sacramenti, qui est remissio peccatorum, ut dixit *D. Jacobus : Et si in peccatis sit, remittentur ei.* 2. Verbum *sanctam* non est de essentia, cum in *Florentino* et *Tridentino* haec vox non additur ; peccat tamen omittens. Ita *communiter Pal. etc.* 3. Juxta sententiam *longe communiorem et longe probabiliorem*, non sunt de essentia verba *per suam piissimam misericordiam.* Omnes tamen conveniunt quod omittere praedicta verba esset quidem mortale, cum esset omissio in re notabili, et contra usum Ecclesiae.

Quaeritur 13. An valeat forma indicativa ?

R. Prima sententia affirmat. Secunda tamen *sententia communis* et *verior* docet non valere. Ratio habetur ex ipis verbis *D. Jacobi : Et orent super eum, ungentes eum oleo... et oratio fidei salvabit infirmum.* Ex quibus verbis patet Apostolum Orationi tribuisse efficaciam hujus Sacramenti. - 711.

CAPUT II.

DE EFFECTIBUS HUJUS SACRAMENTI.

Effectus principalis Exremae-Unctionis est roborare animam contra tentationes daemonis in morte. Effectus autem secundarii sunt tres sequentes : 1. Delere reliquias peccatorum, seu partem, juxta dispositionem suscipientis. 2. Tollere poenas restantes, non vero omnes, ut ait *D. Thom.* 3. Aliquando etiam sanitatem corporis conferre, si expediat.

Nota. Commune est inter DD. per

(*a*) *Ideoque dicunt* Laym. *et* Tamb., *cui adhaeret* Bened. XIV., *quod si infirmus non est capax alterius Sacramenti, Sacerdos potest Missam interrumpere, ut ei Extremam Unctionem afferat, ut gratiam recipiat si est in peccato et habeat attritionem. - n.* 1.

hoc Sacramentum remitti peccata tam venialia quam mortalia, si haec infirmus invincibiliter ignoret, habeatque attritionem, qua auferatur obex peccati. Ita *S. Thom. Bellarm. etc.*

Quaeritur 1. An peccata mortalia huic infirmo remittantur per se vel per accidens?

R. Prima sententia dicit remitti per accidens; quia cum hoc sit Sacramentum vivorum, non potest nisi per accidens mortalia delere. *Secunda* vero *sententia probabilior* et *communior* dicit Extremam-Unctionem remittere mortalia per se, etsi consequenter; quia licet hoc Sacramentum sit vivorum, attamen, ex institutione divina, peccata remittit, ut patet ex verbis Apostoli, ut supra, et confirmatur ex *Tridentino:* « Si » quis dixerit sacram infirmorum un- » ctionem non conferre gratiam, nec » remittere peccata, nec alleviare in- » firmos, anathema sit. » In hoc autem differunt Baptismus et Poenitentia ab Extrema-Unctione, quia illa principaliter instituta sunt ad delendum peccatum actuale vel originale; Extrema vero Unctio principaliter est instituta ad tollendas reliquias peccatorum, nempe debilitatem, et ineptitudinem, quae ex peccato actuali relinquuntur; sed quia, cum in anima reperitur peccatum, non possunt tolli reliquiae, nisi prius tollatur peccatum, ideo ex consequenti hoc Sacramentum peccatum aufert.

Quaeritur 2. An principalis effectus hujus Sacramenti sit remissio peccatorum saltem venialium?

R. Affirmant Holz. etc. Sed alli *communissime* et *probabilius* dicunt principalem effectum hujus Sacramenti esse remittere reliquias peccatorum, ut supra; nam alias, qui non haberet actualia peccata, non esset capax principalis effectus illius quod est falsum. - 731.

CAPUT III.

DE MINISTRO HUJUS SACRAMENTI.

Minister hujus Sacramenti est solus Sacerdos proprius, sive pastor, sine cujus venia, si extra necessitatem alius det, validum quidem est, sed graviter peccat. *Sylv., Sot., Conc. etc. communiter.* - 722.

Unde:

1. In necessitate, ut si pastor absit, vel dare nolit, nec Superior possit adiri pro petenda licentia, licite ministrat quivis non excommunicatus, aut suspensus, etiam regularis. Censetur enim tunc Papa dare licentiam. *Suar. etc. communiter.* - 723.

2. Sufficit Sacerdos sine ministrante in necessitate, nec femina adhibenda est; quod si tamen fiat, veniale esse docet *Quint.*

3. Ministrare hoc Sacramentum sine ministro, nullum esse peccatum, etiam remota necessitate, dicunt *Bon. etc.* Sed *probabilius* non excusant a veniali *Dian. etc.*

4. Quando Sacerdos inter unctiones deficit, si statim alius eas suppleat, non sunt iterandae prius factae: secus si unctiones ab alio suppleantur post aliquam notabilem moram, puta, post quadrantem; tunc enim omnes unctiones sub conditione repetendae sunt. - 724.

Quaeritur 1. An Pastor excommunicatus possit Extremam-Unctionem ministrare?

R. Affirmant Diana etc. Sed *probabilius negant Suar., Escob.*, qui secus ait de Pastore suspenso; et quidem *probabiliter*, si alius desit. - 723.

Quaeritur 2. An quivis Sacerdos possit hoc Sacramentum ministrare ob consensum probabiliter praesumptum Parochi, vel ejus ratihabitionis?

R.. Negant Viva etc. Sed *probabiliter affirmant Pal. etc.* Sed non est de facili habenda haec prasumptio.

Religiosus autem incurrit excommunicationem papalem *ex Clementina de privileg.* Posse tamen Regulares hoc Sacramentum, uti et Viaticum, in articulo mortis suis familiaribus ministrare, docet *Diana*, ex bulla *Pii V.* - 722.

Quaeritur 3. An peccet mortaliter Sacerdos ministrando Extremam-Unctionem sine vestibus praescriptis, nempe superpelliceo et stola?

R. Si non urgeat necessitas, certum est graviter peccare. Si vero urgeat necessitas, *prima sententia affirmat*, quia reverentia Sacramenti praeferenda est cuilibet utilitati privatae. *Secunda* vero *sententia etiam probabilis negat*, casu quo vestes deessent, et infirmus decederet sine Sacramento: quia licet Sacramentum hoc non sit necessarium, est tamen valde utile. - 726.

Quaeritur 4. An sit mortale omittere orationes in rituali praescriptas extra casum necessitatis?

R. Recte affirmant Tamb. etc. Dixi *extra casum necessitatis*; nam, si periculum mortis immineat infirmo, jam praescribit Rituale quod infirmus cito ungatur, et deinde, si supervivat, dicantur orationes praetermissae. Idem dicunt *Salm.*, *probabiliter* si Sacerdoti immineat periculum contagii. Omittere autem psalmos poenitentiales, aut litanias, *Elbel* expresse dicit esse veniale. Sed *probabilius* puto praefatas preces esse tantum de consilio, dum nullibi habetur de ipsis praeceptum. - 727.

Nota. 1. Non est mortale deferre ad aegrum vel administrare hoc Sacramentum sine lumine, etiam extra casum necessitatis; sed esse veniale *probabiliter* dicunt *Dian. etc.* 2. *Commune* est esse veniale tantum omittere signum crucis inter ungendum, nec etiam est veniale, si necessitas urgeat. - 728.

Quaeritur 5. Qualis sit obligatio in Pastore Extremam-Unctionem ministrandi?

R. Pastor, ratione officii, tenetur sub mortali, dare iis qui petunt, nisi justa causa excuset; tenetur etiam tempore pestis, modo possit absque periculo vitae; tenetur etiam cum periculo vitae, si infirmus a longo tempore sit confessus, et verisimiliter censeatur esse in mortali: ita *communiter Suar. etc. Salm.* dicunt nisi parochus certe sciat aegrotum esse in mortali, non teneri cum periculo vitae. Sed melius alii dicunt teneri si (*a*) *probabilius* id sciat, juxta dicta n. 724. Item Sacerdos curatus peccat mortaliter, si petentem negligat inungere, vel differat cum probabili periculo ne sine unctione moriatur aeger, nisi justa causa excuset, quia in re gravi non praestat id ad quod tenetur ex justitia. Alius vero Sacerdos, si absente parocho, licite et facile possit, tenetur ex charitate, sed sub veniali tantum; nisi tamen aegrotus valde indigeret, v. g. si alioqui sine omnibus Sacramentis esset moriturus, quod aliud nullum suscipere posset; tunc enim quidem graviorem obligationem agnoscere videntur. - 729.

Quaeritur 6. An peccet graviter Parochus domi retinens sacrum Oleum?

R. Probabiliter dicit *Croix* in hoc non peccare Parochum, si periculum foret, ne vocatus, sero veniret. *Quintan.* tamen non audet a mortali excusare eum qui semper domi retineret. - 730.

Nota. Tempore interdicti vetitum est ministrare hoc Sacramentum. - 731.

CAPUT IV.

DE SUBJECTIO HUJUS SACRAMENTI.

Subjectum hujus Sacramenti sunt

(*a*) *Probabiliter.* - *H. n.* 9.

omnes et soli homines peccatores de vita periclitantes.

Unde :

1. Hujus Sacramenti capaces sunt muti, surdi, et cæci a nativitate, qui debent inungi prope organa quibus carent; nam etsi exterius per illa non peccaverint, potuerunt tamen peccare per interiores potentias, quibus illa respondent.

2. Non sunt capaces hujus Sacramenti, pueri ante usum rationis, perpetuo amentes.

3. Dari debet hoc Sacramentum delirantibus, si ante petiverint, aut petituri fuissent si cogitassent, aut ostenderint signum doloris.

4. Dari debet amentibus, si habeant lucidum intervallum.

5. In dubio an ager unquam habuerit usum rationis, etiam ungendus est sub conditione ; et sic dicendum de ebriis deficientibus, nisi constet eos esse in mortali.

6. Possunt etiam ungi vulnerati in rixa ; quia præsumuntur se conteri in illo extremo statu. - 732.

Quæritur 1. An sit validum hoc Sacramentum, si sano conferatur ?

R. Affirmat Juenin. Sed omnino tenendum est esse invalidum cum *communi sententia.* Id patet ex verbis *D. Jacobi*, C. 6, ubi dicitur : *Infirmatur quis in vobis ? Inducat etc.;* et *communiter* omnes interpretantur hunc textum de infirmitate corporali, non autem spirituali (*a*).

Quæritur 2. An sit validum hoc Sacramentum, si conferatur infirmo quocumque morbo laboranti, etiam non gravi ?

R. Prima sententia affirmat, dicens esse quidem illicitum, sed non invalidum. *Secunda* tamen *sententia communior* et sequenda docet talem collationem non solum esse illicitam, sed etiam invalidam. Probatur ex Decreto *Eugenii IV*, in Inst. ad *Armenos*, ubi dictum fuit : « Hoc Sa- » cramentum dari non debet nisi in- » firmo, de cujus morte timetur (*b*). »

Quæritur 3. An mulieri laboranti in partu sit hoc Sacramentum ministrandum ?

R. Si femina laborat in partu communibus tantum doloribus, non poterit quidem ungi, etiamsi prima vice pariat, vel alias fuerit in periculo mortis, quia tunc non adhuc laborat periculosa infirmitate. Secus vero si mulier coeperit gravissimis cruciatibus divexari, ita ut jam actu sit in proximo periculo mortis; quia tunc revera jam periculose infirmatur. - 713.

Quæritur 4. An hoc Sacramentum licite conferri possit ægroto in solo putato periculo vitæ ?

R. Prima sententia negat, quia hoc Sacramentum invalide confertur, si infirmus revera non sit in vero periculo mortis. *Secunda* tamen *sententia communis* et *vera affirmat.* Hæc sententia docet ad ministrandum hoc Sacramentum valide et licite, sufficere quod infirmus laboret morbo ita gravi, ut prudenter putetur esse in periculo proximæ mortis.

Quæritur 5. An sit expectandus mortis articulus ad conferendum hoc Sacramentum ?

R. Negative ; et *communiter* docent *Antoine etc.* graviter peccare Parochos, qui illud differunt usque dum infirmus privetur usu sensuum et rationis; quia sic privatur infirmus uberiori fructu quem recepisset, si susce-

(*a*) *Dari debet senibus decrepitis, qui prae senio deficiunt, et in diem videntur morituri, etiam sine alia infirmitate. - H. n.* 7. — (*b*) *Si morbus esset gravis, sine tamen ullo signo periculi mortis, tunc daretur valide, sed illicite. - H. n.* 7.

pisset Sacramentum dum erat rationis compos, cum magis tunc se ad illud disposuisset; item quia privatur spiritualibus viribus ad resistendum daemoni, et ad perferenda morbi incommoda; item quia infirmus, si forte esset in mortali, et compos rationis Sacramentum recipiens, auxilio attritionis gratiam forte fuisset adeptus, qua alioquin privatur; demum, quia virtute hujus Sacramenti forte consecutus fuisset sanitatem corporis, si tempore congruo collatum fuisset; licet enim hoc Sacramentum virtute quadam supernaturali operetur etiam salutem corporalem, si animae saluti expediat, ut loquitur *Tridentinum*; non tamen per modum miraculi operatur, sed via quodammodo ordinaria, nempe causas naturales adjuvando, ut *communiter* aiunt DD.; quae omnia saltem simul congesta videntur grave damnum infirmo afferre. Caeterum, *communiter* docent DD. valide et licite posse dari Extremam-Unctionem statim ac prudenter judicatur infirmus laborare periculo mortis, etsi adhuc non proximae. *Suar. etc.*

Quaeritur 6. An possit hoc Sacramentum administrari in dubio utrum infirmitas sit periculosa mortis?

R. Recte *negant Laym. etc.*, quia praeceptum est ne aliis quam de vita periclitantibus ministretur. Secus vero, si de tali periculo vera adsit probabilitas, sive prudens timor. - 814.

Quaeritur 7. Quando hoc Sacramentum possit iterum ministrari eidem infirmo?

R. Quando infirmitas non est diuturna, ad iterandum hoc Sacramentum requiritur ut infirmus a priori infirmitate convaluerit, et in aliud simile discrimen vitae inciderit, ut docet *Tridentinum*. Quando vero infirmitates sunt diuturnae, prout hydropisis etc., tunc si infirmus post unctionem certe manserit in eodem periculo mortis, non poterit rursus ungi; secus vero ait *Bened. XIV*, si dubitetur an revera morbi status mutatus sit, eo quod haec iteratio sit uniformior veteri Ecclesiae consuetudini et per eam novum spirituale subsidium infirmo obveniat. Hoc tamen intelligendum de dubio positivo, nempe quando probabile sit infirmum jam exiisse a periculo mortis; nam alias in mero dubio negativo, servandum est praeceptum *Tridentini*, ubi dicitur posse Sacramentum iterari, si infirmi *convaluerint*, quod revera non potest verificari, nisi saltem probabiliter a periculo exierint. Unde dicit *Ronc.* non sufficere infirmum per quatuor vel quinque dies ita se melius habuisse, ut videatur mortis periculum evasisse: secus, si per notabile tempus, puta per mensem. - 715.

Quaeritur 8. An infantes jam doli capaces sint capaces hujus Sacramenti, si non sint capaces Communionis?

R. Prima sententia negat. Secunda vero *sententia communior* et *probabilior affirmat*; eamque tenent *Bened. XIV, etc.* - 720.

Quaeritur 9. An possit dari Extrema-Unctio infirmo adulto statim post baptismum?

R. Negat Sanctius. Sed *communiter recte affirmant Laym.* Ratio, tum quia verius per baptismum non abstergunter reliquia culparum actualium commissarum ante baptismum, prout sunt torpor ad bonum ac pronitas ad malum; tum quia primarius effectus hujus Sacramenti non tam est remissio culparum, quam corroboratio infirmi contra daemonis tentationes. - 721.

Quaeritur 10. An sit obligatio gravis recipiendi hoc Sacramentum?

R. Prima sententia affirmat (*a*),

(*a*) *Et est probabilior.* - *H. Appendix* 3, *n.* 4.

Secunda vero *sententia communis* (*a*) *et satis probabilis negat*; quia talis obligatio non habetur neque ex vi institutionis hujus Sacramenti, neque ex praecepto divino, cum verba Apostoli non intelliguntur *communiter* a Theologis nisi de consilio. Hoc tamen non obstante, prima sententia etiam *probabilis*, et omnino suadenda mihi apparet, non tam ratione praecepti, quia de eo saltem non constat, qua rationem charitatis, erga seipsum; nam licet moribundus possit aliis praesidiis se roborare, tamen in tali statu constitutus, cum vires, ob mentis oppressionem sint debiliores, et ex altera parte vehementiores sunt, ut ait *Tridentinum*, daemonis insidiae, moribundus in ingenti periculo se exponit tentationibus succumbendi, negligendo se munire hoc Sacramento a Christo Domino instituto, tanquam firmissimo praesidio in tanto conflictu. Omnes etiam conveniunt quod per accidens posset infirmus peccare mortaliter, omittendo suscipere hoc Sacramentum, scilicet 1. Si omitteret habens conscientiam peccati mortalis, et non posset aliud Sacramentum recipere. 2. Si omittendo, scandalum daret. 3. Ratione contemptus, v. g. si illud parvi faceret.

Quaeritur 11. Utrum qui sciens et volens negligit hoc Sacramentum suscipere, dicatur contemnere?

R. Affirmant Merbes. etc. Sed *negant communius* et *probabilius Suar. etc.*; quia is tantum dicitur contemnere, qui illud negligit quia parvi facit; non vero qui non vult suscipere ob aliquam repugnantiam, vel quia putat non esse in praecepto. - 733.

Quaeritur 12. Quaenam dispositiones requirantur ad fructuose recipiendum hoc Sacramentum?

R. In eo qui rationis est compos, et conscius peccati mortalis si non confiteatur, requiritur contritio saltem existimata, nempe, sufficit attritio (*b*). Vide dicta n. 34. Ordinarie autem, nisi obstet causa rationabilis, praemittenda est Confessio et Communio, ob Ecclesiae consuetudinem, quae unctionem tanquam minus necessariam ad salutem postponit. Suscipere autem Extremam-Unctionem ante Viaticum, aut nullum erit peccatum, aut vix veniale ut dicunt *Suar. etc.* - 716.

TRACTATUS XXIV.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

De Sacramenti Ordinis natura et effectibus, materia et forma, ministro, subjecto.

CAPUT I.

DE SACRAMENTI ORDINIS NATURA ET EFFECTIBUS.

I. Ordo est Sacramentum a Christo Domino institutum, quo traditur potestas circa Eucharistiam rite administrandam. Est de fide definita a Concilio *Tridentino*.

De fide est etiam ex *Tridentino*, plures esse Ordines in Ecclesia, nempe Ostiariatum, Lectoratum, Exorcistatum, Acolythatum, Subdiaconatum, Diaconatum, Sacerdotium et Episcopatum.

1. *Ostiariatus* est Ordo, quo confertur alicui specialis potestas aperiendi aut claudendi januam Ecclesiae, ac

(*a*) *Communior.* - *H. n.* 12. — (*b*) *Sed hoc intellige, si tempus non suppeteret confitendi; quod evenire potest si infirmus sit sensibus destitutus. Alias debet prius muniri Sacramento Poenitentiae, tanquam magis necessario.* - *H. n.* 9.

admittendi dignos, excludendique indignos. 2. *Lectoratus* est Ordo, quo confertur alicui specialis potestas legendi psalmos et lectiones ex pulpito in Ecclesia, ac populum catechizandi seu instruendi in rebus fidei. 3. *Exorcistatus* est Ordo, quo alicui confertur specialis potestas ejiciendi Daemonia. 4. *Acolythatus* est Ordo, quo confertur alicui specialis potestas in Missa solemni Subdiacono inserviendi, accendendo cereos, praeparando et porrigendo illi ampullas vini et aquae. 5. *Subdiaconatus* est Ordo, quo confertur alicui specialis potestas in Missa solemni inserviendi Diacono, et solemniter canendi Epistolam. 6. *Diaconatus* est Ordo, quo confertur alicui specialis potestas in Missa solemni immediate assistendi Presbytero, et solemniter canendi Evangelium. 7. *Presbyteratus*, sive Sacerdotium est Ordo, quo confertur alicui specialis potestas consecrandi corpus et sanguinem Christi, absolvendi quoque a peccatis, et pascendi subditos opere ac doctrina. 8. *Episcopatus* est Ordo, quo confertur alicui specialis potestas confirmandi fideles, ordinandi ministros Sacramentorum, necnon consecrandi res ad divinum cultum pertinentes.

Nota. Prima tonsura non est Ordo, sed tantum dispositio ad Ordines, per quam quis fit clericus, et capax Beneficii Ecclesiastici, ac privilegiorum clericalium (*a*). - 734.

II. Effectus Sacramenti Ordinis sunt: 1. Gratia sanctificans. 2. Gratia sacramentalis ad ministerium rite exercendum. 3. Impressio characteris. - 733.

Quaeritur 1. An singuli septem Ordines sint Sacramenta?

R. Adsunt quatuor sententiae. *Prima* universe *affirmat*; et hanc docent *D. Thom., Sanch. etc. Secunda* dicit solum Sacerdotium esse Sacramentum; et hanc tenent *Caj. etc. Tertia* dicit esse Sacramenta tantum tres Ordines majores, nempe Subdiaconatum, Diaconatum, et Sacerdotium, sic dicti *majores*, propter votum castitatis solemne eis annexum; hanc tenent *Nav., Sot. etc. Quarta* dicit solum Presbyteratum et Diaconatum esse Sacramenta; sic docent *Tournely, Cabass., Habert, etc.* - 736.

Circa has sententias sic sentio: Prima et tertia sunt *probabiles*. Secunda non videtur communissime *satis probabilis*. Quarta mihi est *probabilior*. *Prima pars*, quod non solum Sacerdotium, sed etiam Diaconatus sit Sacramentum, probatur, quia in ordinatione Diaconi concurrunt sufficientia ad Sacramentum, nempe, 1. Signum sensibile, scilicet impositio manuum. 2. Institutio divina. 3. Promissio gratiae, quam significant verba Episcopi: *Accipe Spiritum sanctum ad robur etc.* Quae verba rationem habent formae, et vere producunt gratiam. *Secunda pars*, nempe quod alii Ordines minores, et Subdiaconatus non sint Sacramenta, probatur, quia pro his deest materia, et forma Sacramenti Ordinis. Deest materia, quia deest impositio manuum, quae est sola materia hujus Sacramenti juxta

(*a*) *Clericus significat* in sortem vocatus, *scilicet ad cultum Deo praestandum. Tonduntur ei capilli in modum coronae, ad significandam regiam dignitatem eorum, qui in sortem Domini vocantur.*

Ut quis possit tonsurari requiritur: 1. *Ut sit mas.* 2. *Ut sit confirmatus.* 3. *Ut sciat legere et scribere, ac saltem grammaticam, praeter rudimenta fidei.* 4. *Ut habeat animum Deo inserviendi. Qui ordinatur sine tonsura, graviter peccat contra praeceptam* Tridentini, *sed valide ordinatur.* - *H. Appendix* 3, n. 47.

probabiliorem sententiam, ut mox probabimus. Deest etiam forma; in illorum Ordinum collatione, nulla adest forma quae exprimat productionem gratiae. - 737.

Quaeritur 2. An Episcopatus sit Ordo distinctus a Presbyteratu?

R. Negant S. Thom., S. Bonav. etc. Sed *communius affirmant. Bellarm., Tourn., Sanc., etc.*, tum quia in ipso traditur distinctus character et specialis potestas ad Eucharistiam, nempe constituendi hujus Sacramenti Ministros; tum quia Ordo Episcopatus confertur per manuum impositionem et per formam « Accipe Spiritum sanctum, etc. » - 738.

CAPUT II.

DE MATERIA ET FORMA ORDINIS.

1. Ordines minores dantur sic: Ostiarius ordinatur traditione clavium Ecclesiae. Lector traditione libri lectionum. Exorcista traditione libri exorcismorum. Acolythus traditione ampullarum vacuarum, vel saltem unius, et candelabri cum cereo extincto, quia ejus est praeparare lumen, vinum, et aquam ad Missam. - 745.

2. Materia et forma Subdiaconatus, posito quod sit Sacramentum, ut est *probabile*, est manuum impositio apud Graecos. Apud Latinos vero, alii dicunt materiam proximam esse solam traditionem calicis vacui cum patena; formam autem esse illa verba: « Vi- » dete cujus ministerium vobis tradi- » tur; ita vos admoneo, ut ita vos » exhibeatis, quod Deo placere possi- » tis. » Alii vero dicunt materiam pariter essentialem esse traditionem libri Epistolarum. Ego censeo sententiam, nempe quod tam traditio calicis, quam traditio libri Epistolarum sit materia proxima Subdiaconatus, in praxi sequendam esse utpote *non improbabilem*. - 746.

Nota. Nullum dubium quod calix et patena in Ordinatione Subdiaconatus debeant esse consecrata ex necessitate praecepti. At *negant Diana etc.*, quod debeant esse consecrata ex necessitate Sacramenti ad valorem. *Sed affirmandum*, quia ministerium Subdiaconi totum est circa vasa, et ideo debent esse proprie Ecclesiastica sive sacra. - 747.

3. Circa materiam et formam Diaconatus triplex est sententia. *Prima* dicit esse solam traditionem Libri Evangeliorum, cum sua forma: « Ac- » cipe Spiritum sanctum ad robur etc. » Et hanc tenent *Bon., Vasq. etc.* Secunda dicit esse solam impositionem manuum; et hanc tenent *Tourn., Habert., Scot., S. Bonav., etc. Tertia* dicit utramque, nempe traditionem libri et impositionem manuum esse materiam essentialem. Ita *Bellarm., Lugo, Laym. etc.* Ego dico secundam sententiam *probabiliorem*, primam et tertiam *probabiles*, et ideo omnino in praxi sequendas utpote spectantes ad valorem Sacramenti. Quod secunda sit *probabilior*, probatur 1. ex *Act. Apost.* 6, ubi cum sermo habeatur de Ordinatione primorum Diaconorum, tantum impositionis manuum fit mentio: *Orantes imposuerunt eis manus*. 2. Ex ritu Ecclesiae Graecae, in qua Diaconi per solam impositionem manuum ordinantur - 758.

4. Circa materiam et formam Presbyteratus adsunt pariter tres sententiae. *Prima* dicit materiam esse solam traditionem instrumentorum, et formam verba illa quae profert Episcopus in traditione instrumentorum, nempe: « Accipe potestatem offerendi sacrifi- » cium Deo, Missasque celebrandi tam » pro vivis quam pro defunctis, in no- » mine Domini. » Et hac sola materia et forma dicunt tradi potestatem tam sacrificandi quam absolvendi peccata. *Secunda* dicit in Ordinatione Presbyteratus duplicem esse materiam essentialem, nempe traditionem instrumen-

torum, qua traditur potestas super corpus Christi reale, scilicet sacrificandi, cum forma « accipe potestatem, etc. » ut supra : et impositionem manuum, qua traditur potestas super corpus Christi mysticum, id est absolvendi peccata, cum forma : « Acci- » pe Spiritum sanctum, quorum re- » miseris peccata, remittuntur eis. » *Tertia* vero *probabilior* dicit tradi utramque potestatem Sacerdoti sacrificandi et absolvendi per solam secundam manuum impositionem. Dicitur *secundam*, nam in ordinatione Presbyteratus Episcopus ter manus imponit : 1. Quando manus extendit nihil dicens ; 2. Quando una cum Presbyteris extendit manus super initiandos, et fundit preces. 3. Quando post Communionem dicit : « Accipe Spiritum » Sanctum, etc. » Haec tertia sententia, ex intrinsecis fundamentis, speculative tomen loquendo, *probabilior* mihi videtur. Dico autem *speculative loquendo ;* nam, cum secunda sententia sit etiam *probabilis*, haec in praxi omnino sequenda est. Quapropter bene advertit *Croix* quod Ordinatio facta sine seeunda manuum impositione tota repetenda sit. Ratio, quia qui non accepit potestatem supra corpus Christi verum, nec etiam potuit accipere potestatem super corpus Christi mysticum. Si vero Ordinatio facta fuerit sine tertia manuum impositione, haec tantum supplenda est. 749. Sed discrepant hujus tertiae sententiae Auctores in assignanda forma Presbyteratus. Alii dicunt esse verba quae proferuntur in traditione calicis et patenae : « Accipe » potestatem etc. » Verum *Tourn. etc.* forte *probabilius* dicunt formam esse orationem, quae in ipsa impositione dicitur ab Episcopo.

Quaeritur 1. An valide ordinetur Latinus per materiam Graecis assignatam, nempe per solam manuum impositionem, et e converso?

R. Affirmant Suar. etc. Negat vero *Croix.* Utraque est *probabilis*, sed prima est *probabilior* juxta nostram sententiam allatam in *Tract. de Sacram in gen. n.* 12, ubi diximus solam manuum impositionem, quae communis est tam Graecis quam Latinis, esse materiam essentialem Sacramenti Ordinis; traditionem autem instrumentorum esse tantum materiam integralem. Si autem Latinus ordinetur forma Graece prolata, vel e converso, procul dubio valida est ordinatio, ut recte et *communiter* dicunt *Lugo etc.*-741.

Quaeritur 2. An attenta probabili sententia eorum, qui dicunt ad valorem Ordinationis requiri traditionem instrumentorum, omnino etiam requiratur illorum contactus ex parte suscipientis?

R. Prima sententia negat. Secunda vero *sententia affirmat.* Et haec sententia cum sit satis *probabilis*, omnino in praxi sequenda est, saltem in Ordine Presbyteratus et Diaconatus ; nam quoad alios Ordines, *probabile* est non esse Sacramenta, ut diximus *n.* 737.-744.

Quaeritur 3. An ad valorem Ordinationis requiratur contactus physicus instrumentorum?

R. Negant alii, quorum sententiam merito putant *probabilem Salm., affirmant* vero cum *sententia communiori Bonac. etc.* Et cum haec sententia sit etiam *probabilis*, recte dicunt DD. praefati omnino in praxi tenendam. Merito autem dicit *Escob.*, sufficere quoad valorem, quod materia una manu tangatur ; et pariter merito cum *communi* censent idem *Escob., Croix etc.* sufficere tactum mediatum, nempe si contingatur calix, patena, aut liber medio aliquo velo ; qui enim sic tangit, in omnium sensu vere tangere dicitur.-743.

Nota 1. Quod in Ordinibus Sacris

conferendis requiratur, ut ab eodem Episcopo qui formam profert, materia tradatur; quia cum talis sit usus Ecclesiae, sic censetur Christus instituisse. 2. Quod si conferantur Ordines ab Episcopo, alio tamen celebrante Missam pro ipso, valida erit Ordinatio, sed illicita, prout declaravit S. C. Gen.-744.

Quaeritur 4. An sit de necessitate Sacramenti, ut una cum calice et patena tradatur etiam utraque species, id est, panis et vini?

R. Negant probabiliter Bon. etc. Probabilius vero *affirmant Holzm.* Cum haec sententia sit *probabilis*, imo *probabilior*, omnino sequenda est in praxi.-750.

Quaeritur 5. An valide ordinaretur qui tangeret hostiam, et non patenam?

R. Affirmant communiter Spor.etc. Haec sententia revera videtur *probabilissima;* sed *Lacroix* refert duos DD. a se consultos talem Ordinationem judicasse dubiam. Quapropter *Croix* non immerito dicit consultum esse ut talis Ordinatio repetatur sub conditione.-751.

Quaeritur 6. An valide ordinetur Sacerdos qui tantum calicem et patenam tangit, non autem hostiam?

R. Prima sententia negat. Secunda communis et *verior* affirmat. Caeterum, recte advertunt *Salm.*, curandum esse ordinando tam calicem quam patenam et hostiam, quo melius contingere, ut ab omni scrupulo se eximat.-752.

Quaeritur 7. An valide ordinetur qui solum calicem immediate tangit, sed non patenam?

R. Prima sententia dicit hunc reordinandum sub conditione. *Secunda* vero *sententia* dicit hunc esse valide ordinatum, quia calix et patena tunc moraliter faciunt unum. Ego temen censeo hanc sententiam tantum *probabiliorem;* sed primam non *improbabilem*, et ideo in praxi tenendam: quapropter dico, sub conditione talem Clericum esse reordinandum.-753.

Nota. Quod carens Ordine Sacerdotii, vel Episcopatus, invalide exerceret eorum munera. Carentes autem aliis Ordinibus, licite eos exercent, si Ordines sint minores; illicite, si majores. Hinc, graviter peccat Clericus, qui sine Ordine officium Diaconi, vel Subdiaconi solemniter exercet, et incurrit ipso facto irregularitatem, et excommunicationem, sed hanc ferendae sententiae.-754.

Quaeritur 8. Quomodo ordinatur Episcopus?

R. Episcopus non potest valide ordinari nisi ab alio Episcopo. Et ad ejus ordinationem plura concurrunt, nempe 1. impositio libri Evangeliorum super scapulas ordinandi. 2. Unctio coronae ordinati. 3. Impositio manuum trium Episcoporum. 4. Traditio baculi et annuli.

Quaeritur 9. Utrum ad valorem exigatur trium Episcoporum assistentia?

R. Certum 1. est quod haec requiratur ex necessitate praecepti. Certum 2. videtur ex commissione Pontificis in casu necessitatis valide fieri Ordinationem ab uno Episcopo. Extra vero casum necessitatis, alii dicunt tres omnino requiri. Alii tamen negant. Utraque sententia est *probabilis*, unde in praxi omnino prima sequenda est; quia cum valde *probabile* sit Episcopatum esse verum Sacramentum distinctum a Presbyteratu, tenemur utique in ejus Ordinatione tutiorem partem sequi ad vitandum damnum commune; nam alias Sacerdotes ab hoc Episcopo ordinati manerent dubie ordinati.-755.

Quaeritur 10. Quomodo supplendi sint defectus commissi in Ordinatione?

R. Distinguendum: si defectus est circa accidentalia, nempe si defuerit unctio manuum Presbyteri initiandi, aut aliud grave, tunc quamprimum

suppleri debet ab eodem Episcopo, si fieri potest. Alias, taliter ordinatus si non curaret hujusmodi defectum suppleri, vel ante suppletionem in Ordine suscepto ministraret, peccaret graviter; non vero incurreret irregularitatem, etiamsi defectus esset dubie essentialis circa valorem Ordinationis. Et si defectus est occultus, occulte supplendus est, ad vitandum scandalum, et turbationem aliorum. Si vero defectus est circa essentialia, nempe circa materiam et formam, tanto magis est supplendus.

Quaeritur 11. An totum Sacramentum sit tunc supplendum?

R. 1. Si Sacramentum constet duplici materia et forma, ut in Ordinatione Sacerdoti, juxta *probabilem* plurium *sententiam*, nempe calice cum vino, ac patena cum hostia, atque impositione manuum, tunc si defectus est in parte antecedenti, nimirum in traditione calicis et patenae, utique totum Sacramentum est iterandum, quia potestas supra corpus Christi mysticum fundantur in potestate supra corpus Christi reale; secus vero si defectus est in parte posteriori, quia potestas ad corpus Christi verum, jam tradita est independenter a parte subsequenti. 2. Si tantum pars materiae fuerit, vel dubitetur an fuerit omissa in Ordinatione Sacerdotis et Episcopi, totum equidem Sacramentum est iterandum.-758,

Quaeritur 12. An hujusmodi defectus tam essentiales, quam accidentales debeant suppleri tempore designato ad collationem Ordinum?

R. Salm. dicunt posse suppleri quocumque anni tempore. *Communius* vero *negant Croix etc.* Mihi autem videtur sic distinguendum: si defectus sit circa valorem Sacramenti, tunc supplendus est tempore ab Ecclesia statuto, ut censet *secunda sententia*, et hoc videtur non posse negari. Secus vero dicendum, si esset defectus accidentalis. *Probabiliter* vero dicit *Tamb.*, quod si ob solum dubium iteretur Ordo sub conditione, vel ceremonia aliqua, poterit iterari quovis die, et a quovis Episcopo, eodemque die poterunt simul conferri Ordines tam majores quam minores, adhibitis solis solemnitatibus probabiliter necessariis ad valorem.-759.

Nota. Si plures Sacerdotes eodem tempore consecrent unam hostiam, omnes quidem Sacramentum conficiunt. E converso, si unus eorum ante alios formam compleat independenter ab aliorum intentione, jam confecit Sacramentum, ita ut alii frustra formam postea absolverent. Hinc inferunt *Salm.* quod Sacerdotes novi, qui cum Episcopo consecrant, primo curare debent, quoad fieri potest, simul cum Episcopo formam absolvere; praeterea habere debent intentionem consecrandi tum tantum, quando in eodem tempore cum Episcopo formam absolvunt: imo, ultra hoc, in consecratione calicis intendant etiam non consecrare, si panem forte ipsi non consecraverint.-232.

Quaeritur 13. An materia et forma Sacramenti Ordinis fuerint a Christo Domino in specie determinatae?

R. Vide n. 12., ubi sententiam affirmativam, ut *probabiliorem* tenemus.

CAPUT III.

DE MINISTRO ORDINIS.

De fide est a Concilio *Tridentino* definita, quod soli Episcopi sunt ordinarii ministri hujus Sacramenti.

Nota. Episcopus tantum electus et confirmatus, licet possit praebere licentiam subditis, ut ab alio Episcopo ordinentur, nequit tamen ordinare, nisi sit etiam consecratus. Episcopus autem consecratus etiamsi sit degradatus, et Episcopatum renuntiaverit,

valide ordinare potest; est *commune* cum *S. Thom.*-761.

Quaeritur 1. An Pontifex possit praebere simplici Sacerdoti facultatem ad conferendos Ordines?

R. Commune est posse Sacerdotem ex commissione Pontificis, conferre Tonsuram, et Ordines minores. Sed *commune* est pariter simplicem Sacerdotem non posse conferre Presbyteratum. Quoad vero Diaconatum et Subdiaconatum, alii *affirmant*. Alii vero *negant*. Alii demum *probabiliter negant* de Diaconatu, *affirmant* vero de Subdiaconatu.-762.

Quaeritur 2. Quosnam Episcopus ordinare potest?

R. Episcopus non potest ordinare nisi subditos vel ratione originis, si scilicet in ejus Dioecesi sint nati, vel ratione domicilii, ex voluntate istic perpetuo habitandi; vel ratione Beneficii in sua Dioecesi existentis; vel ratione familiaritatis seu famulatus. Ordinans autem non subditum sine licentia Ordinarii, suspenditur per annum a collatione Ordinum.-760.

Item oportet ut Episcopus ordinet in propria Dioecesi, alias ex *Trid.* incurrit suspensionem ab exercitio pontificalium, et Ordinatus ab exercitio ordinis suscepti.-798.

Quaeritur 3. An Episcopus possit conferre Tonsuram in aliena Dioecesi sine licentia Episcopi loci?

R. Negant Sanch. etc. Affirmant vero *Bon. etc.*, quia cum Tonsura non sit ordo, juxta *communiorem* et *probabiliorem* sententiam, ideo bene potest et solet conferri privatim sine pontificalibus, ad quod non requiritur licentia Episcopi loci.-756.

Quaeritur 4. An Abbates possint conferre Tonsuram et Ordines minores aliis quam sibi subditis Regularibus?

R. Olim bene poterant ex privilegio eis concesso; sed hodie in decreto S. C. Conc., approbante *Urbano VIII*, et inviolabiliter observari jubente, statutum fuit, reprobata omni contraria opinione, Abbates Benedictinos Congr. Cassinensis, seu alterius Congregationis, vel Ordinis, aut instituti, habentes etiam jura Episcopalia, et facultatem Ordines minores conferendi, non posse ordinare, praeter suos subditos Regulares, alios sive Regulares sive Saeculares, etiam habentes dimissorias a suis Ordinariis. Et ibi imponitur suspensio tam ordinantibus, quam concedentibus dimissorias, si aliter egerint. Sunt tamen excipiendi aliqui Abbates, qui ex privilegio speciali post *Tridentinum* obtento possunt subditis saecularibus litteras dimissorias concedere, ut sunt Abbas Cassinensis ex privilegio *Sixti V*, et alii qui sunt adnotati in cancellaria Cardinalis Urbis Vicarii.

Quaeritur 5. An Abbates non existentes in aliena Dioecesi, sed habentes propriam et omnem jurisdictionem Episcopalem, possint dare dimissorias suis subditis saecularibus?

R. Affirmant Aversa etc. Sed *P. Zacharia* refert oppositum sancitum fuisse alias tam a S. C., quam a S. Rota. Caeterum, Abbates qui possunt ordines minores conferre ex privilegio, bene etiam possunt dare dimissorias, ut de mandato *Clementis VIII* censuit S. C.-763.

Quaeritur 6. An Abbates qui possunt suos subditos Regulares, et Professos ordinare, possint ordinare Novitios suos?

R. Negant Palaus etc. Sed *probabilius affirmant Laym. etc.*, quia nomine Regularium in favorabilibus veniunt etiam Novitii.-764.

Quaeritur 7. An tales Novitii debeant ordinari ab Episcopo loci Novitiatus, an vero originis, aut domicilii?

R. Suar. etc., tenent ordinandos esse ab Episcopo originis vel domicilii.

Sed *Sanch. etc.*, censent bene posse ordinari ab Episcopo loci, ubi est novitiatus, quia Novitii ibi degentes jam habent animum ibi perpetuo manendi. Utraque sententia est *probabilis;* modo Novitius per notabile tempus jam manserit in novitiatu et juramentum praestet ibi, quantum in se est, perpetuo manendi.-765.

Quaeritur 8. An Abbates ordinantes non subditos valide ordinent?

R. Negant Suar. etc. Sed *verius affirmant Sanch. etc.*, quia talis facultas jam invenitur Abbatibus concessa in corpore juris; Concilium autem *Tridentinum*, et decretum S. C. videntur interdixisse tantum exercitium talis facultatis; qua de re Abbates illicite ordinant, sed non invalide.-766.

Nota 1. *Probabile* est Ministrum conferentem in mortali Ordines minores non peccare mortaliter, quandoquidem satis *probabile* est quod tales Ordines non sint Sacramenta, juxta dicta n. 736. Certum est autem quod tam conferens, etiam Ordines minores, innodatus aliqua censura, graviter peccabit, et incurret irregularitatem, exercens actum Ordinationis, quam suscipiens cum censura pariter peccabit et incurret suspensionem ab Ordine suscepto. 767.-2. Regulares ex *c. Cum nullus* debent suscipere Ordines ab Episcopo, in cujus Dioecesi est Monasterium, ubi tunc commorantur; alias tam Ordinans quam sic Ordinatus incurrent censuras et poenas, quas incurrunt qui ab aliquo Episcopo ordinantur sine dimissoriis. 768.-3. Ad licite Ordines suscipiendos requiritur ex *Tridentino* ut initiandus, etiam prima Tonsura, ut DD. *communiter* intelligunt, ordinetur a proprio Episcopo, vel ab alieno, sed de ejus licentia. Sin autem, ipse peccat graviter, et suspenditur ab exercitio Ordinis suscepti; donec proprius Episcopus voluerit, et ordinans incurrit suspensionem a collatione Ordinum per annum; et interim, si suspensio sit notoria sive de facto, sive de jure, sui subditi Clerici, non autem Laici, possunt ordinari sine ejus licentia ab Episcopis vicinis.-769.

CAPUT IV.

DE SUBJECTO ORDINIS.

De Requisitis in Ordinando. De Obligationibus Ordinatorum in Sacris.

ARTICULUS I.

De Requisitis in Ordinando.

Ut quis rite Ordines suscipiat requiruntur sequentes conditiones: 1. Ut sit viator, quia Sacerdos vita functus non valide consecraret. 2. Ut non sit neophytus, nec infamis, nec hermaphroditus, qui non est capax Ordinis, nisi in eo praevaleat sexus masculinus, alias non potest vere appellari homo; unde nec licite nec valide consecraret; imo nec licite, etiamsi sexus masculinus praevaleret, quia esset monstrum, et ideo egeret dispensatione Pontificis. 3. Ut non sit irregularis, suspensus, vel excommunicatus. 784.-4. Ut habeant animum clericandi, ex *Tridentino*. 783.-5. Ut sit Confirmatus. 786.-6. Ut habeat litteras dimissorias proprii Episcopi etiam pro prima Tonsura. 787.-7. Requiritur examen de scientia. 790.-8. Titulus sustentationis, de quo infra. 813.-9. Ut inferior Ordo ante superiorem suscipiatur; alias incurretur suspensio ab exercitio Ordinis suscepti. 793.-10. Ut ordinetur tempore debito. 794.-11. Ut ordinetur per debita temporum interstitia. 795.-12. Requiritur locus pro collatione Ordinum, id est Ecclesia cathedralis, nisi sit usus contrarius. 798.-13. Requiritur aetas. 799.-14. Requiritur ut initiandus exercuerit Ordinem prius susceptum in Ecclesia,

ubi est adscriptus, ex *Trid.* Sed putant *Salm.* hoc non esse de praecepto gravi.-15. Ut ordinandi Eucharistiam accipiant; et ad hoc *verius* tenentur Presbyteri sub mortali; secus de aliis. 16. Requiritur probitas vitae. De qua jam locuti sumus *in Tract. de Sacram. in gen. n.* 64. 801.-17. Vocatio divina; et quam sit necessaria hujusmodi vocatio, patet ex SS. Patribus, et ex Scriptura Sacra, praesertim ex illo *D. Pauli ad Haebreos*, c. 5, v. 4, ubi: *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron.*-802.

Quaeritur 1. An cum Episcopus ante Ordinationem protestatur se non intendere ordinare irregulares, excommunicatos, aut alio modo indignos, utrum isti irregulares remaneant ordinati?

R. Benedict. XIV docet in hoc casu interrogandum esse Episcopum ordinantem de sua intentione.-784.

Quaeritur 2. An peccet qui suscipit aliquem Ordinem sine animo ascendendi ad superiores?

R. Certum et *communis* est non peccare graviter, etiamsi quis suscipiat Ordines majores, et non intendat suscipere Sacerdotium. Imo *Escob.etc. probabiliter* putant nullum esse peccatum, quia nullo jure praescribitur alicui ad superiores Ordines ascendere, nisi quis acceptet beneficium requirens Sacerdotium, vel ordinem sacrum.

Quaeritur 3. An peccet Clericus qui initiatus in minoribus uxorem ducit?

R. Per se loquendo certum est non peccare graviter, imo nec etiam leviter, si ob justam causam hoc facit, puta ad sedandas inimicitias, aut tentationes carnis, ad subveniendum feminae pauperi etc.; alias non excusabitur a veniali. Dixi *per se loquendo;* nam utrum graviter peccet, qui certus de sua vocatione ad statum ecclesiasticum, ab ea recedit ut saeculo fruatur, vide dicta in *Tract. de Praecep. Partic.*, ubi diximus de hoc metuendum ne forte existat in malo statu.

Quaeritur 4. An peccet qui minores Ordines aut primam Tonsuram suscipit animo effugiendi forum laicale, et postea redeundi ad saeculum?

R. Adsunt tres sententiae. *Prima* dicit nullo modo peccare, quia utitur jure suo. *Secunda* dicit peccare mortaliter. *Tertia* dicit peccare venialiter ratione deordinationis finis ab Ecclesia intenti; nisi hoc faciat ut aliquod saeculare judicium jam incoeptum effugiat, tunc enim erit mortale. Ego puto primam sententiam non *satis probabilem*, tertiam *probabilem*, secundam vero *probabiliorem.*-785.

Quaeritur 5. An requiratur sub gravi ut ordinandus sit Confirmatus?

R. Affirmant Bon. etc. Alii vero censent hoc non esse de praecepto, sed de consilio. Alii tandem *communiter probabilius* dicunt Confirmationem non requiri sub obligatione gravi, sed requiri quidem sub levi.-186.

Quaeritur 6. An Episcopus teneatur ipse suos subditos ordinare?

R. Regulariter tenetur ex *Tridentino*, nisi sit impeditus ex infirmitate, vel ex alia justa causa. Imo, debet proprium suum subditum examinare; attamen, sicut potest examen alteri committere, sic etiam poterit eum mittere ad alienum Episcopum, ut ille examinet. Episcopus vero ad quem ordinandus mittitur, potest quidem eum ordinare sine examine, sed potest etiam examinare, si velit, et hoc utique erit tutius.

Quaeritur 7. An licentia data alicui, ut ordinetur apud alienum Episcopum, expirat morte concedentis?

R. Negative, nisi a successore revocetur; ita *communiter Sanch. etc.*, quia gratia semel facta, morte concedentis non expirat.

Nota. 1. Episcopus propriam Dioe-

cesim habens, si est jam confirmatus, esto nondum consecratus, bene potest dimissorias concedere. Secus, *probabilius* Episcopus suspensus aut excommunicatus jam declaratur. 2. Episcopus existens in aliena Dioecesi bene potest ibi dimissorias concedere, cum hic non sit actus jurisdictionis contentiosae. 3. Vicarius Generalis nequit dimissorias concedere nisi expressam de hoc facultatem habeat ab Episcopo, vel nisi Eppiscopus sit extra Provinciam, aut distans per duas, vel saltem unam dietam, sive diem itineris a propria Dioecesi. *Probabiliter* vero dicit *Escob.* bene posse Vicarium ex peculiari licentia Episcopi expressa, vel tacita, dimissorias concedere 787.-4. Capitulum, Sede vacante, olim poterat dimissorias concedere; sed hoc limitatum fuit postea a *Trident.*, nisi quis sit arctatus ad Ordines intra annum illum suscipiendos, ob Beneficium requirens obsequium personale. Aliter Capitulum incurrit interdictum, et Vicarius illius suspensionem ab officio et Beneficio per annum; necnon sic ordinatus, si fuerit in sacris, incurrit suspensionem ab exercitio Ordinis suscepti ad arbitrium Episcopi futuri; si vero in Minoribus, privatur privilegiis Clericalibus, sed hoc non ante judicis sententiam. Bene potest tamen Capitulum, Sede vacante, etiam intra annum dare Litteras Testimoniales alicui, qui aliunde licentiam habet ad Ordines suscipiendos. *Probabiliter* etiam potest dare alicui licentiam ut initietur prima Tonsura; eo quod Tonsura non est Ordo. Id autem quod potest Capitulum, Sede vacante, non potest per seipsum facere, sed per suum Vicarium electum. Item hic notandum, quod Sede vacante bene possit ordinari intra annum qui habet dimissorias Episcopi defuncti. Idem dicitur de Regularibus intra annum afferentibus dimissorias suorum superiorum; his enim bene potest Capitulum licentiam concedere ut ordinentur ab aliquo Episcopo. Et sic etiam valent dimissoriae concessae a Capitulo, Sede vacante, post annum, etiamsi sit jam ingressus novus Episcopus. Quamvis autem Capitulum non possit intra annum dimissorias concedere, dicunt tamen *Sanch. etc.*, bene posse dare alieno Episcopo licentiam Pontificalium, et pariter conferendi Ordines Clericis subditis ipsi Episcopo, vel subditis eidem Sedi vacanti, qui non a Metropolitano, nec ab Episcopo viciniori, sed a Papa debent habere licentiam ordinandi. 5. *Probabiliter* Episcopus potest confirmare eum qui adducit dimissorias sui proprii Episcopi pro Tonsura. Et idem ait *Croix*, si quis est dimissus ad suscipiendum Subdiaconatum, cum non adhuc susceperit Ordines minores, quia tunc censetur dimissus etiam pro minoribus. 6. Ut quis ordinetur ab alieno Episcopo, non requiritur ut obtineat a proprio licentiam in scriptis, sed satis est si constet de illa per testes, vel aliter.-788.

Quaeritur 8. An aliquis Episcopus possit ordinare alterius subditum sine illius expressa licentia, sub spe ratihabitionis de futuro?

R. Affirmant Diana etc. Sed *verius negant Sanch. etc. Probabiliter* tamen videtur posse admitti, saltem sine culpa gravi; quod sufficiat ratihabito, sive licentia praesumpta de praesenti.

Quaeritur 9. An Episcopus, cui Dimissoriae diriguntur, possit dispensare cum ordinando super irregularitate, aut alio impedimento canonico, super quo proprius Episcopus potest dispensare?

R. Prima sententia affirmat. Secunda vero *probabilior negat.* Ratio, quia privilegia non extenduntur ultra casum expressum.

Nota. Ordinandus debet semper habere Litteras Testimoniales ab Episco-

po originis, etiamsi in aetate infantili ab illius Dioecesi discesserit, saltem ad testificandum de natalibus ac aetate.-789.

Quaeritur 10. Quaenam scientia requiratur in initiandis ad tonsuram et ad Ordines?

R. Ex *Tridentino*: 1. pro prima tonsura requiritur ut sciant fidei rudimenta, item legere et scribere. 2. Pro initiandis ad Ordines minores requiritur, ut saltem linguam latinam intelligant. 3. Pro initiandis ad Subdiaconatum et Diaconatum, requiritur ut sint litteris, et iis quae ad Ordinem exercendum pertinent, instructi. 4. Pro initiandis demum ad Sacerdotium, requiritur ut ipsi ad populum docendum ea quae scire omnibus necessarium est ad salutem, ac ad ministranda Sacramenta, diligenti examine praecedente, idonei comprobentur.-790.

Quaeritur 11. An illiterati sint omnino irregulares?

R. Nav. dicit inferri ex *Trident.* esse irregulares, qui linguam latinam non intelligunt, *Garcia* autem et *Henriquez* censent illiteratos non esse irregulares, ita ut non peccent si in ordinibus susceptis ministrent; sed hos non posse sine culpa gravi ordines suscipere. Alii vero cum sententia *communi probabilius* docent, quod illi qui sunt adeo rudes, ut ignorent etiam prima rudimenta grammaticae, ita ut nesciant praestare ea quae pertinent ad Ordinis exercitium, ad quod requiritur sane scientia linguae latinae, ipsi sunt prorsus irregulares, et graviter peccant tam Ordines suscipiendo, quam eos exercendo: et, ut dicunt *Salm.*, nec etiam Papa posset cum eis dispensare, quia haec irregularitas non solum est de jure humano, sed etiam divino et naturali; ipsum enim jus naturale dictat non esse admittendos ad aliquod munus qui nequeunt illud exercere. Advertunt tamen *Holz. etc.* quod haec irregularitas, sublata causa ignorantiae, de se tollatur sine dispensatione.

Quaeritur 12. An in Regularibus ordinandis minor requiratur scientia quam in saecularibus?

R. Pro iis qui sunt addicti ad vitam contemplativam, prout sunt Camaldulenses, Carthusiani et similes, *commune* est inter DD. sufficere quod isti sciant legere, et canere, ac ea quae pertinent ad Sacrificium. Pro vero Religiosis aliorum Ordinum, qui sunt ad vitam activam instituti, idem dicendum esse *communissime* docent *Salm. etc.*, quia possunt postea ex sociis ea quae ignorant addiscere.

Nota. 1. Id autem quod ait *Barb.* quod possint ordinari Regulares etiamsi quodammodo deficiant in lingua latina, non audeo approbare: nam si in saecularibus initiandis tantum ad Ordines minores, requirat *Trid.*, quod saltem linguam latinam intelligant, quomodo Regulares ordinari poterunt ad Sacerdotium, adhuc in lingua latina deficientes? 791-2. Episcopus potest quidem sine examine religiosos ordinare, acquiescendo testimonio suorum praelatorum; sed bene etiam potest si velit eos examinare ex bulla *Bened. XIV.* 3. ubi statutum fuit quod omnes initiandos tenetur Episcopus examinare per se vel per alios, nisi sit certus de ipsorum idoneitate. Et licet possit licite ordinare eos qui afferunt scientiam a *Trid.* requisitam, potest tamen majorem exigere scientiam a suis subditis, ab his praesertim qui ordinantur pro Ecclesia alicujus amplae civitatis.-792.

Quaeritur 13. Quandonam conferri possunt Ordines?

R. Ordines majores conferri possunt tantum in Sabbatis quatuor temporum, Sabbato ante Dominicam Passionis, et Sabbato sancto, Ordines autem minores dari possunt in quolibet festo,

modo sit de praecepto, si conferantur uni vel duobus; imo *communiter* affirmant DD. licitum esse plures quam duos ordinare, modo generalis Ordinatio fieri non videatur. Praeterea, dicunt *Salm.*, Ordines minores posse conferri etiam publice in feria VI. ante Sabbatum generalis Ordinationis, et etiam feria IV. quatuor temporum, modo adsit consuetudo, quam testantur *Palaus etc.* jam esse receptam. Episcopi consecratio potest fieri quovis die dominico. Prima autem Tonsura quolibet die et loco conferri potest.-794.

Quaeritur 14. Quomodo servanda sunt debita temporum interstitia?

R. 1. Ut ascendatur ab uno Ordine minore ad alium, requiritur aliquod tempus, quod autem a *Tridentino* non fuit determinatum: sed in hoc bene potest Episcopus cum causa dispensare. 2. Ut a minoribus ascendatur ad Subdiaconatum, requiritur spatium anni ex *Trid.*; nisi necessitas aut Ecclesiae utilitas judicio Episcopi aliud exposcat. Qui autem susciperet Subdiaconatum ante annum sine dispensatione, graviter peccaret, sed nullam incurreret censuram. 3. Ut autem ascendatur a Subdiaconatu ad Diaconatum, etiam requiritur spatium anni; ad quod tamen dispensandum non requiritur necessitas, vel utilitas Ecclesiae, sed sufficit quaevis rationabilis causa juxta judicium Episcopi 4. Ut demum ascendatur a Diaconatu ad Sacerdotium, ad minus requiritur spatium anni: adque hujus temporis dispensationem non sufficit Ecclesiae utilitas, sed etiam requiritur necessitas.-795.

Nota. Qui eodem die duos Ordines sacros exciperet, non solum graviter peccaret contra praeceptum *Tridentini*, sed etiam incurreret suspensionem ab illorum exercitio, et in irregularitatem incideret.

Quaeritur 15. An qui suscipit duos Ordines sacros, non servatis interstitiis, suspensionem incurrat?

R. Qui ordinatur continuatis diebus extra tempora, incurrit quidem suspensionem, prout incurrit etiam qui ordinatur sine litteris dimissoriis, vel ante legitimam aetatem. Qui vero ordinatur diversis diebus non servatis interstitiis, sed legitimis temporibus, peccat quidem graviter, sed suspensionem *probabilius* non incurrit.-796.

Quaeritur 16. An peccaret graviter qui eadem die susciperet quatuor Ordines minores una cum Subdiaconatu?

R. Affirmative, nisi, ut *verius* dicunt *Nav. etc.*, alicubi vigeat consuetudo quatuor minores simul cum Subdiaconatu sumendi; attamen *probabilius* est quod taliter ordinatus suspensionem non incurreret, licet fieret irregularis quoad Ordines superiores suscipiendos.

Quaeritur 17. An Regulares possint ex licentia suorum Praelatorum ordinari extra tempora?

R. Negant Vasq. etc. Sed *verius affirmant Laym. etc.*, ex concessione Pontificum *Clement. VIII, Urb. VIII, et Bened. XIII;* sed *probabilius* est quod non possint ordinari nisi in festo de praecepto, in quo populus vacat ab operibus servilibus.-797.

Quaeritur 18. Quaenam aetas requiritur ad suscipiendos Ordines?

R. Pro prima tonsura requiritur ut initiandus polleat usu rationis, et ideo saltem sit septennis. Pro minoribus Ordinibus nulla in jure assignatur aetas; solent tamen conferri ab anno septimo ad quatuordecimum. Pro Subdiaconatu vero statuitur annus vigesimus secundus. Pro Diaconatu annus vigesimus tertius. Pro Sacerdotio vigesimus quintus. Sufficit autem ut annus praescriptus sit incoeptus. Pro Episcopatu requiritur annus trigesimus; et idem dicitur pro Cardinalatu, quamvis ex concessione *Sixti V* Cardinales

Diaconi possint esse aetatis suae anni vigesimi secundi. Pro beneficiatis autem requiritur annus qnatuordecimus; sed, si beneficium sit curatum, requiritur annus vigesimus quintus saltem incoeptus. Pro canonicatu in Cathedralibus requiritur annus vigesimus secundus incoeptus. In Collegiatis vero sufficit annus quatuordecimus, cum in jure nihil pro eo sit statutum.

Nota 1. Is qui sine legitima aetate scienter ordinatur, incurrit suspensionem perpetuam ipso facto ab exercitio Ordinis suscepti, et Papae reservatam. Si vero praedicta suspensio occulte sit contracta, tunc poterit Episcopus delinquentem ab ea absolvere, ex concessione *Tridentini*. 2. *Communius* et *probabilius* est quod non incurrat praefatam suspensionem, qui ex ignorantia crassa, non tamen affectata, ordinatur ante legitimam aetatem. Ratio, quia talis suspensio imposita est a *Pio II* in temerarios, quales non sunt qui peccant ex sola ignorantia supina, ut dicemus n. 47-et 48.-3. Qui mala fide suscipit Ordinem ante aetatem, non potest, ut *verius* putant *Barb. etc.*, exercere Ordinem postquam aetatem compleverit, sine absolutione a suspensione incursa.

Quaeritur 19. An incurrat irregularitatem qui ante legitimam aetatem suscipit Sacerdotium?

R. Prima sententia affirmat. Secunda vero *communior* et *valde probabilis negat;* quia non videtur aequum quod ipse una actione morali duplicem incurrat poenam, nempe suspensionem et irregularitatem. Et idem dicunt *Suar. etc.* de Diacono vel Subdiacono, qui cum tali suspensione in eadem Ordinatione canit Evangelium aut Epistolam. Idem pariter dicendum de eo qui suspensionem incurrit cum ordinatur per saltum, vel extra tempora, vel sine dimissoriis proprii Episcopi, vel eadem die suscipit duos Ordines sacros, aut Ordines minores cum Subdiaconatu, juxta supra dicta.-799.

Quaeritur 20. An incurrat irregularitatem qui tantum ordinatur cum excommunicatione prius contracta?

R. Affirmant Bon. etc. Sed *probabilius negant Suar. etc.*, incurrit tamen suspensionem Papae reservatam, si sit publica; nam, alias potest absolvi ab Episcopo. Tanto magis autem non incurrit irregularitatem qui suspensus vel interdictus suscipit sacrum Ordinem. Hoc tamen intelligendum, si taliter ordinatus, Ordinem non exerceat in ipsa ordinatione; nam, si v. g. aliquis Diaconus, vel Subdiaconus accedat ad ordinationem jam antecedenter aliqua irretitus censura, et in ordinatione susceptum Ordinem exerceat, canendo Evangelium, vel Epistolam, irregularitatem non effugiet, ut recte ait *Tourn.* Ratio, quia tunc jam exercet Ordinem cum censura prius contracta. Idemque merito ait *Tourn.* procedere de Sacerdote qui concelebrat cum Episcopo.-799.

Quaeritur 21. An quis mane diei, in cujus vespera complet aetatem requisitam, possit ordinari?

R. Affirmant Diana etc. Sed *probabilius negant Croix, etc.* Ratio, quia, v. g. pro Subdiaconatu aetas debet esse annus 22. incoeptus; unde, qui annum 21 non vere complevit, minime potest dici annum 22 attigisse.

Nota. Certum est quod Episcopi nullo modo possunt in aetate dispensare; verumtamen dicit *Croix* hodie ex speciali privilegio posse Episcopum dispensare ad certum tempus, pro beneficio curato, ubi est necessitas, vel utilitas Ecclesiae.-800.

Quaeritur 22. Quae sunt signa vocationis divinae ad statum Ecclesiasticum?

R. Praecipua sunt, Scientia conveniens, Probitas vitae, recta intentio,

nimirum desiderium vacandi divinae gloriae, et saluti animirum.-802.

Nota. 1. Qui sine vocatione, ex talibus signis explorata, in sacrum ministerium se intrudit, non potest quidem a gravi praesumptione excusari, et cum in magno damnationis periculo se exponit, nescio quomodo a culpa gravi excusetur.

2. Huic quidem discrimini tanto magis se committunt Episcopi illi, qui non vocatos ad ordines sacros promovent, ex illo Apost. 1. Tim. 5. *Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis.* Indeque in jure canonico praescribitur, et signanter in C. *nullus*, ut « nullus » ordinetur, nisi probatus fuerit. » Ad hanc autem probationem ab Episcopo exquirendam, non quidem sufficit quod ipse nihil mali noverit de ordinando, sed debet fieri certus de ejus positiva probitate, juxta sublimitatem gradus ad quem ille inhiat ascendere, ut *communiter* dicunt *Suar., Sanch., Salm. etc.* cum S. Thoma.

Qua de re, Episcopus in hac probatione expetenda non debet esse contentus simplici attestatione Parochorum, qui humanis ducti respectibus in hujusmodi attestationibus concedendis facile clericis indulgent, ne in se attrahant ipsorum odium, eorumque propinquorum; sed insuper ab aliis fide dignis, capta secreta informatione, certus fieri debet non solum quod initiandus non fuerit malus, nempe quod non fuerit rixosus, non dederit scandalum, frequentando ludos, pravas conversationes etc.; sed etiam quod ille sit positive bonus, scilicet quod vitam agat spiritualem, sit assiduus in Ecclesiis, Sacramenta frequentet, et orationem, studio vacet etc.

Dicit aliquis: Si hoc observaretur, deficerent utique in Ecclesia ministri. Recte respondet ad hoc *Bened. XIV*: « Melius est pauciores habere ministros, sed probos, atque utiles, » quam plures qui nequidquam sunt » valituri. »-803.

3. Si autem haec vocatio divina necessaria sit ad Sacerdotium, magis erit necessaria ad officia Episcoporum et Parochorum. Unde ex *S. Thom.* et *Bened. XIV* desiderium Episcopatus licet in se laudabile, videtur tamen praesumptuosum, propter ejus sublimitatem, nisi adsit manifesta necessitas imminens.-804.

ARTICULUS II.

De Obligationibus ordinatorum in Sacris.

Quatuor sunt obligationes praecipuae eorum qui ad majores Ordines provehuntur, nempe 1. Obligatio recitandi Horas Canonicas. 2. Servandi caelibatum. 3. Habendi Titulum. 4. Deferendi habitum et Tonsuram.

De prima obligatione jam fuse egimus in *Tract. de Praec. Part., n.* 140. De quarta quaestio fuit in eodem Tractatu, ubi *de habitu Clericorum*, *art.* 3. *n.* 188. Hic tandem de secunda et tertia agendum.-803.

§ I.-*De Obligatione Caelibatus*

Omnes qui ad sacros Ordines ascendunt, contrahunt obligationem Caelibatus. Hoc patet ex pluribus Canonibus et ex *Tridentino*.-806.

Quaeritur 1. An haec obligatio Caelibatus sit de jure divino, ita ut Papa nequeat in ea dispensare?

R. Affirmant Major. etc. Sed dicendum cum *Communi* DD., praeciso voto, non esse de jure divino, sed tantum ecclesiastico quod ministri ordinati in Sacris obligentur ad castitatem, vel ab Ecclesia, vel per votum Ordinibus annexum, et ideo recte in hac obligatione potest Ecclesia, cum eis dispensare. Ita *S. Thom., Caj., Sot., Salm.*, qui plura hujusmo-

di exempla adducunt. Ratio, quia etsi talis Caelibatus ab Apostolis ortum habuit, ut probant *Sot. etc.*, attamen tantum ex praecepto Ecclesiae, sive Apostolorum, ut probat *Billuart*, est introductus et firmatus, ut patet ex *Tridentino*.-807.

Quaeritur 2. An haec obligatio sit immediate per votum Ordinatorum?

R. Prima sententia dicit quod non ex voto, sed ex sola Ecclesiae lege Ordinati in Sacris teneantur ad castitatem. Haec sententia est *probabilis*. *Secunda* vero *sententia probabilior et communior* tenet, quod obligatio castitatis non oriatur immediate ex lege Ecclesiae, sed ex voto quod in ipso facto Ordinationis emittitur. Et revera, si obligatio castitatis tota esset ex praecepto Ecclesiae, posset Pontifex omnes etiam sacerdotes ab illo absolvere; sed hoc esset contra *communem* sententiam DD., qui tantum in casu urgentissimo concedunt Pontifici in hoc dispensare cum solis ministris, ut dictum mox n.-807., sed non cum Sacerdotibus -808.

Quaeritur 3. An teneretur ad servandam castitatem qui invincibiliter ignoraret votum illud Ordini annexum?

R. Salm. dicunt teneri ex *communi* DD., vel ex vi voti impliciti, vel ex praecepto Ecclesiae. Alii tamen adhuc *probabiliter* censent Ordinatum non teneri, nisi culpabiliter ignoret, vel intenderit suscipere Ordinem cum eadem obligatione qua alii suscipiunt.

Quaeritur 4. An teneretur ad castitatem Ordinem suscipiens, si expresse nollet castitatem vovere?

R. Probabilius dicunt *Sanch. etc.* quod in tali casu is teneretur ad castitatem, non ex voto, sed ex praecepto Ecclesiae quae ex religionis motivo eum ad castitatem, deficiente voto, adstringeret.-809.

Nota. Qui est ordinatus ante usum rationis, quamvis valida sit ordinatio, non teneretur tamen ad castitatem, unde valide ac licite potest inire Matrimonium.-809.

Quaeritur 5. An teneatur ad castitatem qui ordinatur ob metum gravem, sed cum animo se ordinandi?

R. S. Anton. etc. dicunt teneri donec a Papa dispensetur. At *probabilius Sanch. etc.*, dicunt non teneri, et valide posse Matrimonium contrahere. Attamen consultum est, ut tales metu ordinati petant dispensationem, quam pluries concessit S. C. ubi solide metus probatus fuit.-811.

Quaeritur 6. Quandonam conjugatus, constante Matrimonio, possit Sacris Ordinibus initiari?

R. Licite potest conjugatus ad Sacros Ordines promoveri ex licentia uxoris, modo ipsa castitatem voveat et modo licentia sit expressa et omnino spontanea.

Quaeritur 7. An eo casu uxor ultra votum teneatur Religionem profiteri?

R. Affirmant Sanch. etc. Sed *verius negat Pontius*. Excipitur 1. Si vir ad Episcopatum assumatur, tunc enim uxor omnino debet Religionem ingredi. 2. Si vir fieret Religiosus, et uxor juvenis.-812.

§. II.-*De Obligatione habendi titulum.*

Certum est ex *Tridentino*, quod Episcopus neminem ad Sacros Ordines admittere possit nisi ille Titulum habeat sustentationis. Aliter Episcopus ordinans, vel dimissorias concedens, tenetur ipse eum alere usque dum ille Titulum habeat, ex C. *cum secundum etc.* Titulus autem sustentationis potest esse vel paupertatis, vel sufficientiae, nempe beneficii, aut patrimonii. 813. Quoad titulum *paupertatis*, hoc titulo soli Regulares professi ordinantur, exceptis Religiosis Societatis Jesu, qui post vota simplicia ordinari possunt. 814. Quoad titulum *Be-*

*

neficii vide in *Opere* 815. Quoad titulum *patrimonii*, ad hunc titulum ex *Trid.* non possunt omnes ordinari, sed tantum ii, quos Episcopus judicaverit assumendos pro necessitate, vel commoditate Ecclesiarum suarum. Patrimonium autem debet esse super re certa, et immobili, ac de sua natura frugifera, pacifice possessa, nec aere alieno, aut hypotheca gravata. Sufficit tamen si quis de suis reditibus tot annuos aureos ad sustentationem sufficientes per instrumentum ordinando donet.-817.

Quaeritur 1. An quis ordinari possit sine Patrimonio, sed ad titulum suae industriae, puta, si sit pictor, vel alius professionis?

R. Affirmant Barb. etc. Sed *verius* oppositum est tenendum. Ratio, quia *Tridentinum* statuit quod legitime constet ordinandum Beneficium sive patrimonium pacifice possidere. Quibus verbis excludit quamcumque spem acquisitionis de futuro, cum haec spes per infirmitatem, vel aliud accidens, deficere posset.

Quaeritur 2. An si filius, invito parente, vellet sacerdotium suscipere, teneretur pater illi Patrimonium assignare?

R. Affirmandum est cum *Sanch. etc.*, imo, isti dicunt, ad hoc posse cogi a judice Ecclesiastico.-819.

Quaeritur 3. An incurrat poenam suspensionis qui ordinatur sine Patrimonio, aut Beneficio?

R. Prima sententia negat. Secunda probabilior contradicit.-820.

Quaeritur 4. An incurrat suspensionem qui ordinatur cum Patrimonio donato, sed data antapocha, vel fide de reddendo illud donanti post Ordinationem?

R. Prima sententia dicit non teneri Clericum tale pactum exequi, et ideo non incurrere suspensionem. *Secunda* dicit Clericum teneri Patrimonium restituere; sed suspensionem incurrere. Sed omnino distinguendum: si donans verum habuit animum donandi, tunc, licet Clericus peccaverit acceptando sub tali pacto, post ordinationem tamen non tenetur Patrimonium restituere, quia pactum rejicitur ut pote oppositum *Tridentino* prohibenti alienationem Patrimonii sine licentia Episcopi, et ideo suspensionem non incurrit. Si vero donans non habuerit veram intentionem donandi, tunc quidem ordinatus tenetur patrimonium restituere, quia tunc nunquam acquisivit illius dominium, cum illa non fuerit vera donatio, sed fictio donationis, ac propterea talis suspensionem incurrit. Advertendum tamen quod in foro externo donans nullam habet actionem contra clericum ad repetendam rem donatam, imo meretur illa spoliari in poenam sui criminis; quapropter videtur talis clericus, si statim sit petiturus in judicio rem sibi adjudicari, posse interim rem retinere, licet suspensionem jam contraxerit. Et *Monacel* refert decisum fuisse per *S. C. Epis.* ficte donantem teneri liberum derelinquere Patrimonium Ordinato.-822.

Quaeritur 5. An clericus possit renuntiare patrimonium sine licentia Episcopi, si habeat aliunde sustentationem?

R. Adsunt tres sententiae. *Prima affirmat. Secunda* dicit talem alienationem esse illicitam, sed non invalidam. *Tertia* dicit hujusmodi alienationem esse invalidam et illicitam.-824.

Nota tandem 1. quod Sacerdos in sua ordinatione promittit obedientiam Episcopo; vi cujus promissionis ex *Bened. XIV*, non potest a servitio Ecclesiae cui addictus fuit, sine licentia Episcopi discedere. Hoc tamen intelligendum, nisi Presbyter, et non parochus, velit transire ad aliquod monasterium, vel regulam canonicam, ut diximus in Tract. de *praecepto part.* n. 74.-828.

2. *Suar. etc.* putant missas et preces quae in ordinatione imponuntur ordinatis ab Episcopo, persolvendas esse sub mortali. Alii tamen ut *Sot. etc.* dicunt *probabiliter* hujusmodi obligationem esse decentiae, non autem sub peccato : saltem tenet *Croix* non esse sub gravi, cum id Episcopi non declararunt.

Quoad applicandas autem dictas missas, sedulo consideranda sunt verba quae dicit Episcopus, videlicet : « Post » primam missam, tres missas dicite, » unam de Spiritu Sancto, aliam de » Beata Virgine, et tertiam pro de» functis ; et etiam Deum pro me » orate. » Ex quibus verbis recte infert *Mazz.* non esse obligationem applicandi praedictas missas juxta intentionem Episcopi, dum ibi praescribitur tantum ut initiati pro eo orent; ideoque ipsi bene possunt missas pro aliis applicare, etiam cum stipendio. Patet autem quod hujusmodi missae non prius dicendae sunt, quam adveniant dies non impediti.

4. Benedictus XIV opinatur Neopresbyterum posse stipendium recipere pro Missa, quam celebrat cum Episcopo. - 829.

TRACTATUS XXV.

DE SACRAMENTO MATRIMONII

De Sponsalibus. De Matrimonio.

PARS I.

DE SPONSALIBUS

De Sponsalium Natura, Obligatione et Dissolutione.

CAPUT I.

DE NATURA SPONSALIUM.

Sponsalia sunt *promissio voluntaria, deliberata et mutua, signo sensibili expressa futuri Matrimonii inter personas jure habiles.*

Dicitur 1. *promissio*, quia propositum non sufficit, cum non inducat obligationem. 2. *Voluntaria deliberata*, scilicet deliberatione sufficiente ad peccatum mortale, cum sponsalia sub mortali obligent. - 831. Unde sufficit ad validitatem sponsalium inter pueros, ut in ipsis probabiliter agnoscatur rationis usus. Hoc putant *probabilius* cum *communi Salm., Sanch., etc.* 834. - 3. *Mutua.* Unde si *Titius* promittat nuptias *Caiae*, et haec acceptet sine repromissione, neuter obligatur; hoc est *probabilius;* quia, cum contractus sponsalium sit onerosus, et reciprocus, non potest claudicare ; involvit enim conditionem, *si tu repromiseris.* Quod si tam *Titii* promissio fuisset absoluta ac gratuita et acceptata a *Caia*, solus *Titius* obligaretur non vi sponsalium, sed simplicis promissionis ; hoc est *probabilius.* Quae simplex promissio, juxta opinionem *probabilem* innixam auctoritate *S. Thom.*, non obligat sub gravi. Vide L. 3, n. 720. 836 et 837. - 4. *Signo expressa;* quia contractus inter homines non fit, nisi signo externo. Unde non sufficit ad sponsalia taciturnitas *Caiae*, etiam cum consensu interno in promissionem matrimonii quod *Titius* ei promittit. 838. - 5. *Inter habiles:* id est, qui et aetatem a jure praescriptam habent, et nullo impedimento prohibentur. - 840.

Quaeritur 1. An teneatur Matrimonium contrahere qui ficte promisit sponsalia alteri vere promittenti ?

R. Non tenetur si non habuerit animum contrahendi, neque se obligandi. Haec est sententia *probabilior*, cui subscribimus. Ratio praecipua est, quia omnis obligatio quae non habetur ex lege, oritur ex privata hominis voluntate ; ergo ubi deest voluntas se obligandi, deficit obligatio ; et hoc etiamsi promissio fuerit juramento firmata. Attamen tenebitur ratione deceptionis damna resarcire. Secus vero dicendum, si intervenerit defloratio ;

quia tunc deflorans omnino tenetur ad Matrimonium, cum non possit tunc alia via satis aequivalenter damnum resarcire, ut diximus in Tractatu *de Justitia*, *ex n.* 642.-833.

Quaeritur 2. An sint irrita sponsalia contracta per dolum dantem causam contractui, etsi versantem tantum circa qualitatem?

R. Affirmant Sanch. etc. Sed ut diximus in Tract. *de Contract. n.* 715, *probabilius* est eo casu contractum non irritari neque de jure naturali, neque de jure civili. Habet vero tunc deceptus actionem irritandi contractum propter injuriam et defectum consensus, idque currit etiamsi deceptio provenerit ab alio tertio, parte ignorante: caeterum, *satis probabile* est quod deceptus non teneatur in conscientia stare contractui, si suus error vero fuerit invincibilis (*a*). Secus dicendum de decipiente qui manet ligatus, ut *probabilius* tenemus, quia nemini patrocinari debet sua fraus.-835.

Quaeritur 3. An sint valida sponsalia, si parentes illa contrahant praesente filio qui tacet, et non contradicit?

R. Affirmative: et sic *communiter* docent *Laym. etc.* Idemque dicendum non solum si pater, sed etiam si mater contrahat pro filio. Ratio est, quia in hoc non habetur respectus ad patriam potestatem, sed ad affectum parentum erga filios; matres autem non minus quam patres filios diligunt. Id tamen procedit dumtaxat pro foro externo; nam in foro interno, si filius dissenserit, certe ad sponsalia illa a parentibus contracta non obligatur. Et idem omnino dicendum puto, si filius negative se habuerit, non dissentiendo neque consentiendo; ad contrahendam enim quamcumque obligationem, requiritur positivus consensus.-838.

Quaeritur 4. An sit speciale quod sufficiat praesentia, et taciturnitas filiorum, si parentes pro eis contrahant?

R. Negant Hostiens. etc., qui dicunt id procedere etiamsi extraneus contrahat sponsalia pro alio praesente et tacente. Sed *communissime* et *verius* id in utroque foro esse speciale pro sponsalibus contractis a parentibus *affirmant Escob. etc.* Ratio, quia licet Matrimonium sit per se appetibile, attamen obligatio ad illud est onerosa; cum autem parentes prae magno amore erga filios praesumantur ipsis bene consulere, merito censentur filii consentire ipsorum promissioni; sed haec ratio non militat pro aliis. Nec valet regula juris; « qui » tacet consentire videtur: » nam bene respondent *Salm.* hoc procedere in favorabilibus, non autem in obligatoriis, ubi *verius* oppositum praesumitur, et maxime in sponsalibus ubi positivus requiritur consensus. Recte tamen *Sanch.* primam sententiam admittit si alicubi, prout est apud Indos, esset consuetudo, ut consensus per alios exprimatur.

Quaeritur 5. An cum parentes contrahunt sponsalia pro filiis absentibus, sufficiat ad eorum valorem, si filii certiores facta non contradicant?

R. Prima sententia negat, dicitque requiri ut ipsi sponsalia ratificent aliquo alio speciali signo expresso vel tacito. *Secunda* vero dicit sufficere ad contrahendum quod taceant et non contradicant. Utraque sententia est *probabilis*, sed secunda *probabilior*.

Nota. 1. Quod *Conink.* etc. dicunt non sufficere si filius casu sciat sponsalia a parente celebrata et non con-

(*a*) *Et si res sit integra, ne judicis quidem post sententiam tenetur stare contractui. H. n.* 2.

tradicat; sed amplius requiritur ut parens per se, aut per alium eum certiorem faciat. 839.-2. In dubio verborum aut signi sponsalium promissionis, *probabilius* est quod potius sit favendum libertati quam Matrimonio.-840.

Quaeritur 6. Utrum sponsalia per metum gravem injustum contracta, sint ipso jure invalida?

R. Prima sententia affirmat. Secunda vero *sententia* tenet hujusmodi sponsalia ex metu gravi contracta posse quidem irritari a metum passo, sed non esse per se irrita; ideoque dicit quod si adfuit juramentum, debet ipsum servari, donec relaxetur. Utraque sententia est *probabilis*, sed prima mihi videtur *probabilior*. Licet enim loquendo de contractibus in genere, oppositum tenui, sed circa sponsalia diversa currit ratio; et sicut Matrimonium ex metu est irritum, idem dicendum de sponsalibus. Unde infertur, quod ex hujusmodi sponsalibus minime oriatur impedimentum publicae honestatis.

Nota. Dicitur *per metum gravem injuste incussum;* nam si metus gravis est justus, valida erunt sponsalia, ut recte dicunt *Salm. etc.* (*a*).

Quaeritur 7. An sint valida sponsalia contracta per metum levem, qui dederit causam contractui?

R. Prima sententia negat. Secunda communior et *probabilior affirmat.* Ratio, quia non censetur alter veram injuriam tibi intulisse, cum facile poteras tu metum illum repellere.

Quaeritur 8. An qui contraxit sponsalia ex metu levi, dante causam contractui, possit illa in conscientia rescindere?

R. Prima sententia negat. Secunda vero *sententia communior* et *probabilior affirmat.* Idque tanto magis procederet, si metum passus non ut levem, sed ut gravem apprehendisset.-844.

CAPUT II.

DE OBLIGATIONE SPONSALIUM.

Sponsalia obligant ad ineundum Matrimonium sub peccato mortali. Ita *communiter* omnes. Ratio, quia licet promissio simplex, juxta *probabilem* sententiam, non inducat gravem obligationem, secus vero est de promissione mutua, quae perfectum constituit contractum ex utraque parte obligatorium.

Quaeritur 1. An qui sponsalia contraxit sine tempore praefixo ad Matrimonium contrahendum, teneatur illud inire statim ac commode possit?

R. Prima sententia negat et dicit tunc solum teneri, cum altera pars requiret. *Secunda* tamen *sententia verior affirmat.* Ratio, quia sic habetur expressum in *L. in omnibus.* Sed notandum quod si altera pars, cum possit commode petere, tacet, tunc ipsa videtur dilatione assentire.-845.

Quaeritur 2. An judex possit nolentem cogere?

R. Alii *affirmant.* Alii *negant*, nisi promissio juramento firmata fuerit. Alii *negant* etiamsi adfuerit juramentum. Attamen, *verius* et *communiter* dicunt *Pal., Conc. etc.*, quod si ex tali Matrimonio timeantur rixae aut scandala, non debeat judex ad illud ineundum cogere partem invitam; secus si scandala non timeantur. Recte autem advertunt *Bus.* et *Tamb.* raro expedire ut partes ad tale Matrimonium cogantur.-746.

(*a*) *Dicitur etiam* ab extrinseco; *quia si fuisset ab intrinseco, v. gr. si quis promitteret, timens ne in carcere conjiceretur, tunc iste tenetur ad sponsalia.-H. n.* 3.

Quaeritur 3. An sint valida sponsalia posteriora contra priorem fidem inita?

R. Certum est quod si secunda sponsa fuerit conscia priorum sponsalium, Matrimonium cum prima debet contrahi, quia tunc secunda non fuit decepta, sed ipsa voluit decipi. Ita *communiter Salm. etc.* Si autem secunda sponsa fuit ignara, *prima sententia* dicit sponsum teneri contrahere cum secunda, si cum hac copulam habuit. *Secunda* vero *sententia communior* et *probabilior* dicit sponsum teneri contrahere cum prima, etiamsi adfuerit copula cum secunda. Ratio, quia promissio facta secundae sponsae semper est nulla utpote de re illicita, cum fuerit priori sponsae promissa, nec injuria illata alteri jus huic adimittit; et hoc etiamsi secunda promissio fuerit juramento firmata. - 848.

Quaeritur 4. An sint valida Matrimonia filiorum-familias contracta sine consensu parentum?

R. Affirmative; et hoc est certum ex *Tridentino*, contra *Lutherum etc.*

Quaeritur 5. An, et quando, et qualiter peccent filiifamilias nuptias contrahentes sine consensu parentum?

R. Quatuor sunt sententiae. *Prima* et quidem *communior* docet universe eos peccare lethaliter, si Matrimonium ineant, parentibus sive inconsultis sive invitis. *Secunda* dicit tamen teneri quidem filios sub mortali parentum consilium petere, non vero illud sequi. *Tertia* dicit quod si filiifamilias Matrimonium contrahant, sive incunsultis parentibus sive invitis, illicite quidem contrahant, at per se loquendo, non peccant mortaliter, sed tantum venialiter. *Communiter* tamen AA. tam secundae quam tertiae sententiae dicunt non excusari a culpa mortali filios Matrimonium contrahentes, si parentes juste contradicant, vel si censeantur rationabiliter inviti, puta si tales nuptiae redundarent in dedecus familiae, vel si ex eis sint orituri gravia scandala aut dissensiones. *Quarta* demum distinguit, et dicit quod si parentes ab omni Matrimonio filium avertere conantur cum periculo incontinentiae, filius non teneatur obedire; si vero impedire velint aliquod certum Matrimonium, tunc videndum, si parentes injuste impediant, filius non tenetur obedire; secus si parentes juste impediant, nempe, si ex tali Matrimonio oriatur dedecus, aut scandalum familiae, tunc enim filius graviter peccat, si non obedit, et Matrimocium contrahit.

Nota. 1. Casu quo filius non posset sine peccato tale Matrimonium inire, dicunt DD. quod ad illud non obligetur, etiamsi cum juramento sponsalia contraxisset; quia cum haec promissio esset de re illicita, juramentum non potest esse vinculum iniquitatis. 2. Idem dicendum putant *communiter* AA., scilicet non teneri sponsum ad adimplenda hujusmodi sponsalia cum gravi parentum injuria, etiamsi virginem defloravit, sed sufficere quod eam dotet. Ratio, quia virtus justitiae nequit obligare ad actum, qui sine peccato impleri non potest. Unde videtur inferri *probabiliter*, quod si talis sponsus non possit defloratam dotare, nec etiam tenetur eam ducere, quia non potest illius damnum reparare cum gravi injuria parentum. Praeterea, posito quod ipse non teneatur vi promissionis, nec etiam videtur teneri ratione defforationis ad reparandum damnum illatum, cum nemo teneatur reparare damnum cum excedenti suo detrimento. 3. Quoties filius peccaret in contrahendo Matrimonio indigno, ex quo dedecus familiae, vel scandala et infelices exitus prudenter timeri possent, tunc dicunt

Laym. etc., quod parentes implorare possint auctoritatem Praelati ad tales nuptias impediendas, et Praelatus teneatur impedire; ideo mortaliter peccaret Praelatus si filio faveret, vel dispensaret in denuntiationibus ad Matrimonium praemittendis.

Quaeritur 6. Quaenam sint causae ex quibus filius potest excusari saltem a mortali, licet absque consensu parentum nuptias contrahat?

R. Praecipuae causae sunt sequentes, juxta DD.: 1. Si pater injuste prohibeat filium a conjugio. 2. Si causa majoris dotis indignam mulierem ei dare velit. 3. Si pater velit tradere filio uxorem aegram, aut durae conditionis. 3. Si filius a parentibus injuste opprimeretur. 5. Si pater procul distet, et filius non posset commode eum certiorem facere, credatque patrem libenter consensurum. 6. Si pater ideo prohibeat justum Matrimonium, quia vult filium ducere aliquam contra ejus voluntatem. 7. Si pater impediat filium ab aliquo Matrimonio sine justa causa; tunc enim filius non tenetur obedire, et pater graviter peccat impediendo.

Quaeritur 7. An pater injuste impediens nuptias filii incurrat excommunicationem?

R. Affirmat Lopez ex *Tridentino*. Sed *verius negant Sanch. etc.; quia* Concilium non infligit excommunicationem contra impedientes a Matrimoniis, sed tantum contra cogentes ad illa. - 849.

Quaeritur 8. An teneatur filius obedire patri praecipienti ut Matrimonium contrahat vel ut aliquam ducat mulierem, a qua filius abhorret?

R. Communis est *sententia negans. Communiter* tamen dicunt *Laym. etc.* teneri filium obedire, si Matrimonium illud valde referat ad tollenda gravia dissidia, vel ad sublevandam gravem necessitatem parentum, non jam vigore praecepti, sed ex virtute pietatis, quia filius tenetur subvenire parentibus in necessitate. Sed hoc intelligendum, ait *Sanch.*, ex suppositione quod filius velit statum conjugalem eligere, nisi, addit *Sanch.*, Matrimonium aliquod locuples esset necessarium ad subveniendum necessitati parentum; sed hoc etiam cum grano salis intelligendum (*a*). - 850.

Quaeritur 9. Ad quid teneatur resiliens culpabiliter a sponsalibus?

R. Culpabiliter resiliens perdit suas arrhas et tenetur ad alterius partis receptas reddendas, ac ad restitutionem quanti ejus intererat talem contractum impleri. Hinc, nota sequentia: 1. Quod si a muliere promittatur aliquid viro, ut eam ducat, valet quidem promissio, quia tunc promissio praesumitur facta causa dotis. Secus, si vir promittat aliquid mulieri, si secum nupserit: quia tunc promissio praesumitur facta ob causam turpem, nempe libidinis explendae. Ita *communiter Sanch. etc.* Excipiunt tamen si vir sit ignobilis aut senex, et mulier sit nobilis aut juvenis; quia tunc promissio juste fit in compensationem nobilitatis aut juventutis. 852. - 2. Quod promissio poenae appositae in sponsalibus in resilientem est illicita et invalida, quia per hujusmodi poenam Matrimonii libertas laederetur. Hinc *communissime* dicunt Doctores peccare, qui sponsalia cum hac poena contrahunt. Alii vero dicunt id esse mortale. Alii autem censent esse veniale. Hoc autem procedit, si poena apponatur a sponsis, vel ab eorum consanguineis, aut amicis; non vero si apponatur ab extraneo.

(*a*) *Charitas neminem potest obligare ad tantum, ut ei vivendum esset tota vita sua cum uxore, quam notabiliter horreret.* - *H. n.* 10.

Quaeritur 10. An promissio talis poenae sit valida et licita, si adjiciatur injuste resilientem ?

R. Prima sententia satis probabilis negat. Secunda vero *probabilior affirmat.* Ratio, quia talis adjectio poenae non est contra jus neque naturale, neque positivum.

Quaeritur 11. An juste resiliens a sponsalibus teneatur solvere poenam promissam, si promissionem juramento firmaverit ?

R. Prima sententia affirmat. Secunda vero *sententia probabilior negat*, quia cum adjectio poenae contra juste resilientem sit iniqua, et ideo illicita, non obligat juramentum, quod non potest esse vinculum iniquitatis.

Quaeritur 12. An si poena in sponsalibus adjecta solvatur, teneatur recipiens illam restituere ?

R. Prima sententia negat. Secunda probabilior affirmat ; quia recipiens non habet titulum retinendi, cum jus omnino talem promissionem irritet.

Quaeritur 13. An inter sponsos sint peccata mortalia oscula, et tactus pudici, si fiant ad captandam voluptatem ?

R. Duplex est sententia. *Prima* dicit esse tantum venialia, licet intendatur delectatio carnalis, et adsit commotio spirituum genitalium, dummodo non sit magna, et absit periculum pollutionis, vel consensus in copulam. Ratio, quia sicut Matrimonium cohonestat copulam, sic sponsalia quae sunt quaedam incohatio Matrimonii tales actus cohonestant, qui sunt copulae incohatio. Eo magis, quia per illos plus fovetur amor ad Matrimonium contrahendum. Adduntque *Salm.* praedictos actus excusari etiam a veniali, si adsit causa justa, v. g. ostendendi amorem, captandi benevolentiam, effugiendi inurbanitatem, vel servandi morem patriae. *Secunda sententia longe probabilior*, et omnino sequenda docet tales actus prohibitos esse sponsis eodem modo, quo vetantur omnino solutis. Ratio, quia sponsus ratione sponsalium nullum acquirit jus ad corpus sponsae. Concedunt tamen *Croix. etc.*, quod oscula et amplexus juxta morem patriae, aliquando sponsis permitti possunt, sed non aliter quam solutis permittuntur. Et hoc est *probabile*, modo tales actus non sint pressi et per aliquod tempus protracti ; sed ego non admitterem, nisi ubi talis vigeret usus. Id autem quod dicunt *Busemb. etc.*, nempe quod sponsis liceant actus pudici, si intendant delectationem tantum sensitivam, secus vero si veneream, recte ajunt *Ronc. etc.* non esse practice *probabile ;* quia ordinarie semper aderit certum periculum consentiendi in delectationem veneream cum sensitiva tam conjunctam. Qua ratione spectata, prima etiam sententia nec *practice probabilis* est, quia in materia tam labili moraliter est impossibile in talibus actibus, causa voluptatis habitis, se continere a non labendo in pollutionem, vel copulae consensum. An autem sponsis liceat delectari de copula futura? Vide *Tract. de Peccatis*, *n.* 24. - 854.

CAPUT III.

DE DISSOLUTIONE SPONSALIUM.

Sponsalia dissolvuntur in sequentiaus casibus. 1. Per mutuum consensum, sicut quivis contractus. 855.- 2. Si superveniat impedimentum dirimens Matrimonium. 857.- 3. Per atrox crimen alterius sponsi, solvuntur ex parte innocentis ; quale censetur 1. Haeresis. 2. Fornicatio, vide infra n. 861. 3. Furtum grave, homicidium, vel simile, quod grave damnum, vel infamiam pariat. 860. - 4. Si notabilis

mutatio accidat, vel detegatur, quae si a principio cognita fuisset, a sponsalibus deterruisset, et hoc procedere, ait *Viva*, etiamsi intervenerit copula, tunc enim sufficit damnum compensare. Vide n. 851. 863.-5. Si alter sine alterius licentia proficiscatur in terram longinquam, quia censetur renuntiare suo juri. 866.-6. Si sint inita cum conditione, certo tempore contrahendi Matrimonium, liberatur obligatione is per quem non stetit, quominus sit contractum. 867.-7. Solvuntur, licet sint jurata, per susceptionem Ordinis sacri, per ingressum alterius in Religionem, aut votum eam ingrediendi. 869.-8. Per Matrimonium validum.-875.

Quaeritur 1. An sponsalia solvantur etiam ex parte ponentis impedimentum dirimens?

R. Affirmant Dic. Negant vero *communius* et *probabilius Sanch. etc.*, quia aequum non est, ut delinquens commodum ex suo crimine reportet.-857.

Quaeritur 2. An qui impedimentum apposuit, teneatur dispensationem obtinere, vel ipsam oblatam acceptare?

R. Sanch. etc. probabilius dicunt teneri impetrare dispensationem, si possit facile impetrari; secus si ad eam requirerentur magnae expensae, et longa mora. Excipit tamen *Spor.* nisi esset reparandum damnum defloralionis, vel famae, quia tunc teneretur etiam magnam expensam erogare, sed non tanta, ut cogeretur a suo statu decidere.-858.

Quaeritur 3. Quandonam sponsalia dissolvuntur propter fornicationem?

R. Si fornicatio fuerit ante sponsalia, certum est apud omnes posse virum, cognita fornicatione sponsae post sponsalia, eam relinquere. E converso, non potest mulier rescindere sponsalia ob fornicationem sponsi cum alia ante habitam; nisi, limitant *Sanch. etc.*, vir insuper prolem ex alia habuerit, vel etiam nisi ipse noscatur fuisse deditus huic vitio, cum pluribus feminis se commiscendo. Si vero fornicatio fuerit post sponsalia (*a*), certum est posse sponsum mulierem relinquere, si ipsa voluntarie fornicata sit; si autem sponsa violenter fuerit fornicationem passa, *communiter* et *verius* dicunt *Sanch. etc.*, etiam in hoc casu posse virum a sponsalibus resilire; quia sponsa per talem oppressionem, licet sine sua culpa, notabiliter vilior redditur, unde notabiliter mutantur circumstantiae.-861.

Quaeritur 4. An utroque sponso fornicante, utrique liceat resilire?

R. Adsunt tres sententiae. *Prima affirmat. Secunda* dicit neutrum posse resilire, sed dari compensationem, ita ut neuter queat a sponsalibus recedere. *Tertia* vero *communis et probabilior* docet sponsum bene posse resilire, non vero sponsam. Ratio, quia in hoc non daretur aequa compensatio, cum longe turpior sit fornicatio sponsae quam sponsi.-862.

Quaeritur 5. An fornicatio sponsae sit circumstantia in Confessione exprimenda?

R. Triplex est sententia *probabilis*. *Prima* dicit quod fornicatio tam sponsae quam sponsi inducat malitiam specie diversam. *Secunda* dicit quod peccet specie diversa tantum sponsa, non autem sponsus, qui fornicando levem injuriam videtur afferre sponsae. *Tertia* demum adhuc *satis probabilis* dicit neutrum fornicando committere injuriam, quia neuter sponsorum jus acquisivit in corpus alte-

(*a*) Communis *et* probabilius *dicunt* Sanch. etc. *sponsam non posse recedere.*-*H. n.* 18.

rius, cum neuter adhuc corpus suum tradiderit - 847.

Quaeritur 6. An pars laborans occulto defectu sufficienti ad solvenda sponsalia, teneatur illum manifestare ante sponsalia, vel eis contractis, ante Matrimonium ?

R. Distinguendum cum *communi ;* si defectus redderet nuptias perniciosas, ut esset infamia, lepra, morbus gallicus, aut alius contagiosus, tenetur manifestare, vel a nuptiis desistere, nisi altera pars eodem defectu laboret. 864. Si vero defectus non redderet nuptias noxias, sed tantum minus appetibiles, nempe si sponsa esset pauper, quae reputabatur dives; ignobilis, quae nobilis; deformis, quae pulchra ; corrupta, quae virgo ; tunc esto ipsa non possit virum decipere fingendo se immunem a tali defectu, attamen non tenetur defectum manifestare, sed potest etiam interrogata dissimulare, aequivoce respondendo ; tunc enim non fingit, sed occultat vitium occultum, ita *Sanch. etc.* Ratio, tum quia est consuetudine jam receptum, ut non sit obligatio tales defectus manifestandi, tum quia nemo tenetur propolare suum defectum cum propria infamia, si non laedat jus alterius. Excipiunt tamen 1. *Spor. etc.* si sponsa ex concubitu habito cum alio sit praegnans, quia tunc adest periculum damni sponsi, nempe quod deberet alere prolem alienam. Excipiunt 2. *Sanch. etc.*, si non manifestato defectu, prudenter timeatur ne ille propaletur post nuptias initas, et graves inde discordiae sint proventurae, quia charitas obligat ad ea damna praecavanda ; sed huic objici posset quod charitas non videatur obligare cum tanto incommodo, nimirum vel se infamandi, vel remanendi semper innuptam. Vide n. 851. - 865.

Quaeritur 7. An elapso termino, quo Matrimonium erat contrahendum, ex defectu v. g. sponsi, possit sponsa resilire a sponsalibus, si inculpabiliter omiserit ille nuptias inire, justo detentus impedimento ?

R. Prima sententia negat. Ratio, quia non est aequum ut privetur jure suo, qui ex juxta causa impeditur a promissis adimplendis. *Secunda* vero *communior* et *probabilior affirmat.* Ratio, quia terminus ad hoc apponitur, ne pars parata diu maneat sine nuptiis, alias frustra tempus praefigeretur.

Quaeritur 8. An elapso termino in sponsalibus apposito, remaneat libera ab eorum obligatione etiam pars, quae culpabilem apposuit dilationem ?

R. Prima sententia communior negat, et dicit remanere liberam tantum partem per quam non stetit. *Secunda* vero *sententia affirmat*, quod elapso termino, utraque pars remanet libera, etiam illa quae in culpa fuit. Ratio, quia cum terminus sit appositus ad obligationem finiendam, illo elapso, cessat obligatio. Prima sententia est quidem *longe communior*, et mihi *longe probabilior*, sed haec secunda sua non caret probabilitate. - 868.

Quaeritur 9. Utrum per ingressum in Religionem unius sponsi solvantur, ex utraque parte, sponsalia contracta ante professionem ?

R. Sententia communior et *absolute probabilior* dicit dissolvi sponsalia tantum ex parte manentis in saeculo, non autem ex parte ingredientis, si postea ad saeculum redeat, quia per ingressum ipse non redditur inhabilis ad contrahendum Matrimonium, sicut redderetur per professionem.

Quaeritur 10. An si sponsalia sint juramento firmata, teneatur sponsus ante ingressum in Religionem Matrimonium celebrare ?

R. Prima sententia affirmat. Se-

cuuda communissima, et per se loquendo *verior*, *negat*. Dixi *per se loquendo*, nam *recte* addunt *Bon. etc.*, quod teneretur sponsus ante ingressum nuptias celebrare, si hoc necessarium esset ad prolem legitimandam, scandalum reparandum, vel honori sponsæ providendum, si alio modo non posset occurri. Et hoc casu nec etiam permittitur sponso post celebrationem Matrimonii ingredi Religionem, illudque non consummatum relinquere; nequit enim tunc deserere uxorem, quae propter infamiam non posset alias nuptias invenire. - 870.

Nota. Si sponsus post sponsalia, sed defloratione remota, voveret Religionem ingredi, procul dubio tenetur ad votum, et non obligatur sponsalibus, nisi cum e Religione egreditur. Sed si votum sit etiam profitendi, tunc certe utraque pars libera remanet, quia tunc qui vovet, fit omnino inhabilis ad Matrimonium. - 873.

Quaeritur 11. Utrum peccet qui Ordines sacros suscipit, inscia, vel invita sponsa?

R. Prima sententia affirmat peccare graviter. *Secunda* vero *non minus probabilis negat*; quia in promissione sponsalium subaudita semper est conditio, *nisi melior status eligatur*. - 871.

Quaeritur 12. Utrum per susceptionem Ordinum minorum dissolvantur sponsalia?

R. Prima sententia affirmat. Secunda communior et *verior negat*; quia status Ordinum minorum per se non est incompossibilis cum Matrimonio, cum quis bene possit fieri Clericus conjugatus. - 872.

Quaeritur 13. An per votum servandae castitatis, vel suscipiendi Ordines sacros solvantur sponsalia?

R. Si votum antecedat sponsalia, certum est ipsa esse irrita. Si vero votum subsequatur, *prima sententia negat* quod sponsalia solvantur ex parte non voventis. *Secunda* vero *affirmat* sponsalia solvi ex utraque parte; quia promissio sponsalium censetur semper facta sub conditione, nisi melior status eligatur. Utraque sententia est *probabilis*. - 873.

Quaeritur 14. An per Matrimonium subsequens ita dissolvantur sponsalia antecedentia, ut illo soluto per mortem conjugis, non urgeat obligatio priorum sponsalium?

R. Prima sententia affirmat. Secunda vero *sententia* mihi *absolute probabilior negat*; unde talis obligatio per Matrimonium subsequens suspenditur, sed non extinguitur. - 875.

Quaeritur 15. An notabilis disparitas conditionis aut status inter contrahentes irritet sponsalia contracta?

R. Certum est quod si contrahentes tempore sponsalium non fuerint disparitatis conscii, sponsalia sunt nulla, dummodo ignorantia fuerit antecedens; valida tamen, si fuerit concomitans. Si vero contrahentes tempore sponsalium disparitatis fuerint conscii, *communiter* DD. infra citandi dicunt teneri ad Matrimonium, nisi, excipiunt, ex illo eveniat dedecus aut scandalum propinquorum, in hoc indistincte loquentes.

Sed hic necessario distinguendum dedecus a scandalo. Nam, si Matrimonium non posset contrahi nisi cum dedecore familiae, non dubitandum quin sponsi non teneantur Matrimonium contrahere. Ratio, quia promissio tunc est nulla, cum sit de re graviter illicita, utpote quae impleri non potest nisi cum magno familiae detrimento. Ita *communiter Laym. etc.* Et notandum quod non sufficiat qualiscumque disparitas ad liberandum sponsum a Matrimonio promisso, sed requiratur notabilis, puta si vir nobilis desponsaverit filiam artificis mechanici. Vide *Tract. de Justitia*,

n. 643. Si autem agatur de scandalo vitando, id est, si Matrimonium non possit contrahi quia probabiliter timentur damna, aut odia propinquorum propter disparitatem ratione divitiarum, fateor quidem hanc esse *communem* sententiam, et per se loquendo *veram*, quod filius non potest in illo casu Matrimonium contrahere, si commode potest hujusmodi scandala vitare, alias peccaret graviter contra charitatem. Sed si non potest sine gravi incommodo, quomodo filius tenebitur sub mortali, ne parentes scandalum patiantur, a Matrimonio desiderato abstinere, cum charitas non obliget cum gravi incommodo? forte-ne sponsus non videtur grave incommodum subiturus, si omittere cogatur Matrimonium cum puella, quacum credit quietam se ducturnum vitam, ob vehementem amoris passionem, qua se sentit affectum erga illam (*a*)?

Quapropter melius dicendum mihi et aliis doctis junioribus videtur tunc filios teneri sub mortali obedire parentibus, ab hujusmodi Matrimonio abstinendo, quando possunt sine gravi suo incommodo. Tanto magis quod hujusmodi scandala, quamvis antea jactentur, inito tamen Matrimonio, facile evanescunt, et animi conciliantur. Caeterum, cum hoc sit contra *communem*, propterea sapientibus discutiendum relinquo. Verum est quod promissio prodiga, quae evenit quando adest notabilis disparitas in divitiis, sit per se illicita, et consequenter sponsus prodige promittens Matrimonium non tenebitur utique ad illam; et non refert quod culpa prodigalitatis non excedat veniale peccatum, quia promissio rei qualitercumque malae, adhuc venialiter, puta mentiendi, etc., nec etiam potest ullam parere obligationem, hoc certum est.

Hinc pro conclusione hujus puncti mihi videntur dicenda sequentia: 1. Sponsum, qui antecellit divitiis, in casu proposito non teneri ad Matrimonium, nec non venialiter peccare ratione prodigalitatis, si illud contrahat. 2. Hoc procedere stando in terminis verae prodigalitatis: verumtamen, cum culpa prodigalitatis non sit plus quam venialis, quaevis mediocris justa causa vitium prodigalitatis auferre potest. Hinc satis excusabitur sponsus feminam disparem ducens, si noverit in ea aliquam specialem praerogativam, nimirum Providentiae, devotionis, magnae honestatis, vel etiam alicujus dotis naturalis, propter quam putet sponsus cum illa quietam ducturum vitam. Hinc infertur vix casum accidere posse quod sponsus eam ducere non teneatur, quia rarissime deerit aliqua ex his causis quae culpam prodigalitatis excusabit. 3. Casu quo sponsus vi promissionis copulam extorserit a virgine, vel a femina honesta, tunc omnino teneri eam ducere; quia perditio virginitatis, aut bonae famae est res pretio inaestimabilis, quae praevalet aut saltem aequivalet excessui disparitatis sponsi; et ideo in eo casu promissio facta bene est valida, cum jam adfuerit aequalitas in contractu sine vitio prodigalitatis. Hoc tamen currit si disparitas sit tantum in divitiis: nam si sit in nobilitate, tunc etiamsi intercesserit defloratio, non tenetur vir ad Matrimonium cum dedecore familiae, imo *probabiliter* nec etiam ad damnum illatum. Vide *Tract. de Justitia*, *n.* 643 - 851.

Quaeritur 16. An dissolvantur sponsalia, si sponso superveniat haereditas?

(*a*) *Nisi ex illo Matrimonio oriturum esset malum commune toti regioni.* - *H. n* 16

R. Negant communissime Bus. etc. Sed *affirmant Hurt. etc.*, quia jam accedit notabilis rerum mutatio. Juxta primam hanc sententiam, si quis contraheret sponsalia cum una, non posset postea contrahere cum altera ditiore; sed si qualitas secundae sponsae esset excedenter melior, ego non auderem sponsum omnino damnare, si cum illa contrahere vellet. Attamen a prima sententia abscedere non auderem consulere. - 876.

Quaeritur 17. An dissensus parentum sit causa solvendi sponsalia?

R. Affirmant Menochius etc. Sed *communiter negant Croix etc.* Excipiunt tamen, nisi magnum scandalum ex tali Matrimonio timeatur. Quod scandalum, ait *Sanch.*, caute esse considerandum; nam, saepe magna discordiarum pericula jactantur, quae postea, teste experientia, ubi nuptiae contractae sunt, facile cessant, et animi conciliantur. Sed ego censeo quod si pater injuste dissentiat a tali Matrimonio, filius non possit a sponsalibus recedere, et tam ipse quam pater peccarent, si vellent ea dissolvere. Secus vero, si pater juste contradicat; item, si filius juste timeret haereditate privari paterna, modo hoc periculum non praeviderit, cum sponsalia contraxit. - 877.

Quaeritur 18. An ad sponsalia solvenda semper requiratur auctoritas judicis?

R. Certum est 1. Quod si sponsalia sint publica, et causa publica ac certa, non requiritur auctoritas judicis, et idem dicendum si sponsalia sint occulta, et causa occulta. Certum est 2. Quod si causa sit dubia jure, vel facto, omnino requiritur auctoritas judicis. Quando autem sponsalia sunt publica, et causa occulta, tunc etiam requiritur auctoritas judicis, sed non sub culpa gravi, nisi inde grave scandalum timeatur. Si vero causa illa non possit coram judice probari, nec etiam sub levi auctoritas judicis exigitur. Casu autem quo defectus alterius partis jam probari possit, sed sit occultus, debet pars innocens alteram commonere, et minari quod manifestabit defectum; et si ipsa non acquiescit solutioni sponsalium, licite poterit defectum ad judicium deferre.

Quaeritur 19. Quaenam probatio requiratur ad solvanda sponsalia?

R. Distinguendum: si agitur de probando impedimento sive dirimente, sive impediente tam in foro interno quam externo, sufficit unus testis oculatus et juratus, etiams itestis ille sit criminosus, et non citatus, sed a parte productus; et etiamsi clam deponat, et sine manifestatione sui nominis. Si vero agatur de probanda alta causa, quae non sit impedimentum, sed tantum quae det alteri jus resiliendi, ut deformitas, fornicatio sponsae, etc., quoad forum externum requiruntur saltem duo testes fide digni, deponentes sub juramento, ut *communius* dicunt *Sanch. etc.* Verum, si agatur de sponsae fornicatione, sufficere unum testem fide dignum dicunt *Palud. etc.*, quia durum est compellere virum ad ducendam sponsam, quam ab aliquo fide digno audit, et prudenter jam suspicari potest fuisse fornicatam. Et revera haec sententia *satis probabilis* mihi videtur, loquendo de fornicatione sponsae, cum agatur de vinculo perpetuo Matrimonii, ideo ob talem suspicionem viri prudenter judex timere potest infelicem exitum ex hoc conjugio proventurum. Quoad forum autem internum, conveniunt DD. sufficere ad solvanda sponsalia unum testem fide dignum, minime de mendacio suspectum et testantem de certa scientia; vel etiam opinionem probabilem de causa sufficienti ad solutionem. Hinc, subdunt *Viva etc.*, quod si vir doctus affirmet causam esse suf-

ficientem, licite poterit pars innocens resilire.-878.

PARS II.

De Matrimonio.

De Matrimonii natura, Materia, Forma, et Ministro. Usu. Impedimentis. Dispensationibus. Revalidatione. Divortio.

CAPUT I.

DE MATRIMONII NATURA, MATERIA, FORMA, ET MINISTRO.

1. Matrimonium *est Sacramentum inter baptizatos, quo vir et mulier sibi mutuo legitime corpora sua tradunt ad perpetuam vitae societatem, usum prolis suscipiendae, et remedium concupiscentiae.* Ante Christi adventum Matrimonium tantum habebat vim contractus, sed a Christo postea fuit evectum ad rationem Sacramenti. Hoc est de fide definitum a Concilio *Tridentino*, ex illo Apostoli ad *Ephes.* 5: *Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico, in Christo et in Ecclesia.*-879.

2. Circa materiam hujus Sacramenti plures sunt sententiae, sed duae tamen magis receptae. *Prima* dicit verba sponsorum, quatenus exprimunt traditionem corporum esse materiam. *Secunda* autem, cui magis adhaereo, dicit materiam remotam hujus Sacramenti esse corpora contrahentium mutuo tradenda, sive jus mutuum in corpus alterius; materiam proximam esse ipsam traditionem juris in corpora, factam per verba seu signa consensum exprimentia.

3. *Communis* est sententia quod forma hujus Sacramenti sint verba aut signa contrahentium consensum exprimentia.-880.

4. *Communis* sententia, et quae videtur moraliter certa docet ipsos contrahentes esse ministros hujus Sacramenti. Ita *Bellarminus*, *Gonet*, *Cabas.*, *Laym.*, *Holz.*, *Suar.*, *Bon.*, *Benedict. XIV. etc.* Probatur 1. quia *Tridentinum* declaravit olim omnia conjugia clandestina esse vera et rata, idque negantem de anathemate damnavit. Matrimonia autem fidelium non possunt dici rata, nisi sint Sacramenta. Si ergo ante Concilium Matrimonia fidelium sine Parocho inita fuerunt Sacramenta, necessario dicendum tunc sponsos ministros tantum de illo fuisse. Probatur 2. ex eodem *Trid.*, ex eo quod Concilium, dum nuptiae ineuntur, imponit Parocho ut dicat: *Ego vos in Matrimonium conjungo etc.*, ac deinde subjungit, «vel aliis utatur » verbis juxta receptum uniuscujus- » que provinciae ritum. » Si autem Concilium putasset Parochum esse Matrimonii ministrum, quomodo ei potuisset praescribere pro forma quaecumque verba quae sunt juxta ritum receptum uniuscujusque Provinciae? Probatur 3. ex eo, quod si Ecclesia ut vera Sacramenta non habuisset Matrimonia contracta coram testibus fortuito adstantibus, et Parocho reluctante, quin verbum nullum ipse proferat: vel Matrimonia clandestina inita in locis ubi *Tridentinum* non est receptum, Ecclesia, dico, debuisset contrahentes compellere, aut saltem hortari ad suum contractum renovandum coram Parocho, ut ejus verbis fieret Sacramentum, ne ejus gratia illi perpetuo carerent. Attamen, in neutro casu renovationem ab Ecclesia urgeri videmus; unde conjiciendum est quod uterque contractus, licet Sacerdotis benedictione careat, ab Ecclesia pro Sacramento habeatur. Adde praxim Ecclesiae in reconvalidandis conjugiis jam coram Parocho et testibus prius initis, sed invalide propter occultum impedimentum, in quibus S. Poenitentiaria ex oraculo *S. Pii V*, dispensando mini-

me requirit, imo expresse dicit illa reconvalidanda secreto, sine assistentia Parochi et testium; vide *n.* 1110. Et sic *communiter* docent plures declarationes S. C. et decisiones Rotae Rom. cum aliis AA. innumeris.-897 (*a*).

Ex nostra sententia *infertur* 1. quod Matrimonia, quae per procuratorem celebrantur, quia sunt legitimi contractus, ideo vera etiam sunt Sacramenta, nec opus est ut contrahentes postea coram Porocho se sistant ad Matrimonium ratificandum. 2. Quod conjugia malitiose contracta coram Parocho reluctante, et benedictionem denegante, sunt quidem graviter illicita, sed valida et vera Sacramenta; et hoc, etiamsi Parochus affectet nolle intelligere, nempe oculos et aures claudendo. 3. Quod Matrimonia coram Parocho et testibus semel celebrata cum occulto impedimento dirimente, sublato impedimento per dispensationem, vera evadant Sacramenta per consensum absente Parocho praestitum; vide *n.* 1110. Et hoc argumentum, ut ait *Benedictus XIV,* valde probat ministrum Matrimonii non esse Sacerdotem, sed ipsos sponsos; alias, recte dicit, quod Ecclesia, nisi id haberet pro certo, nunquam permitteret sponsos relinqui in periculo quod remaneant sine gratia Sacramenti. Adest tamen decretum S. C., quod si Matrimonium esset nullum ex causa publica, scilicet ob defectum aetatis, tunc reconvalidandum est coram Parocho et testibus. 4. Quod Parochus si assistat Matrimonio existens in mortali, non peccet graviter, quia non conficit nec ministrat Sacramentum. Affirmant tamen *Barbos etc.,* requiri de praecepto gravi verba Parochi: *Ego conjungo vos etc.,* vel alia juxta receptum uniuscujusque Provinciae ritum, ut dicit *Tridentinum;* et hoc mihi magis placet.

Nota. Asserunt *Vasq. etc.,* contra *Suar. etc.,* quod a sponsis qui Matrimonium ineunt, possit valide separari ratio contractus a ratione Sacramenti; sed omnes conveniunt quod hoc agere non careret gravi culpa. Unde infertur quod Ecclesia nunquam permitteret reconvalidari Matrimonium sine assistentia Parochi (quod passim tamen admittit), tolerando quod Matrimonium persisteret tanquam contractus, et non Sacramentum, si non haberet pro certo quod sponsi sint veri Sacramenti ministri.-899.

Quaeritur 1. Quinam requiritur consensus in contrahentibus?

R. Requiritur consensus de praesenti, verbo, scripto, aut nutibus expressus. Sufficit tamen exprimere per alium, ut si parentes pro filiis contrahant, his tacentibus.-887.

Nota. Id quod dictum est de sponsalibus filiorum, quae ipsis tacentibus a parentibus contrahuntur, idem dicitur de ipsorum Matrimonio tali modo inito. Vide ex n. 838.

Quaeritur 2. An verba sint necessaria ad consensum exprimendum?

R. Certum est apud omnes verba non esse necessaria ad valide contrahendum Matrimonium, attamen alii dicunt esse necessaria necessitate praecepti; sed *probabilius* est juxta alios verba tantum requiri sub culpa veniali; quia alias ageretur contra consuetudinem Ecclesiae. Sed a tali culpa bene excusaret verecundia, aut alia rationabilis causa.-888.

(*a*) *His tamen non obstantibus, oppositam sententiam nimirum Parochum esse ministrum Matrimonii, quam tenent* Tournely, Colet, Estius, Conc. etc, *territus ab auctoritate tantorum virorum, non audeo improbabilem dicere, tanto magis quod Bened. XIV in opere de* synodo, *eam valde probabilem vocat.-H. n.* 28.

Nota. Certum est quod donatio annuli vel traductio sponsae in domum sponsi de se non sint signa sufficientia ad contrahendum Matrimonium, nisi haec ex consuetudine loci habeant consensum significare. Sufficiens vero est signum, si viro exprimenti consensum, femina manum porrigat. Sed *verius* non sufficit, si manum non retrahat a viro manum porrigente, debet tunc ore exprimere consensum.-889.

Quaeritur 3. An sufficiat consensus conditionatus?

R. 1. Sufficit conditionatus sub conditione de praeterito, vel de praesenti, stante conditione; quia tunc contractus non suspenditur. 2. Sufficit sub conditione necessaria de futuro, dummodo contrahentes non intendant suspendere tantisper consensum. Item de futuro impossibili. Ratio, quia tales conditiones habentur pro non adjectis. 3. Non sufficit sub conditione de futuro, quae sit contra substantiam obligationis Matrimonialis, v. g. si prolis generationem impedire velis, etc.-890.

Quaeritur 4. Quid dicendum cum Matrimonium celebratur sub conditione, *si pater meus consenserit?*

R. Si conditio sit de praesenti, vel de praeterito, stante consensu patris, jam valet Matrimonium, etiamsi contrahentes illum ignorent. Quando vero conditio est de futuro, tunc omnino suspenditur Matrimonium usque ad eventum conditionis. Haec certa sunt apud omnes.

Quaeritur 5. Quid dicendum si pater taceat?

R. Tunc pensandae sunt circumstantiae; nam, si conjectura sit talis quod pater taceat quia dissentit, tunc taciturnitas habenda est pro dissensu; secus, si conjectura sit quod ideo taceat, quia sibi placet. Bene autem advertit *Ronc.*, quod Parochi sine urgentissima causa nunquam admittere debent haec Matrimonia conditionalia, propter plura inconvenientia, quae deinde occurrere possunt contra ipsorum validitatem.-892.

Quaeritur 6. An impleta conditione in Matrimonio, requiratur novus consensus?

R. Prima sententia affirmat. Secunda vero *negat.* Utraque *probabilis*, sed haec secunda videtur *probabilior.* Caeterum, recte dicunt *Viva etc.* consultius esse eo casu iterum contrahi Matrimonium.-895.

Quaeritur 7. An possit contrahi Matrimonium per procuratorem?

R. Affirmative; sed ad hoc plura requiruntur, scilicet: 1. Speciale mandatum: ad quod autem non requiritur scriptura, sed sufficit si detur oretenus; nec requiritur diversitas sexus, unde hoc officium gerere possunt duo mares, vel duae feminae. 2. Ut mandatum sit de contrahendo cum determinata persona. 3. Ut procurator per se contrahat; non potest enim ipse alium delegare, nisi habeat expressam et specialem a mandante licentiam. 4. Ut mandatum non sit revocatum, nec etiam mentaliter a mandante, antequam Matrimonium celebretur. Et hoc currit etiamsi revocatio fiat tacite, nempe si quis mandatum dederit contrahendi cum una, et postea celebret sponsalia cum alia. 5. Ut procurator ostendat mandatum Parocho et testibus, et coram eis contrahat Matrimonium, juxta formam *Tridentini.* Non requiritur autem ut coram eisdem tradatur mandatum procuratoris ex parte mandantis. 6. Ut procurator limites mandati non excedat. In hoc tamen advertendum, quod si conditio sit requisita a mandante, scilicet ut contrahatur cum tali dote, tali tempore etc., si non servatur conditio, Matrimonium erit nullum. Si vero conditio sit requisita a jure, nempe ut contrahatur praemissis denuntiationibus, obtenta licentia Episcopi etc.,

tunc validum erit Matrimonium sine ipsis initum.-885.

Nota. 1. In talibus nuptiis Parochus interrogare debet Procuratorem: *Vis in uxorem Luciam nomine NN.?* Et feminam: *Vis in maritum Franciscum, mediante praesenti suo?* 2. Matrimonium autem per epistolam contrahitur, quando unus v. g. sponsus scribit ad sponsam, se illi tradere in maritum, et ex tunc eam acceptare in uxorem; et sponsa idem rescribit viro, et uterque epistolas postea legit coram Parocho et testibus. Sed quando vir scribit feminae, se illi in virum tradere, et acceptare illius consensum ex tunc quo illa praestiterit, tunc licet femina non rescribat, sufficit ut Matrimonium contrahatur, si femina coram Parocho et testibus litteras aperiat, et consensum praestet. Ita *Sanch., Salm. etc.*-886.

Quaeritur 8. Quaenam dispositiones requirantur in contrahentibus?

R. Requiruntur sequentes: 1. Contrahentes, ut non peccent, debent esse in gratia, etiam tunc, quando per procuratorem contrahunt, quia verum Sacramentum suscipiunt licet dormiant. Secus est de procuratore, per quem contrahunt, uti et de Sacerdote copulante; quia nec suscipit nec administrat Sacramentum, sed tantum ut testis assistit. Peccaret autem mandans, si tunc esset in mortali, duplici peccato sacrilegii; quia indigne susciperet Sacramentum, et quia indigne ministraret. Vide dicta *de Sacram. in gen. n.* 33. 884.-2. Contrahentes debent sibi proponere debitum finem.

Quaeritur 9. Qui sunt fines Matrimonii, ut valide et licite quis contrahat?

R. Tres fines in Matrimonio considerari possunt, fines intrinseci essentiales, intrinseci accidentales, et fines accidentales extrinseci. Fines *intrinseci essentiales* sunt duo, traditio mutua cum obligatione reddendi debitum, et vinculum indissolubile. Fines *intrinseci accidentales* pariter sunt duo, procreatio prolis, et remedium concupiscentiae. Fines autem *accidentales extrinseci* plurimi esse possunt, ut pax concilianda, voluptas captanda, etc.

His positis, certum est 1. quod si quis contraheret, positive excludendo fines intrinsecos substantiales Matrimonii, nempe animo non reddendi debitum, vel contrahendi ad tempus, non solum peccaret, sed nullum iniret Matrimonium. Ita *communiter* omnes. Certum est 2. quod si quis excluderet duos fines intrinsecos accidentales, non solum valide, sed etiam licite posset quandoque contrahere, prout si esset senex, et nuberet sine spe procreandi prolem, nec intenderet remedium concupiscentiae; sufficit enim ut salventur fines substantiales ut supra; et sic contraxerunt B. Virgo cum *S. Joseph,* qui utique non intenderunt procreationem prolis, nec remedium concupiscentiae, et tamen validum quidem et licitum conjugium inierunt, ex *Matth. C.* 41. ubi: *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam.*

Quaeritur 10. An venialiter peccet qui nubit principaliter ob remedium concupiscentiae?

R. Prima sententia affirmat. Secunda non minus communis, nec minus probabilis negat ullo modo peccare, modo contrahens non excludat finem procreandae prolis. Ratio, quia Matrimonium est a Deo institutum non solum ad prolem procreandam, sed etiam in remedium concupiscentiae, ut probatur ex *Apost.* 1. *Cor.* 7. ubi: *Propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat, et unaquaeque suum virum habeat.*-882.

Quaeritur 11. An sit licitum con-

trahere Matrimonium principaliter ob fines accidentales extrinsecos, nempe ob voluptatem captandam, pacem familiarum conciliandam et similia?

R. Prima sententia affirmat, modo non excludatur finis debitus intrinsecus, ut supra. *Secunda sententia negat*. Ego puto distinguendum : si finis sit per se honestus, nimirum pax populi, amor inter consanguineos, honoris familiae conservatio, sanitatis tuendae, et similia, tunc puto dicendum licite Matrimonium contrahi, quia hoc non est deordinatio eligere aliquem ex finibus secnndariis honestis prae fine primario, modo iste non excludatur. Secus vero si finis non sit honestus, nempe si sit voluptatis, vel cupiditatis divitiarum, aut vani honoris.-883.

CAPUT II.

DE MATRIMONII USU LICITO, ET DEBITO.

ARTICULUS I.

De Matrimoni usu licito.

Piget me de hac materia, quae tantam prae se fert foeditatem, ut castas mentes ipso solo nomine perturbet, longiorem habere sermonem ; sed utinam non esset haec materia tam frequens in confessionibus excipiendis ! ignoscat mihi propterea castus lector si fuse de ea hic loquar.

Usus Matrimonii, sive actus conjugatis est per se licitus et honestus. Hoc est de fide, et patet ex 1. *Cor.* 2. *Uxori vir debitum reddat.*

Per accidens tamen est illicitus in sequentibus casibus. 1. Si Matrimonium a parte rei sit nullum : quod tamen, si uterque ignorat, non peccat, nisi materialiter. Si uterque, vel alter id certo sciat, non potest, quocumque etiam periculo proposito, uti Matrimonio. Unde, si non potest sine periculo vitae aut famae detegere impedimentum, nec sperare dispensationem, debet vel ingredi Religionem, si necdum consummavit, vel fugere, vel petere divortium, ob conjugis saevitiam v. g., vel adulterium, si tale sit, vel certe omnia incommoda patienter sustinere. 900.-2. Si Matrimonium sit debitum. Unde certum est quod durante dubio, sive dubium antecesserit Matrimonium, sive ei supervenerit, conjux dubitans ante diligentiam adhibendam ad dubium vincendum, non potest petere, sed potest et tenetur reddere alteri petenti in bona fide, quia in dubio nemo privandus est suo jure certo, quod bona fide possidet. 903.-3. Si fiat cum gravi periculo vitae, aut sanitatis ; nisi tamen sit causa gravis, cum damnum corporale videatur postponendum, v. g. periculum incontinentiae in se, vel in comparte. 909.-4. Si fiat pravo fine, v. g. tantum voluptatis causa ; quod tamen DD. *communiter* censent esse tantum veniale ; nullum autem erit peccatum, si delectatio non quaesita sentiatur, vel ad eam se excitent conjuges, quando copula debita redditur. 912.-5. Si exerceatur mente adultera, ut si, dum accedit ad suam, imaginetur aliam, ut animum pascat, quod est mortale. Excusant autem a mortali *Sanch. etc.*, conjugem qui se excitaret ad copulam, delectando de pulchritudine alterius personae, sed absque affectu turpi : at merito dicunt hoc esse valde periculosum, et non permittendum. Sicut nec etiam permittendum puto se excitare ad coitum, respiciendo ad imagines diversi sexus, maxime si essent sacrae ; quod recte aiunt *Croix etc.* esse mortale, propter gravem irreverentiam. 913.-6. Si fiat modo indebito. 915.-7. Si fiat in loco indebito v. g. Sacro, qui inde *probabilius* violatur, vel in loco publico ; vide dicta in *Tract. de sexto praecept., n.* 458. 950.-8. Si absque urgente causa fiat tempore indebito.-921.

Quaeritur 1. An liceat Matrimonium contrahere cum dubio de impedimento dirimente.

R. Antequam diligentia adhibeatur ad veritatem assequendam, certum est non licere: post vero diligentiam adhibitam *communiter* docent DD. posse contrahi Matrimonium cum opinione probabili probabilitate juris de carentia impedimenti, modo opinio illa sit universe vel certe ab AA. recepta ut probabilis. Ita *Sanch., Pal., Card., Suar. etc.* Nec obstat dicere quod cum opinione probabili non liceat Sponsis administrare Sacramentum Matrimonii; nam respondetur, quod eo casu non ministratur Sacramentum cum sola opinione probabili, sed cum morali certitudine; quando enim adest opinio probabilis de jure, quod non subsit impedimentum, tunc Ecclesia ex antiquissima consuetudine praesumitur contractum Matrimonii approbare, et omne removere impedimentum, ut *communiter* dicunt praefati Auctores.

Advertendum tamen 1. quod si dubium vertat circa mortem prioris conjugis, tunc sive sit negativum, sive positivum, non licet Matrimonium contrahere, quia cum possideat prius conjugium, non potest secundum iniri cum praejudicio prioris, nisi constet, saltem moraliter, de morte prioris conjugis. 2. Quod si constet de impedimento, et non constet de ipsius dispensatione, tunc non possit Matrimonium contrahi, neque post contractum peti debitum, tunc enim pariter possidet impedimentum. Secus vero si constet de dispensatione, et dubitetur de ejus valore, quia tunc possessio stat pro valore dispensationis. Hoc tamen valet, si impedimentum sit de jure Ecclesiastico. Sed:-901.

Quaeritur 2. An, stante impedimento probabili de jure naturali, liceat contrahere Matrimonium cum opinione pariter probabili de non existentia impedimenti?

R. Per se loquendo non licet, quia illicitum est ministrare Sacramentum Matrimonii cum opinione tantum probabili de illius valore, quando contra adsit etiam probabilitas impedimenti etiam de jure naturali: nempe, si dubium vertat de resolutione prioris Matrimonii, tunc enim Ecclesia nequit dispensare, ut potest et praesumitur jam dispensare, cum adest dubium positivum, ut diximus, de impedimento juris tantum Ecclesiastici. Dixi *per se loquendo;* nam, urgente gravissima causa, poterit Matrimonium contrahi, modo accedat declaratio Summi Pontificis tanquam unici interpretis legis divinae.

Quaeritur 3. An liceat Matrimonium contrahere cum opinione probabili non solum *juris*, id est, ex Doctorum auctoritate, sed etiam *facti*, nempe cum ex utraque parte adest facti probabilitas pro existentia et pro carentia impedimenti?

R. Affirmant Tamb. etc. Sed recte *negant Card. etc.* Ratio, quia licet Ecclesia praesumatur supplere sive dispensare in impedimento, quando adest probabilitas orta ex *jure*, ut mox supra diximus, attamen hoc non procedit, quando habetur probabilitas tantum orta ex *facto*, quae non fundat nisi semiplenam probationem. Quo posito, non licet in Matrimonio contrahendo uti prima sententia; nam, quamvis probabilis esset prima opinio quod cum sola probabilitate facti pro carentia impedimenti praesumatur Ecclesia etiam dispensare; attamen cum haec opinio non sit *communiter* aut certe recepta tanquam *probabilis*, prout quidem esse debet ad praesumendum quod Ecclesia suppleat, et cum agatur de valore Sacramenti, non possumus opinionem illam tuto sequi. Caeterum, *probabiliter* dicunt *Sa etc.*

quod in impedimentis dubiis bene potest Episcopus dispensare. Et idem dicunt *communissime* DD. generice loquendo de omnibus casibus, sive impedimentis Pontifici reservatis, quando dubitatur an indigeant dispensatione. - 902.

Quaeritur 4. An contracto Matrimonio in bona fide, si dubium superveniat, et adhibita diligentia, illud vinci non possit, liceat dubitanti non solum reddere, sed etiam petere?

R. Prima sententia negat. Secunda vero *longe communior* et *probabilior affirmat.* Ratio, quia, qui Matrimonium bona fide contraxit, non est privandus suo jure quod possidet petendi, donec constet de impedimento: licet enim superveniente dubio suspendatur jus possessionis usquedum veritas inquiratur, dubio tamen remanente post diligentiam, cum ignorantia sit tunc invincibilis, manet possessio pro valore Matrimonii, et consequenter pro illius usu: possessor enim bonae fidei sicut post diligentiam potest rem retinere, sic etiam potest illa uti. - 904.

Quaeritur 5. An contracto Matrimonio in bona fide, conjux habens rationem probabilem pro invaliditate Matrimonii, et nullam pro valore, possit petere post adhibitam diligentiam?

R. Prima sententia negat; et hanc tenent *Sanch. etc. Secunda* vero *satis probabilis affirmat;* et hanc tenent *Pal. etc.* Hi enim dicunt conjugem non interdici a petendo post diligentiam, dubium deponendo, et conscientiam sibi formando ex eadem regula dicta ut supra, nempe quod nemo sit privandus jure suo certo quod possidet bona fide, nisi certo probetur quod nullum jus habeat. Si vero conjux dubitans habeat rationes ita convincentes de nullitate Matrimonii, ut fundent de ea moralem certitudinem, tunc certe nec petere, nec reddere potest. Item, recte advertit *Croix* quod dubitans, si adhuc spem prudentem habet inveniendi majorem certitudinem, tunc nequeat petere, quia cum dubium adhuc est vincibile, non potest uti jure petendi. - 905.

Quaeritur 6. An contracto Matrimonio cum dubia fide de impedimento, possit dubitans post diligentiam petere debitum, dubio adhuc perseverante?

R. Prima sententia communior negat; quia nemo potest uti re, quam mala fide incoepit possidere. *Secunda* vero *sententia satis probabilis affirmat.* Ratio, quia, esto dubitans non possit deponere dubium ex titulo possessionis, potest tamen deponere ex aliis principiis, nempe, 1. quia in dubio standum est pro valore actus. 2. Quia, cum Matrimonium sit causa favorabilis, in dubio standum pro ejus valore, eo quod sicut in foro externo in dubio judicandum est pro valore Matrimonii, juxta communem sententiam, ita etiam judicandum in foro interno, qui conformari debet externo, quando hoc non nititur falsa praesumptione. Excipitur tamen casus contrahentis cum dubio de morte prioris conjugis; in quo certum est dubitantem non posse petere donec constet de illius morte; nam alias potius est jus prioris Matrimonii. Hoc tamen procedit respectu ad conjugem, qui contrahit cum dubia fide; secus vero quoad conjugem qui contraxit cum bona fide, ut diximus n. 904. Sive nuptiae sint initae cum bona fide, sive cum dubia fide, nunquam conjux debitum petere poterit, nisi de morte prioris conjugis habeatur certitudo saltem moralis. - 905.

Quaeritur 7. An in dubio positivo de valore Matrimonii, puta, si dubitetur de impedimento, vel de con-

sensu praestito et simili, judicandum sit in favorem Matrimonii contracti?

R. In foro externo procul dubio *affirmandum* ut *communiter* docent DD. Sed in foro conscientiae *negant* aliqui, eo quod in dubio possidet libertas ab onere Matrimonii. Sed *verius* est oppositum. Ratio, quia licet Matrimonium sit tantum probabiliter validum, attamen, certa est ejus possessio; donec non constet de ejus nullitate, cum in dubio, ut diximus, semper judicandum sit pro validitate actus. - 907.

Quaeritur 8. Quomodo quis possit esse certus, vel probabiliter dubitare de nullitate Matrimonii?

R. Ad hoc tres dantur regulae: 1. Ordinarie loquendo, non tenetur conjux credere alteri asserenti se ficte concessisse, etiamsi id affirmet cum juramento. Dicitur, *ordinarie loquendo*; nam aliter dicendum si ex circumstantiis aliter censendum esset, puta, si conjux ille sit in articulo mortis, si non soleat pejerare, vel si sit persona pia et vellet separari, aut Religionem ingredi, etc., tunc enim alter habet sufficiens motivum prudenter dubitandi. Ita *Bon., Sanch. etc.* 2. Si quis audit a personis non fide dignis, vel ex fama a nullo auctore certo exorta, adesse impedimentum, licite potest Matrimonium contrahere, aut post contractum reddere et petere debitum, quia talis fama, aut dictum non habetur ut ratio prudens dubitandi. *Sanch., Salm. etc.* 3. Dictum unius testis fide digni de impedimento, aut fama publica ex certo auctore sufficit ut quis teneatur veritatem inquirere, et interim abstinere a petendo debito; quia cum talis ignorantia tunc sit vincibilis, in dubio non potest operari. Non sufficit tamen hoc, ut teneatur debitum negare, quia licet possit, nemo tamen tenetur credere uni testi, quantumvis fide digno, qui non inducit necessitatem credendi, maxime in sui praejudicium, post autem adhibitam diligentiam, bene potest reddere et petere - 908.

Quaeritur 9. An liceat petere debitum cum periculo sanitatis?

R. Per se loquendo non licet, cum nemo sit dominus suae vitae aut salutis: attamen *probabiliter Bus. etc.* dicunt quod si morbus esset diuturnus et non proxime tendens ad mortem, nempe quod non soleat de brevi et facili mortem inferre, ut esset pestis, aut lepra leonina, qua frustatim membra decidunt, tunc non erit illicitum sano petere, si aderit justa causa, nimirum fovendi amorem conjugalem, aut vitandi incontinentiam in se vel in altero, quia alias esset valde onerosum, tamdiu abstinere ab usu conjugii, quod vix poterit esse sine periculo incontinentiae. Advertendum tamen quod conjux infectus morbo gallico, aut simili contagioso, non poterit petere ab altero inscio, nisi vitium suum illi manifestet et manifestando possit alter remediis occurrere morbo; imo, nec etiam poterit reddere, nisi certiore facto sano. Hinc bene ait *Bossius*, quod dupliciter peccaret, qui laborans morbo gallico fornicationem committeret; et insuper teneretur compensare expensas pro curatione: *probabiliter* tamen ab hac compensatione excusat feminas, nisi ipsae requisitae fraudulenter suum morbum tegerent. Non potest igitur conjux infectus tunc reddere, nisi morbum manifestet. Caeterum vero, non tenetur manifestare, quia non tenetur cum tanto detrimento suae famae conjugale debitum praestare: in omnibus enim contractibus gravissimum incommodum in solutione excusat a debito reddendo, juxta dicenda in simili casu n. 944. - 909.

Quaeritur 10. An liceat petere debitum statim a balneis, vel a sectione venae?

R. Negative. Nam, ut dicunt *Sanch. etc.*, coitus eo tempore est notabiliter periculosus. Idem dicunt *Bon. etc.* de laborante febri ; sed licet petere ab uxore quae laborat seminis fluxu, seu gonorrhaea, cum hujusmodi fluxus soleat esse fere perpetuus ; unde grave incommodum esset conjugibus tandiu abstinere ab usu Matrimonii. Secus, si sit maleficus et non adsit in alterutro proximum periculum incontinentiae. - 910.

Quaeritur 11. An liceat marito delectari de copula aliena cogitata, ut se excitet ad coitum cum uxore?

R. Ex una parte videtur *negandum*, cum objectum de quo delectatur sit per se turpe. Ex alia, non videtur damnandum talem conjugem, cum ideo solutis est illicita spectatio concubitus humani, sive delectatio de visu cogitato talis concubitus, quia in tali visu vel delectatione adest proximum periculum commotionis spirituum generationi deservientium; et cum ipsis copula sit prohibita, consequenter etiam est vetita commotio spirituum; conjugatis autem, cum eis jam permissa sit copula, non videtur vetita saltem sub gravi talis commotio spirituum, quamvis ipsa ex delectatione illa oriatur. Hanc tamen cogitationem, si esset de copula inter personas determinatas, non excusarem a mortali, ob facile periculum consentiendi in delectationem de copula cum conjuge aliena. Caeterum, cum illud dubium non inveni apud ullum discussum, sapientibus remitto decernendum. - 914.

Quaeritur 12. An et quomodo peccent conjuges coeundo situ innaturali?

R. Situs naturalis est, ut mulier sit succuba, et vir incubus ; hic enim modus aptior est effusioni seminis virilis, et receptioni in vas femineum ad prolem procreandam. Situs autem innaturalis est, si coitus aliter fiat, nempe sedendo, stando, de latere, vel praepostere more pecudum, vel si vir sit succubus, et mulier incuba. Coitum hunc, praeter situm naturalem, alii generice damnant de mortali. Alii vero dicunt esse mortale ultimos duos modos, dicentes ab his ipsam naturam abhorrere. Sed *communiter* dicunt alii, omnes istos modos non excedere culpam venialem. Ratio, quia ex una parte, licet adsit aliqua inordinatio, ipsa tamen non est tanta, ut pertingat ad mortale, cum solum versetur circa accidentia copulae; ex alia parte, mutatio situs generationem non impedit, cum semen viri non recipiatur in matricem mulieris per infusionem seu descensum, sed per attractionem, dum matrix ex se naturaliter virile semen attrahit. Ita *S. Antonin., Nav., Sal., Holz., Spor., Ronc., Croix., Sanch. etc.*

Ergo mutatio situs per se non est mortalis, sed potest esse mortalis ex prava concupiscentia, puta ex affectu bestialitatis, vel sodomiae, vel si hujusmodi voluptas habeatur ut finis ultimus. Hinc, *communiter* dicunt praefati auctores, conjuges minime peccare, si mutent situm ex justa causa, nempe ob aegritudinem, vel pinguedinem viri, vel ob periculum abortus, aut scandali aliorum. E converso, conveniunt omnes quod si experientia constaret, quod mutato naturali situ, nihil seminis femina retineret ob nimiam vasis laxitatem, vel humiditatem, vel propter aliquam infirmitatem naturalem, tunc esse mortale : secus vero dicit *Sanch.* si non ex situ, sed ex aliquo morbo mulieris talis effusio provenit.

Dicunt autem *Sanch. etc.* non esse mortale si ob variationem situs pars tantum seminis decidat, reliquo intra vas retento sufficiente ad generationem, quod dicunt *Sanch.*, et *Bos.*

aliquando evenire : imo, fere semper evenire ajunt *Pal.*-et *Pont.*, qui testantur sic medicos asserere. Verum *Salm.* hanc opinionem vocant nimis laxam, quia prodigere semen humanum sine rationabili causa non potest excusari a mortali. Caeterum, dicunt ipsi *Salm. etc.*, non teneri Confessarium interrogare conjugem de hoc se accusantem, an semen effusum sit, vel non ; quia raro, ut ajunt, accidit semen effundi ; et sic etiam ego pluries audivi ab eis qui apud me in confessione se accusabant praepostere coivisse. Eos vero qui coeunt stando vel sedendo, vel muliere incuba, puto esse in majori periculo semen effundendi. Sed per hoc non audeo damnare sententiam *Sanch.* et aliorum ; nam possent ipsi *Salmanticensibus* respondere quod sine justa causa prodigere semen, sive, ut melius *Salm.* dicere debebant, permittere ut semen prodigatur, nunquam liceat, quando semen extra vas uxoris effunditur, non vero quando intra immittitur, et per accidens, non autem ex ipso actu prodigitur ; quia tunc matrix, ut dicunt AA. praefati, jam attrahit quod est sufficiens ad generationem, et reliquum tanquam superfluum expellit. - 917 (*a*).

Quaeritur 13. An peccet mortaliter vir inchoando copulam in vase praepostero, ut postea in vase debito eam consumet ?

R. Negant Nav. etc. modo absit periculum pollutionis, quia alias, ut ajunt, omnes tactus etiam venerei non sunt graviter illiciti inter conjugatos. Sed *communiter* et *verius affirmant Sanch. etc.* Ratio, quia ipse hujusmodi coitus, etsi absque seminatione, est vera sodomia quamvis non consummata ; sicut ipsa copula in vase naturali mulieris alienae est vera fornicatio, licet non adsit seminatio.

Quaeritur 14. An sit mortale viro perfricare virilia circa vas praeposterum uxoris ?

R. Negant Sanch etc. Sed *verius* pariter *affirmant Pont. etc.* Ratio, quia saltem talis tactus non potest moraliter fieri sine affectu sodomitico. - 916.

Quaeritur 15. An peccent mortaliter conjuges, si, incoepta copula, cohibeant seminationem ?

R. Si conjuges ambo in hoc consentiunt, nec adsit periculum seminandi extra vas, id per se loquendo non est mortale ; illa enim penetratio vasis feminei tunc reputatur instar tactus verendorum, qui inter conjuges permittitur, vel saltem non est mortalis, secluso periculo pollutionis. Ita *communiter S. Antonin., Pal., Laym. etc.* - Dixi 1. *Si ambo consentiant ;* nam, si alter se retrahit sine alterius consensu, certe graviter peccat. Dixi 2. *Per se loquendo*, nam sapienter advertit *Sanch.* id ordinarie esse mortale, quia ordinarie adest periculum ex tali retratione effundendi semen, nisi conjuges experti sint oppositum. Quo casu tamen puto nullo modo posse eos excusari saltem a veniali.

Si vero femina jam seminaverit, vel sit in probabili periculo seminandi, non potest quidem vir data opera a seminatione se retrahere, sine gravi culpa ; quia tunc ipse est causa, ut semen uxoris, prodigatur. Hoc tamen non erit ita intrinsece malum, ut aliquo casu permitti non possit, puta si vir desisteret a copula ob periculum mortis, vel scandali aliorum ; tunc enim licite potest se retrahere etiam cum periculo pollutionis, quia

(*a*) Communius *negant* Sanch. etc., *esse mortale mutare situm, licet propter id casu aliquid seminis fundatur.* - *H. n.* 39.

hoc per accidens, et praeter intentionem eveniret; et contra, non tenetur cum periculo tanti damni generationem procurare. Ita *communiter Sanch. etc.* Haec sunt certa apud omnes. Si autem vir jam seminaverit, et femina se retrahat a seminando; vel si vir non expectet seminationem uxoris, tenent *Aversa etc.* eos peccare lethaliter; quia, ut ajunt, etiam semen mulieris active concurrit ad generationem. Sed *Sanch. etc. communius* contradicunt, dicentes quod semen mulieris non sit necessarium ad generationem; licet possit vir continuare copulam, usquedum seminet femina, quia hoc pertinet ad complementum copulae uxoris. Sed, esto secunda sententia sit quidem *communior* et *probabilior*, censeo tamen primam sententiam esse *satis probabilem* et ideo in praxi tenendam. Ratio, quia non licet sequi opinionem probabilem cum damno tertii. Cum autem hic agitur de damno prolis sive generationis adversus naturam, quae jus habet ut non impediatur generatio, cum ad hoc instituerit actum conjugalem, propterea ubi est periculum impediendi generationem, non licet uti opinione probabili; ubi enim agitur non de honestate actionis, sed de veritate rei, illicitum est sequi opinionem probabilem pro libertate, adversus aliam stantem pro lege. Hinc, neque practice *probabile* puto id quod dicunt *Sanch etc.*, nimirum posse mulierem in actu coitus animum ad alia devertere, ne concitetur ad seminationem. 918.

Quaeritur 15. Si vir se retrahit post seminationem, sed ante seminationem mulieris, possit ne ipsa statim tactibus se excitare, ut seminet?

R. Negant Diana, etc. Ratio, quia semen mulieris non est necessarium ad generationem; item, quia effusio illa mulieris, utpote separata, non fit una caro cum viro. *Communius* vero *affirmant Less., Bon. etc.* Ratio, tum quia seminatio mulieris pertinet ad complendum actum conjugalem, qui consistit in seminatione utriusque conjugis, tum quia, ut plures sentiunt, seminatio mulieris est necessaria, vel saltem multum confert ad generationem, nihil enim a natura frustraneum agitur. Omnes autem concedunt uxoribus, quae frigidioris sunt naturae, posse tactibus se excitare ante copulam, ut seminent in congressu maritali statim habendo. - 919.

Quaeritur 16. An liceat conjugi coire die Communionis?

R. Vide n. 273 et 274. - 922.

Quaeritur 17. An in diebus festivis, vel jejunii, aut Rogationum sit illicitus actus conjugalis?

R. Commune est non esse vetitum tunc debitum reddere. An autem sit vetitum petere? *Prima sententia affirmat*, hoc tamen sub culpa veniali, non vero sub mortali. *Secunda* vero *communior negat* esse illicitum. Ratio, quia id nullo jure habetur vetitum. - 923.

Quaeritur 18. An liceat coire conjugibus tempore praegnationis?

R. Commune est id non esse mortale, nisi adsit periculum abortus. Ita omnes. Censent autem *Sylvest. etc.* adesse periculum abortus, si copula habeatur circa initium conceptionis; quia ex novo coitu materia illa nondum plene formata, facile dispergitur. Sed potius videtur dicendum non adesse tale periculum, quia matrix, recepto semine, arctissime constringitur; nec ordinarie reseratur per coitum, cum conjuges indiscriminatim accedant, et tamen abortus non succedunt; unde ait *Boss.* quod usquedum non constet experientia aliquam uxorem ex coitu pluries foetum emisisse non est praesumendum periculum abortus. Tanto minus autem aderit tale

periculum, si habeatur copula tempore proximo partui, ut perperam aliqui dixerunt, putantes tunc exponi prolem discrimini suffocationis; nam *verius* foetus humanus ita secundinis involvitur, ut eum non possit semen contingere. Hinc, ait *Petr.*, periculum abortus non esse ita facile praesumendum; et ideo non esse vexandos conjuges importunis interrogationibus, ut abstineant tempore praegnationis.

Quaeritur 19. An secluso periculo abortus, sit culpa venialis habere coitum cum praegnante?

R. Affirmant D. Ant. etc., quia, stante foetu concepto, frustratur semen suo fine generationis. *Negant* vero *Sanch. etc.*, tum quia nullibi habetur id per se esse vetitum; tum, quia esset onus gravissimum, et res exposita innumeris periculis peccandi venialiter, si conjuges tenerentur tamdiu abstinere ab usu conjugii manendo in eodem toro.

Caeterum, mihi arridet sententia, quam tenent *Pont. etc.*, nempe quod coitus cum praegnante non possit excusari a culpa veniali nisi adsit periculum incontinentiae, vel alia honesta causa, juxta dicta *n.* 882.-924.

Quaeritur 20. An licitum sit conjugibus coire tempore lactationis?

R. Alii negant; quia in tali coitu est timor detrimenti prolis, si uxor concipiat. *Communissime* vero *affirmant* licere *Pal. etc.* Ratio, quia non extat lex prohibens; item, quia periculum inficiendi lac, teste experientia, rarum est, saltem non tantum, ut teneantur conjuges tanto tempore abstinere ab usu conjugii, cum continuo periculo peccandi.

Excipiunt tamen *Pontius etc.*, si conjuges sint valde pauperes, et prudens adsit timor de gravi damno prolis: tunc enim, ut dicunt, neuter tenetur reddere, imo, nec potest petere etiamsi sit periculum incontinentiae, quia non licet sibi consulere cum damno innocentis, cum alia suppetant media ad incontinentiam sedandam. Verum *Sanch.* eo casu excusat quidem conjuges a reddendo, sed non audet damnare exigentem, dicens quod tunc vel alia via ipse poterit proli consulere, vel erit justa causa ipsam periculo exponendi, ne tamdiu conjuges cogantur abstinere cum tanta difficultate. Vide n. 941.-911.

Quaeritur 21. An licitum sit conjugibus coire tempore menstrui?

R. Nota. Alius est fluxus mulieris naturalis et ordinarius, et iste proprie dicitur *menstruus*, quia communiter singulis mensibus solet in feminis accidere, et durat ut plurimum per duos vel tres dies. Alius extraordinarius proveniens ex aliquo morbo diuturno, qui aliquando durat usque ad duodecim dies et ultra; nunc ad quaesitum, dico: Si agatur de fluxu extraordinario, certum est licere tam reddere quam petere. Si vero agatur de fluxu naturali, tres adsunt sententiae. *Prima* damnat coitum de mortali, et hanc tenent *D. Thom. etc. Secunda* totaliter opposita dicit accessum ad menstruatam omni culpa carere. Ita *Glossa etc.* quia id hodie nullo jure prohibetur. *Tertia* demum *communissima* et *probabilior* dicit coitum tempore menstrui non esse mortale, sed non excusari a veniali; ita *S. Antonin., Nav., Conc., Pal., Ronc. etc.*, quia talis coitus involvit quamdam deordinationem. Conveniunt autem *Nav. etc.* quod nullum sit peccatum coire tali tempore, si adsit aliqua causa turpitudinem illam cohonestans, nempe ad vitanda dissidia, aut incontinentiam in se vel in altero, aut alia similia.

Quaeritur 22. An casu quo nulla adsit causa, uxor menstruata possit, et teneatur debitum reddere, si maritus monitus nolit desistere?

R. Affirmat Pal. etc. Verum *probabilius negandum.* Ratio, quia cum culpa, etiamsi venialis, se teneant ex parte actus, *probabilius* non tenetur conjux, neque potest licite debitum reddere. Vide *n.* 946.-925.

Quaeritur 23. An sit illicitum coire tempore purgationis post partum?

R. Triplex est sententia. *Prima* dicit esse mortale. *Secunda* dicit nullum esse peccatum. *Tertia probabilior* et *communior* dicit *per se loquendo* esse veniale, nisi excuset causa honesta, nempe periculum incontinentiae, vel dissidii, vel alia similis. Dicitur *per se loquendo;* nam poterit aliquando esse mortale, si ex concubitu gravis morbus, vel notabilis aggravatio morbi immineret. Hujusmodi periculum etiam timeri potest, si coitus habeatur statim post partum, nempe eodem die vel sequenti, ut Medicus valde peritus mihi asseruit.-926.

Quaeritur 24. An conjux prohibitus a petendo ratione voti, vel affinitatis aut cognationis spiritualis post Matrimonium contractae, possit quandoque licite exigere debitum?

R. Id admittunt *communiter* DD. si adsit periculum incontinentiae in altero conjuge: imo dicunt *Boss. etc.*, tunc teneri petere, quia haec obligatio oritur ex ipsa institutione Matrimonii. Item, admittunt etiam *communiter S. Thom. etc.*, posse conjugem impeditum petere, si alter interpretative exigat, nempe quando mulier verecunda est, et vir sentit ejus voluntatem de debiti redditione. Tunc enim potest conjux impeditus se offerre, quia tunc potius est reddere quam petere.

Quaeritur 25. An liceat petere conjugi impedito, si ipse sit in periculo incontinentiae?

R. Affirmant Quint. etc., maxime si ille esset impeditus ratione affinitatis, vel cognationis spiritualis, et commode non posset haberi dispensatio, essetque periculum in mora, quia lex Ecclesiastica in tanto discrimine non obligat. *Negant* vero *Sanch. etc.;* quia periculum incontinentiae quidem est justa causa dispensandi, non autem coeundi. Sed *prima sententia* respectu ad impedimentum ab Ecclesia impositum, mihi non videtur *improbabilis*, si revera dispensatio brevi obtineri nequeat, et magnum periculum sit in mora, idque magis firmatur *ex Quaest. sequent.*

Quaeritur 26. An liceat conjugi excommunicato petere debitum, et an petere ab excommunicato?

R. Quod liceat conjugi petere ab excommunicato, certum est. An autem liceat excommunicato petere? *Negat Glos.* Sed *communiter* et *verius affirmant Suar. etc.* Ratio, quia lex Ecclesiastica non obligat cum tanto periculo, in quo esset quidem excommunicatus, si ipse non posset saparari ab altero conjuge, ut revera non potest, et non posset petere.-931.

Quaeritur 27. An sint mortales tactus et aspectus turpes inter conjuges propter solam voluptatem, sine ordine ad copulam, si non adsit periculum pollutionis?

R. Affirmant S. Antonin., Sylv. etc.: Negat vero *sententia communis* et *verior*, cum *Laym. etc.* Ratio, quia status conjugalis, sicut cohonestat copulam, ita etiam hujusmodi tactus et aspectus; alias enim cum sit tanta inter conjuges societas, et ipsi multoties non possint coire, jugibus periculis essent expositi, si tales actus essent eis graviter illiciti. Sicut autem delectatio quaesita in copula culpam venialem non excedit, ita etiam in his tactibus et aspectibus. Et hoc, etiamsi copula tunc ipsis esset vetita ob morbum, vel esset impossibilis ob impotentiam quae supervenisset; quia cum copula sit licita inter conjuges

tactus inter ipsos non possunt esse graviter illiciti. Secus vero dicendum, si conjux esset ligatus voto castitatis, quia tale votum excludit omnem voluptatem veneream voluntarie captam. Idem dicendum putat *Aversa*, si conjux sit impeditus a copula ob affinitatem, vel cognationem spiritualem, contractam; sed *negat Boss.* dicens quod lex prohibens copulam cum sit poenalis, non est extendenda ad tactus. Caeterum in praxi impeditus ordinarie se debet abstinere ab hujusmodi tactibus, praesertim turpibus, ob periculum proximum vel pollutionis, vel petitionis copulae, contra prohibitionem petendi.-932.

Quaeritur 28. Quid, si conjuges ex his turpibus tactibus praevideant pollutionem secuturam in se vel in altero?

R. Plures adsunt sententiae. *Prima* excusat ab omni culpa etiam in petente, si pollutio non intendatur, nec adsit periculum consensus in eam, et modo tactus non sit adeo turpis ut judicetur inchoata pollutio, prout esset digitum morose admovere intra vas femineum, ac propterea adsit aliqua gravis causa talem tactum adhibendi, nempe ad se praeparandum ad copulam, vel ad fovendum mutuum amorem. Ratio, quia tunc justa illa causa tales actus cohonestat, qui alioquin non sunt illiciti inter conjuges; et si pollutio obveniat, hoc erit per accidens. Dicitur; *si adsit gravis causa;* nam, si non adsit, praedicti actus non excusantur a mortali. *Secunda sententia* distinguit, et dicit esse mortalia actus impudicos, si praevideatur pollutio ex eis provenienda; quia, cum hi proxime influant ad pollutionem, et non sint per se instituti ad fovendum affectum conjugalem, censentur voluntarii in causa; secus, si sint pudici, ut oscula et amplexus, quia actus isti per se inter conjuges sunt liciti, cum per se apti sunt ad fovendum conjugalem amorem. *Tertia sententia* dicit tactus tam impudicos quam pudicos esse mortalia, si praevideatur periculum pollutionis. Ratio, quia ideo tactus licent inter conjuges in quantum quaeruntur intra limites Matrimonii, in quantum nihil sequitur repugnans fini et institutioni seminis; cum autem praevidetur seminis dispersio, licet non intendatur, qualescumque tactus sunt illiciti.

His sententiis positis, puto *probabilius* dicendum, quod actus turpes inter conjuges cum periculo pollutionis, tam in petente quam in reddente sint mortalia, nisi habeantur ut conjuges se excitent ad copulam proxime secuturam, quia cum ipsi ad copulam jus habeant, habent etiam jus ad tales actus, tametsi pollutio per accidens copulam praeveniat. Tactus vero pudicos etiam censeo esse mortalia, si fiant cum periculo pollutionis in se vel in altero, casu quo habentur ob solam voluptatem, vel etiam ob levem causam: secus si ob causam gravem, puta si aliquando adsit urgens causa ostendendi indicia affectus ad fovendum mutuum amorem, vel ut conjux avertat suspicionem ab altero, quod ipse sit erga aliam personam propensus. *Probabiliter* dicunt *Sanch. etc.* in reddente tactus etiam impudicos, nisi sint tales ut videantur inchoata pollutio, esse licitos, quamvis adsit periculum pollutionis in alterutro, quia tunc reddens dat operam rei licitae; ad quam obligatur propter jus petentis, qui, tametsi peccet, non tamen jus amittit, cum culpa se teneat ex parte personae, juxta dicenda *ex n.* 944.-934.

Quaeritur 29. An sit semper mortale, si vir immittat pudenda in os uxoris?

Negant Sanch. etc. modo absit periculum pollutionis. Sed *verius af-*

firmant Spor. etc., tum quia in hoc actu ob calorem oris adest proximum periculum pollutionis, tum quia haec videtur per se nova species luxuriae contra naturam, dicta ab aliquibus *irrumatio;* semper enim ac acquaeritur a viro aliud vas, praeter vas naturale ad copulam institutum, videtur nova species luxuriae.

Nota. Sanch. damnat de mortali virum, qui actu copulae immitteret digitum in vas praeposterum uxoris, quia, ut ait, in hoc actu adest affectus ad sodomiam. Ego autem censeo posse quidem reperiri talem effectum in actu, sed per se loquendo hunc effectum non agnosco in tali actu insitum. Caeterum graviter semper increpandos dico conjuges hujusmodi foedum actum exercentes.-935.

Quaeritur 30. An sint mortalia tactus turpes quos conjux habet cum seipso, altero absente, et secluso periculo pollutionis?

R. Prima sententia negat, quia hujusmodi tactus ab ipso statu conjugali cohonestantur. *Secunda* vero *probabilior* et in praxi omnino sequenda *affirmat.* Ratio, quia conjux non habet jus per se in proprium corpus, sed tantum per accidens, nempe tantum ut possit se disponere ad copulam: unde, cum copula tunc non sit possibilis, tactus cum ipso omnino ei sunt illiciti, quia tactus pudendorum, quando fiunt morose, et cum commotione spirituum, per se tendunt ad pollutionem, suntque proxime connexi cum ejus periculo.-936.

Quaeritur 31. An sit mortalis delectatio morosa in conjuge de copula habita vel habenda, quae tamen non possit haberi de praesenti?

R. Adsunt tres sententiae. *Prima affirmat. Secunda communior negat. Tertia* demum distinguit et dicit, quod si delectatio sit abque commotione spirituum, non erit mortalis; secus si cum commotione et titillatione partium. Ego sentio quod si delectatio habeatur non solum cum commotione spirituum, sed etiam cum titillatione seu voluptate venerea, ea non possit excusari a mortali; quia talis delectatio est proxime conjuncta cum periculo pollutionis. Secus vero puto dicendum, si absit illa voluptuosa titillatio, quia tunc non est delectationi proxime annexum periculum pollutionis, etiamsi adsit commotio spirituum. At quia talis commotio propinqua est illi titillationi voluptuosae, ideo maxime hortandi sunt conjuges, ut abstineant ab hujusmodi delectatione morosa. Item advertendum eam esse omnino illicitam in conjuge, qui est obstrictus voto castitatis, ut dicunt *communiter Sanch. etc.*-937.

ARTICULUS II.

De Matrimonii usu Debito.

Etsi conjuges nulla lege obligentur ad usum Matrimonii, tenentur tamen per se ex justitia sibi reddere debitum, si alter ab altero expresse, vel tacite, verecundia scilicet obstante petat. Ratio prioris est, quia non tenetur uti suo jure. Ratio posterioris sequitur ex natura contractus mutui *S. Thom. Communiter.*-938.

Quaeritur 1. An conjuges teneantur ad cohabitationem?

R. Certum est conjuges teneri ex obligatione justitiae ad cohabitandum in eadem domo, mensa, ac toro. Hinc *Boss.* infert neminem conjugum posse alio discedere altero invito, ad longum tempus, nisi adsint justae causae, nempe ob bonum publicum, vel ad alendam aut tuendam familiam vel ad vitandum damnum ab iniquis. Addit *Boss.* quod si vir diu cogeretur alibi manere, teneretur, si commode posset, uxorem eo adducere ut secum cohabitaret.-939.

Quaeritur 2. An uxor teneatur sequi virum ad cohabitationem?

R. Regulariter uxor tenetur sequi virum mutantem domicilium, etiamsi mutet sine justa causa, modo causa non sit turpis. Et hoc etiamsi alicubi absit contraria consuetudo, quae non potest derogare juri Divino, quod constituit virum caput uxoris. Item, etiamsi vir longe discedat, et ibi per longum tempus sit moraturus, secus vero si brevi inde reversurus sit; tunc enim nec uxor tenetur sequi virum, nec vir secum ducere uxorem. Prout neque tenetur vir eam secum ducere, etiamsi longe discedat, si magnae expensae requirantur ad eam illuc transvehendam.-977. Pariter uxor *probabilius* tenetur sequi virum in exilium, quia tenetur sufferre infortunium viri. Sicut vir tenetur comitari uxorem, si coacta necessitate, domicilium mutet.- *L.* 8. *n.* 353. E converso, uxor non tenetur sequi virum, si ille velit eam pertrahere ad peccatum, vel uxor per discessum exponeretur gravi periculo vitae, aut gravis detrimenti. Sic pariter, non tenetur uxor sequi virum vagantem, nisi ea ante Matrimonium id sciverit.-977.

Nota. Vir potest suscipere brevem peregrinationem devotionis causa, etiam invita uxore; hoc tamen non potest uxor sine consensu viri, cum ipsa sit subjecta illius voluntati, et non deceat mulierem perigrinari.

Quaeritur 3. An liceat viro non cohabitare cum uxore, eamque expellere e domo ob dotem promissam et non solutam?

R. Affirmant Panormit. etc. Sed *negant communius* et *probabilius Sanch. etc.* Ratio, quia obligatio cohabitandi non oritur ex solutione dotis, sed ex ipsa lege naturali et divina, qua vir tenetur debitum reddere uxori, et ideo cum ea habitare; unde dicunt AA. praefati, quod etiamsi vir non adhuc uxorem traduxerit in domum suam, teneatur traducere non obstante quod dos non fuerit soluta.

Quaeritur 4. An mutuo consensu possint conjuges invicem separari?

R. Bene possunt, modo absit periculum incontinentiae, et detrimentum prolis educandae, ex illo *Apost.* 1. *Cor.* 7: *Nolite fraudare invicem nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi; et iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas.*-939.

Quaeritur 5. An aliquando, vir teneatur petere debitum?

R. Per se loquendo, non tenetur petere; tenetur vero per accidens, nimirum si uxor tacite exigat; puta si ostendat aliquod indicium, quo tacitam petitionem significet; quia in mulieribus ob innatam etiam verecundiam talia signa habentur pro vera petitione. E converso recte dicit *Sanch.*, non teneri mulierem reddere viro, nisi hic expresse petat: cum enim non pudeat viros expresse exigere, bene possunt uxores praesumere quod viri expresse non petentes nolint ipsas obligare ad petendum; imo ego sentio nec posse, quia nequit maritus obstringere mulierem, ut cum tanta sua erubescentia debitum petat. Recte tamen excipit *Sanch.*, nisi talis erubescentia potius praesumatur aliquando (quod caeterum raro accidit) esse ex parte viri, quam feminae; puta, si illa esset maximae auctoritatis, aut ferae conditionis, et vir valde pusillanimis ac verecundus. Regulariter tamen, bene subdit *Sanch.*, non tenetur uxor reddere, nisi evidenter ei constet de hac pusillanimitate et pudore mariti.-928.

Quaeritur 6. An uxor teneatur aliquando petere debitum.

R. Certum est 1. ordinarie non teneri uxorem ad petendum, quia hoc est mulieribus notabiliter inverecundum. Certum est 2. quod cum alter

conjux sit in periculo incontinentiae, tam vir quam uxor teneatur petere ad liberandum alterum a periculo. Attamen, *probabilius* est quod uxor in hoc casu ad id non tenetur ex justitia, sed tantum ex charitate. Unde infertur quod conjux, cum non teneatur ex justitia, sed tantum ex charitate eo casu ad petendum, non teneatur petere cum magno incommodo, hinc *probabiliter* tunc excusatur uxor a petendo, si in hoc magnam verecundiam subire deberet.-929.

Quaeritur 7. An peccet graviter conjux negans debitum una vel altera vice?

R. Prima sententia negat, modo absit periculum pollutionis. *Secunda* vero *sententia* dicit etiam negare semel, vel differre debitum serio et instanter petenti, per se loquendo esse mortale, adhuc remoto periculo pollutionis. Attamen, prima sententia non videtur *improbabilis*. Conveniunt autem *Ronc. etc. communiter* non peccare uxorem negando, si vir benevole aut remisse petat. Idem dicunt *Sanch. etc.*, si conjux petens, adhuc instanter, cedat precibus negantis, qui negat cum justa causa, alias etiam venialiter saltem peccaret; nisi preces essent ita importunae, ut alter quasi coactus videretur cedere, vel nisi adesset in altero periculum incontinentiae; tunc enim nec etiam precibus, sine causa gravi, liceret eum avertere. Praeterea non peccat negans, quando alter immoderate petit, sine tamen periculo incontinentiae; ita omnes. Hinc, dicunt *Laym. etc.*, non esse mortale, post tertiam copulam in eadem nocte habitam, negare quartam. Item, non videtur peccare uxor si differat reddere ad breve tempus, nempe usque ad noctem; vel si a nocte differat ad mane, excluso tamen semper periculo incontinentiae. Non potest autem copulam habitam in die negare in nocte.-940.

Quaeritur 8. An sit justa causa negandi debitum, si plures nascantur filii quam conjuges possint alere?

R. Prima sententia negat, quia melius est ut proles vivat inops, quam ut omnino non sit. Ita *Laym. etc. Secunda* vero *affirmat*, quia multiplicitas prolium cedit in detrimentum filiorum. Ita *Sanch. etc.* Conveniunt tamen omnes esse obligationem reddendi, si adsit in altero periculum incontinentiae; quod revera vix non aderit, si in eodem toro conjux habitet, et alter debitum petat: et ideo prima sententia magis mihi arridet. Vide *n.* 911.-941.

Quaeritur 9. An peccet vir, vel mulier impotentem se reddens?

R. Affirmative, licet id faciat mediis alias licitis, v. g. jejuniis, etc. invita comparte, quod difficile videtur evenire in uxore: imo, si alter non possit reddere debitum, licite non observat jejunia Ecclesiae, sicut et uxor, si notabiliter his fiat deformior. *Bon., Sanch. etc.*, vide *n.* 1034.-942.

Quaeritur 10. An teneatur conjux reddere debitum illicite petenti?

R. 1. Certum est conjugem non teneri ad reddendum debitum cum peccato proprio, et etiam veniali, cum nemo possit esse obligatus ad peccandum. Ita *communiter Pal. etc.* 2. Si culpa se tenet ex parte actus, puta si alter petat in loco sacro, vel publico, vel si cum periculo abortus, vel sanitatis propriae, aut alterius, omnes conveniunt non teneri conjugem, nec posse reddere sine gravi culpa; tunc cum actus sit per se malus, alter injuste petit, eo quod non habet jus petendi. Ita *Sanch. etc.* 943.-3. Si culpa se tenet ex parte personae exigentis, nempe si ille sit obstrictus voto castitatis, aut petat ob pravum finem, adest duplex sententia. *Prima communis* dicit non solum posse reddere, sed etiam teneri; et hanc sequuntur *Suar.*,

Lugo, Conc. etc. Ratio, quia conjux ille per votum non amisit jus petendi; unde quamvis illicite, non tamen injuste debitum exigit. *Secunda* vero *sententia*, quam tenet *Croix*, dicit quod sive culpa se teneat ex parte actus, sive ex parte personae petentis, non licet ei reddere, nisi sit in potestate petentis ab illa prava circumstantia se liberare, puta si exigeret ob malum finem. Ratio, quia conjux non habet jus nisi ad usum licitum Matrimonii, et praeterea non licet cooperari ejus peccato. Haec sententia est quidem probabilis : sed prima videtur *probabilior*, saltem extrinsece; quia obstrictus voto adhuc retinet jus ad petendum, et consequenter tenetur alter ei reddere. Bene tamen advertunt *Sanch. etc.*, quod eo casu tenetur conjux monere petentem ligatum voto, ut a petitione desistat, modo possit monere sine timore magni dissidii, vel indignationis, aut incontinentiae alterius; quae incommoda, dicunt *Sanch. etc.* ut plurimum adesse. Quando autem conjux praevidet quod alter impeditus voto vel alio impedimento, illicite petet, tunc tutius erit ut ipse praeveniat, et si ille jam petierit, ipse tunc etiam petat, dicens : *volo ut tu mihi reddas;* sed ad hoc merito ait *Sanch.* uxores raro obligari : quia magnum onus esset eis ob naturalem mulierum verecundiam teneri ad semper petendum. Praeterea advertendum quod si conjux impeditus petat infra primum bimestre, non teneatur, nec possit alter ei reddere, cum eo tempore ille non habeat jus ad petendum.-944.

Quaeritur 11. An conjux possit et teneatur reddere debitum incestuoso petenti?

R. Adsunt tres sententiae. Alii dicunt teneri. Alii dicunt teneri, nec posse. Alii vero *communius* et *probabilius* dicunt non teneri, sed posse. Ratio, quia licet incestuosus sit privatus jure suo, conjux tamen innocens, cum habeat jus petendi, a fortiori habet jus reddendi, alioqui grave onus deberet subire, maxime uxor, si semper deberet petere; imo magnis scrupulis deberet angi, existimans ne forte moveatur ad reddendum ex tacita petitione alterius; hoc autem onus satis excusat a cooperatione ad materiale peccati quod committit incestuosus. Tutius autem erit, ut diximus, ut conjux innocens tunc ipse petat.-945.

Quaeritur 12. An ipse incestuosus teneatur reddere debitum, licet non possit petere?

R. Affirmative, et idem est de eo qui, inscia comparte, vovit castitatem post Matrimonium consummatum.-949.

Quaeritur 13. An petenti cum sola culpa veniali teneatur alter reddere?

R. Alii affirmant. Alii negant. Ego dico omnino distinguendum : si actus est illicitus ex parte personae petentis, puta si petat ob voluptatem, vel alium finem leviter malum, vel die, quo vult Eucharistiam accipere, tunc tenetur reddere; quia cum actus sit per se honestus, tenetur ex justitia ad reddendum, etiamsi exigens peccet graviter in petendo, ut diximus n. 944. Si vero actus est venialiter illicitus ex parte ipsius actus seu copulae, ut si petatur situ innaturali, vel tempore menstrui, aut puerperii, tunc quando adest justa causa potest quidem reddere, cum quaelibet justa causa excuset a veniali. Justa autem causa erit, v. g. ne incurrat indignationem alterius, sive rancorem illius quodammodo notabilem, et non possit eum commode avertere. Dixi *potest reddere*, sed non tenetur, quia cum actus sit tali modo per se illicitus, alter non habet jus ad illum. Sane vero teneretur reddere si petens haberet justam causam etiam ex sua parte sic petendi, puta si peteret copulam situ innaturali, eo quod uxor sit praegnans,

aut ipse sit pinguis, vel alioquin immineret periculum scandali; vide n. 917; vel si petat tempore menstrui, aut puerperii cum periculo incontinentiae, juxta dicta n. 946.

An autem conjux teneatur reddere petenti die communionis? Vide n. 922.

An liceat reddere petenti in die festivo, jejunii, et Rogationum? Vide n. 923. - 946.

Quaeritur 14. An liceat uxori reddere debitum, vel petere a viro volente seminare extra vas post copulam incoeptam?

R. Prima sententia affirmat, quia cum mulier reddit, aut petit, dat operam rei licitae, nec ipsa propter malitiam viri debet suo jure privari. *Secunda sententia* dicit uxorem non posse nec petere, nec reddere, nisi adsit gravis causa, quae ipsam excuset in permittendo peccatum viri, et in cooperando ad materiale peccati illius, alias tenetur ex charitate, cum possit sine gravi incommodo viri peccatum impedire. Ego tamen distinguendum puto: Si agatur de reddendo debito, *probabilius* videtur quod uxor non solum possit reddere, sed etiam teneatur. Ratio, quia juxta dicta n. 944, quando culpa se tenet ex parte personae petentis, cum ipse habeat jus ad copulam, nequit alter sine injustitia debitum negare, si non possit monendo a tali culpa illum avertere; et tunc patet quod reddens ne materialiter quidem cooperatur peccato illius, cum non cooperetur seminationi extra vas; sed tantum copulae incoeptae, quae per se omnino utrique est licita. Si vero agatur de petitione debiti, dico uxorem non posse petere, si non adsit justa et gravis causa; tunc enim revera tenetur ex charitate impedire peccatum viri. Justam autem causam habebit petendi, si ipsa esset in periculo incontinentiae, vel si deberet alias privari suo jure petendi plus quam semel vel bis, cum perpetuo scrupulo an ei sit satis grave incommodum vel ne tunc se continere. Vide dicta in pari casu, in *Tract. de Virt. Theol. n.* 53. - 947.

Quaeritur 15. An teneatur conjux reddere, si alter alteri debitum remiserit?

R. Negative. Sic v. g. si consensu mutuo voverint castitatem, vel auctoritate publica celebrarint divortium, neuter tenetur reddere. Attamen *probabile* est conjuges teneri reddere, licet mutuo consensu voverint castitatem, si non intenderint cedere juri suo, juxta dicta n. 948.

Quaeritur 16. An conjux teneatur reddere debitum amenti vel ebrio?

R. Affirmant Nav., Sylv. etc., quia conjux amens aut ebrius adhuc retinet dominium acquisitum in corpus alterius. *Negant* vero *communissime* et *probabilius Laym., Bon., Pal., Sanch., etc.* Ratio, quia licet isti dominium retineant, sunt tamen incapaces usu dominii. Excipe 1. Si in eis sit periculum prodigendi semen, quia tametsi ipsi non peccent, est tamen impeditus actus materialiter malus. 2. Si quis non esset universe amens, sed in una tantum vel altera materia, vel si ille esset tantum fatuus, non vero omnino mente captus, vel si petat dum habet lucidum intervallum.

Nota tamen, quamvis non sit obligatio reddendi conjugi amenti, vel ebrio, licitum est tamen ei reddere, cum usus Matrimonii per se sit licitus, et proles educari possit a conjuge sanae mentis, modo absit periculum scandali, vel abortus; unde bene addunt *Sanch. etc.*, quod non liceat coire cum uxore amente furiosa, nisi ipsa experta sit sterilis. Peccaret etiam qui conjungeret ad copulam conjuges ambos amentes, quia esset causa ut filii carerent debita educatione. - 948.

Quaeritur 17. An conjux teneatur reddere debitum alteri laboranti aliquo morbo contagioso, puta lepra, peste, phtisi, morbo gallico et simili?

R. 1. Certum est conjuges teneri ad reddendum cum levi suo damno; huic enim praeponderat lex justitiae, obligans quidem sub gravi, cum redditio debiti gravis sit materia. Ita *communiter Sanch. etc.;* unde dicunt *D. Thom. etc.* uxorem teneri ad reddendum debitum viro leproso. Ratio, quia cum copula brevi fit, non imminet ex ea periculum infectionis. Communiter tamen id limitant DD. si ex tali coitu judicio medicorum adsit periculum infectionis notabiliter noxiae, et si conjux sanus tantum horroris habeat ad coeundum cum leproso, ut id sit moraliter impossibile. 2. Certum est non teneri conjugem reddere debitum cum gravi periculo propriae vitae, aut sanitatis. *D. Thom.* 3. Certum est conjugem non solum teneri, sed nec etiam posse reddere cum periculo gravi suae salutis, quia nemo est dominus vitae suae. Ita *communiter Caj. etc.* Et hoc, etiamsi illud grave damnum immineret soli petenti, ut dicunt *Sanch. etc.;* eo enim casu reddens tantum excusari posset, si ab altero timeretur proximum periculum occisionis.

Probabiliter tamen poterit conjux reddere alteri infecto, etiam cum periculo gravi propriae sanitatis in sequentibus casibus: 1. Si proles sit necessaria ad bonum commune. 2. Si conjux infectus petens esset in probabili periculo incontinentiae; nam, licet sanus nec etiam eo casu teneatur reddere cum periculo suae sanitatis, tum quia charitas non obligat cum tanto onere, tum quia alter non est in extrema necessitate, cum possit sibi aliter subvenire; attamen, licite potest reddere, et tale periculum subire ex motivo charitatis; quia esto homo non sit dominus vitae suae, potest tamen propter charitatem illam exponere. 3. Si redderet ad vitanda magna dissidia, vel ad fovendum amorem conjugalem, et etiam ad vitandum periculum incontinentiae propriae et tunc potest etiam petere, quia vitatio incontinentiae, aut conservatio pacis familiae ac amoris conjugalis, praevalet obligationi vitandi infectionis periculum. Haec tamen omnia intelligenda, ut diximus n. 900, si morbus sit diuturnus et quasi habitualis, ut lepra, morbus gallicus, phtisis etc., non vero, si sit de illis qui de brevi et facili solent mortem afferre, ut est infectio pestis, aut leprae leoninae. 4. Si conjux sanus possit praeservativis facile vitare contagium sive ejus periculum.

Quaeritur 18. An infectus possit reddere sano cum periculo salutis illius, etiamsi ille petat jam conscius sui periculi?

R. Negative; prout non licet reddere gladium volenti se necare, cum nemo sit dominus vitae suae; ita *Sanch. etc.; probabiliter* tamen excipiunt *Bus. etc.* si reddat ad vitandum periculum incontinentiae in se vel in altero, vel ad vitanda dissidia, aut ne diu privetur usu conjugii, quod vix esse potest sine periculo incontinentiae. Hocque etiam intelligendum, si ejus morbus sit diuturnus, et non proxime ad mortem tendens; itemque si alter sanus petens jam ejus morbi sit conscius, juxta dicta n. 900.-950.

Quaeritur 19. An conjux possit et teneatur reddere, quando timetur damnum prolis nasciturae?

R. Negant Medina etc. Sed *communiter et verius affirmant D. Thom. etc.;* quia ut ait *D. Thom.*, quamvis proles gigneretur infirma, attamen melius est ei sic esse, quam penitus non esse.-951.

*

Quaeritur 20. An teneatur uxor reddere debitum, si experta sit se non posse parere sine probabili periculo mortis ?

R. Negative : quia solutio debiti non obligat cum tanto detrimento.

Quaeritur 21. Quid, si mater experta sit se filios parere mortuos ?

R. Hoc casu *Laym.* dicit quod bene poterit uxor reddere, quia illa mors foetus per accidens evenit, et praeterea melius est puero esse cum culpa originali quam omnino non esse. Attamen *Bus. etc.* tenent eam non posse reddere, quia mater ex morte prolis exponitur magno periculo vitae (*a*). Excipit tamen *Bon.* nisi adsit periculum incontinentiae ; et huic consentit *Sanch.* addens quod si perpetuo propter hanc causam deberent conjuges ab usu Matrimonii abstinere, essent ipsi in maximo incontinentiae periculo. - 953.

Quaeritur 22. An liceat reddere debitum tempore praegnationis, menstrui, purgationis post partum, post balnea aut sectionem venae, vel si exigatur modo innaturali, etc.?

R. Vide supra dicta *n.* 924, 925, 926, 910, 946 *etc.* - 952.

Quaeritur 23. An aliquando liceat impedire prolis generationem ?

R. Possunt quidem conjuges ex gravi causa aliquid facere, ex quo per accidens sequatur effusio seminis ; peccant tamen si in usu Matrimonii, vel post usum faciunt aliquid quo impediatur conceptio, aut semen conceptum reijciatur. Ratio prioris est, quia non impeditur generatio, nec indirecte quidem, sed tantum permittitur ut non fiat, quod licet ex causa rationabili. Ratio posterioris est, quia agunt contra fidem, et finem principalem Matrimonii. Unde tales non excusat paupertas imminens aut periculum ex partu.

Nota. Dicunt *Sanch. etc.* quod uxor peccabit mortaliter si statim post copulam mingit, aut surgit, vel aliud aliquid facit animo ut semen receptum expellat. Dico, *statim* et *animo expellendi semen*, nam, si id faceret ex aliqua necessitate, puta ad vitandum periculum mortis, aut scandalum aliorum, omnes dicunt non peccare : sicut etiam conveniunt non opus esse ut uxor post copulam diu immota et resupina maneat, eo quod brevi tempore matrix semen attrahit, et arctissime clauditur.

Quaeritur 24. An liceat conjugibus copulari, si ob senectutem vel aliam dispositionem plerumque accidat quod semen extra vas effundatur ?

R. Affirmant probabiliter Laym. etc., modo adsit spes probabilis seminandi intra vas ; quia semper ac adest talis spes, jus habent ad copulam, et si semen effunditur, hoc per accidens evenit. - 954.

CAPUT III.

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII.

Duplicis generis sunt impedimenta : quaedam illicitum tantum, alia insuper irritum Matrimonium reddunt. Priora dicuntur impedientia, posteriora dirimentia. - 978.

Est de fide, ex *Tridentino*, quod Ecclesia potest utraque impedimenta constituere. 979. Hanc facultatem indicendi impedimenta etiam dirimentia, certum est habere Summum Pontificem, et Concilium Generalem auctoritate illius confirmatum. Episcopis autem vetitum est ex inveterata consuetudine impedimenta dirimentia inducere. Praeterea, refert *Bened. XIV, Urba-*

(*a*) *Sed* communius negant Bon. etc. *nisi adsit periculum incontinentiae*. *H. n.* 50.

num VIII suo decreto approbasse declarationem S. C., ubi id expresse vetitum fuit, ac insuper Pontificem praecepisse ne in posterum hoc in dubium revocaretur. - 980.

Agendum ergo de impedimentis impedientibus, et dirimentibus.

ARTICULUS I.

De impedimentis impedientibus.

Praeter peccatum mortale et excommunicationem, adsunt sex alia Impedimenta quae reddunt Matrimonium illicitum, et quae his comprehenduntur versibus :

Ecclesiae vetitum, necnon tempus feriarum.
Atque Catechismus, Crimen, Sponsalia, Votum
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

1. *Vetitum*, id est prohibitio Ecclesiae, quae fit ab Episcopo, vel Parocho, ob dubium impedimenti alicujus, vel inhabilitatis inter copulandos. Et tunc sponsi contrahendo graviter peccarent : leviter tamen, si prohibitio sit ob venerationem alicujus festi. - 982.

2. *Tempus feriarum*, quod secundum *Trid.* incipit nunc ab Adventu Domini, usque ad Epiphaniam inclusive, et a die Cinerum usque ad octavam Paschae inclusive. Quo tempore non prohibetur ipse contractus, sed tantum nuptiarum solemnitates, ut est benedictio nuptiarum, solemnis sponsae in domum sponsi traductio, solemniora convivia, et tripudia etc. : sed haec non sub gravi prohibentur, nisi excessus sit magnus : imo, si fiant moderate, nulla erit culpa. - 988(*a*).

3. *Catechismus*, quod impedimentum contrahitur ab eo qui respondet pro infante, quando supplentur caeremoniae post baptismum collatum in necessitate. Sed hoc impedimentum *probabilius* est sublatum per *Trident.*

4. *Crimen*, ut 1. incestus cum consanguinea conjugis in primo, vel secundo gradu, scienter admissus, qui impedit Matrimonium cum quacumque alia persona ; vel incestus cum propria matre, vel filia. 2. Raptus alienae sponsae 3. Uxoricidium. 4. Presbytericidium. 5. Susceptio propriae prolis ex Baptismo ; sed de hoc vide *Tract. de Bapt.* n. 150. 6. Publica poenitentia quandiu durat. 7. Matrimonium cum Moniali. Verum haec per non usum sunt sublata.

5. *Sponsalia*, scilicet cum una contracta, et non dissoluta. - 985.

6. *Votum*, scilicet simplex sive castitatis, sive Religionis, sive non nubendi. - 986.

Praeter supra dicta, alia tria impedimenta numerantur.

1. *Clandestinitas*. Etsi enim valeat Matrimonium clandestinae contractum, ubi *Tridentinum* non est receptum, non licet tamen sub mortali. Ubi autem *Tridentinum* est receptum, saltem quoad punctum Matrimonii, est irritum de quo infra, n. 1078.

2. *Omissio benedictionis* (*b*) : quia sine hac, etsi valide, illicite tamen contrahitur Matrimonium, saltem primum ; attamen, non esse mortale, docent *Sanch. etc.*, intellige per se loquendo, nam per accidens ratione praecepti particularis, scandali, vel contemptus, ut si omittant nihil faciendo, ac si esset res vana, vel vile,

(*a*) *Concilium Tridentinum videtur prohibere tantum sola solemnia nuptiarum tempore Adventus et Quadragesimae ; sed jure Ecclesiae Neapolit. ad matrimonium contrahendum dictis temporibus, etiam sine solemnitate, requiritur Ordinarii licentia. Synod. Pignatelli part.* 2. *c.* 9. (E. N.) — (*b*) *Id est benedictio quae datur a Parocho, aut a Sacerdote delegato in Missa, pro primis nuptiis peculiariter designata.* - *H. n.* 53.

ac puerile haberent ei se subjicere, docet *Per.* posse esse mortale. Dixi, *primum;* nam secundae nuptiae non benedicuntur, nisi primae non fuissent benedictae. Quod si autem alter conjugum sit viduus, alter vero primas nuptias contraheret, aut saltem nunquam fuerit benedictus, etsi jure antiquo non licuerit, nunc tamen quibusdam locis consuetudo habet ut benedicantur. Debet autem fieri in templo a proprio Parocho, sine cujus licentia si quis faciat, manet ipso facto suspensus, donec absolvatur ab Ordinario Parochi, a quo benedictio erat accipienda. - 988.

3. *Omissio proclamationum*, sine quibus etsi valeat, non licet tamen sub mortali, nisi Episcopus vel ejus Vicarius dispenset. - 989.

Nota. 1. Licet statim post ultimam proclamationem contrahere, etiam eadem die, non licet autem differre ultra quatuor menses, intra quos si non contrahatur, repetendas esse denuntiationes declaravit Congregatio. Imo, Rituale Romanum duos tantum menses permittit intra quos, si non contrahatur, jubet repetere denuntiationes, nisi videatur aliud Episcopo. 993 (*a*). 2. Post proclamationes tenetur sub mortali, qui novit impedimentum, illico denuntiare. - 994.

Quaeritur 1. An liceat consummare Matrimonium tempore feriarum?

R. Negant S. Thom. etc. Sed *verius affirmant Sanch. etc.* Ratio, quia non sunt imponenda certa onera, ubi manifesta lex non adest illa praescribens.

Quaeritur 2. An liceat consummare Matrimonium ante benedictionem Sacerdotalem?

R. Negant plures, quorum alii dicunt esse tantum veniale, alii tenent esse mortale. *Probabilius* tamen et *communius* dicunt nullum esse peccatum *Nav., Laym., Salm., etc.* Conveniunt tamen omnes quod omissio absoluta benedictionis non excusetur saltem a veniali. Vide superius, n. 988.

Quaeritur 3. An Episcopus possit dispensare in voto castitatis a conjugibus emisso post consummatum Matrimonium?

R. 1. Certum est Episcopum non posse dispensare in voto Religionis aut castitatis absoluto, emisso ante Matrimonium, vide *Tract. de secundo Praecept. n.* 260. - 2. Potest Episcopus dispensare super voto castitatis a conjugibus post Matrimonium emisso. Ratio, quia votum hoc non est omnimodae castitatis, cum nequeat obligare ad non reddendum debitum, nisi emittatur ante consummationem, cum animo ingrediendi Religionem. Censent autem *Salm.* etiam Vicarium Generalem Episcopi posse dispensare in hujusmodi voto, ex concessione generali, quam ipse habet ad omnes casus Episcopales, in voto tamen castitatis conjugum de mutuo consensu emisso, solus Papa dispensare valet. - 986.

Quaeritur 4. An possit Episcopus dispensare in voto castitatis emisso ante Matrimonium, ad petendum debitum?

R. Negant Less., Caj., Sylv. etc. nisi adsit necessitas, puta periculum incontinentiae. Sed *communius et valde probabilius affirmant Sanch., S. Antonin., Soto etc.* Ratio, tum quia lex reservationum est in aedificationem, esset autem in destructionem, si Pontifex vellet sibi reservare talem dispensationem cum tanto periculo quod communiter adest; tum, quia haec facultas dispensandi conceditur Episcopis ex consuetudine, quae jurisdictionem praebet.

(*a*) *Consule super his statuta Dioecesis.*

Quaeritur 5. An in hoc voto possint dispensare Confessarii mendicantes ?

R. Communiter affirmant Pal. etc., et hoc virtute privilegiorum plurimorum Pontificum, et signanter vi privilegii *S. Pii V* vivae vocis Oraculo. Et *verius Sanch. etc.* admittunt pariter de voto emisso post Matrimonium.

Quaeritur 6. An Episcopus, urgente necessitate, et periculo incontinentiae, possit dispensare in voto castitatis ad matrimonium contrahendum ?

R. Affirmative; vide, n. 258. Caeterum, ante matrimonium Episcopus excepto voto castitatis, et sponsalibus cum altero initis, potest universe in aliis impedimentis impedientibus dispensare, sicut etiam in omnibus matrimonio supervenientibus. Vide n. 1126. - 987.

Quaeritur 7. An peccet mortaliter Parochus si assistat matrimonio, omissis denuntiationibus, sine dispensatione Episcopi, quando jam per diligentiam certus factus fuerit nullum subesse impedimentum ?

R. Negant Sotus etc. Sed *communissime et verius affirmant Sanch. etc.* Ratio, quia esto per diligentiam Parochus impleat finem *Tridentini*, transgreditur tamen diligentiae formam, quam Concilium praescribit, quod cum sit in re gravissima, non excusatur a mortali nisi urgens adsit necessitas, quae moram non patitur. Praeterea, diligentia Parochi non satis supplet effectum denuntiationum. Et *notandum :* quod dicitur de denuntiationibus faciendis ante matrimonium, idem dicendum de obligatione eas faciendi post nuptias contractas ante consummationem. *Sanch. etc.*

Quaeritur 8. An omittere unam denuntiationem sit mortale ?

R. Affirmant Pal. etc. Sed *probabiliter negant Sanch. etc.;* quia respectu ad totum praeceptum non videtur gravis materia. Imo *Salm.* putant non esse mortale si etiam duae denuntiationes omittantur. Sed huic *probabilius* contradicit *Conc.* - 990.

Quaeritur 9. An denuntiationes debeant fieri in Ecclesia, et inter missarum solemnia ?

R. Revera sic praescribitur in *Tridentino*, et in missa Parochiali, vel conventuali arbitrio Parochi, etiam contradicente Capitulo. Sed *probabiliter* dicunt *Sanch. etc.* posse etiam fieri in Ecclesia tempore concionis, vel processionis. Imo *Wigandt. etc.* ajunt posse fieri extra Ecclesiam in loco magni concursus, quia sic jam obtinetur finis Concilii. Idque *probabile* videtur, saltem sine mortali, et, si adsit aliqua causa, sine ulla culpa.

Quaeritur 10. In qua Parochia debeant fieri denuntiationes ?

R. Certum est faciendas esse in Parochia utriusque contrahentis, quia sic fert consuetudo. Excipiunt *Laym. etc.* nisi Parochiae essent valde propinquae (*a*).

Quaeritur 11. Ubinam faciendae sunt denuntiationes, si alter sponsorum de brevi moratur in aliquo loco ?

R. Pont. putat sufficere si fiant in loco, ubi ille actu degit. Sed *longe probabilius Sanch. etc.* dicunt omnino fieri debere in Parochia unde discessit, quia denuntiationes ideo fiunt, ut impedimenta manifestentur, ac propterea oportet eas fieri ubi sponsi diutius sunt commorati. Et hic notandum, quod si alter sponsorum sit externus, Parochus non debet facere denuntiationes, nisi postquam ipse per fidem authenticam probaverit statum liberum

(*a*) *Vide Statuta Dioecesis, vel ejus Consuetudines.*

coram Ordinario: et pluries declaravit S. C. denuntiationes necessario faciendas in loco originis. 991. Quoad vagos autem *Tridentinum* praecipit Parochis non assistere eorum matrimoniis, nisi post diligentem inquisitionem adhibitam, et nisi prius ab Ordinario licentiam assistendi obtinuerint. Hinc, recte ait *Ronc.*, quod graviter peccaret Parochus, si tale praeceptum non servaret, esto alioquin matrimonium esset validum, cum Concilium nullam irritantem clausulam apposuerit. Vide alia circa vagos, n. 1089.

Quaeritur 12. In quibus diebus possint fieri denuntiationes?

R. In *Trid.* praescribitur ut fiant tribus continuis diebus festivis. Et praxis fert ut denuntiationes fiant tribus diebus festivis continuis, ita tamen ut non intercedant alii dies festivi, sed non immediatis, nempe tribus festis Paschatis: quia tempore tam brevi non satis obtinetur finis Concilii. Ac *probabiliter* dicunt *Salm. etc.*, posse etiam in tribus festis immediatis, quia in Concilio dicitur continuis diebus festis, nec ibi excipitur quod non sint immediati. Et sic pariter dicunt *Salm. etc.* posse fieri denuntiationes etiam in tribus diebus festivis discontinuis, modo plures dies festi non intercedant, quia sic sufficienter jam satisfit intentio Concilii. Sed *verius Sanch. etc.* censent id non esse quidem mortale, quia non videtur gravis transgressio, sed non excusari a veniali, quia jam transgreditur praescriptum Concilii.

Quaeritur 13. An possint fieri denuntiationes diebus ferialibus, si ex aliqua causa fieret magnus concursus in Ecclesia?

R. Negant Pont. etc. Sed *probabiliter affirmant Sanch. etc.*; quia sic jam satis implentur fines Concilii: saltem *probabile* est id posse fieri sine culpa gravi. - 992.

Quaeritur 14. An qui novit impedimentum, teneatur illum denuntiare?

R. Certum est 1. Quod si impedimentum possit per testes probari, quilibet illud sciens denuntiare tenetur, sive impedimentum sit dirimens, sive impediens, esto sit occultum et infamatorium, nempe quod ortum habuerit ex peccato. Ita *Pal. etc.* cum *communi*, et tenentur revelare etiam ii qui noverint impedimentum sub secreto naturali, et adhuc cum juramento non propalandi, ut dicunt *Sanch., Pal. etc.*

Advertunt tamen praefati auctores antequam fiat denuntiatio, praemittendam esse correptionem fraternam, et etiam pluries, nisi *probabiliter* non sit profutura, modo periculum non sit in mora.

Certum est 2. Quod si impedimentum sit occultum, et jam fuerit pro eo obtenta dispensatio quoad forum internum, illud sciens non tenetur denuntiare; secus si adesset publica fama de impedimento et dispensatio esset occulta, ut *Sanch. etc.*

Certum est 3. Quod si noveris impedimentum ex auditis, sed non recorderis a quo, vel si accepisti a persona non fide digna, non teneris denuntiare. *Sanch. etc.* - 994.

Quaeritur 15. An si quis solus impedimentum noverit, nec possit probare, teneatur illud denuntiare?

R. Prima sententia negat. Secunda vero *sententia communissima* et *verior affirmat* teneri, si commode potest, et antea, facta monitione, si profutura sit, ut sponsi ab hujusmodi matrimonio desistant. Dico *si commode potest*, nam nemo tenetur cum suo gravi incommodo, aut aliorum scandalo, denuntiare, cum neque lex ecclesiastica, neque praeceptum

correctionis obliget cum gravi incommodo, aut scandalo aliorum. - 995.

Quaeritur 16. An sufficiat unus testis de impedimento ut Episcopus prohibeat contrahi matrimonium?

R. Adsunt quatuor sententiae. *Prima* dicit sufficere si impedimentum ortum habeat ex crimine; si vero non provenit ex peccato, sed ex cognatione carnali, aut spirituali, requiri duos testes fide dignos, nisi adsint alia adminicula, quae plenam faciant probationem. *Secunda sententia omnino opposita* dicit, quod si impedimentum non sit ob crimen, sufficiat ad impediendum unus testis fide dignus; si vero ob crimen, requiruntur saltem duo, quia tunc agitur de praejudicio tertii, adversus quem nequit ferri judicium sine plena probatione. *Tertia sententia* dicit sufficere unum testem, qualecumque sit impedimentum, modo testis ille sit omni exceptione major, et deponat ex certa scientia. *Quarta* demum *sententia communissima* et *verior* docet sufficere unum testem ad impediendum matrimonium, etiamsi non sit omni exceptione major, modo habeat qualitates infra explicandas. Ratio, quia, licet quando agitur de praejudicio tertii, plena requiratur probatio, attamen, cum hic agatur de vitando periculo animae, nempe si forte matrimonium contraheretur cum impedimento, minori probatione jus contentum est. Secus vero dicendum si agatur de praejudicio tertii, et non agitur de peccato vitando, puta si testis allegaret fornicationem sponsae, vel quid simile, tunc enim bene requiritur plena probatio. - 996.

Quaeritur 17. Quaenam requirantur qualitates in teste ad impediendum matrimonium?

R. Requiruntur sequentes: 1. Ut ipse non tantum denuntiet, sed etiam deponat, esto sponte se offerat ad deponendum, nisi talis testis denuntiando probaret de fama impedimenti; quia tunc sufficit ut tantum denuntiet quin deponat. 2. Ut deponat cum juramento; quia in his quae sunt in praejudicium tertii, non creditur testi nisi jurato. - 3. Ut deponat non ex auditu, sed ex certa scientia. Excipiunt tamen *Salm.* nisi impedimentum sit consanguinitatis, vel affinitatis; tunc enim sufficit ut testis deponat se illud audiisse a duobus fide dignis, et maxime a consanguineis sponsorum, qui magis sunt idonei ad probandam vel negandam consanguinitatem. 4. Ut testis ille non sit persona vilis, dummodo factum non sit ita occultum, ut nequeat probari nisi per vilem personam, quia ubi deest facultas probandi, admittitur probatio etiam per se non sufficiens. - 997.

Quaeritur 18. An si sponsalia fuerint jurata, sufficiat unicus testis deponens impedimentum ad impediendum matrimonium?

R. Negant Glossa etc. Sed *probabilius affirmant Sanch. etc.*, modo testis ille sit fide dignus, et deponat ex certa scientia. - 998.

Quaeritur 19. An Parochus, si ipse solus noverit impedimentum extra Confessionem, teneatur impedire matrimonium publice petitum?

R. Negat Pont.; quia nemo tenetur denuntiare quod probare non potest. *Affirmant* tamen *verius Sanch. etc.*, quia impedimentum praebet occasionem aliorum damnorum et culparum.

Quaeritur 20. An Ordinarius, qui solus conscius est impedimenti, teneatur matrimonium impedire?

R. Sanch. etc. sentiunt eum nec teneri, nec posse, quia nemo potest esse judex ex testis. Sed *probabilius affirmant. Bon. etc.* - 1002.

Quaeritur 21. Quandonam Episcopus teneatur dispensare in denuntiationibus?

R. Communiter docent DD. quod

si oporteat ad vitandum grave damnum commune vel privatum, spirituale aut temporale Communitatis vel alterius privati, Episcopus non solum potest, sed etiam tenetur dispensare. Causae autem ob quas Episcopus tenetur dispensare sunt sequentes : 1. Si adsit probabilis timor ne matrimonium malitiose impediatur juxta sensum *Tridentini*. 2. Si matrimonium sit necessarium ad vitandum damnum, sive infamiam contrahentium, vel prolis. 3. Si immineat periculum animae, corporis, vel fortunae. 4. Si sponsus sit statim longe profecturus, et urgeat necessitas contrahendi ob unam ex causis supra dictis. 5. Si parentes, vel tutor praetendant ut virgo nubat indigno. 6. Addit *Ronc.* si immineat tempus Adventus, vel Quadragesimae, et alias urgeat periculum incontinentiae, vel gravis praejudicii. Verum, melius dicendum posse propter hanc causam Episcopum dispensare, sed non teneri. Caeterum, bene ait *Ronc.* teneri Episcopum dispensare ob quamcumque aliam causam, quae prudentis judicio urgens videatur. - 1005.

Nota. Dicit *Boss.* quod si forte Episcopus, his stantibus causis, injuste neget dispensationem, ipsi recurrere debent ad judicem superiorem, alias non possunt contrahere, nisi periculum sit in mora, et ad Superiorem non pateat aditus. - 1007.

Quaeritur 22. Quae sint causae ob quas Episcopus non tenetur, sed potest dispensare?

R. Illae causae sunt sequentes : 1. Si nuptiae sint contrahendae inter Magnates, quia horum conjugia non fiunt nisi magna praecedente consideratione. 2. Si sponsi sint valde senes aut valde dispares in conditione, aetate, divitiis, aut qualitate. 3. Si certo moraliter constet nullum adesse impedimentum. Notant *Ronc. etc.*, quod Episcopus possit in denuntiationibus dispensare etiam cum altero sponsorum non sibi subdito. *Notandum* pariter quod Episcopus dispensando in denuntiationibus, semper tenetur diligenter aliunde inquirere de impedimentis, nisi communiter constet non adesse. - 1006.

Quaeritur 23. An Vicarius Generaralis Episcopi possit in denuntiationibus dispensare?

R Negant Pont. etc. Sed *affirmant communius* et *probabilius Pal. etc.*, quia Vicarius facit unum tribunal cum Episcopo.

Quaeritur 24. An Parochus possit aliquando dispensare in denuntiationibus?

R. Affirmant Vega etc. Verius tamen et *communiter negant Sanch. etc.*, quia revera Parochus nullam habet jurisdictionem in foro externo. *Valde probabiliter* tamen dicunt *Sanch. etc.*, quod esto Parochus non possit dispensare, attamen in casibus in quibus Episcopus dispensare tenetur, et adiri non possit, periculumque sit in mora, poterit declarare praeceptum proclamationum non obligare, modo certus sit nullum adesse impedimentum. Imo, in hujusmodi casibus censent *Salm. etc.* posse ipsos sponsos, si certi sint non esse impeditos, nuptias inire sine denuntiationibus.

Nota. Si quis praesumit adsistere Matrimonio sine proclamationibus, incurrit suspensionem ab officio per triennium, sed ferendae sententiae. - 1007.

ARTICULUS II.

De Impedimentis dirimentibus.

Praeter defectum consensus, alia sunt impedimenta dirimentia, quae sequentibus versibus comprehenduntur.

Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen.
Cultus disparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honestas.
Ætas. Affinis. Si Clandestinus, Et impos.
Raptave sit mulier, nec parti reddita tutae.
Haec facienda vetant connubia, facta retractant.

§. 1. - *De impedimento* Erroris.

Impedimentum *erroris* adest, quan-

do quis volens ducere *Annam*, v.g. contrahit cum *Maria*, putans esse *Annam*.

Certum est apud omnes quod talis error circa personam de jure naturae dirimat Matrimonium; quia erratur circa substantiam contractus, dum qui intendit contrahere cum una, non consentit contrahere cum alia. Et hoc, etiamsi error sit vincibilis et crassissimus. Item, etiamsi error sit concomitans, seu non dans causam contractui, nimirum, si cognito errore, adhuc fuisset initum Matrimonium. 1010. Si autem error sit circa qualitatem personae concomitans, seu non dans causam contractui, non irritat Matrimonium; unde, si quis contraheret cum corrupta, aut paupere, aut ignobili, quam putabat virginem, aut divitem, aut nobilem, non principaliter motus ex his qualitatibus, sed aliunde, valet procul dubio Matrimonium, quia tunc jam adest voluntarium ad illud requisitum. *Sanch. etc. communiter.* - 1011.

Quaeritur 1. An irritet Matrimonium error circa qualitatem dans causam contractui, nempe si, cognito errore, Matrimonium non fuisset contractum?

R. Prima sententia affirmat. Secunda vero *sententia communis* et *verior negat.* Ratio, tum quia tunc jam adest simpliciter voluntarium circa substantiam Matrimonii, nempe circa personam, quamvis deficiat voluntarium secundum quid circa accidentia, quae sunt personae qualitates; tum, quia alias innumera conjugia evaderent dubia et litibus exposita. 1012. *Communiter* tamen, et recte docent DD., quod error circa qualitatem personae bene irritaret Matrimonium, si qualitas redundaret in substantiam.

Quaeritur 2. Quandonam error qualitatis redundet in substantiam, sive in personam?

R. Tres attende regulas. 1013. 1. Tunc qualitas redundat in substantiam, cum quis actualiter intendit contrahere sub conditione talis qualitatis; tunc enim verificatur, quod, deficiente conditione, omnino deficit consensus. Hoc certum est. Et idem est, si contrahens ante Matrimonium expressam habuerit intentionem, et eam non retractavit, non contrahendi nisi sub tali conditione; quia tunc consensus ille, si non actualiter, est saltem virtualiter conditionatus. 1014. - 2. Quando qualitas non est communis aliis, sed propria et individualis alicujus determinatae personae, puta, si quis crederet contrahere cum primogenita regis Hispaniae, tunc qualitas redundat in personam; unde, errando in qualitate erratur in persona, et proinde nullum est Matrimonium, etiamsi ille non habuerit expressam intentionem non contrahendi. 1015. - 3. Si consensus fertur directe et principaliter in qualitatem, et minus principaliter in personam, tunc error in qualitate redundat in substantiam; secus, si consensus principaliter fertur in personam, et secundario in qualitatem; v. g. si quis dixerit, *volo ducere Titiam, quam puto esse nobilem*, tunc error non redundat in substantiam, et ideo non invalidat Matrimonium. Secus si dixerit, *volo ducere nobilem, qualem puto esse Titiam;* tunc enim error redundat in substantiam, quia directe et principaliter intenditur qualitas, et minus principaliter persona. - 1016.

§. II. - *De impedimento* Conditionis.

Impedimentum *conditionis* adest, cum quis liber ignoranter contrahit cum serva. - 1017.

Certum est tamen quod si liber scienter contrahat cum ancilla, Matrimonium est validum, nec talis contrahens graviter peccaret, quamvis efficeretur irregularis. Et *probabilius* est quod si servus contrahit cum ser-

va, valet Matrimonium; quia Ecclesia irritans talia Matrimonia, attendit conditionis inaequalitatem, quae solum adest, quando liber contrahit cum serva.-1018.

Quaeritur 1. Utrum, si error liberi sit crassus, irritet Matrimonium?

R. Negant Sot. etc., quia in errore crasso videtur adesse voluntaria deceptio. Sed *probabilius affirmant Sanch. etc.*, quia quaecumque ignorantia efficit actum saltem non perfecte voluntarium.-1019.

Quaeritur 2. An tunc utraque pars possit propria auctoritate a Matrimonio resilire?

R. Deceptus certe potest, nisi adsit scandalum, et ita pariter serva. Et licet liber factus conscius ejus servitutis, vellet revalidare Matrimonium, *probabiliter* opinantur *Salm.* servam, quae bona fide contraxit, non teneri consentire, ratione injuriae-1020.

Quaeritur 3. Cuinam incumbit onus probandi ignorantiam servitutis?

R. Henriq. censet onus incumbere libero. Sed *communius* et *probabilius Sanch. etc.*, tenent incumbere ancillae probare scientiam, nisi ipsa *communiter* ut talis sit nota.-1021.

Quaeritur 4. Quandonam per Matrimonium acquirat libertatem serva?

R. Libertatem acquirit serva 1. Si dominus dotale instrumentum ei conferat contrahenti. 2. Si illam in conjugem accipiat. 3. Si eam Matrimonio tradat libere alteri illius servitutem ignoranti.

Quaeritur 5. An validum sit Matrimonium cum serva in his casibus?

R. Negat Pal. Affirmant vero *communius* et *probabilius Sanch. etc.* si dominus promiserit se servam brevi dimissuram, quia illa tunc jam censetur libera. 1022. Matrimonium autem cum liberta, id est serva quae facta est libera, certe validum est; modo libertas non solum illi sit promissa, sed etiam jam donata.-1023.

§. III.-*De impedimento* Voti.

Hujusmodi impedimentum adest, quando emittitur votum solemne castitatis per susceptionem Ordinis sacri; vel per solemnem professionem in Religione approbata sponte emissam. Dico 1. *Sponte;* quia metus gravis irritat professionem. 2. *Solemne;* quia votum simplex tantum impedit, non dirimit; excipe tamen vota simplicia Societatis Jesu.-1024.

Quaeritur 1. An votum solemne Religionis dirimat Matrimonium de jure divino vel Ecclesiastico?

R. Prima sententia dicit de jure Ecclesiastico. *Secunda* vero *probabilior* dicit de jure divino.-1025.

Quaeritur 2. An Papa in aliquo casu possit dispensare in voto solemni castitatis in professione emisso?

R. Vide, n. 256, ubi *affirmativam* tenuimus sententiam.-1626.

§. IV.-*De impedimento* Cognationis.

Cognatio triplex est, legalis, spiritualis, et carnalis.

1. Cognatio *legalis* est propinquitas personarum, proveniens ex adoptione perfecta, nempe facta Principis supremi rescripto, qua scilicet persona extranea assumitur in filium, vel nepotem, ita ut transeat in potestatem adoptantis, eique succedat, vel tamquam haeres necessarius ex testamento in quarta parte, vel tamquam filius ab intestato, in totum. Haec cognatio legalis dirimit Matrimonium inter adoptantem et adoptatum; et inter conjugem et descendentes adoptati, et inter uxorem adoptantis, ac inter ejus consanguineos in primo gradu.-1027 (*a*).

(*a*) *Cum inter Doctores disputetur utrum adoptio, quae ex jure novo ho-*

2. Cognatio *spiritualis* est illa quae jure ecclesiastico oritur inter personas aliquas ratione Baptismi et Confirmationis. Haec cognatio dirimit Matrimonium inter Baptizantem et Baptizatum, et ejus patrem; item, inter susceptorem, et susceptum, et hujus patrem et matrem. Vide *Tract. de Bapt.* n. 156.-1028.

3. Cognatio *carnalis* est vinculum personarum ab eodem stipite proximo descendentium. Haec cognatio dirimit Matrimonium usque ad quartum gradum lineae transversae inclusive, et semper in linea recta; attamen, *satis probabile* est omnes gradus sive lineae rectae, sive lineae transversae, excepto primo in linea recta, non esse prohibitos nisi jure ecclesiastico, adeo ut in his possit Papa dispensare. Vide n. 470.-1029.

Quaerit. 1. Quaenam sint regulae ad dignoscendos gradus consanguinitatis?

R. Tres statuuntur regulae sequentes: 1. In linea recta tam ascendentium quam descendentium quot sunt personae, tot sunt gradus, una dempta scilicet stipite. 2. In linea transversa aequali, quae est inter personas a communi stipite aequaliter distantes, quot gradibus a communi stipite personae singulae distant, totidem distant inter se. Unde frater et soror sunt in primo gradu lineae transversae, patrueles et consobrini in secundo, filii eorumdem in tertio. 3. In linea transversa inaequali, inter personas inaequaliter distantes a communi stipite, quot gradibus remotior persona distat a stipite, tot gradibus distant inter se. Unde, patruus et nepos, filius et soror patris sunt consanguinei in secundo gradu; quae omnia patent in schemate sequenti.

	IV. Abavus Abavia	
IV. M. Propatruus. M. Proamita.	III. Proavus. Proavia.	IV. M. Proavunculus. M. Promatertera.
III. M. Patruus. M. Amita.	II. Avus Avia	III. M. Avunculus. M. Matertera.
II. Patruus. Amita.	I. PATER MATER.	II. Avunculus. Matertera.
I. Frater.	† Hypote.	I. Soror.
II. Filii et Filiae Fratris.	I. Filius Filia.	II. Filii. et Filiae Sororis.
III. Nepotes et Neptes ex Fratre.	II. Nepos. Neptis.	III. Nepotes, et Neptes ex Sorore.
IV. Pronepotes et Proneptes ex Fratre.	III. Pronepos. Proneptis.	IV. Pronepotes, et Proneptes ex Sorore.
	IV. Abnepos. Abneptis.	

die viget, constituat impedimentum Ecclesiasticum, dispensatio est obtinenda antequam ad Matrimonium procedatur.

Advertendum, quod a linea transversali inaequali in supplicatione dispensationis tam ex una, quam ex altera parte, debeat exprimi gradus propinquior, et remotior, si propinquior esset primus gradus; hoc habetur ex Bulla *S. Pii V, Sanctis*, quia in eo primo gradu Papa non intendit dispensare, nisi exprimatur.-1030.

§. V.-*De impedimento* Criminis.

Illud crimen triplex est 1. *Homicidium* conjugis ab altero conjuge, et alio tertio, sive physice, v. g. gladio vel veneno, sive moraliter, ut imperio, perfectum, eo consilio, ut postea inter se Matrimonium contrahant. 2. *Adulterium*, quando nimirum duo carnaliter se cognoscunt, vivente alterius conjuge, et vel Matrimonium ineunt de praesenti, vel saltem dant fidem de ineundo post mortem conjugis. 3. *Raptus* de quo infra, n. 1107.-1031 et 1032.

Hic tantum sermonem facimus de impedimento ob crimen *Homicidii*, et ob crimen *Adulterii*. Ad distinguendum autem tale impedimentum attende regulam ab aliquibus traditam. Incurritur hoc in tribus casibus sequentibus: 1. *Utroque patrante (Homicidium)*, quando non est adulterium, sed uterque conspirat ad homicidium, animo inter se nubendi. 2. *Uno patrante*, quando v. g. vir post adulterium occidit conjugem, ad ducendam adulteram, licet ista non conspiret ad homicidium: modo illius intentio huic manifestata sit. 3. *Nemine patrante*, quando non adest homicidium, sed tantum adulterium, et promissio Matrimonii, quae non sit ficta, et sit saltem acceptata antequam moriatur conjux adulteri.

Ex 1. capite igitur, nempe *utroque patrante*, id est, cum homicidium conjugis fit sine adulterio, ad contrahendum impedimentum criminis requiruntur sequentia: 1. Ut occisio eveniat ex communi consilio viri et feminae. 2. Ut homicidium fiat animo contrahendi Matrimonium cum complice homicidii.-1033.

Notant tamen *Sanch. etc.* sufficere ad incurrendum impedimentum, quod inita ab utroque machinatione occisionis, intentio Matrimonii adsit tantum ex parte unius. Utrum autem requiratur ut talis intentio alteri saltem manifestetur? *probabilius* dicendum mihi videtur, si occisionem praecesserint sufficientia indicia intentionis, puta munera, familiaritates, epistolae amatoriae, et similia inter eos qui contrahere volunt, tunc incurritur impedimentum; secus, si intentio remanserit omnino interna; tunc enim Ecclesia nequit punire homicidium ex tali intentione factum, si nullum de ea indicium praecesserit.-1034.

Ex 2. capite, *uno patrante*, nempe ex homicidio cum adulterio, ad dirimendum Matrimonium sufficit quod stante adulterio, una pars tantum perpatret homicidium, quamvis altera inscia. 1035. Ad hoc autem impedimentum incurrendum sequentia requiruntur: 1. Ut mors vere secuta sit ex percussione, veneno etc., dato a conjuge, vel ejus mandato. 2. Ut adulterium praecedat occisionem. 3. Ut prius Matrimonium fuerit validum, quamvis non consummatum, et licet obtentum sit divortium. 4. Ut adulterium sit consummatum, ita ut facta sit una caro: hinc, si vir vere non seminat in vase mulieris, nequaquam incurritur hoc impedimentum. Et idem dicendum *probabiliter* si mulier non seminat. 5. Ut adulteri sint conscii Matrimonii; quare si femina rem habet cum conjugato, quem putabat solutum, impedimentum non contrahitur; et *probabiliter*, etsi illa ignorantia crassa culpabili ignoraverit adulterium. 6. Ut occisio facta fuerit cum

animo nubendi cum adultera, saltem ex parte occidentis, modo is externe talem intentionem alteri manifestarit, juxta sententiam allatam mox supra, n. 1034., ubi diximus requiri manifestationem saltem per indicia praecedentia; idque procedere in utroque casu, dicunt *Salm.* Hinc infertur quod si vir uxorem occidat, ut liberius adultera fruatur, vel propter aliam causam, etiamsi ista consenserit ad homicidium, sed absque intentione Matrimonii, impedimentum non contrahitur. Imo, si vir occidat uxorem ut aliam indeterminatam ducat, potest deinde ducere adulteram. Secus tamen si occidat, ut aliquam ex adulteris ducat.-1036.

Ex 3. capite, *neutro patrante*, nempe quando non adest homicidium, sed solum adulterium cum promissione Matrimonii. Docentque *Sanch. etc.*, tale impedimentum contrahi a conjuge fideli etiam cum infideli adultera, quia licet Ecclesia non possit punire infidelem. Ad hoc autem impedimentum incurrendum requiruntur sequentia. 1. Ut tam adulterium, quam promissio, habita sint vivente conjuge. 2. Ut promissio non fuerit revocata ante adulterium. Dico *ante adulterium;* nam, si fuit revocata postea, tunc remanet impedimentum, cum jam contractum sit, sive promissio antecesserit, sive subsecuta fuerit adulterium. 3. Ut promissio fuerit externa, et acceptata; unde non sufficit si adultera mere negative se habuerit.-1037.

Quaeritur 1. An taciturnitas adulterae sit sufficiens signum consensus?

R. Affirmant Pont. etc., quia in materia favorabili taciturnitas habetur pro consensu. Sed *negant Sanch.* etc.; quia talis materia potius est odiosa quam favorabilis, cum acceptans subjiciatur poenis Ecclesiasticis. Merito *Spor.* utramque sententiam vocat *probabilem.*-1038.

Quaeritur 2. An promissio ficta Matrimonii cum adulterio inducat impedimentum?

R. Affirmant Sanch. etc., modo fictio externe non appareat, quia talis promissio ficta jam apta est inducere adulteram ad captandam mortem conjugis, quod jura vitare intendunt. Sed *probabilius* et *communius negant Bon. etc.* Ratio, quia jura requirunt fidem, sive promissionem Matrimonii, ficta autem promissio non est promissio; et quamvis cum tali ficta promissione non vitetur periculum in adultera decepta captandae mortis conjugis, attamen cum agatur de lege prohibitiva, et de materia odiosa, stricta facienda est interpretatio; tanto magis quod finis praecepti non cadit sub praecepto.-1039.

Quaeritur 3. An promissio conditionata eo casu inducat impedimentum?

R. Affirmant Cont. Tourn. etc.; quia promissio conditionata inducit obligationem non resiliendi, et per eam vere dicitur data fides, et vere praebetur ansa captandi mortem conjugis. *Negant* vero *probabilius Laym. etc.* Ratio, quia jura requirunt fidem, per quam, cum simus in odiosis, ubi lex stricte est interpretanda, intelligenda est fides seu promissio pura, et absoluta. Praeterea, per promissionem conditionatam, non ita datur ansa captandae mortis, sicut per promissionem absolutam.

Dicunt tamen praefati auctores talem promissionem bene inducere impedimentum, postquam conditio verificata fuerit ante mortem conjugis. Sed huic responderi posset quod promissio illa, adhuc impleta conditione, nec pura per se dici potest, prout requiritur a jure; caeterum, quia communiter hanc exceptionem DD. tradunt, sapientibus me remitto.-1040.

Quaeritur 4. An ad incurrendum

impedimentum requiratur ut promissio fuerit mutua?

R. Affirmant Bellarm. etc. Sed *communius* et *probabilius negant Sanch etc.*, quia in jure nulla mentio fit de repromissione, sed tantum de fide data. Alia igitur requiritur promissio in sponsalibus inter solutos, ut obliget ad Matrimonium, quod pendet a jure naturali: alia inter conjugatos, ut inducat impedimentum, quod pendet a jure positivo.-1041.

Nota 1. Tribus supra dictis criminibus, ex quibus oritur impedimentum, additur quartum, adulterium nimirum cum Matrimonio attentato, scilicet cum quis, sua uxore vivente, copulam habuerit cum alia, cum qua Matrimonium insuper contrahere ausus sit; hoc Matrimonium nullum est, sive copula praecesserit attentatum, sive subsecuta sit. 1042.-2. Qui autem, vivente sua conjuge, promitteret alteri Matrimonium, sed sine adulterio, et Matrimonio attentato, quamvis non incurrat impedimentum, non tamen excusatur a peccato mortali.-1043.

§. VI.-*De impedimento* Disparitatis cultus.

Impedimentum *Disparitatis cultus* sive Religionis dirimit Matrimonium inter baptizatum et non baptizatum, etiam catechumenum. Idque jure tantum Ecclesiastico, non scripto. Inter baptizatos vero non dirimit, etsi impediat. Matrimonia vero cum haereticis, etsi illicita, sunt tamen valida. Sed vide dicta *in Tract. de Sacr. in Gen. n.* 56, et in *praesenti Tract. n.* 1105.-1044.

§. VII.-*De impedimento* Vis.

Impedimentum *Vis* seu violentiae, aut gravis metus injuste incussi ad Matrimonium extorquendum, illud irritat in utroque foro; et quidem jure naturae si a contrahente, positivo autem si a tertio sit incussus.-1045.

Quaeritur 1. Quid requiratur ut metus censeatur gravis?

R. Requiritur 1. Ut malum quod alter minatus fuerit, sit grave saltem respectu metum passi. 2. Ut prudenter non vane et leviter malum timeatur proxime inferendum. 3. Ut malum nequeat alias evitari. 4. Ut minans malum possit exequi.-1047.

Quaeritur 2. Quaenam sunt mala metu quorum irritantur Matrimonia?

R. Mala illa censentur sequentia. 1. Mors vel gravis cruciatus. 2. Exilium. 3. Carcer: hoc tamen dicunt *Sanch. etc.*, intelligendum de carcere diuturno, aut vinculis atrocibus. 4. Amissio status, sive honoris. 5. Violatio virginis, aut viduae honestae. 6. Ablatio famae, puta si quis deprehenso altero in crimine infami, comminetur eum prodere. Et idem ait *Boss.* de metu magnae verecundiae, nempe si quis, nisi contrahas Matrimonium, minetur te denudare cum publico dedecore. 7. Injusta excommunicatio, nisi facile ei possit occurri, quia haec saltem in externo irrogat gravem notam infamiae. 8. Amissio bonorum magni momenti. 9. Amissio magni lucri.-1048.

Quaeritur 3. Quid requiritur ut metus irritet Matrimonium?

R. Requiritur. 1. Ut metus sit ab extrinseco sive ab homine, non autem ab intrinseco. 2. Ut metus incutiatur ad finem contrahendi Matrimonium. 3. Ut metus sit injuste incussus.-1049.

Unde:

1. Si judex injuste damnaret reum ad mortem, et promitteret se eum liberaturum, si ducat suam filiam, hoc Matrimonium non valeret juxta *veriorem* sententiam. Secus, si alius tertius offerret ei liberationem, si ejus filiam duceret.-1050.

2. Si reus juste meretur mortem, et judex offert ipsi liberationem, si

suam filiam ducat, est *probabilius*, quod valeat tale Matrimonium.-1051.

3. Si judex secuudum allegata et probata cogeret ad Matrimonium aliquem, qui revera esset innocens, *probabile* est, et forte *probabilius* Matrimonium esse nullum.

4. Si medicus nollet mederi aegrotum, nisi contrahat cum sua filia, affirmant absolute valere Matrimonium *Sanch. etc.*; sed melius distinguunt *Pont. etc.*, et dicunt valere, si medicus non tenetur ex justitia curare infirmum, secus, si tenetur ex justitia.

Quaeritur 4. An metus irritet Matrimonium de jure naturae, aut Ecclesiastico?

R. Prima sententia dicit irritare de jure Ecclesiastico. Ratio, quia in tali Matrimonio jam adest sufficiens voluntarium, sed quia est illicitum, Ecclesia illud irritat. *Secunda sententia non minus probabilis*, et forte *probabilior* tenet metum irritare Matrimonium de jure naturae.-1054.

Quaeritur 5. An metus levis irritet Matrimonium?

R. Affirmant Lugo etc. Verius tamen *negant Bus. etc.* Ratio, quia Matrimonium initum ex metu levi neque est nullum de jure naturali, neque de jure positivo: et merito, nam alias, si adhuc ex levi metu redderetur nullum, innumera Matrimonia dissolverentur.-1055.

Quaeritur 6. An metus reverentialis sufficiat ad invalidandum Matrimonium?

R. Prima sententia affirmat; hanc tenent *Nav. etc. Secunda* vero *communis* et recepta dicit non sufficere puram reverentiam, sed requiri ut adjungantur aut verba, aut minae, aut timor alicujus gravis mali, puta odii, diuturnae indignationis, etc. Ratio, quia purus metus reverentialis per se non est gravis, prout requiritur ad contractum irritandum. Ita *Less etc.* 1055.

Quaeritur 7. An in Matrimonio contracto ex metu gravi possit resilire ille qui metum incussit?

R. Prima sententia affirmat. Secunda vero *negat*, quia nemo debet ex suo crimine commodum reportare. Utraque sententia est *probabilis*, sed haec secunda *probabilior*, maxime si metus non possit probari.-1057.

§. VIII. *De impedimento* Ordinis.

Impedimentum *Ordinis* Sacri, sive majoris sponte suscepti, irritat Matrimonium: hoc est certum.

Quaeritur An Ordo Sacer dirimat Matrimonium ex jure divino, vel Ecclesiastico?

R. Certum est Ordinem Sacrum dirimere Matrimonium, ut habetur in *C. Diacono;* sed ad quaesitum, *prima sententia* dicit dirimere jure divino. *Secunda* vero *communior* et *probabilior* docet dirimere de jure Ecclesiastico. Ita *D. Thom. etc.* Ratio, quia status Ordinis per se non repugnat statui conjugali, ut patet in Graecis; ergo Ordo dirimit tantum ratione voti castitatis, in quantum votum est solemne; quod est de jure Ecclesiastico. Unde bene potest Papa dispensare cum ordinatis in Sacris, juxta dicta *n.* 807; sed non cum Sacerdotibus, juxta sententiam *communem* DD., vide in *Opere num.* 808. Quomodo autem votum solemne Clericorum dirimat Matrimonium? Vide *ex n.* 808.-1050.

§. IX.-*De impedimento Ligaminis.*

Impedimentum *Ligaminis* est illud, propter quod, quamdiu quis ligatus est conjugi adhuc viventi, invalide contrahit cum alio, quanquam licite et sine peccato, si moraliter sit certus de morte conjugis: quia si postea compareat, tenetur ad eundem redire, dimisso posteriore.-1060.

§. X. *De impedimento* Honestatis.

Impedimentum *Honestatis* est justitia publicae honestatis, ob quam nemo potest contrahere cum consanguineis illius quacum contraxit sponsalia, vel matrimonium ratum.

Ante *Tridentinum*, ex jure antiquo hoc impedimentum dirimit matrimonium inter sponsum et consanguineos sponsae usque ad quartum gradum, oriturque ex sponsalibus quibuscumque, etiam invalidis, nisi ex defectu consensus; jure vero novo *Tridentini* non oritur si sponsalia sint invalida, et irritat tantum usque ad primum gradum, si ex sponsalibus; ad quartum vero, si ex Matrimonio rato sequatur.-1061.

Quaeritur 1. An oriatur impedimentum publicae honestatis ex Matrimonio nullo?

R. Certum est induci impedimentum ex Matrimonio nullo, si nullitas sit ex alia ratione, quam ex defectu consensus, cum in hoc minime sit correctum a *Tridentino* jus antiquum. Si vero nullitas sit ex defectu consensus, *probabilius* est ex Matrimonio nullo ex defectu consensus, et ex sponsalibus ex quocumque defectu, praecise consensus, nullis, non induci impedimentum. - 1062.

Quaeritur 2. An ex sponsalibus mutuo consensu, vel ex alia justa causa dissolutis oriatur impedimentum?

R. Negant Pont. etc. Sed *verius affirmant Sanch. etc.*, et sic omnino tenendum ob Declarationem S. C. approbatam ab *Alex. VIII.* - 1063.

Quaeritur 3. An inducatur hoc impedimentum ex Matrimonio nullo, eo quod fuerit clandestinum?

R. Prima sententia negat. Secunda vero *verior affirmat.* Ratio, quia de jure antiquo tantum ex Matrimonio nullo directe ob defectum consensus, non autem ex alia causa, impedimentum excusatur.

Nota hic id quod habetur in *l. un. de Spons.*, nempe quod Matrimonium ratum invalidum non inducit impedimentum in praejudicium priorum sponsalium. Unde si quis post sponsalia valide contracta cum una, ducat ejus sororem, antequam rem habeat cum secunda, potest et tenetur contrahere cum prima, cum Matrimonium fuerit nullum. - 1064.

§. XI. — *De impedimento* Ætatis.

Illud impedimentum dirimit Matrimonium, si celebratum sit a viro ante annum quatuordecimum, et a femina ante annum duodecimum completum. Et hoc de jure Ecclesiastico; nisi tamen malitia aetatem suppleat, hoc est adsit et doli capacitas, et potentia ad copulam, de quibus judicare prudentum est. - 1065.

Quaeritur. An, si aetate completa pubertatis, puer non valeat coire, nullum sit Matrimonium?

R. Communiter negant Pal. etc. Ratio, quia in jure tantum habetur ad Matrimonium requiri aetatem pubertatis; et non est judicandus ut impotens, cum hoc proveniat ex imbecillitate aetatis, sed expectandum in viro usque ad annum octodecimum, et in femina usque ad annum quatuordecimum, quia tunc natura perfecto robore pollet.

Nota. Matrimonium senum, quantumcumque decrepitorum, validum est; modo possint saltem arte medicinae copulam habere. Secus dicendum si omnino sint impotentes. - 1066.

§. XII. - *De impedimento* Affinitatis.

Affinitas est propinquitas personarum nata ex copula carnalis sive licita, sive illicita. Utraque jure saltem Ecclesiastico dirimit Matrimonium: illa usque ad quartum gra-

dum inclusive; haec vero jure novo usque ad secundum tantum; et quidem, si antecedat Matrimonium: nam, si superveniat, v. g. si *Titius* cognoscat uxoris suae cognatam in primo vel secundo gradu, non dirimit, licet is qui peccavit non possit petere debitum, sed tantum reddere.

Porro gradus et linea affinitatis accipiuntur sicut in consanguinitate, ita ut qui est uxoris consanguineus in primo gradu, sive rectae, sive transversae lineae, is sit affinis merito in eodem gradu lineae rectae, vel transversae.

Denique, omnis affinitas quae oritur ex affinitate, sublata est per Concil. *Lateran.* - 1067. Hoc igitur impedimentum contrahitur tantum quando vir habet rem cum consanguinea uxoris, vel uxor cum consanguineo viri; unde minime contrahitur si a consanguineis viri habeatur copula cum consanguineis uxoris, vel e converso.

Unde:

1. Is qui fornicatus est cum sorore sponsae suae, cum neutra potest valide contrahere, circa dispensationem, imo nec cum earum consobrina, vel matertera; si quis autem post dispensationem rursus cognoscit eamdem sororem sponsae, non eget nova dispensatione. Vide n. 1140.

2. Potest quis ducere affinem fratris sui etiam in primo gradu, v. g. duo fratres possunt ducere duas sorores; imo pater et filius possunt ducere matrem et filiam; et vitricus potest ducere uxorem sui privigni, ut declaravit S. C.

3. *Titius* potest successive ducere *Titiam* et *Bertham*, quae fuerunt uxores *Caii* et *Sempronii* fratrum. - 1069.

4. *Titius* qui duxerat sororem *Caii*, potest, post mortem *Caii* ejusque sororis, ducere Bertham uxorem *Caii*.

Quaeritur 1. An uxor cognita a consanguineo viri, metu gravi coacta, privetur jure petendi?

R. Prima sententia affirmat. Secunda vero *communior* et *probabilior negat.* Ratio, quia sicut metus excusat a lege Ecclesiastica, sic etiam a poena ab ipsa imposita. - 1071.

Quaeritur 2. An ignorantia excuset ab incurrendo hoc impedimento petendi?

R. 2. Si adsit ignorantia *juris*, nempe si vir accedit ad consanguineam uxoris nesciens adesse legem humanam id prohibentem, *probabilius* et *communius* docent *Nav. etc.* non incurrere impedimentum; quia, cum poena sit imposita a lege humana, qui cum ignorantia contra illam operatur, sicut excusatur ab ejus transgressione, ita etiam excusatur a poena. 1072. - 2. Si adsit ignorantia *facti*, nempe si vir sciat legem Ecclesiae prohibentem petitionem debiti, sed nesciat illam ad quam accedit esse consanguineam suae uxoris, tunc *commune* est non incurrere impedimentum. Ratio, quia cum privatio juris petendi sit poena incestus, ubi deest incestus culpa, cessat etiam poena. Et hoc dicendum etiamsi ignorantia fuerit crassa. Excipiunt tamen *Sanch. etc.*, nisi ignorantia sit adeo crassa, ut videatur ingens temeritas ignorare: talis enim ignorantia crassissima aequiparatur dolo. An autem excuset ignorantia affectata? Vide *Tract. de Censuris*, n. 48. 1073. - 3. Si adsit ignorantia poenae, nam si quis habeat scientiam legis et facti, sed nesciat poenam non petendi, hanc ignorantiam excusare *satis probabiliter* dicunt *Bon. etc.*; quia censent hoc impedimentum esse veram poenam in vindictam incestus. Et cum *probabilissimum* sit ab ignorantibus non incurri poenas a lege Ecclesiastica impositas, quando sunt extraordinariae, scilicet, quae per se ne in confuso quidem praevideri possunt; hinc *satis* pariter *probabile* est non incurri ab igno-

*

rantibus hanc poenam, quae certe videtur extraordinaria, cum per se praevideri nequeat. - 1074.

Quaeritur 3. An ad contrahendam affinitatem requiratur ut copula ex utraque parte sit consummata?

R. Certum est requiri seminationem viri. Quoad seminationem autem feminae, *Pont. etc. negant* requiri, contendentes ad generationem non esse necessarium semen femineum. *Ronch. etc.*, vero etiam *probabiliter affirmant* requiri, dicentes esse necessarium ad generationem semen feminae. Advertunt *Sanch. etc.*, quod in dubio praesumendum est pro culpa perfecta. Imo dicit recte *Elbel*, quod in foro externo, ubi constat de coitu, semper pronuntiandum est pro impedimento affinitatis contracto; et sic etiam judicandum in foro interno, quod praesumptioni fori externi conformari debet, semper ac non constat hanc esse falsam. - 1075.

Quaeritur 4. Quis possit dispensare in hoc impedimento?

R. Alii dicunt solum Pontificem posse, cum ab ipso fuerit haec poena imposita. Alii vero *communissime* dicunt posse semper et absolute Episcopum dispensare, ratione consuetudinis, et hanc facultatem posse alteri delegare non solum in particulari, sed etiam in generali. Vide n. 1125. Insuper, possunt etiam in hoc impedimento dispensare omnes Confessarii Regulares Mendicantium, a Provinciali (*a*) ad hoc munus deputati, ex pluribus privilegiis, nempe *Martini V*, *etc.* Idem privilegium concessum Societati Jesu, affert *Pal.* - 1076.

Nota. Contrahentes scienter cum impedimento consanguinitatis vel affinitatis incurrunt excommunicationem ipso facto. Et idem statuitur de Religiosis, Monialibus et Clericis in Sacris constitutis Matrimonium contrahentibus, qui insuper denuntiandi sunt ex edicto Inquis. Generalis. Idem statuitur de laicis nubentibus cum Monialibus. Cum autem haec poena sit odiosa, recte dicit *Croix* eam non extendi ad alia impedimenta. - 1077.

§. XIII. - *De impedimento* Clandestinitatis.

Illud impedimentum clandestinitatis irritat ex *Tridentino* Matrimonia eorum, qui contrahunt aliter quam coram Parocho vel alio Sacerdote, de ipsius vel Ordinarii licentia, et duobus ad minimum testibus; vultque graviter puniri eos qui contra hoc contraxerint, vel etiam interfuerint - 1078.

Unde:

1. Infideles, aut fideles qui sunt in loco ubi non est receptum *Tridentinum*, valide contrahunt sine praesentia Parochi et testium: cum lex saltem per decem annos non recepta non obliget.

2. Invalide contrahunt etiam in casu necessitatis fideles qui sunt in loco, ubi receptum est *Tridentinum*, quia necessitas non potest reddere habiles eos, quos *Tridentinum* omnino inhabiles declaravit; et hoc currit etiamsi Matrimonium esset contractum cum ignorantia invincibili. Dicunt tamen *Laym.*, *Con.*, *Croix etc.*, quod si non possit in aliquo oppido haberi Pastor, aut alius gerens ejus vices, tunc validum est Matrimonium initum cum testibus sine Parocho. - (*b*).

3. Validum est et licitum Matrimo-

(*a*) *Vel a Superiori locali. Ita recte* Salm. - *H. n.* 69. — (*b*) *Dicendum, esse validum Matrimonium, modo contrahatur coram testibus, quando moraliter impossibile est Parochum adire, vel alium Sacerdotem a Parocho, vel Episcopo delegatum. Sic a Summis Pontificibus pluries san-*

nium celebratum sine Parocho in locis infidelium a fidelibus captivis, vel mercatoribus ibi degentibus per modum hospitii. - 1076.

4. Peregrini, si contrahant in loco ubi *Tridentinum* est receptum, Matrimonium sine Parocho et testibus est nullum, quia etiam peregrini obligantur legibus locorum quoad contractus. Ita *communiter Sanch. etc.*

5. Si quis se transferret ad locum vel illuc transit, ubi *Tridentinum* non est receptum et ibi contrahit sine Parocho et testibus, nullum est Matritrimonium. Secus autem si in illum locum vere transferret domicilium, quamvis cum animo ibi contrahendi sine Parocho et testibus. Ita declaratum fuit a S. C. Et haec declaratio omnino tenenda est, cum ipsa fuerit approbata ab *Urbano VIII* pro tota Ecclesia. - 1080.

Nota. Nomine Parochi *commune* est intelligi Parochum domicilii non autem originis. Item Episcopus, vel ejus Vicarius in sua Dioecesi, et hoc etiamsi Episcopus suo Vicario id prohibuerit. Episcopus enim nec Parocho nec suo Vicario potest interdicere ne Matrimoniis assistant, ut alias declaravit S. C. Idemque dicitur de Vicario Capituli, Sede vacante; de Abbatibus, qui habent jurisdictionem quasi Episcopalem erga suos subditos; de Cardinalibus in Ecclesiis sui tituli; de Legatis in sua Provincia.

6. Parochus potest dare licentiam assistendi alteri Sacerdoti; item, potest assistere nuptiis sui Parochiani, etiam extra Parochiam, et adhuc contradicente Parocho illius loci.

7. Nec requiritur ut sit vere Parochus, sed sufficit si habeat titulum saltem coloratum, ita ut communi errore habeatur Parochus, nec sit intrusus absque ullo titulo. An autem sufficiat error communis sine titulo? Vide n. 572. - 1081.

8. Parochus excommunicatus, etiamsi sit vitandus, irregularis et suspensus, valide assistit Matrimonio, quia ibi nullam exercet jurisdictionem, sed tantum assistit ut testis qualificatus, qui de Matrimonio testificari possit; ita *communiter Sanch. etc.* - 1082.

9. Parochus excommunicatus vitandus peccat graviter assistendo, si non adsit gravis necessitas, juxta dicta in *Tract. de Sacr. in genere, n.* 88. - 1083.

10. *Probabilius* est quod Parochus excommunicatus aut irregularis possit dare alteri Sacerdoti licentiam assistendi. - 1084.

11. Sufficiunt testes licet sint infames, feminae, pueri habentes usum sufficientem rationis, parentes, domestici ac servi, infideles, quamvis casu transeant, aut vi detineantur. - 1085.

12. Si duo sint Parochi ejusdem Parochiae, potest utervis assumi, etiam invito altero.

13. Si sponsi habeant duo domicilia in duabus Parochiis, *communissime* et *valde probabiliter* dicunt *Sanch. etc.* Matrimonium posse contrahi in alterutra Parochia, modo in utraque sponsi aequalem habuerint habitationem. - 1086.

14. Etsi ex praecepto adhibendus sit Parochus contrahentis illius, in cujus Parochia Matrimonium celebratur, sufficit tamen ad valorem, si alterutrius Pastor assistat etiam extra suam Parochiam, vel Dioecesim, quia hic actus non est jurisdictionis contentiosae, sed potius potestatis assis-

citum fuit. Matrimonium autem quod fit apud Parochum titularem quamvis schismaticum, validum est, sed illicitum, modo tamen contrahentes domicilium habeant in territorio quod, Parochiam illius constituit.

tendi ut testis, et in hoc neque Parochus peccaret, ut dicunt *Sanch. etc.* Caeterum, ait *Bos.*, convenientius est, quod assistat Parochus sponsi, in cujus Parochia fiunt nuptiae. Recte autem dicunt *Sanch. etc.* peccare graviter Parochum, si in alterius Parochia Sponsos a se conjunctos solemniter benediceret sine alterius licentia. - 1087.

15. Sacerdos, qui substituitur, debet habere expressam, vel saltem tacitam licentiam ex ratihabitione de praesenti, quia non sufficit ratihabitio de futuro, qua quis putet alterum postea ratum habiturum. Sufficit autem licentia oretenus data. - 1088.

16. *Commune* est quod vagi possunt contrahere coram quovis Parocho, et hoc etiamsi alteruter sponsorum tantum sit vagus. Sed attendendum quod a S. Inquisit. Gener. praescriptum fuit : « Si contrahentes » sint vagi, non procedatur ad li» centiam contrahendi, nisi doceant » esse liberos per fides Ordinariorum » suorum, servata forma *Tridentini.* » Fides aliaque documenta non admit» tantur, nisi munita sigillo et lega» litate Episcopi Ordinarii, et reco» gnita saltem per testes qui habeant » notam manum et sigillum ; et at» tente consideretur quod fides et » testimonia bene identificent perso» nas de quibus agitur. - 1089. »

17. Ex decreto S. C. Nov. 1677 apud *Pitton.* Cappellani exercitus habent facultatem assistendi coram Matrimoniis, dum hi reperiuntur in actuali expeditione (*a*) : hanc tamen facultatem non habent private respectu ad Parochos contrahentium, neque dum milites in hybernis, vel aestivis commorantur, neque dum sunt in praesidiis. Militum autem Matrimonia debent contrahi eodem modo quo vagi. Attamen, tempore necessitatis, vel in articulo mortis non sunt servandae eaedem probationes, sed si convaluerint, debent fieri, antequam Matrimonium consummant. - 1090.

18. Peregrini qui ex causa exiguo tempore domo absunt, non possunt contrahere peregre coram Parocho loci, quia non est illorum verus. Aliud est de iis qui alicubi habitationem figunt pro majori parte anni, aut eo venerunt animo manendi, saltem majore anni parte, licet postea contingat casu subito recedere, v. g. famuli, ancillae, studiosi. Ratio est, quia contrahunt ubi domicilium Parochiale, et Pastor illius est proprius illorum..

19. Si quis alio se transfert animo manendi ibi per majorem partem anni, et postea redeundi ad suum domicilium, *communius* et *probabilius* est quod possit contrahere coram Parocho illius loci. Secus, si non habeat animum ibi domicilium sive quasi domicilium contrahendi (*b*).

20. Sic pariter alienigenae in carceribus detenti, non possunt ibi contrahere ex alia declaratione S. C. Idem dicendum, ait *Bened. XIV*, de aegris qui curantur in hospitalibus, nisi urgeat necessitas contrahendi, et non suppetat tempus probandi statum liberum. Hi tamen si convaluerint, non poterunt Matrimonium consummare,

(*a*) *Adsunt multae decisiones C. C., quod milites non possunt contrahere sine Pontificis licentia coram cappellano castrorum... Ne in castris quidem, licet apud* Pitton. *inveniam quoddam Decretum S. C., ubi dicitur quod ipsi cappellani possunt assistere Matrimoniis militum cum hi in actuali expeditione reperiuntur.* - *H. n.* 70. — (*b*) *Consulendae sunt leges locorum circa tempus requisitum, et alias conditiones ad domicilium sufficiens acquirendum pro Matrimonio contrahendo.*

nisi constituto de utrisque statu libero.

21. Puellae expositae, quae degunt in Conservatoriis, debent Matrimonium contrahere non coram Capellanis ipsorum, sed coram Parocho loci, declaratione S. C.

22. Puellae quae sunt in Monasteriis, causa educationis, debent ex *Bened. XIV* Matrimonium contrahere coram Parocho domicilii paterni, materni, aut fraterni, si adsit: si autem non adsit, coram Paroco loci Monasterii. Et sic de famulis degentibus in domibus herorum. - 1091.

23. Parochus et testes sic debent esse praesentes, ut advertere possint quid agatur, et de eo testari. Et quidem non est necesse ut ipsi videant contrahentes, dummodo audiant verba contractus, si voces contrahentium noverint. - 1092.

Nota. Sed si non bene intelligerent sponsorum consensum, puta quia sunt diversi idiomatis, non satis esset unus interpres de consensu affirmans.

24. Nec refert quod Parochus vel testes per metum, vim, dolum, aut injuriam nolentes detineantur, vel etiam contradicant, ac resistant, ut pluries fuit decisum a S. C.; licet graviter peccarent sic contrahentes coram Parocho vi aut dolo detento, nisi Parochus injuste renueret assistere, et adesset necessitas contrahendi. - 1093.

25. Parochus tenetur utrumque contrahentem interrogare, non quidem de impedimento, sed de mutuo consensu; ejus tamen omissio, quando de utriusque libero consensu constat, venialis tantum est. - 1094.

Quaeritur. Quid censendum de Matrimoniis, quae contrahuntur in partibus haereticis?

R. Circa ea Congregatio Cardinalium resolvit sequentia: 1. Ubi hoc decretum Concilii nondum publicatum est in Parochia, v. g. in Saxonia et Anglia, valere Matrimonium contractum absque forma praescripta. Publicatio autem decreti facta praesumitur, si id aliquo tempore, in Parochia tanquam decretum Concilii fuit observatum. 2. Haereticos, in quorum Parochia dictum decretum fuit publicatum, v. g. in Hollandia, Frisia, etc. teneri formam praescriptam servare. Unde consequenter ipsorum Matrimonia absque forma Concilii, quamvis coram ministro haeretico, vel magistratu contracta, videntur esse nulla. *Laym.* tamen putat eam non esse mentem Summorum Pontificum, propter gravissima incommoda inde subsecutura. 3. Si Parochia, in qua aliquando decretum fuit observatum, proprio Parocho et Episcopo careat, nullusque istic sit qui vices Episcopi vel Parochi suppleat, Matrimonium valere absque praesentia Parochi, servata tamen, in quibus potest, forma Concilii, nempe adhibitis saltem duobus testibus. Idem est si Parochus, et Episcopus metu haereticorum lateat, ita ut vere ignoretur ubi sit, vel eorum metu absit a Dioecesi, et ad neutrum sit tutus accessus.

Nota. Summus Pontifex *Bened. XIV* declaravit Matrimonia haereticorum inter se, non servata forma *Tridentini*, pro validis habenda esse. Et idem de conjugiis inter Catholicos et haereticos. Hoc tamen tantum pro locis in Belgico dominio foederatorum ordinum subjectis, et pro militibus ad arces conterminas missis, nullo prolato judicio pro regionibus principum Catholicorum. Vide n. 56. et 1044. - 1105.

§. XIV - *De impedimento* Impotentiae.

Impotentia, de qua hic loquimur, est illa, propter quam conjuges non possunt copulam habere per se aptam

ad generationem; unde sicut validum est Matrimonium inter eos qui possunt copulari, esto per accidens nequeant generare, puta quia steriles, aut senes, vel quia femina semen non retinet, ita nullum est Matrimonium inter eos qui nequeunt consummare eo actu, quo ex se esset possibilis generatio. - 1096.

Impotentia censetur esse in viro, quando est eunuchus, vel saltem non potest seminare intra naturale vas feminae. In femina vero, quando vel seminare non potest, si verum est semen feminarum requiri ad generationem, vel propter arctitudinem non potest virum pati, aut ejus semen recipere.

Impotentia multiplex est, perpetua, temporalis, antecedens, subsequens absoluta, et respectiva. Impotentia *perpetua* est illa, quae nullo modo tolli potest. Impotentia *temporalis* est illa, quae provenit ex aliquo morbo, aut vitio naturaliter curabili. Impotentia *antecedens* dicitur illa, quae existit ante Matrimonium. Impotentia *subsequens* est illa, quae subsequitur Matrimonium. Impotentia *absoluta* est illa, quae sic est respectu cujuscumque. Impotentia *respectiva* est illa, quae sic est respectu cujusdam.

His praemissis, dico quod impotentia *perpetua* et *antecedens*, quae non potest tolli nisi per miraculum aut peccatum, aut cum periculo mortis, irritat Matrimonium jure naturae, vel omne, et respectu cujuscumque, si sit absoluta vel certum tantum, si sit restricta, seu respectiva. Ratio, quia Matrimonium consistit in mutua traditione corporum physice aptorum ad generationem, sive in traditione potestatis corporis ad copulam conjugalem; hanc autem potestatem impotens non potest tradere, cum eam non habeat. Dixi, *antecedens;* nam, si impotentia subsequatur Matrimonium, non illud irritat, etsi usum impedit.

Unde :

1. Invalide contrahunt evirati, seu eunuchi, quando carent utroque testiculo, quia non emittunt verum semen aptum generationi.

2. Valide contrahunt 1. Steriles, quia etsi sint impotentes ad generationem, non tamen ad copulam. 2. Hermaphroditi, quia vere sunt potentes ad usum Matrimonii. Et quidem, si alter sexus immineat, secundum illum tantum valebit; si uterque sit par, optio illis datur, ut utrolibet utantur, ita tamen ut quem semel elegerint, semper retineant. 3. Is qui paulo post est moriturus, quia in eo manet potentia ad coitum, etsi per accidens vi morbi impediatur.

3. Impuberes, si utantur ratione, non jure naturae, sed Ecclesiastico tantum invalide contrahunt; quia impotentia illorum est tantum temporalis. - 1095.

Quaeritur. 1. Ex quibus causis oriatur impotentia antecedens ?

R. Ex quatuor causis, nempe ex maleficio, ex frigiditate, ex improportione, ex mixtione sexus, id est si quis conjugum sit hermaphroditus; de quo satis supra, unde tantum hic de aliis tribus causis.

1. Si impotentia proveniat ex *maleficio*, quod colligitur quando conjuges excitantur ad copulam cum aliis, et inter se frigescunt vel a coitu abhorrent, esto alias se diligant, tunc si maleficium nequit tolli intra triennium remedio humano nec orationibus aut exorcismis, impotentia censetur perpetua, et dirimit Matrimonium. Ita *communiter S. Thom. etc.* Hinc, si maleficium aufertur per aliud maleficium, quod certe illicitum est, Matrimonium etiam censetur invalidum, ut *communiter* docent *S. Thom. etc.* Secus si aufertur amovendo signum,

quia tunc licite aufertur impedimentum.

2. Si impotentia provenit ex *frigiditate*, tunc quando conjuges ob hanc causam omnino perficere nequeunt copulam aptam ad generationem, post experientiam triennii, nullum est Matrimonium. Idem procedere *communissime* ajunt DD., si ob nimiam calliditatem vir semper seminet extra vas antequam possit penetrare. Sed *probabiliter* censent *Cont. Tourn. etc.* quod hujusmodi conjuges, si sint juvenes, non sint separandi, quia processu temporis fervor ille deficit et sic possunt fieri habiles.

Sicut autem potest esse impedimentum frigiditas et maleficium, sic etiam potest irritare Matrimonium abominatio viri erga mulierem, si ob ejus deformitatem non possit ullo modo excitari ad copulam, ad quam bene excitaretur cum alia pulchra, ita *D. Thom.;* in his vero casibus datur conjugibus triennium, in quo licite possunt copulam experiri.

3. Si demum impotentia provenit ex *improportione*, nempe si femina habeat vas adeo arctum, saltem respectu sui viri, ut ille nequeat penetrare, tunc si femina non possit apta fieri ad copulam, nisi cum periculo mortis, omnes conveniunt Matrimonium esse nullum. Unde, etiamsi cum tali periculo mortis ipsa fuerit incisa, et facta idonea, Matrimonium non valet; quia quod ab initio est invalidum, nequit tractu temporis convalescere. Ita *communiter Sanch. etc.* - 1096.

Quaeritur 2. An sit nullum Matrimonium, si femina per incisionem possit fieri apta ad copulam sine periculo mortis, sed cum periculo gravis morbi?

R. Prima sententia affirmat, quia ex contractu Matrimonii non videtur mulier ad plus se obligasse quam ad reddendum debitum per media ordinaria; ergo, tunc censetur ex ipsa natura impotens. *Secunda* vero *negat*, ex *C. Fraternitatis*, ubi dicitur Matrimonium esse nullum quando copula non potest haberi « nisi per in- » cisionem, aut alio modo violentia » sibi inferatur, non solummodo le- » vis, sed forte tam gravis (nota) ut » ex ea mortis periculum timeatur. » Haec sententia, speculative loquendo, *verior* apparet ex textu praefato, cui nescio quomodo responderi possit, sed practice loquendo ipsa non differt a prima: nam quoties per incisionem gravis morbus timetur, subest moraliter etiam periculum mortis. - 1097.

Quaeritur 3. An soluto Matrimonio judicio Ecclesiae ob arctitudinem mulieris respectu viri, si postea cognoscatur a secundo viro, et per frequentem usum conjugii reddatur apta primo, debeat ad primum redire?

R. Solus etc. dicunt eo casu Matrimonium reputandum esse validum. Sed *verius* dicunt *S. Antonin. etc.* non ex eo quod ab alio potuit mulier cognosci, concludi quoque posse quod sine periculo mortis potuerit cognosci a primo; usu enim conjugii cum secundo poterat effici, ut per ipsum redderetur apta primo, cui prius apta non erat nisi per reserationem cum periculo mortis. Aliunde igitur sumenda est praesumptio quod mulier potuerit fieri apta primo sine periculo mortis, nempe a similitudine in aetate, robore et corpore primi viri cum secundo. - 1098.

Quaeritur 4. An uxor inepta ad copulam propter arctitudinem, teneatur pati incisionem cum periculo gravis morbi, ut apta reddatur?

R. Adsunt tres sententiae. *Prima* dicit teneri, modo absit periculum mortis. *Secunda* omnino opposita dicit nunquam teneri feminam pati incisionem. *Tertia communissima* et *probabilior* dicit teneri feminam pati

incisionem etiam cum gravi molestia et dolore, sed non cum periculo neque mortis, neque gravis mali. Haec quidem sententia est *communior*, et *probabilior* videtur speculative loquendo; sed practice loquendo, *valde probabile* est quod ait *Cont. Tourn.*, nempe quod si incisio non posset fieri nisi per manum chirurgi, non tenetur mulier hanc incisionem pati cum tanta verecundia, quod esset onus plus quam gravissimum; si enim puella non tenetur, nec etiam ad servandam sibi vitam, in aliquo morbo verecundo, chirurgi manum pati, juxta dicta in *Tract. de quinto Praecept.*, *n.* 372; quomodo ad id tenebitur, ut ad usum conjugii aptam se reddat? « Quid enim turpius, ait » *Tourn.*, quam ut virgo nuda oculis » et manibus chirurgi subjiciatur, et » incisionem foedam simul ac gravem » pati cogatur? » - 1096.

Quaeritur 5. An cum vir possit coire cum corrupta, sed non cum virgine propter ejus claustrum virginale, teneatur ipsa pati scissuram claustri per aliquod instrumentum?

R. Commune est apud omnes quod possit pati. Utrum autem teneatur? *Negant Pont. etc.*, sed *probabilius affirmant Sanch. etc.*, quia talis reseratio potest fieri a viro vel ab ipsa puella sine verecundia; et praeterea molestia quam debet pati, non videtur magna, nec extraordinaria, imo est omnibus ordinaria. 1100.

Quaeritur 6. Quid agendum cum impotentia est certa?

R. Si est certa et patens, minime expectandum, sed statim facienda est separatio; nam Matrimonium eo casu est certe nullum tam ex jure Ecclesiastico, quam ex naturali. Unde possunt sponsi illico separari etiam ex propria auctoritate, si id possit fieri sine scandalo; imo, tenentur si adest periculum incontinentiae, et pars non laborans impedimento potest etiam ad alias nuptias transire. Si vero adsit periculum scandali, prout communiter adest, tunc debent reclamare coram judice Ecclesiastico, a quo separandi sunt, saltem quoad torum, etsi alter peteret, etiam quoad habitationem, non expectata triennali experientia quae datur pro impotentia dubia, non pro certa. Si autem velint cohabitare ut frater et soror mutuo consensu, modo absit periculum incontinentiae, id permittitur. Sed recte advertit *Merbesius*, hoc nunquam permittendum, si sponsi non sint senes. - 1101.

Quaeritur 7. Quid agendum cum impotentia est dubia?

R. 1. Si dubium antecedit Matrimonium, non potest qui de sua impotentia dubitat nuptias inire, donec re diligenter investigata, dubium deponat, ob gravem injuriam, quam alias irrogaret alteri petenti. Si vero, non obstante dubio, iste contraxerit, licite poterit reddere et petere, tunc enim datur ei saltem triennalis experientia, ut infra latius explicabimus. Dicunt autem *Elbel etc.*, quod si quis sit dubius de sua impotentia ob aliquod positivum indicium, iste licite poterit Matrimonium contrahere, si spectata peritia medicorum, et experientiis, sit saltem *probabile* esse potentem; quia in dubio favet ei praesumptio quod sit naturaliter potens. Idque *satis probabile* videtur: cum sit enim *probabilissimum* licitum esse ministrare Sacramentum sub conditione, si justa adsit causa, secundum dicta n. 28., hic satis justam causam habet nubendi sub conditione *si sit habilis*, ne scilicet in tali dubio cogatur perpetuo manere coelebs. Deberet tamen ante Matrimonium monere conjugem de tali dubio. Caeterum praecisis circumstantiis et experientiis, quisque praesumitur habilis etiamsi castissime vixerit. - 1102.

2. Si vero dubium impotentiae superveniat Matrimonio, tunc datur triennalis experientia, qua durante, licite possunt conjuges copulam intentare, licet saepe aut semper semen extra vas effundant. Hoc quoad forum internum. Quoad forum vero externum pertinet, triplici modo causa agi potest. 1. Si unus ob dubium impotentiae auctoritate propria ab altero recessit, et tunc recedens, nisi in continenti evidentes afferat probationes impotentiae, statim restituendus est alteri etiam quoad torum. 2. Si unus alleget impotentiam, alter neget, tunc datur a judice triennium ad experiendum. 3. Si utraque pars fateatur impedimentum impotentiae, tunc post triennalem experientiam, exacto juramento ab utroque et a septem propinquis ex utraque parte, asserentibus quid credant, vel quid audiverint de hac re, solvitur Matrimonium, et pars libera ab impedimento, licite potest cum aliquo nuptias inire, ut certum est apud omnes. - 1103.

Quaeritur 8. Quid in dubio an Matrimonium fuerit consummatum?

R. Judicandum est consummatum, nisi oppositum probetur; ut *communiter* docent *Sanch. etc.*

Quaeritur 9. Quid in dubio an impotentia praecesserit, vel secuta fuerit Matrimonium?

R. Prima sententia dicit tunc judicandum quod fuerit subsequens. *Secunda probabilior* dicit impotentiam censendam esse antecedentem, maxime si post Matrimonium nulla acciderit specialis causa per quam praesumatur impotentia Matrimonio successisse. Conveniunt autem *Tourn. etc.*, quod si impotentia non fuerit naturalis sed accidentalis, nempe ex maleficio, vel ex abscissione, aut alio morbo, tunc in dubio praesumitur praecessisse Matrimonium, si allegetur brevi post ejus celebrationem; secus vero si post longum tempus. - 1104.

§. XV. — *De impedimento* Raptus.

Raptus, per quem persona cum violentia abducitur Matrimonii ineundi causa, dirimit Matrimonium. Illud impedimentum durat, secundum *Tridentinum*, quamdiu rapta est in potestate raptoris, etiamsi libere consentiat. Unde libertati restitutam ducere potest. - 1032.

Quaeritur 1. Quid requiratur ad incurrendum impedimentum ob crimen raptus?

R. Tria requiruntur: 1. Ut mulier rapta abducatur de loco ad locum, vel etiam de domo in domum per aliquos inde passus distantem, ita ut sit in potestate viri, quamvis ibi cum illo rem non habeat. 2. Ut femina rapiatur tantum causa Matrimonii; unde, si abducatur ex alia causa, etiam libidinis explendae, non incurritur impedimentum. Ita *probabilius* tenent *Sanch. etc.*; quia Concilium hoc impedimento non aliud intendit quam favere libertati Matrimonii. 3. Ut raptus sit mulieris, ipsa repugnantes. Unde, non incurrit impedimentum, si mulier rapiat virum, quia Concilium tantum de viro raptore mentionem facit. Nec etiam incurritur, si fiat raptus, consentiente femina, licet ejus parentes, vel tutores repugnent; quia aliter, licet incurrantur quidem poenae raptoribus impositae, non contrahitur tamen impedimentum, quod Concilium indicit tantum favore mulierum, ne coacte nubant.

Nota. Ex *Tridentino*, ultra impedimentum, raptor, et omnes auxilium ad hoc praebentes incurrunt excommunicationem ipso jure. Alias vero poenas ibi indictas, ut dotationis mulieris, infamiae, incapacitatis ad dignitatem, et amissionis gradus, non nisi post sententiam incurrunt.

Quaeritur 2. An in hujusmodi casu etiam sponsalia sint nulla, sicut Matrimonium?

R. Affirmant Sanch. etc. Sed *probabilius negant Lacroix etc.;* quia sponsalia minorem libertatem requirunt, eo quod sint rescindibilia.-1107.

Quaeritur 3. An si quis rapiat feminam, quam jam desponsaverat de futuro, poenas Concilii incurrat?

R. Negant Ledes, etc. Affirmant verius Sanch., etc-1108.

CAPUT IV.

DE DISPENSATIONIBUS IN IMPEDIMENTIS MATRIMONII.

Papa non potest dispensare in impedimentis jure naturae vel divino dirimentibus: in iis vero, quae jure ecclesiastico dirimunt, potest. Ratio prioris est, quia inferior non dispensat in lege superioris, nec homo in lege naturae. Ratio posterioris est, quia Pontifex talia impedimenta inducit: ergo etiam potest tollere, et quidem solus.-1118.

Quaeritur 1. An Papa possit aliquando dispensare in impedimentis de jure divino?

R. Certum est apud, omnes quod Papa potest dispensare in rebus in quibus jus divinum ortum habet a voluntate humana, prout in votis et juramentis; quia tunc, licet ipse non auferat jus divinum, aufert tamen fundamentum obligationis, quam homo sibi imposuit actu humano; quo sublato, cessat juris divini obligatio. Sed quoad ea, quae ex solo divino arbitrio derivant, ut sunt impedimenta de jure divino, an possit in eis dispensare Papa? Triplex est sententia. *Prima generice affirmat;* sed haec merito rejicitur. *Secunda* dicit Papam non posse dispensare in universum jus divinum, sed tantum in aliquo casu particulari, in quo non expediat observantia praecepti. *Tertia communior et probabilior* dicit nunquam posse Papam dispensare in eis, quae sunt de absoluto jure divino. *Valde* tamen *probabiliter* dicunt *Suar. etc.*, posse Pontificem in aliquo casu particulari non dispensare, sed declarare quod jus divinum non obliget. Ratio, quia haec potestas fuit necessaria propter humanarum rerum varietatem; alias Deus bono regimini Ecclesiae non satis providisset. 1119. Dico ergo Papam non posse dispensare in impedimentis de jure naturae; sed bene posse, in aliquo casu urgentissimae necessitatis, declarare esse validum Matrimonium, non obstante impedimento quod probabiliter de jure naturae illi obstat. In hujusmodi casibus Papa declarans impedimentum non obstare, agit ut universalis doctor Ecclesiae, in quo errare non potest; et oppositum asserere, non posset excusari a magna temeritate; ut enim ait *Bened. XIV*, « De Pontificis potestate, » postquam dispensavit, dubitare in» star sacrilegii est »-1120.

Quaeritur 2. An Episcopus possit dispensare in aliquo impedimento dirimente ante Matrimonium contractum, urgente necessitate?

R. Vide dicta n. 613., ubi *affirmativam* sententiam tenuimus cum *communi* DD., dummodo vel urgeat necessitas, puta si alias immineat periculum mortis, vel si Matrimonium sit necessarium ad legitimandas proles, vel ad vitandam feminae infamiam, aut alia damna, vel si mulier nobilis, sive honesta, licet non sit nobilis, parata esset nuptias tali die contrahere, et in Confessione manifestaret impedimentum. Ratio, quia eo casu vel praesumitur ipse Papa dispensare, vel omnino cessat reservatio.-1122 (*a*).

(*a*) *Episcopi, praeter casus, in quibus jure communi dispensare possunt,*

Quaeritur 4. An Episcopus possit aliquando dispensare in impedimento dirimente post contractum Matrimonium?

R. Negant Sot. etc. Affirmant vero *communiter* DD. casu quo non pateat facilis aditus ad Papam, et contra immineat periculum mortis, vel infamiae, aut scandali, si conjuges separentur, vel incontinentiae, si non separentur. Ratio, quia hoc casu, pariter ac dictum est in praecedenti quaestione, praesumitur Papa consentire, praesertim cum ipse jam notam habeat hanc sententiam *communiter* ab AA. traditam. Bene autem advertunt *Croix etc.*, quod si dispensatio commode possit per epistolam obtineri a S. Poenitentiaria, tunc non potest Episcopus dispensare, quamvis plures fornicationes materiales interim habeantur; quia interim relinquendi sunt conjuges in bona fide, si adsit periculum infamiae, scandali, aut incontinentiae, eos monendo de nullitate Matrimonii. - 1123.

Quaeritur 5. An in casu praefato, ut possit Episcopus dispensare, requiratur quod Matrimonium fuerit contractum bona fide?

R. Certum est non requiri bonam fidem ex parte utriusque, quia malitia unius non debet alteri nocere. Si vero mala fide uterque contraxit, *affirmant Dic. etc.*, posse Episcopum dispensare, cum non praesumatur Pontifex cum tanto periculo dispensationem sibi reservare. Sed *communissime* et *verius* dicunt *Pont. etc.*, non posse Episcopum in hoc casu dispensare: quia alias daretur occasio ut quotidie spe dispensationis Matrimonia celebrarentur, contemptis impedimentis. Idem dicendum si sponsi voluntarie omiserint proclamationes; tunc enim etiamsi contraxerint ignorando nullitatem Matrimonii, dispensatio ipsis est deneganda ex *Tridentino*.

Nota. Ut quis dicatur mala fide contraxisse, non sufficit ut sciverit quod factum induxerit impedimentum. Addunt *Sanch. etc.*, neque sufficere quod ignorantia fuerit crassa, nisi sit adeo crassa, ut temeritas videatur. - 1124.

Quaeritur 6. An Episcopus, casu quo potest in impedimento dirimente dispensare, possit hanc facultatem alteri delegare?

R. Negant Sylv. etc., nisi haec potestas sit eis specialiter concessa. Sed *communiter* affirmant *Pont. etc.*, et hoc non solum pro casu particulari, sed etiam pro omnibus occurrentibus, tam praesentibus, quam futuris. Ratio, quia cum haec potestas non sit annexa personae, sed dignitati et officio, ipsa non dicitur delegata, sed ordinaria, et ideo bene delegari potest, ut diximus in *Tract. de Leg.*, *n.* 190. *et* 193. - 1125.

Quaeritur 7. An Episcopi possint dispensare in impedimentis non dirimentibus?

R. Affirmative. Excipe tamen illa, quae ex jure naturali et divino impediunt, ut votum castitatis absolutum et perfectum; licet in hoc etiam possunt dispensare post Matrimonium contractum, ad petendum debitum, sive votum fuerit emissum ante, sive post Matrimonium: vide dicta n. 986 et 987. Similiter Episcopus potest dispensare in impedimentis, quae Matrimonio superveniunt, et impediunt petitionem debiti, v. g. cognationis spiritualis, vel affinitatis. - 1126.

Quaeritur 8. An Regulares possint dispensare in impedimentis non dirimentibus?

facultatem habent aliquando ex praescriptione in quibusdam aliis impedimentis dispensandi. Consulendae ergo consuetudines locorum, quae non sunt eaedem in omnibus Dioecesibus.

R. Confessarii Regulares approbati, id est, Benedictini, Mendicantes, et omnes alii eorum privilegiis communicantes, possunt dispensare ad petendum debitum conjugale, propter cognationem consanguinei conjugis in secundo gradu. Vide *n.* 1076. Nullo modo tamen possunt in impedimento ipso.-1127.

Quaeritur 9. An Regulares possint dispensare in voto castitatis ad contrahendum Matrimonium, si magna urgeat necessitas, nempe si nequeant nuptiae moraliter differri, et aliunde immineat periculum infamiae aut scandali?

R. Communiter docent DD. posse Confessarios Mendicantes, aliosque Religiosos communicantes privilegiis dispensare in omnibus votis, in quibus Episcopi de jure ordinario dispensare valent cum suis subditis, ex pluribus privilegiis, nempe *Innoc. VIII, etc.* Hinc diximus *n.* 987., bene posse Regulares dispensare in voto castitatis emisso ante, vel post Matrimonium, ad petendum debitum.-1128.

Sed an possint dispensare ad Matrimonium contrahendum? *Prima sententia affirmat.* Ratio, quia Episcopi in casu necessitatis dispensant in voto castitatis jure ordinario juxta mox dicta *n.* 1125. Unde Regulares qui possunt dispensare in omnibus votis, in quibus Episcopi jure ordinario dispensant, possunt etiam in eo dispensare urgente necessitate. *Secunda* vero *sententia communior negat.* Ratio, quia Episcopi in necessitate non dispensant nisi jure extraordinario, ergo etc. Ego non audeo primam sententiam reprobare, quia in casu etiam necessitatis Episcopi habent potestatem ordinariam, annexam eorum officio et dignitati.

Quaeritur 10. Quaenam sint causae justae ut dispensetur in impedimentis dirimentibus?

R. Hae causae justae sunt sequentes: 1. Extinctio magnae litis, vel odii inter aguatos. 2. Ablatio scandali. 3. Inaequalitas Matrimonii, nisi consanguineis, vel affinibus nubatur. 4. Defectus dotis competentis. 5. Conservatio facultatum in eadem cognatione. 6. Merita petentis dispensationem.-1129. 7. Instauratio Matrimonii bona fide contracti: et etiam mala fide, si Matrimonium fuerit consummatum, vel adsit fama de copula habita. 8. Necessitas auxilii, puta si mulier defectu viri non possit litibus assistere, vel filiis suis providere. 9. Ætas feminae excedens annum vigesimum quartum. 10. Periculum perversionis a fide. 11. Subministratio majoris pecuniae.-1130.

Nota 1. Quanto gradus consanguinitatis, vel affinitatis est propinquior, tanto requiritur causa gravior. Ita *Sanch. etc.* 2. Saepe plures aggregatae causae sufficiunt, quarum singulae non sufficerent. Ita *Sanch. etc.* 1129.-3. Ut dispensatio non sit subreptitia, explicanda sunt omnia impedimenta quae adsunt, item cognatio si sit carnalis, aut spiritualis; item, gradus et linea, si sit recta aut lateralis. An autem sufficiat exprimere solum gradum remotiorem? Vide n. 1136.-4. In constitutione S. P. *Bened. XIV,* quae incipit, *ad Apostolicae etc.*, declaratum fuit expressionem causarum, earumque verificationem in dispensationibus appositis, ad validitatem pertinere. Unde summus Pontifex praecipit omnibus procuratoribus etc., ut sciscitentur ab oratoribus veras causas, et illas sincere exponant sub poena falsi; item Episcopis, et aliis, quibus executio committi solet, imposuit explorare veritatem causarum in litteris apostolicis expressarum.-1131.

Quaeritur 11. An cessante causa dispensationis, cesset dispensatio?

R. Affirmative, si causa cessat antequam dispensatio expediatur, vel an-

tequam fiat ab Episcopo, cui a Pontifice commissa fuerit. Secus vero, si causa cesset, dispensatione jam expedita, et facta ab inferiori, etiamsi cesset ante Matrimonii celebrationem. Ratio, quia per dispensationem jam tollitur impedimentum, sive lex relaxatur, cujus obligatio extincta, si cessat postea causa, minime reviviscit. Ita *valde probabiliter Pont. etc.*-1132.

Quaeritur 12. Quid dicendum, si dubitatur an causa falso allegata fuerit finalis, aut impulsiva, vel an causa fuerit vera an falsa?

R. In omnibus his et similibus dubiis valida censenda est dispensatio, quia in dubio standum pro validitate actus.-1133.

Quaeritur 13. An cum petitur dispensatio pro Matrimonio contrahendo inter propinquos, exprimenda sit copula incestuosa inter eos habita?

R. Commune est apud omnes, quod si copula ex parte utriusque fuerit habita ad facilius obtinendam dispensationem, et copula allegetur pro unica causa consequendi dispensationem, tunc necessario malus ille animus est exprimendus, alias Matrimonium erit nullum, quia nemini debet suum crimen prodesse. Si vero in petitione aliae causae per se jam sufficientes ad obtinendam dispensationem exponantur, *probabilissime* dicunt *Salm.* non opus esse ut allegetur circumstantia malae fidei, nempe quod copula fuerit consummata ad dispensationem facilius obtinendam. Quoad vero copulam habitam, omnino est exprimenda sub nullitate Matrimonii, etsi non fuerit praehabita cum intentione prava obtinendi facilius dispensationem. Et de hoc hodie non est amplius dubitandum ex Bulla *Pastor Bened. XIV.*-1135.

Quaeritur 14. An possit manifestari remotior gradus consanguinitatis, vel affinitatis, reticendo propinquiorem?

R. Affirmant Sanch. etc.; et *Bened. XIV* declaravit Matrimonium esse quidem illicitum, sed non invalidum, modo propinquitas non sit primi aut secundi gradus consanguinitatis vel affinitatis. Praeterea, recte advertit *Tourn.*, quod in gradu mixto exprimi debet sexus, qui est in primo gradu, quia difficilius conceditur ut nepos ducat amitam, quam patruus ducat neptem. Major enim perversio ordinis est ut nepos constituatur suae amitae caput.-1136.

Quaeritur 15. Si quis petat secundam dispensationem in eadem materia post primam alias obtentam, an primam exprimere debeat?

R. Affirmative, quando impedimentum est ex eodem crimine, quia relapsus retrahit Superierem a dispensando. Secus si impedimentum non sit ex aliquo crimine vel sit ex crimine diverso.-1137.

Quaeritur 16. An si quis habeat plura impedimenta affinitatis ejusdem gradus, puta si cognoverit duas sorores suae sponsae, debeat in supplicatione dispensationis utramque copulam exprimere?

R. Negant Vega etc. Sed *probabilius affirmant Sanch.;* et de hoc hodie non est amplius dubitandum, ex *Bened. XIV.* in Brevi supra relato. Et idem dicendum de aliis impedimentis consanguinitatis, cognationis spiritualis, publicae honestatis.-1138.

Quaeritur 17. An si concurrant plura impedimenta, possit divisim impetrari eorum dispensatio?

R. Adest triplex sententia. *Prima affirmat. Secunda negat. Tertia probabilior distinguit*, et dicit quod si impedimenta disparate se habent, et unum ex altero non augetur, ut votum et consanguinitas, tunc sufficit divisim obtinere dispensationem. Secus, si impedimenta sint talis rationis, ut afferant conjuncta majorem repugnantiam ad Matrimonium, contra-

hendum, puta, si quis vult ducere consanguineam, cujus sororem turpiter cognoverit; tunc enim difficilior redditur dispensatio. Excipiunt *Coninck. etc.*, si justa detur causa separandi, ut si unum impedimentum esset publicum, et aliud secretum, quod infamiam possit afferre, nempe si quis vult ducere consanguineam, cujus sororem occulte cognovit; tunc enim ne infamentur contrahentes, bene possunt divisim dispensationem petere. Sed id dico intelligendum tantum respectu ad dispensationem obtinendam a Dataria, puta ob publicum impedimentum consaguinitatis cum sponsa; nam, quoad dispensationem impedimenti occulti propter copulam cum ejus sorore, juxta nostram sententiam, saltem in supplicatione ad Poenitentiariam debent ea impedimenta simul exponi, cum simul exposita jam, ut diximus, dispensationem reddant difficiliorem.-1139.

Quaeritur 18. An si quis, post obtentam dispensationem super impedimentum occultum affinitatis, iterum habuerit rem cum eadem consanguinea sponsae, antequam eam duxerit, nova indigeat dispensatione?

R. Si dispensatio non adhuc fuerit executa ab eo, cui commissa est, conveniunt omnes non indigere, quia tales dispensationes non sortiuntur effectum nisi a tempore executionis. Si jam fuit executa, *affirmant Habert etc.*, requiri novam dispensationem. Verum *probabilius* non requiritur nova dispensatio, ut dicunt *Sanch. etc.*; quia affinitas illa jam sublata est per dispensationem quoad hunc effectum contrahendi Matrimonium. Caeterum ipsa S. Poenitentiaria in praxi hanc nostram sententiam sequitur, ut ego ipse observavi in quodam authentico ejus rescripto. Et hoc valet etiam quoad dispensationem obtentam a Dataria, atque executam in impedimento consanguinitatis; modo dispensatio non sit imposita *in forma pauperum.*-1140.

Quaeritur 19. An si post obtentam dispensationem super gradu prohibito, antequam illa executioni mandetur intercesserit copula inter sponsos, nova requiratur dispensatio?

R. Negant alii. Sed *verius affirmant Sanch etc.*; quia stylus Curiae sic obtinuit ut incestus hic declaretur; illo enim manifestato, Pontifex majorem imponit poenitentiam, amplioremque compositionem pecuniae exigit; et sic etiam declaravit S. C. *Probabiliter* vero ait *Sanch.*, quod licet dispensatio fuerit concessa cum clausula, *modo culpa non interfuerit*, attamen, si illa habeatur post executionem dispensationis, tunc non requiritur nova dispensatio, quia sufficit ad ejus valorem, quod ante illam copula non intervenerit.-1141.

Quaeritur 20. An si contrahentes sint diversae Dioecesis, unusquisque debeat a proprio Episcopo dispensari?

R. Affirmant Sambovius etc. Sed *negant probabiliter Tourn. etc.* Ratio, quia cum Episcopus aufert a suo subdito impedimentum, habilem eum reddit ad contrahendum cum altero impedito, sicut si quis haberet facultatem dispensandi in aliquo gradu, dispensando cum suo subdito, dispensaret etiam cum extraneo, unde hic extraneus bene poterit tunc contrahere coram Parocho alterius, quocum dispensavit Episcopus.-1142.

Quaeritur 21. Quae sint clausulae solitae apponi in dispensationibus a S. Poenitentiaria?

R. Illae clausulae sunt sequentes: 1. *Si ita sit.* In hoc, bene ajunt *Sanch. etc.*, fidem esse adhibendam poenitenti, nisi delegatus certe sciat oppositum ex notitia extra Confessionem accepta. 2. *Audita prius Sacramentali Confessione.* Juxta igitur hanc clausulam necessaria est Confessio.

3. *Sublata occasione peccandi.* Intelligitur si occasio sit voluntaria, quod de facto est tollenda; si vero necessaria, auferatur saltem ex animo, reddendo illam ex proxima remotam per debita media adhibenda. 4. *Dummodo impedimentum sit occultum.* De hac clausula, vide *n.* 1111. 5. *Injuncta ei gravi poenitentia.* Intelligitur juxta vires poenitentis. 6. *Praesentibus laceratis, sub poena excommunicationis latae sententiae.* Haec laceratio statim facienda est, sed intellige moraliter, nempe saltem infra triduum post dispensationem executam. Si autem in litteris non sit apposita clausula lacerationis, prout non apponitur quando Matrimonium nondum est contractum, tunc non est obligatio eas lacerandi, sed hujusmodi dispensatio debet a Parocho caute annotari in libro, qui non possit ab alio aspici, ad hoc ut ipse possit requisitus postmodum, si opus erit, fidem facere de dispensatione impetrata. - 1143.

Quaeritur 22. In quibus impedimentis Sacra Poenitentiaria habeat facultatem dispensandi?

R. Bened. XIV in bulla, quae incipit *Pastor bonus,* pro Matrimoniis nondum celebratis sic habetur: « In » Matrimoniis contrahendis possit idem » major Poenitentiarius in foro con- » scientiae tantum super impedimen- » tis occultis, quae Matrimonium non » dirimunt, dispensare, vel dispen- » sari mandare. » Hujusmodi autem impedimenta tantum impedientia, hodie, ut diximus supra, ad tria reducuntur, nempe votum, sponsalia, et Ecclesiae vetitum.

Quo vero ad impedimenta dirimentia, sic ibi traditur: « At a dispen- » sationibus . . . . super quocumque » impedimento ex quovis gradu, sive » consanguinitatis, sive affinitatis ex » copula licita, seu ex cognatione spi- » rituali proveniente, etiam in foro » conscientiae tantum, tametsi impe- » dimentum sit occultum, et pericu- » lum scandalorum immineat, in iis- » dem Matrimoniis contrahendis, ab- » stineat. »

Circa vero impedimenta in Matrimoniis jam contractis, sic dicitur: « In contractis vero Matrimoniis, a » dispensatione, seu Matrimonii re- » validatione in gradibus primo et se- » cundo, seu secundo tantum, con- » sanguinitatis vel affinitatis, ex co- » pula licita, etiam in occultis, pa- » riter abstineat, praeterquam si in » secundo tantum gradu praedicto im- » pedimentum saltem per decennium » duraverit occultum, et oratores si- » mul publice contraxerint, et con- » vixerint, et uti conjuges legitimi » reputati fuerint. In tertio autem et » quarto gradibus occultis, in contra- » ctis possit dispensare, atque etiam » in iisdem tertio et quarto gradibus » publicis, possit revalidare Matrimo- » nia ex causa subreptionis et obre- » ptionis occultae litterarum aposto- » licarum nulliter contracta, praeter- » quam si falsitas consistat in nar- » ratione praecedentis copulae, quae » antea revera non intercesserat. » Et ratio hujus est, quia in reconvalidatione Matrimonii nulli propter copulam falso expositam, non redundat infamia in contrahentes.

Deinde super affinitate ex copula illicita, dicitur: « Super impedimento » occulto affinitatis ex copula illici- » ta . . . . quotiescumque adsit ratio- » nabilis causa, licet periculum . . . » scandalorum non immineat . . . in » Matrimoniis, tam contractis, quam » contrahendis, in foro conscientiae » dispensare et dispensari mandare » valeat. »

Super impedimento autem criminis, sic: « Super occulto impedimento cri- » minis adulterii, si fuerit cum fide » data dumtaxat, neutro machinante,

» commissum, possit tam in contra-
» hendis quam, contractis Matrimoniis
» dispensare. Si vero crimen . . . fuis-
» set, utroque, vel altero machinan-
» te, patratum, possit in occultis pa-
» riter dispensationem concedere, raro
» tamen, et quando necessitas postu-
» laverit, ratione alicujus gravis im-
» minentis periculi, quod prudentia
» Majoris Poenitentiarii, re presertim
» discussa in Congregatione vel Si-
» gnatura, arbitrandum erit. »

Demum, Pontifex confirmat omnia privilegia et indulta S. Poenitentiariae concessa, etiam vivae vocis oraculo, ab aliis Pontificibus; et refert *Innoc. XII* declarasse vivae vocis oraculo, S. Poenitentiariae esse concessas omnes facultates ad ejus forum pertinentes, exceptis iis, quae in sua bulla *Romanus* exceptae fuerunt.-1144.

Nota. 1. Ad dispensationem obtinendam, non requiritur consensus ejus cui prodesse debet, quamvis ut prosit, ab ipso postea acceptanda sit. Ita *Sanch. etc.*, qui addunt quod si idem impedimentum afficit utrumque sponsum, sufficit pro uno dispensationem impetrare. Secus vero si impedimentum afficiat unum independenter ab impedimento alterius. 1145.-2. Cum petitur dispensatio a Dataria, exprimendum est nomen, cognomen, Dioeceses originis et domicilii tantum, si Orator ibi habeat perfectum domicilium; item utraque Dioecesis sponsi et sponsae, si ipsi diversas Dioeceses habeant. Quando vero petitur a S. Poenitentiaria, tacentur nomina, et alia, sed tantum exprimitur persona et locus quo litterae sunt dirigendae.-1146.

Hic refert ad praxim Confessarii adnotare formam supplicationis ad impetrandam a S. Paenitentiaria dispensationem impedimenti ad contrahendum, sive reconvalidandum Matrimonium, videlicet:

Intus. *Eminentissime et Reverendissime Domine.*

NN. cum carnaliter cognovissem quamdam mulierem, dedi fidem de Matrimonio contrahendo NN. ejus sorori; et quoniam impedimentum est occultum, et Matrimonium si cum praefata sorore non contraheretur, magnum eveniret scandalum; quapropter, suppliciter oro Emin. V. ut det mihi, et benigne indulgeat dispensationem. Responsum dignetur mittere Neapolim, ad Rev. (Hic exprimitur nomen et cognomen illius ad quem rescribendum erit)

Si autem petitur dispensatio voti castitatis, sic:

NN. manet obstrictus voto castitatis; sed cum in gravi versetur periculo incontinentiae, suppliciter orat Em. V. ut dignetur Oratori a praefato voto dispensationem indulgere, quo Matrimonium contrahere possit, etc.

Ita si Matrimonium nondum est contractum; si vero Matrimonium jam est contractum, sic scribi potest:

NN. ignarus (aut conscius) impedimenti, contraxi cum muliere, matrem (sive sororem) cujus jam antea carnaliter cognoveram; sed cum impedimentum sit occultum, ideoque cum nequeam sine scandalo separari, supplico Emin. V. pro absolutione et dispensatione. Responsum, etc.

Foris autem inscribetur: *Eminentissimo et Reverendissimo Domino, Colendiss.*

Domino Cardinali Paenitentiario majori.

Romam.-1147.

Delegatus autem, cui commissa fuerit executio dispensationis, poterit in

dispensando hanc vel similem formulam adhibere post datam Sacramentalem absolutionem. *Et insuper, auctoritate apostolica mihi concessa, dispenso tecum super impedimento primi (seu secundi, seu primi et secundi) gradus proveniente ex copula illicita a te habita cum sorore mulieris, cum qua contraxisti (aut contrahere intendis) ut matrimonium cum illa rursus contrahere possis, renovato consensu; et prolem, si quam suscepisti (vel suscipies) legitimam declaro. In nomine Patris., etc.*

Si vero dispensatio sit a voto castitatis, dicitur: *Insuper tibi votum castitatis, quod emisisti, ut valeas matrimonium contrahere, et illo uti, in opera, quae tibi praescripsi, dispensando commuto. In nomine etc.*

Si quis, non obstante voto castitatis, Matrimonium jam inierit, dicitur: *Item non obstante castitatis voto quod emisisti, in matrimonio remanere, et debitum conjugale exigere possis, auctoritate apostolica tecum dispenso. In nomine etc.* - 1148.

CAPUT V.

DE REVALIDATIONE MATRIMONII.

Nota. Communis est DD. sententia quod cum agitur de Matrimonio revalidando, propter bonum animarum, praesumitur Ecclesia in impedimento, si forte adsit, dispensare, semper ac adest de illius valore vera probabilitas. Unde, ubi dubitatur inter DD. de valore alicujus Matrimonii, bene potest haberi illud ut validum, si vere probabile sit de jure validum esse; modo dubium vertat circa impedimentum ab Ecclesia appositum, nam in impedimentis de jure naturali non potest Ecclesia dispensare. - 1109.

Quaeritur 1. An ad revalidandum Matrimonium nullum ob occultum impedimentum, sed in facie Ecclesiae jam celebratum, sit iterum revalidandum coram Parocho et testibus?

R. Prima sententia affirmat. Secunda vero *probabilior et communis negat.* Ratio, quia Concilium praescribendo Parochi praesentiam, et testem ad valorem Matrimonii, merito praesumitur noluisse hunc casum comprehendere: Concilium enim per illam praesentiam tantum voluit occurrere peccatis, quae consurgebant ex nuptiis clam celebratis; sed in nostro casu Matrimonium jam publice est contractum; et ideo sufficit novum tantum ponere consensum. Ita *Nav., Habert., Card., Spor., Ronc., etc.* Et sic statuit, atque in praxi constanter deducit Sacrae Poenitentiaria ex Oraculo *S. Pii V*, qui praecise ab illa rogatus de hac re, declaravit non esse necessarios Parochum et testes, dum rursus contrahitur Matrimonium ab iis, qui illud publice contraxerunt, si illud fuerit nullum ob occultum impedimentum. - 1110.

Quaeritur 2. Quomodo et quando impedimentum intelligatur esse occultum, cum in litteris S. Poenitentiariae dicitur: *Dummodo impedimentum occultum sit?*

R. Nav. loquendo de censuris dicit quod, ut aliquod crimen dicatur occultum sufficit non esse publicum majori parti oppidi, viciniae, vel collegii, ubi saltem immorantur decem personae. Bene tamen advertit *Fagn.* hanc doctrinam, scilicet quod factum sit notum majori parti Parochiae, intelligendam esse cum grano salis; nam, si in Parochia essent mille personae, perperam diceretur occultum factum illud, quod sciunt quadringenti vel quingenti. Unde recte concludit *Bened. XIV*, tunc Confessario abstinendum esse ab exequenda dispensatione, quando ex circumstantiis prudenter conjicere potest impedimentum ex oc-

*

culto posse fieri publicum; caeterum impedimentum per se dici occultum, si notum sit in oppido sex solis personis, in civitate septem vel octo, modo ab eis non fuerit divulgatum. Notat *Bened. XIV*, quod aliquando posset esse crimen publicum materialiter, nempe si publicum sit viciniae, sed formaliter occultum, nimirum si ignoretur ab illa copula nasci impedimentum affinitatis, et tunc etiam potest impetrari dispensatio a S. Poenitiaria. - 1111.

Quaeritur 3. An Matrimonium sit revalidandum coram Parocho et testibus, si ipsi tempore Matrimonii contracti conscii fuerint impedimenti?

R. Affirmant Sanch. etc.; quia tunc fuerunt testes non valoris, sed potius nullitatis talis Matrimonii. *Negant* vero *Coninck. etc.;* quia assistentia Parochi et testium fuit praescripta a *Tridentino* non tam ad testandam validitatem Matrimonii, quae multipliciter eis potest esse ignota, quam ad probandam externam Matrimonii celebrationem, ut periculo obvietur ne iidem conjuges alias nuptias ineant. Utraque sententia est *probabilis*, sed secunda videtur *probabilior*. - 1112.

Quaeritur 4. An qui ficte contraxit Matrimonium, teneatur denique ex justitia illud revalidare per verum consensum?

R. Affirmant Pal. etc.; quia alter jam tradidit corpus per suum consensum. *Negant* vero *probabilius Sanch. etc.;* quia nulla adest traditio, si unus ficte consentit, cum contractus Matrimonii non possit claudicare. Omnes tamen conveniunt teneri ficte consentientem revalidare Matrimonium per verum consensum, si aliter reparare non possit damna ex illa deceptione alteri illata. - 1113.

Quaeritur 5. An si unus ficte vel ex metu contraxit Matrimonium, debeat certiorem facere alterum conjugem de Matrimonii nullitate, si postea velit illud revalidare?

R. Prima sententia affirmat. Ratio, quia cum nullus eo casu fuerit contractus, deficiente consensu metum passi vel ficte consentientis, nullus etiam fuit consensus alterius. Consensus autem qui ab initio fuit nullus, tractu temporis convalescere non potest. *Secunda* vero *sententia communis* et *verior* docet sufficere quod tantum ficte consentiens vel metum passus, suum ponat consensum; quia perseverat consensus alterius, et non fuit revocatus. Et certum est quod in contractu Matrimonii non requiritur simultas physica consensuum sponsorum, sed sufficit moralis, nempe si consensus unius moraliter perseverat, cum ponitur consensus alterius. Et hanc sententiam tenent *Less., Nav., S. Anton., Cont. Tourn., Ronc. etc.;* ergo sufficit metum passi aut ficte consentientis consensus expressus, v. g. per copulam conjugalem, vel per cohabitationem, una cum consensu alterius primo dato, ad faciendum validum Matrimonium.

Nota. Ut metum passus legitimum ponat consensum, requiritur quidem ut sciat primum Matrimonium invalide fuisse initum. - 1114.

Quaeritur 6. An quando Matrimonium fuit nullum ob aliquod impedimentum, sit necessarium ad illud revalidandum, ut, ablato impedimento, uterque conjux fiat conscius de nullitate Matrimonii?

R. Prima sententia affirmat. Ratio, quia hoc Matrimonium non potest fieri validum neque per primum neque per secundum consensum praestitum post dispensationem: non per primum, quia quod fuit nullum ab initio, tractu temporis validari non potest: non per secundum, quia hic novus consensus non est validus, nisi fiat animo contrahendi tunc Matrimo-

nium, et hunc animum non habet qui nescit Matrimonium prius contractum esse nullum. *Secunda* vero *sententia* dicit non esse opus ut pars ignara impedimenti moneatur de nullitate Matrimonii; sed sufficere quod, ablato impedimento, pars quae conscia est de illo, consensum ab altero accipiat; quia prior consensus, licet suo effectu caruerit ob impedimentum a jure positivo oppositum, attamen de jure naturae fuit validus, cum fuerit praestitus erga personam de jure naturae habilem ad contrahendum. Ille autem consensus virtualiter perseverans per usum Matrimonii, moraliter unitur consensui interno praestito a conjuge conscio impedimenti, saltem per signa externa, et sic Matrimonium convalidatur. Ac propterea dicunt *Abbas etc.* posse Papam dispensare in Matrimonio nullo a novo consensu praestando.

In hac autem re maxime notandum id, quod declaravit *Bened. XIV* in Constitutione emanata die 27. Septembris 1755, quod casu quo impedimentum oritur non a lege naturali aut divina, prout esset cum praestatur consensus vivente altero conjuge, sed provenit a lege ecclesiastica, tunc bene potest Papa dispensare ut Matrimonium contrahatur sine novo consensu partis ignorantis impedimentum, habendo pro valido consensum praestitum ab illa in principio, ubi ex lege naturali erat consensus quidem validus; nam eo casu Papa aufert impedimentum in radice Matrimonii, retroferendo contractum ac si ab initio impedimentum abfuisset.

Caeterum, ubi non suppetit hujusmodi specialis dispensatio Pontificis, non discendendum a prima sententia, maxime quia in litteris S. Poenitentiariae in dispensationibus ad hujusmodi Matrimonia reconvalidanda apponitur sequens clausula: *Ut dicta muliere de nullitate prioris consensus certiorata, uterque inter se de novo secrete contrahere valeant.* - 1115.

Sic intelligendum extra casum urgentis necessitatis; nam, si ex notitia nullitatis Matrimonii prudenter timeri possit periculum mortis, gravis infamiae aut scandali ex separatione secuturi: et ex alia parte conjux impedimenti conscius non possit evitare redditionem debiti, tunc (*a*) bene potest uti secunda sententia tamquam *probabili*, quia eo casu ratione necessitatis etiam cum periculo frustrationis Sacramenti licitum est sequi opinionem tantum *probabilem*, ut *communiter* docent *Sanch., Tourn., Card., Less., Holz., Bon., Laym., etc.* Imo, ut dicunt *Sanch., Viva etc.* in casu extremae vel urgentis necessitatis licitum est uti opinione etiam tenuiter probabili, quando urget animae bonum. - 1116.

Quaeritur 7. Quotuplici modo possit renovari, sive exigi consensus a parte inscia impedimenti post obtentam dispensationem?

R. Plures ab AA. assignantur modi: 1. Si dicat sponsus: « Quando nupsi, » non habui verum consensum, nunc » praestare volo; vis et tu praestare? » Hunc modum *communiter* admittunt DD., et recte quidem, ac sine mendacio, cum consensus nullus non sit verus consensus. 2. Si dicat: « Dic, quae- » so, si nullum fuisset nostrum Ma- » trimonium, nonne iterum me accipe-

(*a*) *Tunc observetur quod dicitur Tom. III. Tract. XX,* 57, *ubi dicitur in eo casu posse Episcopum dispensare; et si necessitas non patitur moram, juxta id quod dicunt plures DD., potest Confessarius declarare legem impedimenti tunc non obligare, adeo ut possit Matrimonium contrahi, omissa dispensatione. - H. n.* 81.

» re intendis? » Hunc modum non approbo, neque admitto, nisi pars ignara de nullitate Matrimonii in suspicionem veniat. 3. Si dicat: « Agor scrupulis » de nostri Matrimonii valore, ideo» que renovemus consensum. » Hunc modum admitto. 4. Si dicat: « Si mihi » non nupsisses, nonne nuberes nunc? » Hunc modum noo admitto, quia in hoc modo revera non est positivus consensus. 5. Si dicat: « Pro mea consola» tione volo de novo contrahere, eja » contrahamus. » Hunc modum non admitto. 6. Si habeatur copula maritali affectu ex parte conjugis conscii impedimenti per dispensationem jam sublati, intendendo sic exprimere novum consensum ad Matrimonium de novo contrahendum; nam ex altera parte inscia impedimenti jam exercetur copula eo affectu ex primo consensu praestito, usque tunc in effectu perseverante. Hic tamen modus tunc tantum sufficeret, quando non esset locus modis supra enunciatis, et insuper immineret periculum gravis damni. Ita *Sanch.*, *Nav.*, *Tour.*, *Bon.*, *Salm.*, *Soto*, *Caj. etc.*

Neque tunc obstat clausula certiorationis, quae apponitur a S. Poenitentiaria; quia in hoc casu necessitatis censetur S. Sedes relaxare praefatam conditionem; providendo meliori modo quo po test bono animarum, cum talis conditio tunc sit moraliter impossibilis executioni. In hoc igitur casu licite potest hic modus in praxim deduci, cum *valde probabile sit*, ut ostendimus superius *n.* 1116, sufficere consensum partis consciae impedimenti expressum per copulam conjugalem cum consensu alterius virtualiter perdurante-1117.

CAPUT VI.

DE DIVORTIO.

Divortium in genere, est separatio conjugum inter se; et duplex est: 1. quoad *vinculum*, cum ita separantur, ut nullum maneat vinculum Matrimonii; 2. quoad *torum*. cum, manente vinculo, separantur quoad habitationem, mensam, torum.

Quaeritur 1. An Matrimonium consummatum possit aliquando dissolvi quoad vinculum?

R. Certum est 1. quod inter catholicos Matrimonium est indissolubile, ut declaravit *Tridentinum;* et hoc per se verum est non solum de Matrimonio consummato, sed etiam de tantum rato. Haec autem indissolubilitas est ab ipso jure naturali, quia necessarium est ad prolis educationem, ut parentes perpetuo ejus bono incumbant. Ita *communissime D. Thom. etc.* Certum est 2. quod inter infideles validum est Matrimonium, si fuerit legitimum, id est, juxta leges celebratum, ut patet ex *C.* De *infidel.* Certum est 3. quod si uterque conjux ad fidem convertitur, Matrimonium fit ratum, id est, indissolubile, ex *C. Quanto*, modo sit consummatum post conversionem. Vide etiam n. 897. Nunc vero ad quaesitum dico, fieri tamen divortium quoad *vinculum* in sequentibus casibus. 1. Si alter conjux moriatur. 2. Si ex conjugibus infidelibus, altero ad fidem converso, alter maneat infidelis. 3. Si ante Matrimonii consummationem, alter intret Religionem, in eaque profiteatur, modo, ut diximus. n. 870. Matrimonium non sit necessarium ad legitimandam prolem, etc. 4. Si Papa ex alia justa et urgenti causa dispenset ante consummationem. Sicuti eum posse *probabilis* sententia affirmat.-955.

Nota. Ut dicatur Matrimonium consummatum, non sufficit penetratio vasis feminei, sed requiritur effusio seminis in illud; ita *communiter* doctores.-958.

Quaeritur 2. An si infidelis nolit converti, sed tamen vult pacifice co-

habitare, sine injuria Creatoris, liceat Fideli ab eo separari, non solum quoad torum, sed etiam quoad vinculum?

R. Adsunt tres sententiae. *Prima negat;* et hanc tenent *D. Thom.*, *Estius S. Bonav.*, *S. Anton. etc. Secunda absolute affirmat;* et hanc tenet *Bellarminus. Tertia communior et probabilior* dicit olim, si nullum aderat periculum perversionis, non potuisse fidelem transire ad alias nuptias, quia non aderat causa discedendi a conjuge infideli, cum per miracula quae frequentius tunc per fideles fiebant, plures infideles ad Fidem convertebantur. Sed hodie cum cessaverint miracula tam frequentia, illicitum est cohabitare cum conjuge infideli ex recepta Ecclesiae consuetudine, quae introducta est ex eo quod experientia docuerit non modicum perversionis periculum imminere ex consortio infidelis; nisi Episcopus dispenset ad cohabitandum propter probabilem spem conversionis illius. - 957.

Quaeritur 3. An manente vinculo Matrimonii, licite fiat divortium et separatio quoad torum et cohabitationem ad tempus, vel in perpetuum?

R. Affirmandum posse fieri ob gravem et justam causam, prout sunt sequentes: 1. Alterius conjugis culpabile adulterium; per quod hic etiam *communius* et *probabilius* intelligitur omnis species luxuriae, in qua caro cum alia dividitur; non tamen mollities, vel pollutio, oscula, tactus, vel amplexus impudici, licet propter similia ad tempus possit aliquando fieri separatio, ut nocens emendetur. Et nota quod quando adest adulterium, pars innocens potest Religionem ingredi, aut Sacros Ordines suscipere; nocens vero non potest nisi cum innocentis consensu. 960. - 2. Saevitia mariti, vel uxoris, quamvis conjux ob aliquod suum crimen fuerit causa saevitiae illius; ex qua saevitia, si grave periculum comparti immineat, potest separatio peti a judice; imo, si mortem minetur, vel venenum paret, potest divertere ante judicis consensum. 970. - Si conjux compartem trahat in peccatum; tunc enim innocens potest se separare, imo tenetur, si periculum sit grave. 4. Morbus contagiosus, v. g. lepra, aut si alter conjux sit furiosus, maleficus, aut energumenus. Quod si tamen sine gravi detrimento possit cohabitare, ad id tenetur, aut saltem habitare, et ministrare, nisi alter remittat. 973. - 5. Haeresis, vel apostasia superveniens Matrimonio. Quo casu, si separatio facta sit judicio Ecclesiae, non tenetur conjugem conversum recipere saltem ex justitia; nam ex charitate aliquando tenetur, ut si sit periculum incontinentiae. 974. - 6. Mutuus consensus, ex quo licite se separant vel toro, sive ad tempus, sive in perpetuum, ob finem spiritualem, vel etiam habitatione. Quod tamen non solet permitti, nisi uterque ingrediatur Religionem, vel uxore ad Religionem transeunte, aut si vetula sit, v. g. sexagenaria, aut quinquagenaria, manente in saeculo, in voto continentiae, maritus suscipiat Sacros Ordines.

Notă. Dicunt *Sanch. etc.*, quod si conjux remanens in saeculo nesciebat se teneri eo casu ad emittendum votum castitatis, posset ille, adhuc praestito consensu, ad se revocare conjugem etiam in Religione professum. - 975.

Quaeritur 4. An ad Divortium faciendum sufficiat suspicio de conjugis adulterio?

R. Quod suspicio sufficiat, habetur expressum in *C. dicit Dominus. Communiter* tamen advertunt *D. Thom. etc.*, non sufficere quamcumque probabilem suspicionem, sed requiri violentam, quae moralem certitudinem fundet, prout si probetur visus fuisse solus cum sola et nudus cum nuda.

Hoc pro Divortio faciendo auctoritate Ecclesiae. Sed licet in foro interno non requiratur tanta certitudo quanta in externo, semper tamen requiritur talis suspicio, ut habeatur non sola probabilitas, sed moralis etiam certitudo de adulterio patrato; alias, per solam probabilitatem, nequit alter privari sua certa possessione. Sufficit tamen in foro conscientiae si vir fide dignissimus testetur de adulterio, vel de violento judicio, v. g. se solum cum sola vidisse in eodem lecto.-961.

Quaeritur 5. An liceat facere Divortium ob sodomiam, aut bestialitatem commissam a conjuge?

R. Prima sententia negat. Ratio, quia per solam fornicationem caro dividitur. *Secunda* vero *sententia communior* et *probabilior* saltem extrinsece *affirmat.* Ratio, quia, ex jure naturali uterque conjux tenetur fidem servare non dividendi carnem suam cum alia, quae vere dividitur, cum habetur concubitus sodomiae, vel bestialitatis. *Pont.* bene dicit ab hac sententia non recedendum, cum sit *communis,* sed revera eam non probari.-962.

Quaeritur 6. An copula cum aliena habita sine seminis effusione, sit causa sufficiens ad Divortium?

R. Prima sententia affirmat. Secunda probabilior negat; quia sine seminis effusione non adest vera carnis divisio.-962.

Quaeritur 7. An vir, cognito adulterio uxoris, teneatur eam dimittere?

R. Certe non tenetur ratione adulterii, dum haec dimissio a Christo sit tantum permissa, et non praecepta, attamen vir ad id potest teneri ratione correctionis fraternae, aut scandali vitandi, ut docent *D. Thom., Bon., Salm.*

Sed quoad obligationem correctionis fraternae, *communiter* dicunt DD. non teneri virum dimittere uxorem si alia via, nempe verbis, aut verberibus possit eam corrigere. Ita *D. Tom., Salm.* Item, nec tenetur, si ex tali dimissione timeat gravia incommoda, nimirum periculum propriae incontinentiae vel rixas cum propinquis uxoris, vel infamiam, aut jacturam gubernationis domesticae, et similia, quia praeceptum correctionis non obligat cum gravi incommodo. Ita *S. Antonin., Nav., Bon. etc.;* caeterum, bene ajunt *Laym. etc.,* quod si putet vir hac sola via adulteram corrigendam esse, eo casu tenetur ex charitate, intellige si possit absque gravi incommodo, ad tempus eam dimittere.

Quod ad scandalum autem pertinet, tenetur etiam vir uxorem dimittere, ne videatur ipse peccato uxoris consentire, ut docet *D. Thom., Sanch., Pont., Salm. etc.* Hoc tamen intelligitur, ut dicunt *S. Anton., Sanch. etc.* 1. Si adulterium sit notorium, non vero si occultum. 2. Ut dicunt *Laym., Bon. etc.,* si vir aliquo modo nequeat scandalo occurrere; secus vero si possit alia via, nempe uxoris reprehensione, reclusione, verberatione, aut alia moderata coercitione. Quod si his mediis adhibitis, scandalum perseverat, erit vir excusatus, si uxorem non dimittit ex justa causa, nempe ratione periculi suae incontinentiae, vel si laboret inopia, aut morbo, et ideo indigeat ope uxoris; vel si alias deberet grave damnum subire; vel si alias uxor deterior evaderet, aut illi immineret notabile detrimentum sanitatis, aut si adsit probabilis spes fore ut brevi uxor resipiscat, prout docent *S. Antonin., Palaus, Salm., Sanch. etc.* Addunt *Salm,* sufficere insuper causam, si plures expensae essent impendendae, ut Divortium fieret auctoritate Judicis; vel si ex Divortio contentiones timerentur. Ita praefati AA.;

sed alii *probabiliter* dicunt, quod si vir jam praebuerit sufficienter indicia, quod ipse aegre ferat uxoris adulterium, non tenetur eam dimittere ratione scandali ; quia si nihilominus alii scandalizantur, scandalum ipsorum erit pharisaicum, quod non tenetur ipse vitare. Hinc bene inferunt *Pal., etc.*, quod propter hanc causam scandali raro teneatur vir uxorem adulteram dimittere. - 963.

Quaeritur 8. An uxor teneatur Divortium facere a viro adultero ?

R. Prima sententia dicit nunquam teneri. *Secunda* mihi *verior*, quam tenent *Bon. etc.*, dicit etiam teneri aliquando divertere a viro adultero, quia aliquando tenetur etiam subditus, si potest sine gravi incommodo corrigere Superiorem modo quo potest ; et a fortiori ad id tenetur uxor, cui jam concessum est relinquere virum adulterum ; dummodo tamen, dicit *Conc.*, probabilis sit spes emendationis. Merito vero dicunt praefati AA. ad hoc raro sive rarissime teneri uxorem, tum quia rarissime uxor potest corripere virum, tum quia rarissime poterit uxor a viro discedere sine gravi incommodo. Et ideo, nec etiam tenetur ei debitum negare : tanto magis, quia negando, vir deterior fieret. - 964.

Quaeritur 9. Utrum teneatur conjux innocens recipere alterum ex adulterio emendatum ?

R. Affirmant Conc. etc., ad hoc teneri ex charitate, si alias ille sit in periculo relabendi. Sed ego minime auderem innocentem ad hoc obstringere sub culpa, cum ex una parte Christus eum perpetuo liberaverit ab obligatione cohabitandi cum adultero, et ex alia non videtur charitas ad tantum onus obligare, ut conjux recipiat alterum qui fregit sibi fidem. Unde, merito dicunt *Salm.*, tantum ex honestate et decentia debere innocentem sibi reconciliare emendatum si commode potest. - 965.

Quaeritur 10. In quibus casibus illicitum sit conjugi Divortium facere ab altero in adulterium lapso ?

R. Illicitum est in sequentibus casibus : 1. Si uterque reus sit adulterii ; attamen, *satis probabile* est emendatum posse separari ab altero qui post correctionem non resipiscit. 2. Si conjux consentiat in adulterium alterius : tunc enim amittit jus recedendi ; et est *communis* sententia. 3. Si conjux sine culpa formali adulteretur ; puta ob errorem inculpabilem, vel si violenter cognita sit. Secus vero si per metum consentiret. 4. Si injuria sit remissa, sive ante, sive post Divortium. Si autem post remissionem relabatur vel reconciliatus vel reconcilians, alter jam dimittendi jus habet. Praesumitur autem facta remissio vel ex verbis, vel factis, ut si conjux innocens, conscius et memor adulterii, omnino sponte coeat cum adultero. Signa pariter sunt remissionis, si maneant in eadem domo, mensa, lecto, maxime si interveniant oscula, tactus, amplexus. - 966.

Quaeritur 11. An facto Divortio per sententiam Judicis, possit innocens adhuc adulteram cogere ut ad se redeat ?

R. Duplex est sententia. *Prima* dicit quod per sententiam etiam adultera remaneat soluta ab obligatione cohabitandi, et reddendi debitum. *Secunda* vero *communis* docet quod semper ac status utriusque conjugis non sit mutatus, nempe si neuter voverit castitatem, etc., teneatur adultera redire, quia innocens suum jus non amittit per sententiam, quae tantum in poenam adulterae, non in favorem emanatur. Et ad hoc ut adultera teneatur redire, recte dicit *Sanch.* non requiri novam sententiam Judicis. Merito vero ait *Pal.* raro posse com-

pelli uxorem adulteram redire ad virum, propter prudentem timorem mortis, aut saevitiae facile ab illo inferendae. 967.

Quaeritur 12. Si conjux innocens, facto Divortio per sententiam, labitur in adulterium, utrum is amittat jus ad Divortium, ita ut, altero petente, teneatur ad eum redire?

R. Prima sententia affirmat, quia injuria jam est compensata. *Secunda* vero, quam *longe probabiliorem* censeo, dicit non teneri, quia per sententiam absolute latam jam innocens absolutus mansit a servitute, et adulter jure suo privatur. Hoc tamen non obstante, D. *Thomas* sic advertit: « Secundum aequitatem juris judex » ex officio suo debet eum cogere ut » caveat periculo animae ejus, et » scandalo aliorum, quamvis uxor » non possit reconciliationem petere. » Et in hoc omnes conveniunt, ut dicunt *Salm.* - 968.

Quaeritur 13. An conjux possit adulteram dimittere propria auctoritate?

R. Adsunt tres sententiae satis probabiles. *Prima* absolute *negat*. Ratio, quia separatio conjugum est actio publica, pertinens ad externam gubernationem; unde non potest fieri privata auctoritate sine perturbatione. *Secunda distinguit et affirmat* si adulterium est notorium; *negat* vero si occultum, quia tunc fama conjugis adulteri injuste proderetur. *Tertia* demum *absolute affirmat* posse fieri Divortium sine sententia, sive adulterium sit publicum sive occultum, modo sit certum, et ex separatione non interveniat scandalum quod non possit aliter reparari. Et ratio est, quia absolute concessum est a Christo Domino dimittere conjugem adulterantem. Haec sententia mihi *probabilior* est, saltem si adulterium sit ex parte feminae; durum enim esset cogere virum certum de adulterio uxoris, ut publicum faciat illius crimen in judicio cum suo perpetuo dedecore. Bene tamen advertit *Bon.* quod si post Divortium judex cogat conjugem ad cohabitandum, teneatur obedire; sed juxta hanc sententiam non tenetur reddere. - 969.

Nota. Facta juridica separatione, vir innocens potest ingredi Religionem, etiam invita adultera; potestque etiam Ordines sacros suscipere, ut *Salm.* cum *communi*, manente tamen vinculo Matrimonii; quare, si coiret cum alia, verum adulterium committeret; et si cum uxore, peccaret peccato sacrilegii. Hoc autem esset si Matrimonium jam consummatum esset; nam alias Matrimonium per professionem religiosam (non autem per Ordines sacros), etiam quoad vinculum dissolvitur. Recte autem advertunt *Salm.* quod si conjux innocens, absque sententia judicis separetur ab altera vix unquam posset Sacerdotium suscipere, quia difficulter hoc fieri posset absque scandalo.

E converso adulter, nec etiam facto divortio juridico, potest Religionem ingredi, aut Sacerdotium suscipere, nisi de licentia alterius, vel nisi alter jam statum irrevocabilem assumpserit. Alias, si Sacerdotium, aut Religionem suscipere velit, esto jam assumpserit, potest ab illo repeti, et tenetur redire. Sed sufficit ad hoc licentia tacita, vel si alter requisitus neget reconciliationem. Addunt *Pont. etc.* quod si post biennium adulter non revocatur, potest libere Religionem ingredi, vel sacris initiari, quia tunc censetur alter in hoc ei consentire: jure sic disponente in authentica, *sed hodie.*

Quaeritur 14. An conjux possit redire propria auctoritate propter saevitiam compartis?

R. Affirmative, si periculum sit in

mora vel si non posset litigare aut judicem adire, vel saevitiam facile probare; alias tenetur expectare sententiam.

Quaeritur 15. An talis juste recedens possit, invito conjuge, Religiosus fieri?

R. Negatur, nisi timor de damno gravi sit talis, ut nunquam deponi possit, alias Divortium tantum ad tempus erit, donec cesset periculum, data cautione in judicio.

Quaeritur 16. Qualis timor sufficit ad Divortium ratione saevitiae?

R. Sufficit ut prudenter timeri possint gravia mala a conjuge, vel ab ejus propinquis; ut si adessent comminatio mortis, verba injusta, frequentia convicia et jurgia, ex quibus nimis molesta redderetur cohabitatio, vel esset periculum abortus intentati, vel mali gravis in aliis filiis aut consanguineis. Recte tamen advertunt *Salm.*, quod aliqua ex his, quae respectu feminae nobilis, essent gravia, respectu alterius humilis conditionis levia erunt. Item advertunt *Sanch. etc.* non sufficere solas minas, nisi conjux solitus sit illas exequi; quapropter judex bene perpendere debet minantis conditionem et modum. - 971.

Quaeritur 17. An sola verbera sint causa justa Divortii?

R. Alii affirmant. Alii negant, nisi ex verberibus *probabiliter* timeatur periculum mortis. Alii vero *communissime* dicunt licitum esse viro verberare uxorem, modo non fiat frequenter nec ex levi causa, nec acriter, quamvis causa sit magna, sed raro, et mediocriter. Unde *probabiliter* ait *Sanch.* non posse uxorem discedere, si verberatio est levis, etiamsi sine causa verberata fuerit. Excipiunt *Salm.* nisi mulier esset nobilis. Item, addunt *Ronc. etc.*, non licere uxori Divortium facere ex una verberatione, etsi gravi, sed requiri saltem binam, nisi *probabiliter* timeatur ne maritus verberationes replicet, attenta illius natura, et circumstantiis, puta si ipse domi vel etiam extra domum detineat concubinam. - 972.

Quaeritur 18. Facto Divortio juridico, apud quem conjugem filii sunt educandi?

R. Conveniunt DD. quod sint educandi apud innocentem, et expensis patris si Divortium sit culpa patris; et expensis matris, si Divortium sit culpa matris. Ad hoc tamen bene advertit *Sanch.*, cum *communi* omnium, omnino requiri sententiam judicis.

Quando autem alter conjugum esset infidelis, vel haereticus, proles semper apud fidelem educanda est, quamvis fidelis fuerit in culpa. - 776. (*a*).

TRACTATUS XXVI.

DE CENSURIS

In genere - et in specie.

CAPUT I.

DE CENSURIS IN GENERE.

De Censurarum natura et Divisione. Auctore et subjecto. Absolutione.

ARTICULUS I.

De Natura et divisione Censurae.

I. Censura Ecclesiastica est *poena spiritualis et medicinalis, per quam homini baptizato delinquenti, ac contumaci, per potentiam Ecclesia-*

(*a*) *Ex jure civili judicis sententia declaratur apud quem filii sint educandi. Quoad expensas autem illae sunt communes utrique conjugi pro suis facultatibus. Vide* Cod. civ. art. 132. et 233.

sticam aufertur usus quorumdam spiritualium bonorum.

Unde :

1. Non sunt excommunicandi ii de quorum correctione desperatur, nisi fiat ad terrorem aliorum. - 1.

2. Per censuram non privatur homo bonis mere internis, v. g. charactere, potestate Ordinis, nec bonis propriis ac privatis, v. g. fide, charitate, gratia, etc., nec communione sanctorum radicaliter derivante ex fide et charitate; sed quibusdam externis et publicis, sive actionibus, quae habent spiritualem aliquem effectum, vel commodum, ut sunt Sacrificium, Officium divinum, Beneficium, administratio et susceptio Sacramentorum, indulgentia, publica Ecclesiae suffragia, quia haec et non illa subsunt dispositioni Ecclesiae. - 2.

3. Exilium, carcer, servitus, privatio beneficii non sunt censurae, quia sunt poenae temporales.

4. Nec degradatio, vel depositio est censura, quia etsi sit poena spiritualis non tamen medicinalis, sed perpetua. Ita *verius* et *communius Salm.*

5. Nec cessatio a divinis, nec irregularitas, sive sit ex defectu, sive sit ex delicto, quia non est poena, sed impedimentum canonicum.

6. Quando in Jubilaeis, vel privilegiis datur potestas absolvendi a censuris, non comprehenditur irregularitas, nisi expresse addatur, ut declaravit *Bened. XIV.*

II. Censura dividitur 1. Essentialiter in excommunicationem, suspensionem et interdictum. 2. Accidentaliter in eam, quae est a *jure*, et fertur per Canones, Constitutiones, vel Statuta Ecclesiastica, stabili ac permanente lege; et in eam quae est ab *homine*, quae scilicet fertur a judice, vel Praelato, per modum mandati, vel sententiae judiciariae; estque vel particularis, circa factum aliquod particulare, aut certas personas; vel generalis, quae nulla singularis facti, aut personae determinatione fertur. Et *nota* quod censurae, quas fert Episcopus in synodo dioecesana, dicuntur latae *per modum Statuti*, et hae tanquam latae a jure durant post mortem Episcopi; aliae vero extra synodum dicuntur latae ab *homine* per modum praecepti, seu mandati, aut sententiae, et hae per mortem ferentis cessant, sive praeceptum sit particulare, sive generale. *Ronc. etc.* 3. In eam quae est sententiae *latae*, quam scilicet jus aut judex statuit ipso facto; et in eam quae est *ferendae*, quam jus aut judex non vult ipso facto incurri, sed per sententiam infligi. Pro quibus dignoscendis consideranda sunt verba, quibus censura fertur, quae, si includant alterius actionem, seu ministerium, significant censuram esse sententiae *ferendae*, latae vero si non includant. Si vero ambiguae sunt, teneri potest regula juris, quod in dubio circa poenas benignior interpretatio sit facienda. - 6.

Unde :

1. Est censura *latae* sententiae, 1. Si verba sint praeteriti, aut presentis temporis, v. g. *excommunicavimus, excommunicatus est, fuit, excommunico, suspenduntur interdicuntur, volumus*, aut *jubemus* esse *excommunicatum, suspensum, etc.* Si addatur particula, *ipso jure, ipso facto*, vel *sine alia sententia.* 3. Si verba sunt imperativi modi, v. g. *incidat in excommunicationem, maneat interdictus etc.* Ratio, quia haec omnia nullius actionem interponunt. - 7.

2. Est censura sententiae *ferendae* saltem ut plurimum, 1. Si verba sint futuri temporis, v. g. *excommunicabitur, suspendetur.* 2. Si verba sint minatoria, v. g. *sub poena excommunicationis, sub interminatione*

anathematis etc. nisi tamen ex adjunctis aliud colligatur. Item, si dicatur: *volumus excommunicari, suspendi, etc.* Si autem dicatur: *excommunicatus sit, Bonac. etc.*, tenent excommunicationem esse latae sententiae. Sed *Sanch., etc.*, volunt esse *ferendae.* Utraque est *probabilis.* Si dicatur *anathema sit, Sanch. etc.* dicunt esse *ferendae*, nisi fiat contra haeresim. Si dicatur *excommunicetur, suspendatur, etc.* intelligitur *ferendae* sententiae, si praeceptum excommucandi, suspendendi etc., alteri, puta Episcopo, imponatur. At si absolute modo imperativo profertur, censura dicenda est *latae* sententiae. - 8.

ARTICULUS II.

De Auctore et Subjecto Censurae.

§. I. - *De Auctore Censurae*

Est de fide contra Novatores, quod Ecclesia potestatem habet ferendi censuras, quibus suos subditos bonis spiritualibus privet; ex Conc. *Constantiensi etc.* Censuram autem ferre potest omnis ac solus Superior Ecclesiasticus, habens in foro externo seu contentioso jurisdictionem sive ordinariam, sive delegatam. - 9.

I. Ordinariam, quae est ratione officii, vel alterius juris, potestque delegari Clerico Clericatus privilegiis gaudenti, habent sequentes: 1. Papa respectu totius Ecclesiae. 2. Patriarchae, Archiepiscopi respectu tantum subditorum suae Dioecesis, non vero aliorum suffraganeorum, nisi tempore visitationis, aut nisi causa sit per appellationem ad ipsos devoluta. 3. Episcopi, dummodo sint confirmati, esto non consecrati, quia per confirmationem jam accipiunt jurisdictionem; eorum Vicarii generales. 4. Generales, Provinciales, et Superiores locales Religionum, uti Priores, Guardiani, Rectores respectu suorum subditorum. 5. Congregationes Religionum, Concilia provincialia Episcoporum, Capitula provincialia quarumdam Religionum; Capitulum Ecclesiae cathedralis, Sede vacante, seu Vicarius capitularis pro eo. 6. Quidam alii ex concessione, ut multi Archidiaconi, Archipresbyteri et Decani. Adde quod censuras ferre possint omnes, qui per communem errorem cum titulo praesumpto tanquam Superiores habentur. - 10.

II. Delegatam habent, quibus ea committitur ab ordinariam habente, cujus morte expirat, nisi causa a delegato jam sit incoepta etiam per solam citationem. Nec delegatus potest alteri delegare nisi habeat specialem hujus commissionem, ut si sit delegatus Papae, propter privilegium quod habent delegati a Pontifice. Unde: non possunt ferre censuram potestate ordinaria sequentes, 1. Parochi, cum potestas, eis concessa ex jure communi, sit abrogata per consuetudinem. 2. Laici, qui non sunt capaces jurisdictionis Ecclesiasticae: uti et Religiosi professi non habentes primam tonsuram. 3. Feminae, licet sint Priorissae, vel Abbatissae, quia non sunt capaces jurisdictionis, seu potestatis clavium. - 11.

Quaeritur Quaenam conditiones requirantur, ut aliquis possit censuras ferre?

R. Sex requiruntur conditiones. 1. Ut sit vir. 2. Ut sit baptizatus. 3. Ut sit saltem prima tonsura insignitus. 4. Ut sit compos rationis. 5. Ut habeat jurisdictionem expeditam quoad usum. Hinc Episcopus excommunicatus, suspensus, haereticus, aut schismaticus nequit ferre censuras. Et ideo vicarius Episcopi excommunicati aut suspensi, non potest ferre censuras. Occultus tamen haereticus aut excommunicatus valide etsi illicite fert censuras. 6. Ut censuram ferens libere agat, non co-

acte; etsi juxta *veriorem* sententiam, valida sit censura lata ex metu gravi; sed invalida est absolutio per metum extorta, si metus sit injuste incussus. - 12.

§. II. - *De Subjecto Censurae.*

In omnes et solos subditos alicui Superiori Ecclesiastico potest ferri censura, quia subjectio et jurisdictio sunt correlativae. - 13.

Quaeritur 1. Quaenam conditiones requirantur ut quis possit censura ligari?

R. Quinque requiruntur conditiones: 1. Ut sit homo. 2. Ut sit baptizatus. 3. Ut sit rationis compos. Notandum tamen censuras generaliter latas a jure, aut ab *homine* non incurri ab impuperibus, nisi expressum sit in lege, ut expressum est de ingressu puerorum in monialium monasteria, in *Conc. Trid.*; vel ut est expressum de pueris qui percutiunt Clericos. Ita *communiter Sit etc.* 13. 4. Ut sit persona determinata. Hoc tamen intellige quoad excommunicationem tantum, et quando excommunicatio fertur per modum sententiae. - 18. 5. Ut sit persona subdita.

Unde:

1. Summus Pontifex nequit censuris ligari, non quidem ab alio, quia Superiorem non habet, neque a se, quia non tenetur praeceptis suis vi coactiva, sed solum directiva.

2. Nec Episcopi ligantur censuris ab ipsis emanatis. Si vero censurae sint a jure, eas nec etiam incurrunt Episcopi, aut Cardinales, nisi de ipsis expressa mentio fiat. Hoc tamen ajunt *Salm.* intelligi dumtaxat de suspensione et interdicto; non autem de excommunicatione, cui subjacent Episcopi, etiamsi in lege de his nulla mentio fiat.

3. Reges et Reginae, quamvis subditi sunt Episcopis in spiritualibus, jure tamen novo non possunt ligari censuris, nisi a Papa. - 15.

4. Advenae et peregrini brevi tempore alicubi commorantes, non ligantur censuris locorum, generali sententia, aut statuto decretis, quia non sunt subditi.

5. Et si subditi extra suam Dioecesim, vel in loco Dioecesis exempto delinquentes contra legem sui Episcopi non incurrant censuram, Superior tamen, saltem regularis, potest suos subditos, ubicumque existant, per particularem sententiam censuris innodare. Hoc est *commune.*

6. Haeretici, apostatae, et schismatici possunt affici censuris, quia per Baptismum sunt subjecti Ecclesiae. - 19.

Quaeritur 2. An Episcopus extra propriam Dioecesim existens possit contra subditos censuras ferre?

R. Negative; quia nemo potest in alieno territorio jurisdictionem contentiosam exercere. Excipe tamen casus sequentes: 1. Si contumacia sit tam manifesta, ut non indigeat cognitione causae. 2. Si causa sit jam cognita in proprio territorio. 3. Si censura feratur non per modum sententiae, sed per modum praecepti, aut statuti ad futura crimina cavenda. 4. Si Episcopus sit injuste expulsus a a sua Dioecesi; quo casu potest in locis vicinioribus suam jurisdictionem exercere, petita licet non obtenta ab Ordinario loci licentia. 5. Si Ordinarius illius loci consentit; tunc tamen requiritur etiam consensus partium, quia nemo invitus trahi potest extra suum territorium.

Notant autem *Salm.*, bene posse Episcopum extra Dioecesim existentem sine strepitu judicii absolvere a censuris, non vero judicialiter. - 21.

Quaeritur 3. An Episcopus existens in sua Dioecesi possit ligare censuris subditum in aliena existentem, sed pro crimine in propria commisso?

R. Affirmandum cum *communi* et *vera sententia*, quia talis delinquens a nullo puniri posset, et licet citatio rei non possit fieri extra territorium, sufficit tamen ad censuram incurrendam, ut reus in propria domo, vel in loco publico proprii territorii citetur. Et hoc currit etiamsi subditus delinquat extra Dioecesim, si agatur de re quae in illa fit, prout si excommunicentur Clerici omnes qui ad synodum non accedunt. *Probabilius* tamen est, quod si crimen extra territorium consummetur, reus censuram non incurrit.-22.

Quaeritur 4. Si Episcopus fert censuram in subditum suum per praeceptum particulare, si delinquat, utrum subditus delinquendo extra territorium censuram incurrat?

R. Prima sententia affirmat; quia Statutum respicit territorium, et ideo extra illud neminem ligat; praeceptum vero respicit personas, et ideo ligat etiam existentes extra territorium. *Secunda sententia negat.* Utraque sententia est *probabilis;* sed prima videtur *probabilior.*-23.

Quaeritur 5. An Ecclesia et Monasteria Regularium sint loca exempta?

R. Vide dicta in *Tract. de Leg. n.* 156, ubi diximus *probabilem* esse sententiam affirmativam cum *Bon.* et *Croix etc.*, qui dicunt quod si Episcopus prohibeat statuto generali aliquid, puta lusum alearum sub censura, eam non incurrit ludens in loco exempto.-24.

Quaeritur 6. An Episcopus possit censuris ligare alienum subditum in sua Dioecesi delinquentem?

R. Affirmative; quia quicumque delinquens sortitur forum illius loci, ubi delinquit. Excipe 1. si delinquens esset illius Episcopi Superior, ut ejus Archiepiscopus, vel Patriarcha; secus, si Episcopus non esset illi suffraganeus. 2. Si reus, antequam ejus causa cognoscatur ab Ordinario loci, ab illius territorio exeat. Ad differentiam delinquentis in sua patria, qui, etiamsi postea a proprio territorio discedat ante sententiam, et ante citationem, bene potest censura ligari a suo Ordinario, ut diximus supra *Quaerit.* 3. Si vero delinquens in alieno territorio, antequam discedat, citatione praeveniatur, tunc ratione judicii inchoati subjectus remanet Episcopo loci. *Conc. etc.*

Nota. Regulares sunt simpliciter exempti a jurisdictione episcopali ex *C. Ne aliqui.* Et in Religiosos exemptos, sive privilegiatos, ut Mendicantes et Jesuitas, nequit Episcopus ferre censuras, etiam si procedat tanquam delegatus Apostolicus. *Croix etc.*-26.

Quaeritur 7. An censura alicubi lata v. g. contra furantes in Ecclesia, vel contra non revelantes furtum, liget etiam alienigenas ibi existentes?

R. Si censura sit lata per modum praecepti particularis, seu sententiae in casu particulari, nempe si sit lata censura contra non revelantes fures, haec non ligat alienigenas; quia praeceptum particulare non potest non subditos adstringere. Ita *Suar., Con. etc.* Si autem censura sit lata per modum Statuti generalis pro delictis futuris, puta contra furantes in Ecclesia, tunc ligat etiam alienigenas in illo loco existentes, si ibi sint animo commorandi per majorem partem anni; secus, si transeunter ibi commorentur. Ita *Sanch., Salm. etc.* Haec sententia *probabilior* mihi est, sed non puto *improbabile* quod tam in primo quam in secundo casu peregrini ligentur censura, etiamsi alicubi sint per breve tempus, quia *satis probabile* est quod peregrini fiant subditi, si adhuc per breve tempus in aliquo loco morentur.-27.

Quaeritur 8. Ob quam causam possit ferri censura?

R. Censura potest ferri ob solum peccatum externum, censurae proportionatum, et conjunctum cum contumacia.-29.

Unde:

1. Etsi ob peccatum veniale interdum ferri possit levis suspensio, vel leve interdictum, nempe ad breve tempus, et privans aliquo tantum usu; excommunicatio tamen major, suspensio gravis, et interdictum personale speciale, quidquid sit de generali, non potest ferri nisi ob culpam mortalem, quia alioqui poena non esset proportionata culpae. Imo, cum sint poenae medicinales, non debent infligi pro quovis mortali, sed pro quibusdam tantum, ne censurae contemnantur.-30.

2. In dubio de gravitate materiae, obligat Superioris praeceptum, et censura *probabilius* incurritur: quamvis praelati sedulo cavere debeant ne subditos censuris gravent ob materias non tam graves, quando eis non constat illas valde conducere ad bonum finem.-32.

Nota, quod materia in se levis potest reddi gravis ex adjuncta circumstantia scandali, aut periculi, aut finis intenti, ac similium; et tunc juste imponitur praeceptum ac censura, ita ut transgredientes graviter peccent, et censuram incurrant.-31.

3. Quando res praecepta non est de se certe gravis, nec certe levis, sed est talis ut multum conducere possit ad finem intentum, et praecipitur sub censura latae sententiae, tunc obligabit sub gravi. Si vero materia de se non sit gravis, et censura sit tantum ferendae sententiae, ita ut ad eam incurrendam requiratur monitio, ut dicemus infra, tunc transgrediens non peccabit graviter, nisi post monitionem, vel nisi in praecepto adsit clausula, *quod sine ulla monitione talis censura possit a Praelato applicari;* quia tunc ipsum praeceptum habetur ut monitio.-33.

4. Actus peccati, ob quem censura fertur, debet esse mortalis, non tantum quoad actum internum, sed etiam quoad substantiam operis externi; quia Ecclesia tantum judicat de externis. Unde, non sufficit quod actus sit gravis ex prava intentione, nisi actio quoad substantiam exterius sit mortalis.-34.

5. Actus peccati in suo genere debet esse perfectus et consummatus, nisi expresse aliud sonent verba legis; quia poenae et odia sunt restringenda. Hinc excommunicationem homicidae non incurrit favens, mandans, consulens, juvans, nec vulnerans lethaliter, nisi mors sequatur; modo excommunicatio non fuerit principaliter lata in eos.-36.

6. In dubio an tuum mandatum, aut consilium influxerit, *probabiliter* censuram incurris.-39

7. *Communius* et *probabilius* est quod mandans sive dans consilium pro occisione Clerici, non incurrat censuram, si ante executionem consilium pro viribus revocetur. Non excusatur tamen a restitutione, juxta *probabiliorem sententiam* relatam *in Tract. de Justitia, n.* 558. Tenetur parite ex justitia monere laedendum, ut sibi caveat, alias nec a censura excusabitur.-40.

8 Non incurritur censura ob peccatum soli naturali, vel divino jure repugnans, sed requiritur praeceptum Ecclesiae, quod contumaciter violetur. Item nec ob peccatum mere praeteritum potest censura infligi ab homine nisi aliquo modo pendeat in futurum ratione scandali, vel restitutionis non factae, vel perseverantiae in peccato post monitionem, quia abest contumacia. Nec refert quod quis ob peccatum praeteritum, vel etiam sine peccato modo justa causa subsit, possit ad ten

pus arceri ab aliorum consortio, communione, etc.; et hoc etiam in jure vocetur late excommunicatio, vel suspensio; hoc tamen non est censura proprie dicta, cujus violatio incurrat irregularitatem, sed simplex tantum poena.-49.

9. Non incurritur censura nisi ob culpam propriam; nisi fulminetur interdictum generale, quo ligantur etiam innocentes.-41.

10. Quidquid excusat a peccato mortali, excusat etiam a gravi censura, v. g. materiae parvitas, impotentia legem implendi, defectus advertentiae et deliberationis, ignorantia invincibilis, sive ea sit *facti* sive *juris*-42. Dico *ignorantia invincibilis*, quia ignorantia culpabilis et crassa non excusat, nisi addatur in lege certus modus; v. g. qui hoc fecerit *scienter, consulto*, vel *qui praesumpserit ausu temerario violare;* quae verba utpote in re odiosa, accipienda sunt stricte; talis autem non potest dici temere praesumere, nisi ignorantia esset talis, ut formale dolum includeret.-47.

11. Ut quis censuram incurrat, non solum debet scire crimen illud esse vetitum jure Divino, sed etiam Ecclesiastico, quia alioquin deest contumacia contra Ecclesiam, a qua puniri debet; vide n. 350. Imo, scire debet illud sub censura prohibitum esse, alias eam non incurrit; quia alias tunc deest adhuc contumacia et contemptus censurae. Ideo excusat ignorantia invincibilis, non solum si sit antecedens, sed etiam concomitans.-43.

12. Sic dicendum putant *Salm.* non solum de excommunicatione, sed etiam de suspensione, et interdicto. Et idem *probabiliter* asserunt de irregularitate, quae ob delictum incurritur, si delinquens nesciat invincibiliter illud esse jure Ecclesiastico prohibitum.-44.

Quaeritur 9. An si censura sit imposita scienter peccantibus, excuset ignorantia affectata?

R. Prima sententia communior negat; quia ignorantia affectata includit dolum formalem, et aequivalet scientiae. Ita *Suar., Pal. etc. Secunda* vero *sententia affirmat;* quia ignorantia affectata in rigore non est vera scientia, qualis requiritur in poenis impositis scienter peccantibus, cum poenae sint stricte intelligendae. Hanc secundam sententiam non audeo dicere *improbabilem*, sed primae magis adhaereo, saltem ut *communiori.*

Nota. Ut incurratur censura pro foro interno, requiritur contumacia vera; pro foro autem externo, sufficit praesumpta.-48.

Quaeritur 10. An possit dari aliqua ignorantia vincibilis, quae excuset a censura, licet non excuset a peccato gravi?

R. Affirmant Sanch. etc., dicentes posse dari ignorantiam, quae non sit crassa seu supina, et tamen sit graviter culpabilis. Sed merito *contradicunt Laym. etc.*, qui asserunt praedictam sententiam vix esse practice *probabilem*, cum vix inveniri possit ignorantia graviter culpabilis, quae non sit etiam crassa.-45.

Quaeritur 11. An metus gravis excuset a censura?

R. Si res est vetita jure tantum Ecclesiastico, certe excusat, quia praecepta humana non obligant cum incommodo gravi. Imo gravis metus excusat ab incurrenda censura, etiamsi res alias jure divino sit prohibita. Sed incurrit censuram, ut aliam poenam, qui metu gravi cogitur aliquid agere in contemptum praecepti Ecclesiastici, vel qui ob metum perpetrat malum gravissimum.-46.

Quaeritur 12. An Episcopus possit per sententiam ferre censuram pro crimine futuro?

R. Negat Cont. Tourn. Sed *affir-*

mant Laym. etc. Et hoc est valde *probabile*, quando adest justa causa, atque hic est usus *communiter* receptus in Ecclesia.-49.

Quaeritur 13. Quandonam censura possit esse invalida?

R. Potest esse invalida in triplici casu. 1. Ob defectum ferentis, si scilicet careat jurisdictione, vel illam habeat impeditam per censuram, vel suspensam per legitimam appellationem. 50.-2. Si substantialis ordo judicii praetereatur; v. g. si reus non citetur, nec moneatur sub comminatione censurae, ut est *communius* et *probabilius*; quia non est contumax qui ante non fuit monitus de praecepto et poena annexa. Quod tamen intelligi debet de censura ab homine lata per censuram particularem; quia, quae fertur a jure, vel per sententiam generalem, vel etiam specialem respectu tamen actus futuri, non eget alia monitione, cum lex aut sententia ipsa satis monet. Et *nota* pariter quod non semper in suspensione, et interdicto particulari requiritur monitio, quia hae poenae aliquando feruntur non per modum censurae, sed purae poenae ad punitionem peccati praeteriti. 52.-3. Ob defectum justae causae. Haec autem deficere potest tripliciter. 1. Si nec a parte rei, nec secundum allegationes fori externi subsistat. 2. Si a parte rei crimen subsistat quidem, non tamen in ordine ad judicium, quia reus de eo non confitetur, nec legitime de eo convincitur. 3. Si a parte rei non subsistat crimen, etsi juridice probetur, ideoque titulum, seu causam praesumptam habeat judex. In quo casu, etsi a parte rei sententia sit injusta, ideoque *probabilius* censura non liget in foro conscientiae, in foro tamen externo servari debet propter scandalum.-56.

Quaeritur 14. Quid requiritur ut censura sit licita?

R. Requiritur 1. Ut monitio sit canonica, id est, trina juxta Canones. Erit tamen canonica si fiat una pro tribus adhuc sine causa; dummodo pro ista una aequivalens tempus designetur, nempe sex dies, nam pro unaquaque monitione requiritur spatium saltem duorum dierum; et dummodo terminus sex dierum assignetur ut peremptorius, et ultimus, alias reus contumax non constituetur. Imo, ex justa causa tria illa intervalla redigi possunt ad unam diem, vel brevius tempus, modo tria spatia assignentur. 2. Ut ex scripto recitetur, nisi judex procedat ex officio, prout tenetur aliquando ob bonum commune; quia tunc sufficit, si monitio fiat oretenus, ita tamen, ut probari possit in foro. *Salm. etc.* 3. Ut causa censurae exprimatur. 4. Ut reo petenti exemplum scripturae intra mensem tradatur, alioquin judex ipse suspenditur a divinis.-51.

Nota. Si censura ferenda sit contra plures generaliter, sufficit ut fiat monitio in Ecclesia coram populo: si vero ponatur interdictum contra Communitatem, sufficit ut moneantur ii, ob quorum culpam fertur. Si autem fulminetur censura contra particularem personam, tunc ipsa specialiter monenda est. Excipe tamen tres casus sequentes, in quibus sufficit fieri monitio in ejus domo, vel si domum non habeat, in Ecclesia, vel loco publico 1. Quando reus absconditur, aut fraude impedit monitionem. Dolus autem debet constare testibus, aut manifestis indiciis. 2. Quando est semel personaliter citatus; tunc enim aliae citationes fieri possunt domi, aut in Ecclesia, aut tribunali. 3. Quando probari potest citationem domi factam, jam ad notitiam rei pervenisse; tunc enim reliquae citationes etiam domi fieri possunt.-58.

Quaeritur 15. An requiratur moni-

tio, si censura sit comminata jure ferendae sententiae?

R. Si censura sit comminata ab *homine*, certum est non requiri monitionem, quia per illud praeceptum jam etiam habetur monitio ab ipso judice facta. Si autem censura sit a jure, duae sunt sententiae. *Prima* dicit omnino requiri monitionem. *Secunda* tamen *probabilior* dicit non requiri: quia ad hanc censuram jam habetur utrumque, monitio et contumacia; monitio, quae facta est ab ipsa lege, et contumacia, quia ille jam monitus noluit obtemperare. - 55.

Quaeritur 16. Utrum in dubio an censura sit incursa vel ne, in foro conscientiae teneamur nos gerere ut censuratos?

R. Negative. Et hoc, sive dubium sit *facti*, sive dubium sit *juris*, puta, si dubitetur an censura fuerit latae, vel ferendae sententiae, vel an conditio apposita in sententia sit impleta vel non. Ratio pro dubio *facti* est, quia in dubio nemo est expoliandus jure suo communicandi, quod possidet: pro dubio autem *juris*, ratio est, quia poenae sunt restringendae; unde, in dubio non incurruntur. Si vero post censuram incursam dubitetur de absolutione obtenta, vel de appellatione interposita et similibus, tunc omnino reus debet se habere ut censuratum, quia tunc possessio stat pro Superiore. Et idem dicendum, si dubium sit de potestate Superioris, quando hic pacifice eam possidet. - 67.

Quaeritur 17. In dubio an censura fuerit justa vel ne, an ut justa sit judicanda?

R. Negat Dicast. Sed *verius affirmant Salm., Viva, etc.*, quia in dubio praevalet potestas judicis.

Quaeritur 18. An si reus habet opinionem probabilem pro se, teneatur parere judici aliquid praecipienti sub censura?

R. Affirmandum cum *communi*, sive dubium sit juris, sive facti, quia alias nunquam lites finirentur. - 68.

ARTICULUS III.

De Absolutione a Censuris.

Universe loquendo, ad tollendas censuras ex parte absolventis requiruntur eaedem conditiones, quae requiruntur ad ferendas, juxta dicta n. 12.

Unde:

1. Certum est ex Canone *Nuper*, Episcopum vel proprium Sacerdotem absolvere posse a censuris latis a *jure* non reservatis. Et idem conceditur Capitulo, Sede vacante, Praelatis Religionum, et habentibus jurisdictionem quasi Episcopalem. Idem pariter conceditur omnibus Confessariis, qui, juxta dicta n. 564., veniunt sub nomine *proprii Sacerdotis*. Ratio, quia, licet ex jure ordinario nec Confessarii, nec Parochi hanc facultatem habeant, habent tamen ex concessione speciali *Innoc. III.* Et advertendum 1. Quod haec absolutio valebit etiam pro foro externo. 2. Quod hanc absolutionem Parochi et alii Confessarii impertiri possunt tam intra quam extra Confessionem. 3. Quod Confessarii possunt absolvere non solum ab excommunicatione, sed etiam ab omnibus aliis censuris non reservatis, nempe a suspensione et interdicto personali, etsi absolutio earum non requiratur ad perceptionem Sacramenti poenitentiae. Ratio, quia illa concessio, cum sit favorabilis, merito ampliatur ad omnes censuras. - 70.

2. Omnino *improbabile* est, ex decreto *Innoc. XI*, quo vetitum est hodie Sacerdotibus simplicibus absolvere a venialibus, eos habere potestatem absolvendi ab excommunicatione minori. - 71.

3. Quoad censuras *ab homine* latas,

si censura feratur per modum sententiae particularis contra determinatam personam, non potest illa absolvi, nisi ab ipso ferente, vel ab ejus Superiore, vel ab ejus successore, aut delegato; est certum et *commune*. Et nota hic obiter 1. quod Episcopus etiam in alieno territorio potest suos subditos absolvere in foro tam externo quam interno, semper ac absolutio fit sine strepitu judiciali. 2. Si quis in alieno territorio delinquit, et ab illius Episcopo specialiter excommunicatur, non potest absolvi ab Episcopo proprio, nisi de Episcopi loci licentia. Dixi *specialiter*, nam si excommunicatus sit per sententiam generalem, potest a quocumque absolvi, ut mox dicetur. - 72.

4. Si vero censura feratur *ab homine* per modum statuti, sive sententiae generalis contra personas indeterminatas, sive in futurum, v. g. in omnes, qui hoc crimen patrabunt, sive in praeteritum, in omnes qui hoc crimen commiserunt, posita contumacia, *probabilius* dicendum absolutionem tunc a quocumque Confessario impertiri posse, si censura non sit reservata, quia hae censurae aequiparantur censuris latis a jure, et ideo a quocumque solvi possunt. - 73.

5. Episcopi, secundum *Tridentinum*, possunt absolvere in foro conscientiae per se vel Vicarium ab omnibus censuris occultis Papae reservatis, excepta haeresi, a qua per se ipsos tantum absolvere possunt. Notanda sunt verba *Tridentini*: « Liceat Epi» scopis in irregularitatibus omnibus » et suspensionibus ex delicto occulto » provenientibus, excepta ea quae ori» tur ex homicidio voluntario, et ex» ceptis aliis deductis ad forum con» tentiosum, dispensare, et in qui» buscumque casibus occultis, etiam » Sedi Apostolicae reservatis delin» quentes.... subditos in dioecesi sua » per se ipsos, aut Vicarium ad id » specialiter deputandum, in foro con» scientiae gratis absolvere, imposita » poenitentia salutari. Idem et in hae» resis crimine in eodem foro con» scientiae eis tantum, non eorum » Vicariis, sit permissum.» 76.

Hinc, *notandum*: 1. Episcopi, licet non possint absolvere ab haeresi occulta, juxta sententiam quam mox exponemus, possunt tamen dispensare in irregularitate ex haeresi occulta contracta. 2. Ut crimen dicatur non occultum, requiritur, ut vel sit deductum ad forum contentiosum, vel sit notum fere omnibus, ut ait *Viva*, aut saltem majori parti oppidi, viciniae, Parochiae, Collegii, seu Monasterii, ut dicunt *Bon. etc.*, ita ut occultum adhuc dicatur crimen, si illud sciant quinque, vel sex personae, ut ait auctor *Instruct. etc.* Vide *Tract.* de *Poenit.* n. 593. et *Tract.* de *Matrim.* n. 1111. Tunc enim crimen censetur ad forum deductum, cum ibi est probatum saltem per unum testem. 76. - 3. Nomine Episcoporum veniunt Abbates, et alii jurisdictionem episcopalem habentes. Vide n. 593. Venit etiam capitulum, sede Vacante. 4. Nomine subditorum, veniunt etiam vagi, et omnes habentes animum permanendi in loco illo per majorem partem anni. 5. Episcopi, vi concessionis in dicto C. *Liceat*, possunt absolvere a casibus papalibus, etiam post *Tridentinum* reservatis, ut *probabile* esse diximus n. 594. 79. - 6. Dicit *Fagn.* Episcopos illarum regionum, in quibus Concilium receptum non est, non posse uti facultate in hoc decreto concessa, absolvendi, aut dispensandi a casibus papalibus, vel ab irregularitatibus occultis. Notat etiam declaratum fuisse a *Greg. XIII* praedictam facultatem nec etiam Cardinalibus competere, etsi Ecclesiarum urbis titulum habeant. - 80.

Quaeritur 1. An Episcopus possit dispensare in irregularitatibus et suspensionibus occultis cum suo subdito, qui in aliena Dioecesi moratur?

R. Prima sententia negat. Secunda communior et *probabilior affirmat.*

Quaeritur 2. An Episcopus possit absolvere, et delegare facultatem absolvendi casus papales occultos extra Sacramentum Poenitentiae?

R. Affirmant Sanch. etc. Sed id hodie omnino *negandum* ex declaratione *Greg. XIII*, relata. n. 593.-81.

Quaeritur 3. An praedicta facultas a *Tridentino* Episcopis concessa, fuerit revocata per bullam Coenae quoad haeresim, et alios casus in ea reservatos?

R. Adest duplex sententia. *Prima negat.* Ratio, quia in bulla Coenae nulla fit mentio concessionis factae Episcopis per *Trid.*, sed per clausulam generalem minime revocantur facultates a Concilio generali alicui tributae. *Secunda verior affirmat.* Probatur ex verbis ipsius bullae Coenae, ubi dicitur: « Nullus per alium, quam » per Romanum Pontificem, nisi in » mortis articulo, absolvi possit, prae» textu quarumvis facultatum, et in» dultorum, quibuscumque personis, » etiam Episcopali vel majori digni» tate praeditis.... per nos et dictam » Sedem, ac cujusvis (nota) Concilii » decreta concessorum, vel conceden» dorum.» Per quae ultima verba jam apparet derogatum concessioni *Tridentini.* - 83.

Quaeritur 4. An Episcopi absolvere possint a censuris bullae Coenae impeditos Romam adire?

R. Adsunt tres sententiae. *Prima absolute negat.* Ratio, quia in bulla Coenae tantum excipitur casus articuli mortis. *Secunda* concedit Episcopis absolvere a caeteris casibus; sed negat ab haeresi. *Tertia communis*, cui subscribo, docet Episcopos posse per se, vel per alios ab eis specialiter delegatos absolvere in utroque foro legitime impeditos ab omnibus casibus, et etiam ab haeresi, praestito tamen juramento ab eo qui absolvitur, de se praesentando postea Superiori, ut infra dicetur. Ratio, quia existente impedimento adeundi Papam, restituitur Episcopis potestas ordinaria, non jam vi *Tridentini*, sed vi juris communis. - 84.

Quaeritur 5. Quinam dicantur legitime impediti?

R. Legitime impediti dicuntur mulieres, senes valetudinarii, pueri, pauperes, habentes inimicitiam, *vel alias justas excusationes, quibus ab itinere rationabiliter excusentur.* His verbis comprehenduntur omnia alia justa impedimenta, quae infra adnotabimus. - 85.

Nota. 1. Si impedimentum sit ad breve tempus, tunc innodatus censura reservata non potest ab alio absolvi, nisi urgeat necessitas celebrandi, aut communicandi, nempe ad vitandum scandalum, aut infamiam. 2. Si impedimentum sit ad longum tempus, puta ad annum vel sex menses, tunc, excepto impedimento aetatis puerilis, quisque alius impeditus non debet absolvi, nisi praestito juramento, quod cessante impedimento, ad Sedem Apostolicam quantocius se praesentabit; alias, omittens se praesentare reincidet in eamdem excommunicationem; licet Confessarius omittat hanc obligationem ei imponere, et licet ut est *probabilius*, se omnino emendaverit, ac partibus satisfecerit. Quae praesentatio, potest fieri per procuratorem, excepto casu percussionis Clerici, pro quo taxative exigitur persona. 86 et 87. 3. Si impedimentum sit perpetuum, absoluti omnino manent liberi ab onere comparendi.

Quaeritur 6. Quinam censeantur perpetuo impediti?

R. Censeantur perpetuo impediti sequentes: 1. Filiifamilias. 2. Regulares. 3. Senes, quamvis hi sint potentes ad ambulandum. Nomine autem *senium*, veniunt non solum septuagenarii, sed etiam sexagenarii, non vero quinguagenarii. 4. Servi. 5. Pauperes, scilicet, qui ob inopiam nequeunt Romam petere; secus si inopia iter non impediret, ut evenit in mendicis vagabundis. 6. Carceribus, vel triremibus perpetuo damnati, et similes. 6. Infirmi, scilicet laborantes longa et gravi aegritudine, licet non mortifera. *Salm.* his addunt debiles, sive delicatos non valentes ferre labores itineris; sed pro istis, nisi periculum sit in mora, consulendus est Papa. 8. Cura obstricti alendi, sive administrandi familiam, vel publicum gerendi officium, quod non possit relinqui sine publico detrimento. 9. Mulieres non solum Moniales, de quibus est certum, sed omnes mulieres. 10. Impuberes, quorum absolutio ex jure ordinario datur Episcopis. 11. Qui simul vitam ducunt, ut milites, vel qui in Seminario morantur. 12. Quicumque iter arripere nequeunt sine gravi damno spirituali, vel temporali suo, vel suorum. Ut autem hi supra enumerati dicantur perpetuo impediti, sufficit ut tali impedimento laborent per decennium, et secundum *Tamb.* etiam per quinquennium. - 88.

Quaeritur 7. An impediti adire Romam in persona, teneantur adire saltem per epistolam, aut procuratorem, ad absolutionem a praedictis casibus obtinendam?

R. Affirmat Bon. Haec sententia est *probabilis.* Sed *probabilior* et *communis* est *sententia negativa*; tum quia, stante impedimento Romam adeundi, restituitur ex jure Episcopis potestas ordinaria absolvendi per reservationem Bullae ablata; tum, quia jus non obligat reum, nisi ut personaliter adeat Papam: unde, si id praestare nequit, ad aliud non tenetur. - 89.

Quaeritur 8. An casu quo haereticus sit impeditus recurrere ad Papam, possit Episcopus eum absolvere, juxta sententiam mox supra relatam n. 84. *quaer.* 4., non solum per se, sed etiam per alios?

R. Jam diximas supra n. 83. quod extra casum impedimenti, non potest Episcopus absolvere ab ullo casu in bulla Coenae reservato, et tanto minus delegare. In casu vero impedimenti dicimus *valde probabiliter* posse Episcopum ab omnibus casibus pontificiis, etiam haeresis absolvere, et delegare, non solum specialiter in casu particulari, sed etiam generaliter. Et hoc est juxta *communem* doctrinam AA.; nempe quod omnes qui habent potestatem ordinariam, possunt eam delegare. Et certo in isto casu potestatem ordinariam habent Episcopi, vi juris communis, ut dixi n. 84. - 90.

Quaeritur 9. An quando ob mortis periculum, vel ob aliud impedimentum absolvitur ab inferiore peccatum reservatum, sed absque censura, imponendum sit onus poenitenti ut Superiori se praesentet?

R. Negant Sanch. etc. Sed omnino distinguendum: si peccatum sit absolutum in articulo sive periculo mortis, tunc nulla remanet obligatio se praesentandi ad Superiorem, quia tunc vere directe peccatum fuit absolutum, cum eo casu cesset omnis reservatio, ut recte docent *Suar. etc.*; secus vero si peccatum est absolutum ab inferiore propter aliquod impedimentum adeundi Superiorem extra mortis articulum, quia tunc nullus inferior potest directe absolvere a reservatis, sed tantum indirecte, juxta dicta l. 6. n. 585.-91.

Quaeritur 10. An impediti adhuc Episcopum adire pro his censuris vel

aliis reservatis, possint a quocumque Confessario absolvi?

R. Negant communius Suar. etc. quia hoc in jure conceditur tantum Episcopis, nec in lege positiva valet argui a pari. Sed *probabiliter affirmant Ronc. etc.*, cum onere tamen comparendi ad Episcopum cessante impedimento. Ratio, quia in *C. Nuper* habetur quod impeditus ex justa causa adire Superiorem jus habentem absolvendi a censura, « a suo absolvatur » Episcopo, vel proprio Sacerdote.» Sub nomine autem *proprii Sacerdotis*, venit quidem quilibet Confessarius, ut supra dixi n. 70.-92.

Quaeritur 11. Quomodo Episcopi hanc facultatem sibi concessam in *C. Liceat*, tam dispensandi in irregularitatibus, quam absolvendi a casibus reservatis occultis, possint aliis delegare?

R. Prima sententia dicit non posse Episcopos hanc facultatem generaliter delegare, sed tantum specialiter in aliquo casu particulari qui occurrit. *Secunda* vero *sententia probabilior* docet, bene posse Episcopos generaliter committere hanc facultatem tam dispensandi, quam absolvendi alteri specialiter ad haec deputato. Imo *probabiliter* dicunt *Sanch. etc.*, quod non solum alius specialiter deputatus, sed etiam quicumque, cui Episcopus generaliter suam facultatem committit, potest dispensare in irregularitatibus, et absolvere a suspensionibus reservatis occultis; quia, cum Episcopi eam habeant de jure ordinario, generaliter possunt eam delegare. - 93.

Quaeritur 12. An regulares possint absolvere saeculares a casibus Papalibus?

R. Prima sententia negat ex decreto *Pauli V. Secunda* vero *sententia affirmat*, et docet posse Regulares absolvere saeculares a casibus Papalibus occultis, ex privilegio a *Paulo III* Societati Jesu concesso, in quo omnes communicant Regulares. Ita *Bon. etc.* Nec obstare dicunt laudatum decretum *Pauli V*, in quo fit tantum prohibitio de absolvendis casibus reservatis in decreto *Clement. VIII*; ibi enim tantum casus bullae Coenae et alii sex excepti sunt, nempe percussio Clericorum, duellum, violatio immunitatis, violatio clausurae monialium ad malum finem, simonia realis, et simonia confidentialis in beneficiis. - 96.

Quaeritur 13. An Religiosi possint absolvere saeculares a casibus ab Episcopis sibi specialiter reservatis?

R. Affirmant Suar. etc. Ratio, quia qui potest majus, nempe absolvere a Papalibus, potest minus, scilicet absolvere ab Episcopalibus. Sed omnino tenendum est oppositum, ex prop. 12. damnata ab *Alex. VII*, quae dicebat: « Mendicantes possunt absol» vere a casibus Episcopis reservatis, » non obtenta ad id Episcoporum fa» cultate.» - 98.

Quaeritur 14. An Regulares privilegiati possint absolvere a censuris Episcopis reservatis a jure vel a consuetudine?

R. Adest duplex sententia probabilis. *Prima negat;* quia in decreto citato *Pauli V* fuit Regularibus sublata facultas absolvendi a censuris Ordinariis reservatis. *Secunda* tamen *probabilior affirmat.* Ratio, quia licet in decreto *Pauli V* Regularibus vetetur absolvere a casibus Ordinariis reservatis, attamen hoc *verius* intelligitur de casibus tantum ab Ordinariis sibi reservatis. - 99.

Quaeritur 15. Quam facultatem habent circa casus reservatos Praelati regulares erga suos subditos?

R. Communiter docent DD. posse ipsos subditos absolvere ab omnibus casibus Papae reservatis extra bullam Coenae, ex privilegiis *Pii V*, cujus vi

Praelati regulares in suos fratres et moniales possunt idem, quod Episcopi in suos subditos vi *Trid.* ex *C. Liceat.* Nomine autem *Praelatorum* veniunt Provinciales, et eorum Vicarii in ipsorum absentia, vel alii ab eis Deputati, necnon omnes Superiores locales, Rectores, Priores, Guardiani, etc. 101. Possunt etiam Praelati regulares absolvere Novitios sui Ordinis a censuris papalibus (exceptis casibus Bullae) ante ingressum in Religionem contractis, ex privilegio a Clemente VII concesso. - 102.

Quaeritur 16. An dicti Praelati possini Novitios absolvere etiam a censuris ab Episcopis sibi specialiter reservatis?

R. Negative, ex decreto S. C. edito de mandato *Urbani VIII.* - 103.

Quaeritur 17. An Praelati regulares possint absolvere suos subditos Religiosos a casibus reservatis in bulla Coenae, ac etiam ab haeresi?

R. Quoad saeculares, jam damnata fuit ab *Alex. VII* prop. 4., quae dicebat: « Praelati Regulares possunt in » foro conscientiae absolvere quoscom- » que saeculares ab haeresi occulta, » et ab excommunicatione ob ipsam » incursa. » Quoad subditos vero adsunt tres sententiae. *Prima universe affirmat.* - 104. *Secunda* dicit eos non posse absolvere ab haeresi, sed posse a caeteris casibus Bullae, ex privilegio *S. Pii V.* - 103. *Tertia* dicit eos non posse absolvere ab ullo casu bullae Coenae, nam *Clemens XII* in Bulla *Romanus*, revocavit omnes Constitutiones et privilegia concessa a *Bened. XIII*, et reduxit ad pristinum statum; et cum disceptatum fuit an revocatio facta per *Tridentinum* privilegii Regularibus concessi absolvendi haereticos, esset vel ne intelligenda pro saecularibus non vero pro Religiosis subditis, S. C. judicavit intelligi pro omnibus. - 101.

Quaeritur 18. An Praelati regulares possint absolvere suos subditos a censura ob percussionem alterius Religiosi aut Clerici saecularis?

R. Dicitur *suos subditos;* nam, quoad saeculares, nihil possunt, ex *Clemente VIII et Paulo V*, extra Romam et intra Italiam. Quoad vero Religiosos, affirmatur si Religiosus percusserit alium ejusdem Ordinis, nisi excessus extiterit difficilis et enormis; utpote si ad mutilationem membri, vel ad effusionem sanguinis est processum, aut in Episcopum, aut Abbatem violenta manus injecta. Si vero percusserit Religiosum alterius Claustri, per Abbatem proprium vel ejus qui passus est injuriam, absolvi potest. Si autem percusserit Clericum saecularem, non nisi per Apostolicam Sedem absolutionis gratiam poterit promereri. Sed haec juxta jus commune; nam ex pluribus privilegiis, Religiosi bene possunt absolvi a suis Praelatis, etiamsi percussio fuerit enormis, vel etiamsi Religiosus percusserit alium alterius Ordinis, vel Clericum saecularem.

Quod dicitur de Religioso, dicunt *communiter Pal. etc.* de Novitio percussore, nempe, quod possit absolvi a Praelato, etiamsi ipse crimen commiserit ante ingressum, quia in favorabilibus Novitii habentur ut Religiosi. Addunt tamen *Laym. etc.*, quod Novitius, si egrediatur ante professionem, tenetur se praesentare Sedi Apostolicae, adhuc si fuerit absolutus a Praelato. - 107.

Nota. 1. Qui habet potestatem absolvendi a censuris reservatis Episcopo, non potest vi illius absolvere a reservatis Papae. 109. - 2. Qui habet potestatem absolvendi a reservatis Papae, non censetur posse absolvere a censuris bullae Coenae, eo quod eae censeantur majores, nec comprehendi in concessione generali. 110. - 3. Qui habet potestatem absolvendi a censuris

bullae Coenae, habet etiam a quibusvis papalibus et episcopalibus a jure latis. 112. - 4. Concessa facultas absolvendi a casibus bullae Coenae, non comprehendit facultatem absolvendi ab haeresi, licet occulta. 113. - 5. Facultas data ab Episcopo pro reservatis, non intelligitur pro illis quibus annexa est censura reservata. Secus, si concessio est facta a Papa, dum casus Papales plerumque sunt reservati cum censura et propter censuram. 6. Facultas concessa in Jubilaeo absolvendi ab omnibus censuris reservatis, intelliguntur ex communi usu etiam reservatae ab Episcopis. - 111.

Quaeritur 19. Quomodo danda sit absolutio a censura?

R. Id statuendum est ex natura tum censurae, tum cujusvis absolutionis.

Unde:

1. Ex natura rei non requiruntur certa verba, sed sufficiunt ea signa, quibus aperte significetur absolutio impendi. In foro tamen externo communiter servanda est forma cujusque Episcopatus. In foro autem conscientiae, haec fere est in usu: *Ego te absolvo*, v. g. *a vinculo excommunicationis, suspensionis, etc., quam incurristi propter NN.*, (talem causam) et, (si sit excommunicatus) *Restituo te Sacramentis Ecclesiae, et communioni fidelium*, (aut si sit suspensus) *executioni tuorum Ordinum, vel officiorum. In nomine Patris etc.* - 116.

2. Absolvi a censura potest absens; sed sine urgenti causa non licet eum sic absolvere: neque licet communiter absolvere invitum. - 117.

3. Is, qui pluribus censuris est adstrictus, potest absolvi ab una, relictis aliis. - 118.

4. Absolutio, vi aut metu gravi injuste incusso extorta, non valet; imo, novam excommunicationem incurrit, qui metum incutit. - 119.

5. Absolutio data ab Ordinario, non praestita satisfactione, etsi sit illicita, valida tamen est; imo etiam data a delegato, nisi in delegatione apposita sit clausula *satisfacta parte*. Hoc est *probabilius*. Vide etiam l. 6. n. 537. Omnes autem conveniunt graviter peccare Confessarium, qui censuratum absolverit, parte non satisfacta. - 121.

6. Certum est, quod etiam secuta emendatione, vel satisfacta parte, ad cujus instantiam lata est censura, haec non aufertur sine absolutione. - 122.

7. *Probabilius* est eum, qui habet potestatem absolvendi in foro conscientiae a censura, posse id facere etiam extra Confessionem. Attamen declaratum est a *Greg. XIII* Episcopum non posse absolvere a casibus papalibus occultis extra Sacramentum Poenitentiae. Vide *Tract. de Poenit.* l. 7. n. 593. - 126.

CAPUT II.

DE CENSURIS IN SPECIE.

De Excommunicatione. Suspensione. Degradatione et Depositione. Interdicto.

ARTICULUS I.

De excommunicatione Majori et Minori.

§. 1. *De Excommunicatione Majori.*

De Excommunicationis majoris natura. Effectibus. De Excommunicationibus non reservatis. Reservatis Episcopis. Reservatis Papae extra bullam Coenae. Reservatis Papae per bullam Coenae. De Excommunicatione percussoris Clericorum. Dissertatio super censuris circa Immaculatam B. V. Mariae Conceptionem.

PUNCTUM I.

De Excommunicationis majoris natura.

Excommunicatio major, de qua intelligitur cum absolute fit mentio excommunicationis, est *censura per quam quis privatur omni communione Ecclesiastica*, id est omnibus bonis quorum distributio ad Ecclesiam pertinet.

Excommunicatus excommunicatione majori, alius dicitur *toleratus*, quem fideles non tenentur vitare; alius *non toleratus*, quem vitare tenentur. Post Concilium autem *Constantiense*, tantum sunt vitandi nominatim excommunicati, et publici percussores Clericorum. - 133.

Quaeritur 1. Quid requiritur ut aliquis excommunicatus sit vitandus ?

R. Requiruntur sequentes conditiones: 1. Ut sit nominatim excommunicatus. 2. Ut reus sit publice denuntiatus, puta in Ecclesia, vel per scriptum in loco publico juxta morem regionis. - 137.

Quaeritur 2. An liceat toleratis cum aliis communicare ?

R. Cuicumque, etiam clam excommunicato, interdictum est cum aliis communicare tam *in divinis*, quam *in humanis*.

Quaeritur 3. An liceat fidelibus cum tolerato communicare ?

R. 1. Certum est licere fidelibus communicare cum tolerato *in humanis*. 2. Licitum est pariter fidelibus cum tolerato communicare *in Divinis* in casu necessitatis, vel specialis utilitatis, puta si alius aeque utilis non inveniatur, licite potest quisque a tolerato petere Sacramenta. Ita *Suarez etc.* 138. - 3. *Probabilius* est licere communicare *in Divinis* cum excommunicato tolerato sine necessitate, vel utilitate. Ratio, quia, cum excommunicatus rogatus, v. g. Sacramenta ministrat, nec ipse tunc peccat; nam, si ipse adhuc peccaret, inutilis evaderet concessio facta fidelibus, dum eis saltem indirecte, ratione charitatis prohiberetur communicatio. Quare cum fidelibus communicatio cum excommunicato universe concessa sit, indirecte indultum est etiam excommunicatis cum fidelibus petentibus communicare. Ita *Sanch. etc.* - 139.

Nota. Quod dicitur de excommunicatis, idem dicitur a *communi* DD. de suspensis et interdictis non vitandis. Et idem dicit *Avila* de irregularibus, qui si denuntiati non sunt, non sunt vitandi. - 140.

Quaeritur 4. Quando vitandi sint percussores Clericorum ?

R. Sunt vitandi quando sunt notorii notorietate *facti*, ita ut res sit nota majori parti collegii, monasterii, viciniae, vel magno numero personarum, si regio est magna. - 112. Imo, *probabile est* quod, ut percussor sit vitandus, requiratur notorietas juris, id est, quod reus sit etiam in judicio confessus, vel per sententiam damnatus. - 144.

PUNCTUM II.

De Effectibus Excommunicationis majoris.

Excommunicatio major duplices habet effectus, mediatos et immediatos.

1. Effectus mediati, sive remoti sunt: 1. Irregularitas, quam excommunicatus incurrit, exercendo actum alicujus Ordinis. 2. Si excommunicatus toto anno in excommunicatione contumaciter persistat, et ut jura loquuntur, insordescat, fit suspectus de haeresi, et contra eum, ut talem, procedi potest ideoque si crimen grave, et Beneficii privatione dignum commisit, privandus est Beneficio; imo, etsi crimen non sit adeo grave, si tamen ad haeresis suspicionem purgandam citetur, tamquam haereticus privari debet. - 157.

II. Immediati effectus sunt: 1. Privat susceptione, et usu passivo sacramentorum; unde nullus excommunicatus, sive toleratus, sive non, potest ea licite recipere sub mortali, nisi excuset ignorantia invincibilis, metus mortis, infamia e, jacturae bonorum, etc., quia censura non obligat cum tanto rigore, nisi fiat in contemptum censurae. Dixi *licite*, quia valide suscipit omnia, saltem quoad substantiam. 158.- 2. Privat saltem non toleratos communibus Ecclesiae suffragiis, orationibus et fructu indulgentiae, non tamen privatis. Unde, non tantum quivis privatus, sed etiam Sacerdos, potest tamquam persona privata pro excommunicatis orare, etiam in publicis precibus, et sacro: imo, actionem sacrificandi, prout pendet a merito privato operantis, offerre, vel ejus *in memento* in particulari meminisse. 162.- 3. Privat usu activo Sacramentorum, et administratione. 165.- 4. Privat usu divinorum officiorum, ita ut excommunicatus non tantum careat eorum fructu, sed etiam sub mortali iis nequeat interesse parte notabili, ita ut moraliter censeatur cum aliis communicare, nisi excuset ignorantia, vel necessitas vitandi scandali aliave justa causa. 173. Porro per divina officia intelliguntur Sacrificium Missae, publica oratio, processio, cantus horarum, benedictio olei, aquae, candelarum, et caetera annexa Ordini clericali, quae solemniter fiunt, excepta concione. In quibus fideles tenentur non toleratum sub mortali vitare. 177. Et *nota* tamen quod excommunicatus obligatur ad horas, non excusatur ab illis, etiamsi teneatur ad officium ex solo titulo beneficii. Ita *comm. Laym. etc.* Attamen, *Salm.* notant quod si omnino privetur beneficio, tunc non tenetur amplius ratione beneficii recitare. In recitatione autem non debet dicere: *Dominus vobiscum*, sed *Domine exaudi etc.*, alias venialiter peccaret, ut volunt *Salm.*, aut nullo modo peccaret, ut volunt *Avila etc.* 178. *Nota* etiam, si monitus excommunicatus a Sacerdote, nolit exire, incurrit excommunicationem Papae reservatam. Sicut incurrunt etiam hi omnes qui impediunt ne excommunicatus aut interdictus recedat. 175. Item, si excommunicatus sit vitandus, et monitus nolit ab Ecclesia exire, tenentur Clerici eum, etsi Sacerdotem, expellere, si possint; aut si non possint, ab officiis cessare, etiam in die festo, alias graviter peccant, et excommunicationem minorem incurrunt. Si tamen celebrans canonem inchoavit, potest, caeteris abeuntibus, sacrum prosequi: et si consecravit, debet, solo ministro manente, pergere usque ad communionem inclusive, et reliqua perficere in Sacristia, vel alio decenti loco. 176. et 177.- 5. Irritat omnem collationem Beneficii factam excommunicato, uti et praesentationem, vel electionem, institutionem, et confirmationem. 179.- 6. Privat communicatione forensi. 184. 7. Privat excommunicatum non toleratum usu jurisdictionis. 183.- 8. Privat non toleratum Ecclesiastica sepultura, ita ut non possit in loco sacro seu benedicto sepeliri; et si contrarium fiat, ac corpus discerni possit, debet exhumari, nec in eo loco divina peragi ante reconciliationem. Attamen si excommunicatus decessit cum signis poenitentiae non est exhumandus, sed absolvendus, petita absolutione ab haerede. Dixi *non toleratus*, quia licite sepelitur toleratus in loco sacro, si si cum signis poenitentiae a vita migraverit. *Nota.* Peccant graviter comitantes vitandum ad sepulturam, Clerici canentes etc. Sepelientes autem illum incurrunt excommunicationem majorem. 186.- 9. Excommunicatus privatur omni alia civili communica-

tione fidelium, ita ut ipse non possit cum aliis, et si non sit toleratus, etiam alii cum ipso non possint communicare.- 188.

Quaeritur 1. An excommunicatus excommunicatione majori, recipiens Sacramentum Poenitentiae cum ignorantia inculpabili de censura, sed alias bene dispositus, valide illud recipiat ante absolutionem censurae?

R. Prima sententia negat. Ratio, quia hic, ut membrum abscissum, excluditur omnino ab Ecclesia, et non potest in bonis ejus communicare. *Secunda sententia verior* et *communissima affirmat.* Ratio, quia nullibi ab Ecclesia Sacramentum hoc sic receptum, irritum declaratur; nec Ecclesia potest directe inhabiles reddere ad Sacramentum eos, qui ex jure divino habiles sunt. Vide n. 265.- 159.

Quaeritur 2. An excommunicatus teneatur tollere impedimentum excommunicationis ad implendum praeceptum Missae, vel annuae Confessionis et Communionis?

R. Negant communiter DD. teneri quoad Missam, etiamsi negligens sit in obtinenda absolutione, nisi hoc faciat animo se eximendi ab obligatione audiendi sacrum. Secus tamen dicunt quoad annuam Confessionem et Communionem, cum hoc sit unum ex praeceptis divinis, erga quae tenemur tollere impedimenta. Vide *Tract. de tertio praecep.* n. 325., et *Tract. de Poenit.* n. 662.-161.

Quaeritur 3. An possint offerri Sacrificia etc., etiam nomine Ecclesiae pro excommunicato tantum tolerato?

R. Adest duplex sententia *probabilis. Prima negat,* quia concessio communicandi fuit facta a Concilio in commodum solum fidelium, non autem excommunicatorum. *Secunda affirmat.* Quia leges favorabiles cum omni amplitudine intelligendae sunt; dum igitur concessum fuit fidelibus communicare cum toleratis, concessum etiam fuit orationes publicas pro eis offerre; nam *communicare* id etiam importat.- 164.

Nota 1. Minister conferens Sacramentum excommunicato tolerato, peccaret quidem contra jus divinum, dando Sacramentum indigno; sed non peccaret contra praeceptum Ecclesiae, quia per Concilium *Constantiense*, cuique permissnm est communicare cum tolerato etiam in divinis. Ita *probabilius Suar. etc.* Ex quo inferunt *Salm.* quod si excommunicatus cum ignorantia inculpabili, et alias dispositus, petat Sacramenta, licite potest minister illa ei conferre, eumdem relinquendo in sua bona fide.

2. Excommunicatus, si recipit sacramentum Ordinis, remanet suspensus. An autem incurrat irregularitatem? Vide n. 799. Si vero suscipit alia Sacramenta, peccat quidem graviter, sed nullam poenam incurrit.

3. In articulo mortis *probabilius* potest ministrari excommunicato viatando Eucharistia, etsi ipse sacramentum Poenitentiae non suscepisset; quia praeceptum divinum de viatico sumendo, fortius obstringit, quam prohibitio generalis Ecclesiae non sumendi Eucharistiam. Idem ait *Croix* de Sacramento extremae-unctionis. Sed *probabilius negant Avila etc.* juxta dicta in *Tract. de Sacr. in gener. n.* 88, nisi infirmus non potuerit aliud Sacramentum recipere.

4. In dubio an quis sit absolutus ab Excommunicatione contracta, non est negandum ei Sacramentum, si illud petat, maxime si asserat se esse absolutum, quia nemo praesumitur delinquere.- 160.

Quaeritur 4. An excommunicatus valide ministret Sacramenta?

R. Affirmative, excepto Sacramento Poenitentiae. Ratio, quia ubi esse tialia Sacramenti concurrunt, non pra

sumitur, nec etiam posset Ecclesia illud invalidare. 166. Dixi, *excepto Sacramento Poenitentiae*, nam certum est illud Sacramentum invalide ministrari ab excommunicato vitando sine necessitate. Ratio, quia ad hoc Sacramentum requiritur in Ministro potestas non solum Ordinis, sed etiam jurisdictionis, qua ille privatus est ab Ecclesia. - 167. An autem possit hoc Sacramentum ministrare in articulo mortis licite et valide? Vide *Tract. de poenit. n.* 560., ubi sententiam affirmativam tenuimus. Si autem excommunicatus sit toleratus, valide hoc Sacramentum profecto ministrat; nam hic non privatur jurisdictione, cum hoc expediat ad utilitatem fidelium.

Quaeritur 5. An excommunicatus aliquando licite conferat Sacramenta?

R. Toleratus etsi universe ei sit vetitum sub gravi Sacramenta ministrare, licite tamen confert Sacramentum, ut jam dixi *n.* 139, quoties est requisitus. Imo, *probabiliter* addit *Pal.*, quod si festus dies occurrat; nec alius Sacerdos sit qui missam pro populo dicat, bene potest toleratus celebrare, etsi non rogetur. 169. Excommunicatus vero vitandus nequit etiam requisitus Sacramenta ministrare; *probabiliter* tamen potest ministrare viaticum, et etiam Extremam-Unctionem quando infirmus nequit aliud Sacramentum suscipere. An autem Parochus excommunicatus possit assistere Matrimonio, vel alteri licentiam assistendi praebere? Vide *Tract. de Matrim. n.* 1082. Dicunt autem *Ronc. etc.* quod excommunicatus vitandus etiam licite Sacramenta ministrat, quando alias grave incommodum, puta jacturam famae, vel bonorum timeret, quia praecepta Ecclesiae non obligant cum incommodo gravi. - 170.

Quaeritur 6. Quam poenam incurrat excommunicatus illicite Sacramenta ministrans?

R. Incurrit irregularitatem, sive sit vitandus, sive toleratus. Sic pariter, si solemniter baptizet, aut nuptias solemniter benedicat. Secus si privatim. - 171.

Nota. Qui recepit Sacramentum a vitando sine necessitate, peccat graviter, et excommunicationem minorem incurrit. Qui autem recipit Ordinem ab Episcopo excommunicato vitando, incurrit etiam suspensionem ab exercitio Ordinis suscepti. - 172.

Quaeritur 7. Quandonam excommunicatus privetur communione civili fidelium?

R. Privatur in casibus hoc versu comprehensis:

Os, Orare, Vale, Communio, Mensa negatur.

Dicitur 1. *Os*, per quod intelligitur osculum, et omne colloquium, etiam privatum, item per nutus, litteras, internuntium, et quodvis signum benevolentiae. 189. - 2. *Orare*, id est, omnis communicatio in *divinis*, de qua supra *n.* 173. - 190. - 3. *Vale*, quod comprehendit omnem salutationem saltem honorificam. - 191. *Probabile* est tamen quod liceat exhibere excommunicato signa urbanitatis, v. g. adsurgendo, aperiendo caput, dando locum, sine tamen ulla expressione verborum, modo absit animus salutandi, praesertim si excommunicatus sit Superior. - 192. Quoad resalutationem, licet *probabilius* sit quod sit illicita, non attamen audeo illam reprobare, quia licet excommunicatus non habeat jus ut resalutetur, resalutatio illa non videtur proprie actus honoris, et contra negatio illius videtur quidam actus contemptus, vel saltem inurbanitatis. 193. - 4. *Communio*, quae comprehendit omnem contractum: qui tamen validus est, si fiat. Item, illicita est cohabitatio, cooperatio, societas, ita ut moraliter censeatur communicare; quod prudens aestima-

bit ; unde nec iter cum eo tamquam cum socio facere licet. Nec licet cum eo collaborare, sedere, sub eodem tecto vivere, dormire, intellige per modum societatis ; nam alias, cubare tantum ad quiescendum, etiam in eodem lecto, non vetatur. 194. - *Mensa*, per quam intelligitur omnis convictus, convivia, per modum societatis et commercii, qualis non est, si casu incidas in idem hospitium, iter, mensam, imo lectum. - 195.

Quaeritur 8. Quale peccatum sit communicare cum excommunicato non tollerato?

R. Est mortale in duobus casibus 1. Si communicas cum eo *in divinis*, nisi excuset parvitas materiae. 2. Si communicas in eodem crimine, sive contumacia, ob quam lata est excommunicatio, v. g. si quis suam concubinam excommunicatam post excommunicationem iterum cognoscat. - 196.

Quaeritur 9. An sit mortale frequenter communicare in civilibus cum vitando ?

R. Adest duplex sententia *probabilis; negant Nav., etc.* Quia communicatio in civilibus de se est tantum veniale. Veniale autem per quamcumque multiplicationem non fit mortale. *Affirmant* vero *probabilius Suar. etc.* Quia communicatio etiam civilis cum excommunicato vitando de se videtur materia gravis ; equidem potest esse venialis ex parvitate materiae ; sed si actus multiplicentur, et conjungantur, erit mortalis. - 198.

Quaeritur 10. Quam poenam incurrat communicans cum vitando ?

R. Communicans cum vitando sive *in humanis*, sive *in divinis*, incurrit tantum excommunicationem minorem. Attamen in tribus sequentibus casibus incurrit etiam majorem, nempe : 1. Quando Clericus scienter communicat *in divinis* cum excommunicato a Papa nominatim, et denuntiato. 2. Quando excommunicatio est lata contra aliquem, et simul contra participantes ; tunc enim qui communicat cum illo, post monitionem tamen, incurrit excommunicationem majorem, et non potest absolvi nisi ab eo qui potest absolvere principalem. 3. Quando quis scienter communicat cum excommunicato vitando in crimine criminoso, juxta mox dicta, et hic absolvendus tantum a quo principalis absolvi potest. - 199.

Quaeritur 11. An aliquando liceat cum non tollerato vitando communicare?

R. Affirmative, extra divina, in quinque casibus, qui in hoc versiculo continentur :

Utile, Lex, Humile, Res ignorata, Necesse.

1. *Utile*, intelligitur in casu utilitatis, sive spiritualis, sive temporalis excommunicati, vel alterius. 201. 2. *Lex*, id est in casu legis matrimonialis. Unde, licet tam excommunicato, quam ejus conjugi petere et reddere debitum, ut periculum incontinentiae vitetur, et in aliis omnibus mutuo conversari. Permittitur etiam tam conjugibus quam filiis, famulis, etc. communicare cum excommunicato, ut debitum ei obsequium praestent. Sed non eis licet cum eo communicare *in divinis*. In tribus etiam casibus nequeunt tales conjuges inter se communicare, nempe: Primo, quando ipsi sunt jam per divortium separati. Secundo, quando excommunicatio lata est propter dubium valoris matrimonii. Tertio, quando alter conjugum est ob haeresim excommunicatus. 202. 3. *Humile*, id est in casu subjectionis, quo modo possunt filii etiam emancipati, item adoptivi, illegitimi, imo etiam nepotes, pronepotes et in eodem genere affines, ut nurus, privigna, communicare possunt parenti ; ancillae domino, Reli-

giosi Praelato, milites cum duce etc. 293. Et *nota*, sicut filii, uxores, famuli possunt cum excommunicato communicare, ita parentes, mariti et domini possunt communicare cum filiis, uxoribus et famulis excommunicatis. 204. 4. *Res ignorata*, id est in casu ignorantiae *juris* vel *facti*; et *satis probabiliter*, licet ignorantia sit culpabilis et crassa. Ita *Suar. etc.* 205. 5. *Necesse*, id est in casu necessitatis gravis animae, sive corporis, sive bonorum temporalium, communicantis, vel excommunicati, vel aliorum.

Nota. Nemo tenetur excommunicatum vitare, nisi moraliter ei constet illum esse vitandum, vel ad minus sciat per publicam famam, vel per testimonium duorum saltem dignorum fide. 207.

PUNCTUM III.

De Excommunicationibus non reservatis ex jure antiquo.

I. Contra omnes. 1. In vexantes Ecclesiasticos, quod non elegerint eum pro quo rogati fuerunt. 2. In directores Monialium, si foveant discordias in electione. 3. In extorquentes absolutionem a censura per vim, aut metum. 4. In compellentes ecclesiasticos, ut laicis submittant jura Ecclesiae. 5. In docentes leges, vel medicinam Religiosos, qui dimiserunt habitum, vel eos retinentes in suis scholis. 6. In sepelientes tempore interdicti, vel interdicto, vel excommunicatos non toleratos, vel manifestos usurarios. 7. In impedientes Visitatores Monialium. 8. In contrahentes Matrimonium in gradibus prohibitis, vel cum Monialibus. 9. In edentes glossas in Tridentinum. 10. In imprimentes libros sine Superiorum licentia. 11. In praecipientes suis subditis, ne officia communia Reipub. exhibeant Ecclesiasticis, v. gr. ne his vendant, etc., et videtur reservata in bulla Coenae. 12. In doctores et professores non facientes professionem fidei, ubi recepta est Bulla 88. *Pii V.* 13. In negligentes administrare justitiam Ecclesiasticis. 14. In potestates faventes usuris. 15. In eos qui ratas habent collationes ordinum et Beneficiorum a schismaticis. 16. In eos qui titulo regaliae, aut defensionis occupant bona Ecclesiae vacantis. 17. In eos qui procurant ut conservatores Regularium se immisceant in aliis quam in manifestis injuriis, et violentis. 18. In eos qui ex judicibus accedunt ad mulieres ex causa ficta ad excipiendum testimonium. 19. In eos qui mandant interfici Christianos per assassinos. 20. In eos qui concedunt, vel concessas repraesalias extendunt adversus Ecclesiasticos. 21. In eos qui sequestrum ab ordinario super Beneficio factum impediunt, vel fructus occupant. 22. In eos qui pingunt, inaurant, etc. Agnos Dei a Pontifice benedictos. 23. In eos qui non denuntiant S. Officio, vel Ordinario haereticos, magos, sortilegos, vel haereticaliter blasphemantes Deum, B. Virginem et Sanctos. 24. In dominos qui permittunt agitationes taurorum in terris suis, nempe periculosas, exceptis regnis Hispaniarum. 25. In eos qui faciunt servari statuta contra libertatem Ecclesiasticam. Et haec videtur reservari in bulla Coenae. 209.

II. Contra Clericos. 1. In Clericos in dignitate constitutos, aut Sacerdotes audientes publice jus, aut medicinam. 2. In Sacerdotes recipientes praefecturas sacculares. 3. In Clericos minores Episcopis locantes domos usurariis. 4. In alienantes bona Ecclesiae, vel locantes ultra triennium. 5. In impugnantes in concionibus Montes pietatis. 6. In contrahentes matrimonium, si sint in Sacris. 7. In ficte

resignantes, vel permutantes Beneficia. 8. In praesumentes absolvere a casibus bullae Coenae. 9. In eos qui se ingerunt in alterius Episcopatum ad Officium, sine licentia proprii Episcopi. 10. In eos qui procurant ut alii occupent jura, et bona Ecclesiarum vacantium. Et haec videtur reservata in *Trid.*-210.

III. Contra Religiosos. 1. In audientes leges, vel medicinam extra claustra. 2. In habitum temere dimittentes, vel matrimonium contrahentes. 3. In instituentes novum Ordinem, vel locum acquirentes sine licentia Papae. 4. In adeuntes Curias Principum ad nocendum suis Monasteriis, vel praelatis 5. In tenentes arma sine licentia intra claustra. 6. In non servantes interdictum, quando servatur a Cathedrali. 7. In eos qui non adimplent disposita in bulla *Alex. VII* in visitatione monialium sibi subjectarum. 8. In eos qui occupant decimas Ecclesiis debitas, vel illas solvi prohibent. 9. In eos qui ex mendicantibus recipiunt novas domos; vel receptas alienant, sine licentia Papae. 10. In eos qui non observant interdictum a Papa, vel ab Episcopo positum. 11. In eos qui de Capucinis recipiunt Minores de Observantia sine licentia Papae aut Ord. Gener., et qui recipiuntur.

IV. Contra Episcopos. 1. In eos qui veniunt ad urbem, et inde recedunt sine licentia Papae. 2. In eos qui impetrant a principibus litteras ad dignitates.-211.

Supra dictis adjectae sunt a *Tridentino* sequentes, quae valent ubi illud est receptum.

1. In imprimentes, imprimi mandantes, vendentes, apud se retinentes, vulgantes libros de rebus sacris, sine nomine auctoris, et approbatione ab Ordinario obtenta. 2. In docentes non esse necessariam Confessionem ante sumptionem Eucharistiae. 3. In raptores mulierum juvantes, faventes. 4. In cogentes contrahere matrimonia cum praescriptis. 5. In Magistratus, qui requisiti, non juvant Episcopos ad restituendam clausuram Monialium. 6. In ingredientes, cujuscumque conditionis, vel sexus fuerint, Monasteria Monialium sine licentia in scripto obtenta. 7. In cogentes mulieres ingredi Monasterium, et profiteri. 8. In impedientes sine justa causa sanctam voluntatem mulierum emittendi votum. 9. In dominos temporales, concedentes in terris suis locum pro duello.

Quaeritur 1. An incurrant excommunicationem relatam in cogentes mulieres ad ingrediendum Monasterium, qui cogunt feminam non ut profiteatur, nec ut habitum sumat, sed ut ibi honeste educetur?

R. Affirmant Suar. etc., ex *Tridentino*, ubi excommunicantur « qui » cumque coegerint aliquam virginem, « vel viduam, aut aliam quamcumque mulierem invitam, praeter in » casibus jure expressis, ad ingredien» dum Monasterium vel ad suscipien» dum habitum cujuscumque Religio» nis, vel ad emittendam professio» nem. » Ex concilio ergo incurrit censuram ille qui cogit feminam vel ad ingressum Monasterii, vel ad susceptionem professionis *Negat* vero *Sanch.*, quia in *Tridentino* damnantur tantum cogentes ad ingrediendum Monasterium vel ut suscipiant habitum, vel ut emittant professionem; ergo non damnantur cogentes ad ingressum in Monasterium educationis causa. Prima sententia mihi videtur *probabilior.*

Quaeritur 2. An incurrant excommunicationem parentes inducentes puellam ad ingressum Monasterii vel susceptionem habitus, ex metu reverentiali orto ex declaratione voluntatis parentum?

R. Affirmat de Alex. Sed *probabi-*

lius negat Barb., quia simplex educatio sive suasio non est coactio. Secus vero ait *Rodrig.*, si preces sint instantissimae, et saepius inculcatae. Addunt *Suar. etc.*, licite posse cogi puellas ad ingrediendum Monasterium propter cautionem, vel ob aliam justam causam secundum jura. Hinc dico, quod etsi absolute loquendo non liceat eas cogere ad ingressum causa melioris educationis, si tamen contra prudens accedat suspicio, quod illa in saeculo manens, pravis moribus imbueretur, puta si videretur nimis propensa ad conversandum cum maribus, vel si domi haberet unde facile sumeret scandalum ex propinquis, aut famulis, tunc non auderem damnare cogentes eam, ut cautionis gratia Monasterium intraret; nam eo casu utique finis Concilii prohibentis hujusmodi coactionem cessaret, non solum adaequate, sed etiam contrarie, cum alias si non fieret coactio, majus malum eveniret. Vide *Tract. de Leg. n.* 199.

Quaeritur 3. An incurrant excommunicationem, qui cogunt mares ad Religionem ingrediendam?

R. Affirmat Pal., quia eadem ratio finalis currit in maribus, quae in feminis. Sed *communiter* et *verius* negant *Suar. etc.* Ratio, quia a Concilio dumtaxat excommunicatio fertur contra cogentes feminas, non mares: in poenalibus autem non fit extensio de casu ad casum, licet eadem ratio procedat; praeterea, pro maribus non currit eadem ratio, quam pro feminis, quia facilius et frequentius mulieres quam mares inducuntur invitae ad Religionem suscipiendam. Quamvis vero hujusmodi cogentes excusentur a censura, nullo tamen modo excusari possunt a gravi culpa.

Nota. Insuper a *Tridentino* excommunicantur « qui sanctam virginum, » vel aliarum mulierum voluntatem » veli accipiendi, vel voti emittendi » quoque modo sine justa causa im» pedierint. » Nomine *veli* intelligitur professio Religiosa, quae fit per veli susceptionem. Nomine autem *voti* non intelligitur votum simplex castitatis, aut Religionis, sed eadem professio cum tribus votis, sine tamen susceptione veli et ut fit in aliquibus Monasteriis. Ita *Suar. etc.*

Quaeritur 4. An incurrat excommunicationem qui tantum impedit puellam, ne Monasterium ingrediatur ad habitum suscipiendum?

R. Negant Sanch. etc., quia decretum Concilii est cum rigore accipiendum, nempe tantum cum professio impeditur. Sed *probabilius affirmant Suar. etc.*; qui enim impedit puellam ne habitum suscipiat vel ne ingrediatur Monasterium ad habitum suscipiendum, impedit consequenter ejus professionem. Et recte subdunt *Bon. etc.*, hanc excommunicationem incurrere etiam qui dolo impediunt puellam, ne fiat Religiosa, non autem solis precibus. - 212.

PUNCTUM IV.

De Excommunicationibus reservatis Episcopis.

1. Illa, quae contrahitur ex levi percussione Clerici, vel gravi si sit mulier vide infra ex *n.* 279.-2. In eos qui absoluti in articulo mortis a censura, vel peccato habente censuram annexam, ab eo qui alias non poterat, non se praesentant Superiori, postquam convaluerint; intellige, quando censura reservata erat ab Episcopo. Vide *n.* 92.-3. In fratres Minores, si admittant in suis Ecclesiis ad Officia divina fratres tertii Ordinis. 4. In procurantes abortum foetus animati, effectu secuto. Vide *Tract. de quinto Praecept., n.* 395. Ab hac excommunicatione etiam possunt absolvere Regulares. 5. In eos qui communicant in eo-

dem crimine cum excommunicatis ab Episcopo. 6. Hae omnes quas ferunt Episcopi per propria statuta, et sibi reservant, quas Confessarii videant in agendis.-213.

Nota sequentia circa excommunicationem latam ex vi Monitorii ad revelanda aliqua crimina. 1. Si crimen non vergit in alicujus tertii damnum, nemo tenetur illud revelare, nisi praecedat infamia, sive rumor ortus ex probis hominibus per majorem partem viciniae, aut collegii. Ratio, quia sine tali infamia non potest Superior de illo crimine inquirere. 2. Si delictum vergit in damnum commune, etiamsi sit occultum, tunc revelandum est, nisi tamen firmissima sit spes quod correctio foret profutura. 3. Si delictum cedit in damnum tertii, distinguendum: quando crimen est jam commissum, et ita occultum est, ut probari non possit, non est revelandum. Secus vero si probari possit crimen saltem per unum alium testem. 4. Quando autem in Monitorio non praecipitur denunciare, sed testificari, tenetur quisque manifestare si praecedat semiplena probatio, etsi non possit probare.-214.

PUNCTUM V.

De Excommunicationibus Papae reservatis extra bullam Coenae.

1. *Contra omnes.* 1. In incendiarios, modo sint ab *homine* excommunicati et denuntiati. 2. In habentes litteras Apostolicas falsas, et non destruentes; item, in falsarios litterarum Apostolicarum. 3. In effringentes et spoliantes Ecclesias. 4. In communicantes eodem crimine cum excommunicatis a Papa. 5. In vexantes eos qui censuram in alios tulerunt. 6. In absolutos ab excommunicatione, sub conditione, et non implentes. 7. In violantes interdictum Papale. 8. In dantes et recipientes aliquid ex pacto, ob admissionem ad Religionem. 9. In Simoniacos reales circa Ordinem, vel Beneficium. 10. In committentes simoniam confidentialem. 11. In impedientes executionem litterarum Sacrae Poenitentiariae. 12. In dantes et recipientes aliquid pro gratia, aut justitia apud Sedem Apostolicam. 13. In committentes duellum, et ad id cooperantes, suadendo, etc. 14. In mulieres ingredientes Monasteria Regularium. 15. In impugnantes institutum Societatis JESU. 16. In facientes jurare illicita, et contraria libertati Ecclesiasticae. 17. In rapientes bona Ecclesiastica, item, in exigentes tributa ab Ecclesiasticis. 18. In violantes libertatem Ecclesiasticam, quoad fugientes ad Ecclesiam. 19. In docentes posse fieri confessionem in absentia. 20. In eos qui alterutram opinionem de Conceptione B. Virginis damnant peccati mortalis, vel haereseos; item, in eos qui in concionibus, aliisque publicis actionibus, ut lectionibus, conclusionibus, asserunt B. Virginem conceptam in originali. Vide ex n. 144. 21. In percussores Clericorum, quae cum celebris sit, et multa scitu necessaria habeat, agetur de ea particulariter infra. 22. In perseverantes per annum in excommunicatione lata a Delegato Papae. 23. In offendentes Cardinales. 24. In exigentes tributa a personis Ecclesiasticis. 25 In violantes interdictum modis prohibitis. 26. In exenterantes corpora Sanctorum. 27. In mentientes personas in litteris Apostolicis, ut earum executionem gratis assequantur. 28. In simulantes et supponentes se alios esse pro obtinendis Beneficiis a Dataria. 29. In mittentes litteras aut nuntium in Conclave, vel inde recipientes. 30. In occupantes bona Ecclesiarum, Montium pietatis, seu alterius loci pii vel impedientes ne ab iis ad quos jure pertinent, percipiantur. 31. In feminas et masculos ingredientes septa Monaste-

riorum Monialium praetextu licentiarum in casibus non necessariis. 32. In capientes et retinentes Christianos habitantes inter Turcas, et illorum bona eripientes, aut remigare cogentes. 33. In publicantes Indulgentias, et facultatem dantes eligendi Confessores iis qui aliquid solvunt. 34. In accipientes et retinentes fructus Beneficii vacantis, vel impedientes Beneficii possessionem non solventibus dulciaria, sive aliam solutionem. 35. In diripientes animalia, et bona vel illa ablata ementes ex Statu ecclesiastico. 36. In extrahentes frumentum, blada, legumina, et oleum extra Statum Ecclesiasticum sine licentia. 37. In docentes aut defendentes etiam disputative opiniones damnatas.-218.

II. *Contra Clericos et Religiosos.* 1. In participantes in sacris cum excommunicatis a Papa. 2. In procurantes alienationes Ecclesiarum. 3. In Concionatores, qui Scripturae sensum a Doctorum interpretatione alienum circa tempus Antichristi et extremi judicii aliaque similia revelata praedicant. 4. In Parochos non implentes juramentum de residentia factum. 5. In Mendicantes transeuntes ad alium Ordinem praeter Carthusianum. 6. In Moniales exeuntes claustris sine licentia. 7. In religiosos qui sine privilegio, vel speciali licentia Parochi, Clericis aut Laicis Sacramentum Eucharistiae, vel Unctionis ministrare vel Matrimonia solemnizare praesumunt. 8. In inducentes ad jurandum de eligenda vel electa non immutanda sepultura in eorum Ecclesiis. 9. In Commissarios, seu delegatos interponentes Decretum per gratiam, aut timorem, vel sortes in alienatione bonorum Ecclesiae, aut per alios fieri alienationem dolose procurantes. 10. In Praedicatores non servantes Decreta circa eos lata in Concilio Lateranensi. 11. In absolventes sub pretextu privilegiorum a casibus bullae Coenae, vel Ordinariis reservatis. 12. In consentientes usurpationibus bonorum Ecclesiarum. 13. In euntes ultra mare sine licentia Superiorum. 14. In Superiores non denunciantes Religiosos qui sunt suspecti de haeresi Inquisitoribus vel Ordinariis locorum. 15. In Minores de Observantia subornantes vota in electionibus. 16. In Claustrales recipientes Minimos sine licentia Papae. 17. In Tertiarios portantes habitum Minorum. 18. In Episcopos qui conferunt Beneficia contra praescriptum *S. Pii V*, in eorum manibus resignata. 19. In Cardinales ambientes Papatum, et simoniacos ejus causa. 20. In Cardinales simoniacos in Beneficiis. 21. In judices, officiales, laicos, ac Praelatos Ecclesiasticos trahentes personas Ecclesiasticas ad forum laicale. 22. In dominos temporales, qui in terris suis, suppositis interdictis, cogunt celebrare et audire Divina Officia. 23. In officiales ac dominos temporales bannientes, seu facientes, et mandantes banniri personas Ecclesiasticas. 24. In officiales, judices, et dominos temporales percutientes vel bannientes Episcopos, vel haec mandantes, aut facta ab alio ratificantes. 25. In Principes et dominos temporales concedentes locum, vel permittentes duellum in terris suis. 26. In Episcopos et inquisitores, eorumque substitutos, qui faciendo vel omittendo contra diffamatos de haeresi, delinquunt in officio. 27. In gubernatores civitatum, et locorum Status Ecclesiastici, recipientes munera praeter comestibilia. 28. In violantes clausuram Religiosorum aut Monialium ad malum finem, id est libidinosum. Item, in viros et mulieres ingredientes claustra Monialium praetextu facultatum, et Superiores ingredi facientes aut permittentes. Item, in mulieres ingredientes claustra Religiosorum pretextu facultatum ex bulla *Gregorii XIII*. Item,

in omnes mulieres intrantes monasteria Religiosorum, etiam sine praetextu facultatum ex bulla *S. Pii V.* Superiores autem ac quicumque Religiosi introducere illas praesumentes ipso facto contrahunt privationem officiorum, et inhabilitatem ad illa, et alia obtinenda, necnon suspensionem a Divinis sine alia declaratione. Insuper *Bened. XIV* decrevit quod feminae ingredientes clausuram Religiosorum incurrant ipso facto excommunicationem pariter reservatam, etiamsi praetextu pietatis et religionis ingrediantur. 29. In defendentes esse licitam praxim excipiendi nomen complicis in confessione scripto, aut verbo aut impugnantes Decreta contra hujusmodi praxim; aut temere ea detorquentes seu interpretantes in alienum sensum.-219.

Quaeritur 1. A quo debeat concedi licentia ingrediendi monasteria Monialium?

R. Si monasteria sint Episcopo subjecta, certum est ipsi competere jus concedendi licentiam, auctoritate propria, delegata vero si monasterium immediate subsit Summo Pontifici. Idem *probabiliter* docent *Sanch. etc.*, de Praelatis habentibus jurisdictionem quasi Episcopalem in aliqua Dioecesi, et de Vicariis Generalibus Ordinum Militarium, quia hi sunt vere Ordinarii, aut saltem nomine Ordinariorum comprehenduntur.

Quaeritur 2. An possit hanc licentiam dare Vicarius Generalis Episcopi?

R. Satis probabiliter docet *Sanch.*, quod in Monasteriis subjectis Episcopo, Vicarius Generalis bene potest licentiam concedere sine speciali mandato. Secus vero dicendum de iis quae potest Episcopus de jurisdictione delegata. Unde, recte subdit *Sanch.* in monasteriis Sedi Apostolicae subjectis Vicarium Generalem non posse dare licentiam sine speciali mandato Episcopi.

Quaeritur 3. A quo sit concedenda licentia, si monasterium Regularibus subsit?

R. Probabilius docent *Bon. etc.*, quod concedi potest et debet a solo Praelato Regulari, scilicet a Generali aut Provinciali, vel etiam ab immediato Superiore monasterii; nisi adsit consuetudo quod concedatur ab Episcopo; quod valet etiam pro monasteriis exemptis, ex Decreto S. C.-224.

Quaeritur 4. Quae causa requiratur ad hanc licentiam concedendam?

R. Non sufficit quaelibet causa, sed requiritur necessitas ex parte monasteri, quae necessitas non stricte, sed late sumitur; intelligitur enim necessitas moralis, nempe cum intervenit quaevis causa rationabilis, sive probabiliter justa. In necessitatibus autem urgentibus, quae moram non patiuntur, et alias grave damnum immineret, non requiritur ulla licentia ad ingrediendum, prout in casu mortis, incendii, violentiae, et similium, quia lex humana in tanto discrimine non obligat; et praeterea tunc rationabiliter praesumitur licentia concedi immediate a Papa, nisi Abbatissa habeat generalem facultatem a Praelato praebendi licentiam.-225.

Nota. 1. Medicus non potest ingredi nisi ex licentia renovata in singulis trimestribus, ex Decreto S. C., nec non debet associari a duabus monialibus senioribus, et intrare solus nisi infirmitas sit valde gravis. Medicus vero extraordinarius nequit ingredi ad libitum monialium, sed tantum in defectu Ordinarii, vel quando cum Ordinario habendum est colloquium. 2. Chirurgus potest quidem intrare ad secandam venam, et etiam pharmacopola ad docendum, si opus, sit quo modo medicamentum sit parandum. 3. Factores, Notarii, et similes etiam ingredi possunt si necessitas urgeat, puta ad judicandum de ruina immi-

nente, ad faciendum testamentum puellae; sic etiam ingredi possunt, ex licentia, fabri, hortulani, fabricatores, putearii, putatores, molitores et similes, qui artem suam non possunt extra commode exercere: item, bajuli, ad ferendam quae a monialibus ferri non possunt. Si autem licentia nominatim sit data pro uno bajulo, isto deficiente, non potest alius substitui, nisi licentia esset indeterminata, v. g. *ut bajulus ingredi possit.* 226.-4. Confessarius vero ingredi potest ad administranda Sacramenta Poenitentiae, Eucharistiae, et Extremae-Unctionis moniali aegrotanti, quae ad Confessionale non potest accedere. Et non solum in periculo mortis, sed quoties ex praescripto regulae dispensatur Communio; item, quoties illa monialis communicare consueverit. Ita *communiter Bon. etc.*, ex decreto S. C.

5. Confessarius ingredi debet indutus superpelliceo, et stola, atque sic ibi morari; debetque egredi, quin ad aliam monasterii partem se divertat, etiamsi esset ad visitandam aliam infirmam, quae tamen non indigeat Sacramentis. 6. Confessarius saecularis intrare debet sine socio, ut S. C. declaravit; regularis vero debet habere socium probatae vitae, et maturae aetatis. 7. Dum Confessarius Confessionem audit, debent assistere comitatrices ad januam, ita ut eum videre possint. 8. Potest Confessarius ingredi et pernoctare in monasterio, si monialis laboret in extremis.-227.

Quaeritur 5. An qui est ingressus monasterium cum licentia, incurrat excommunicationem, aut graviter peccet, si finito negotio, statim non egrediatur?

R. Non incurrit censuram, licet ipse multum immoretur, quia clausura tum solum violatur, cum sine licentia usurpatur ingressus; et hoc, ait *Sanch.*, procedere etiamsi quis immoretur ad malum finem. E contrario, non excusatur a peccato mortali, si mora sit longa, quia delinquit adversus obligationem censurae, secus si mora sit brevis, cum in hoc praecepto non immorandi bene admittatur parvitas materiae. Imo, *Sanch. etc.*, dicunt eum qui parum immoratur excusari etiam a veniali, tum quia sic usu receptum est etiam apud viros timoratae conscientiae; tum quia, cum hoc praeceptum sit morale, morali modo accipiendum est. In hoc autem brevem moram censet *Diana* esse quadrantem.-228.

Quaeritur 6. An Moniales aliquando incurrant excommunicationem papalem?

R. Moniales clausuram violantes, necnon alii concedentes illis violare, siva eas comitantes, aut receptantes pariter, excommunicationem papalem incurrunt, ex Const. *S. Pii V.* Excusatur tamen egressio, si adsit justa causa, nempe magni incendii, vel infirmitatis, leprae, aut epidemiae, et similium, ut inundationis fluminis, aedificii ruinae, etc. Nomine autem *epidemiae* dicunt *Bon. etc.*, venire non solum morbum vere pestilentem, sed quemcumque morbum contagiosum, qui alios inficere soleat. E converso, recte ajunt *Bon. etc.* non sufficere ad egrediendum infirmitatem gravem sine periculo infectionis aliarum, tum quia hic casus non excipitur in Const. *S. Pii;* tum quia alias magnum sequeretur damnum clausurae, cum tales morbi monasteriis sint frequentes. Docent autem *Sanch. etc.*, Monialem, finita curatione, aut cessante causa egressus, statim teneri reingredi: illud tamen *statim* recte dicunt intelligi moraliter; unde, excusant Monialem a mortali, si moretur extra per unum vel duos dies.

Nota. Quando patet aditus et tempus, nempe si periculum patitur mo-

ram, requiritur omnino ex praefata bulla *S. Pii V* ad egrediendum licentia in scriptis ab Episcopo, et etiam a Praelato regulari, si monasterium sit exemptum.

Quaeritur 7. An incurrat excommunicationem Monialis egrediens extra monasterium ad unum tantum pedem?

R. Negant Croix etc., si statim redeat. Sed *probabilius affirmant Bon. etc.* Valde tamen rationabiliter excusanda est Monialis, quae non egreditur toto corpore extra clausuram.

Nota. Unaquaeque Monialis debet dormire sola: ideoque tot cellae in uno Monasterio faciendae sunt quot ibi degunt Moniales. Sic etiam S. C. Episcop. pluries statuit puellas commorantes in monasteriis Monialium causa educationis, debere habere locum separatum a Monialibus pro earum dormitione, sicut et operibus.-229.

Quaeritur 8. An adsit excommunicatio Papae reservata contra mulieres violantes clausuram Religiosorum?

R. Affirmative; vide superius n.219: excipiuntur tamen ab hac prohibitione sequentes: 1. Reginae, Electrices, et similes, earumque filiae. 2. Fundatrices, quae fundum concesserunt, vel situm Monasterii, vel propriis sumptibus illud aedificare fecerunt, aut reditibus dotaverunt; dummodo, ex *Bened. XIV*, habeant privilegium a Sede Apostolica in forma brevi, illudque exhibeant Ordinariis, vel Praesulibus monasterii. 3. Feminae necessariae ad curationem alicujus Religiosi, intellige cum licentia Superioris; vel quae fugerunt ad evitandam necem-231.

Nota. In Concilio Lateranensi, anno 1179, lata fuit excommunicatio ferendae sententiae ab Episcopo contra laicos, et suspensio in Clericos frequentantes monasteria Monialium. Circa autem Regulares, ipsis jam prius specialiter interdictus fuerat accessus ad colloquendum cum Monialibus; sed hodie videtur Regulares licite posse accedere toties quoties ad colloquendum cum Monialibus ex licentia Episcopi.-232.

PUNCTUM VI.

De Excommunicationibus Papae reservatis per bullam Caenae.

1. In haereticos, quae extenditur non tantum ad fautores, receptatores, defensores haereticorum, ut sic, sed etiam in *scienter retinentes, legentes, imprimentes, et defendentes libros haereticorum de religione tractantes, vel haeresim continentes, ex quavis causa publica, vel occulta, quovis ingenio vel colore.* 281.-2. In surripientes bona Christianorum naufragantium, sive in navibus existentia, sive in mari ab eis ejecta, sive in littore inventa. 309. 3. In dominos, qui in terris suis sine privilegio imponunt pedagia, id est, tributa pro transitu personarum, sive rerum, vel pro refectione, et custodia viarum, aut gabellas, id est, impositiones pro delatione, et venditione mercium. Tale autem privilegium habent omnes Principes supremi, prout Pontifices; Reges autem, Respublicae, et Universitates, ad subveniendum Civium necessitatibus bene etiam possunt collectas sibi imponere. 310.-4. In piratas interficientes, aut depraedantes Christianos in mari Ecclesiastico. 5. In falsificatores litterarum apostolicarum. 6. In transmittentes arma, sive armorum materiam ad hostes infideles, sive haereticos declaratos. 7. In injuste impedientes deferri victualia ad Romanam Curiam. 8. In vexantes eos qui accedunt vel recedunt a Romana Sede ob negotia ad illam spectantia. 9. In vexantes peregrinos, qui devotionis causa Romam petunt. 10. In ve-

xantes seu ejicientes Episcopos, Legatos, vel Nuntios a suis Dioecesibus, necnon id mandantes, ratum habentes, faventes, etc. 11. In percutientes aut expoliantes eos, sive eorum procuratores, qui Curiam Romanam pro suis negotiis petunt. 12. In appellantes sub privato pretextu ad curias laicales in causis Ecclesiasticis, ad impediendas litteras Apostolicas. 13. In eos qui auctoritate laica, vel praetextu exemptionis, causas spirituales, vel ipsis annexas ad se avocant a judicibus Ecclesiasticis, etc. 14. In eos qui ex quovis colore trahunt vel trahi faciunt personas Ecclesiasticas ad tribunal laicale, etc. 15. In impedientes judices Ecclesiasticos sua jurisdictione uti. 16. In usurpantes jurisdictionem, et fructus Beneficiorum. 17. In imponentes onera Ecclesiasticis; qui tamen tenentur contribuere, quando imponuntur collecte pro refectione v. g. viarum, fontium etc. 18. In se interponentes sine jurisdictione in causis criminalibus contra Ecclesiasticos. 19. In usurpantes jurisdictionem in terris Ecclesiae Romanae. 20. Denique, ex bulla *Clement. VII*, in omnes sine facultate absolventes ab excommunicationibus bullae Coenae extra mortis articulum. - 311.

Quaeritur 1. Quid requiratur, ut incurratur excommunicatio contra haereticos lata?

R. Requiruntur sequentes conditiones: 1. Ut haeresis sit formalis, nempe ex errore intellectus, et cum pertinacia. 300. - Ut error internus externe significetur per verba, aut signa ex se, vel ex circumstantiis haeresim manifestantia. 308. - 4. Ut actio haeresis manifestativa, sit mortaliter mala. 4. Ut haereticus suam haeresim manifestet animo eam profitendi. - 304.

Quaeritur 2. Quid requiratur ad incurrendam excommunicationem latam in scienter retinentes, legentes, etc. libros haereticos?

R. Ad hanc excommunicationem incurrendam requiruntur quatuor conditiones: 1. Ut auctor libri sit haereticus. 2. Ut liber haeresim expresse contineat, vel de religione agat. 3. Ut legatur materia notabilis, et sufficiens ad mortale. 4. Ut *scienter* legatur, imprimatur, vel retineatur. - 281.

Unde:

1. Incurrunt excommunicationem legentes manuscripta haereticorum. - 293.

2. Non incurritur excommunicatio, si retineantur libri parvo tempore v. g. uno alterove die. Imo *Sanch. etc.*, excusant eum, qui retinet librum longiori tempore, expectans tempus oportunum ad tradendum Superiori, vel alii licentiam habenti. - 295.

3. Non excusatur is, qui librum vel in aliena domo, vel alieno nomine, vel animo non legendi habet. Item nec is qui affirmat non esse exurendum. Item, qui impedit ne comburatur, qui disputationis causa defendit. - 297.

4. Non excusatur is qui legit scholia haeretici in libro catholico, si adnotationes sint libro majores. Imo, juxta *Croix*, licet scholia mole sua non adaequarent librum. - 286.

5. Excusatur qui legit aut retinet librum cum ignorantia crassa facti vel juris; quia in bulla damnantur *scienter* legentes etc.; sed nullo modo excusatur qui legit aut retinet, sciens ex fama publica, vel saltem a viro fide digno librum esse prohibitum. - 296.

6. *Probabilius* excusatur qui audit legentem, modo non induxerit ad legendum. - 292.

PUNCTUM VII.

De Excommunicatione percussoris Clericorum.

Haec excommunicatio sic fertur: « Si quis, suadente diabolo, in Cle» ricum vel Monachum violentas ma-

» nus injecerit, anathematis vinculo » subjaceat; et nullus Episcoporum » praesumat illum absolvere, nisi » mortis urgente periculo, donec Apo» stolico conspectui praesentetur, ut » ejus mandata recipiat. » - 264.

Dicitur 1. *Si quis :* intellige cujuscumque sexus, aut status, etiam impuber dummodo rationis compos, et doli capax, quamvis impuberes possint absolute absolvi ab Episcopis, etsi post pubertatem absolutionem petant. 265. Extenditur autem haec excommunicatio ad efficaciter mandantes, consulentes, consentientes; ad ratihabentes percussionem suo nomine factam; item, ad non impedientes, saltem si ex officio, aut justitia teneantur, ut reges, judices, et caeteri Superiores; item, ad patres, tutores, heros, paedagogos, Parochos, etc., quibus aliorum cura demandata est. 268. Dicitur 2. *Clericum.* Quo nomine intelligitur omnis prima saltem tonsura initiatus; etiamsi conjugatus, dummodo cum unica virgine, et deferat habitum, serviatque alicui Ecclesiae; item, etiam excommunicatus, suspensus, interdictus, degradatus verbaliter tantum. 270. Dicitur 3. *monachum;* intellige quemvis Religiosum, etiam laicum, conversum, novitium utriusque sexus; item tertiarios S. Dominici, S. Francisci, si gestent habitum et vivant in communitate, item eremitas subjectos alicui regulae, vel Superiori. 171. Dicitur: 4. *manus injecerit;* per quod intelligitur quaevis contumeliosa actio exterior mortalis circa Clerici personam, vel res ei adhaerentes, sive fiat manu, sive baculo, gladio, etc. - 272.

Unde :

1. Hanc excommunicationem incurrit 1. Qui talem conspuit, conspergit acqua, pulvere, conspurgat luto, evellit crinem, lacerat vestem, eripit aliquid per vim, et injuriam de ejus corpore, v. g. pileum, pallium, etc., ita ut actio sit graviter injuriosa. 2. Qui detinet in carcere vel loco unde sine dedecore non potest exire. 3. Qui manus violentas injicit in equum, cui is insidet, vulnerando, etc. 4. Clericus, qui seipsum ex malitia, vel passione percutit injuriose.

2. Hanc excommunicationem non incurrit, 1. Fur, qui etiam abscondit crumenam Clerico; quia est tantum actio fraudulenta, et non violenta; secus, si violenter auferat. 2. Si percussio sit jocosa, quamvis sit gravis, et etiam cum aliqua ira, modo non pertingat ad peccatum mortale. Sic etiam excusat ira subitanea, quae, efficit ut non plene advertatur quod fit. 3. Si Praelatus, praeceptor, pater subditum in Minoribus constitutum, correctionis causa, percutiat moderate, habita ratione culpae. 4. Si percutiatur realiter degradatus, vel bigamus, vel exercens publice officium cauponis, vel macellarii, vel scurrae, et monitus non cesset, vel inventus turpiter agens cum uxore, matre, sorore, vel filia, vel denique mulierem ipso facto sollicitans ad turpitudinem, quia perdit privilegium. 5. Excusatur etiam mulier percutiens Clericum qui eam sollicitat, si non possit illum verbis avertere. - 275.

Quaeritur 1. An incurrat excommunicationem, qui volens occidere Clericum *Petrum*, per errorem invincibilem occidit Clericum *Paulum?*

R. Probabilius affirmant Sanch. etc., quia injuriam irrogat statui Clericali. - L. 3. *n.* 628.

Quaeritur 2. An aliquando possit Episcopus dispensare ab hac excommunicatione?

R. Oportet distinguere : alia est percussio *enormis*, alia *mediocris*, sive gravis, alia *levis*, intellige, respectu ad gravem et enormem, licet sit mortalis. Dicunt DD. percussionem

esse *levem*, si fiat manu, pede, baculo, et his similibus; esse *enormem*, si magna intervenit vulneratio vel magna sanguinis effusio aliunde quam e naribus, vel magna injuria; esse *mediocrem* illam qua extrahitur dens, vel capillorum copia evellitur, aut fit suggillatio carnis, qua sanguinis copia effunditur absque gravi laesione, vel injuria. 277. *Communiter* autem advertunt DD., quod saepe percussio levis possit evadere gravis vel enormis ratione circumstantiarum, nimirum, personae laesae, personae laedentis, personae coram qua fit percussio, ratione scandali, loci, temporis, injuriae, etc. - 278.

His positis, dico 1. quod Episcopi possunt absolvere a percussione levi, etiam publica; et sic pariter eorum Vicarii Generales, quia hoc habent Episcopi de jure ordinario. Dico 2. a percussione enormi, aut mediocri, si est publica, potest absolvere tantum Papa, aut Legatus a Latere; si vero sit occulta, possunt ab ea absolvere etiam Episcopi; et a publica etiam mulieres, etiamsi percussio fuerit enormis. Et sic etiam possunt absolvere impuberes; item eos, qui collegialiter vivunt, si percussio fuerit gravis, non vero si enormis, item omnes impeditos adire Romam. - 279.

Quaeritur 3. An in dubio percussio judicanda sit levis, aut gravis,

R Judicanda est gravis. Ita *Bon. etc.* ex *Extravag.*

Quaeritur 4. An incurrat hanc censuram qui Clerico venenum praebet?

R. Adsunt quatuor sententiae. *Prima absolute negat*, nisi venenum per vim praebeatur ad potandum. *Secunda* dicit non incurrere censuram, nisi morte secuta. *Tertia* dicit incurrere, etiam morte non secuta. *Quarta communior* et mihi *probabilior* dicit non incurrere, nisi postquam venenum incoeperit laedere. - 280.

PUNCTUM VIII.

Dissertatio super Censuris circa immaculatam B. V. M. Conceptionem.

Paulus V in sua Bulla, emanata anno 1616, interdixit sub poena suspensionis, et aliis contentis in bulla S. Pii V, et mandavit « ne audeant » cujusque conditionis etc., personae, » in publicis lectionibus, concioni- » bus, conclusionibus, aliisque actis » publicis asserere B. Virginem in » peccato originali conceptam fuisse. » Ulterius idem Pontifex mandavit sub eisdem censuris et poenis, « quod » negativam opinionem, videlicet quod » non fuerit concepta cum peccato » originali, in praedictis publicis acti- » bus asserentes, aliam opinionem » non impugnent, nec de ea aliquo » modo agant seu tractent. » - Sic *Greg. XV.* Et sic tandem Constitutio *Alex. VII.* - 244. etc.

Tot auctoritatibus munitus, ego in meae Reginae absequium dicam Conceptionem immaculatam B. Mariae, licet usque adhuc non sit de Fide declarata, esse hodie luce meridiana clariorem. 250. Hoc probatur ex Revelationibus, ex bullis *Sixti IV*, *Pii V*, *etc.*, ex Conciliis, ex sanctis Patribus, ex sensu communi fidelium, ex praecepto Ecclesiae festum Conceptionis praecipientis. - Unde hodie sententia opposita non est amplius *probabilis*. Et S. Pontifex *Bened. XIV* dicit nostram sententiam esse hodie moraliter certam, et solummodo deesse definitionem Ecclesiae, ut fideles teneantur credere fide divina Conceptionem Virginis immaculatam. - 251.

§. II. - *De Excommunicatione Minori*,

Excommunicatio minor incurritur ob unicam tantum causam, si quis nimirum cum excommunicato majori

excommunicatione communicet iis casibus, quibus non licet. - 147.

Effectus hujus excommunicationis directus est privatio Sacramentorum perceptionis. Effectus autem indirectus est privatio electionis passivae ad Beneficia. - 150.

Unde :

1. Etsi excommunicatus minori excommunicatione, recipiendo aliquod Sacramentum, non incurrat irregularitatem, graviter tamen peccat ; administrando vero, *probabile* est nec venialiter peccare. - 152.

2. Incurritur haec censura, etsi quis propter levitatem materiae tantum venialiter peccet, v. g. confabulando cum nominatim excommunicato, quando non licet. - 153.

3 Etsi peccatum veniale possit omitti in Confessione, non tamen illud cui haec censura est annexa, ne Sacramentum in ea recipiatur. - 154.

4. Ab hac excommunicatione lata a jure absolvere potest Parochus, et quisquis potest a mortalibus, cum non sit reservata. - 155.

ARTICULUS II.

De Suspensione in genere et in particulari.

§. I. - *De Suspensione in genere.*

Suspensio est *censura, qua Clericus functiones aliquas Ecclesiasticas exercere prohibetur.* - 312.

Suspensio 1. alia fertur ad certum tempus, quo elapso expirat : alia fertur absolute, seu indefinite, manetque donec per absolutionem tollatur. 2. Alia est ab officio sive id sit Ordinis, sive jurisdictionis ; alia a Beneficio ; alia ab utroque. Suspensio ab officio, vel est a toto, vel a parte tantum, scilicet a functione Ordinis, vel jurisdictionis. Item suspensio Beneficii, vel est a Beneficio absolute, vel a quibusdam tantum functionibus, ejus ratione competentibus. 315. Quantitas autem et qualitas suspensionis colligi debet ex verbis quibus fertur : quae, utpote in re odiosa, non amplius sunt extendenda, quam proprie accepta significent. - 316.

Unde :

1. Ex genere suo, et nisi parvitas materiae excuset, est peccatum grave, exercere actum per suspensionem prohibitum, unde et irregularitatem inducit.

2. Si tamen suspensus toleratus se non ingerat in tales functiones, sed ab aliis propter utilitatem requiratur, *probabiliter* non peccat, cum alii licite requirant.

3. Imo, etsi nominatim sit denuntiatus et non toleratus, alii tamen non tenentur sub mortali eum vitare nisi censeantur cooperari actui, a quo suspensus est : unde audire ejus Missam non erit peccatum saltem mortale, si non inservias, nisi ait *Holz.* scandalum interveniret.

4. Non peccat graviter suspensus si exercet Ordinem non sacrum, vel sacrum, sed non solemniter ; vel exercet ab ignorantiam, aut metum gravem, aut in parva materia. - 314.

5. Suspensus non toleratus invalide absolvit, quia non habet jurisdictionem. Secus, si toleratus, quia hic valide jurisdictionem exerceret : etsi illicite, si non esset requisitus. Suspensus autem ab Ordine, non est suspensus a jurisdictione. - 314.

6. Suspenso absolute et in toto prohibetur omne exercitium ratione officii proveniens, tam Ordinis quam jurisdictionis, et consequenter non potest celebrare.

7. Suspensus a certa functione Ordinis, v. g. a Sacramentorum administratione, non est suspensus a sacrificio. - 316.

8. Si Praelatus solo verbo dicat Sacerdoti : *Suspendo te*, v. g. a *celebratione*, videtur esse simplex tantum

prohibitio, non censura, quia haec licite non fertur nisi scripto, nisi Religio habeat privilegium absque scripto ferendi censuras - 317.

Quaeritur 1. An incurrat irregularitatem Clericus exercens actum a quo erat suspensus, si suspensio fuerat lata pro tempore determinato?

R. Adsunt tres sententiae. *Prima negat. Secunda communior affirmat. Tertia, absolute probabilior,* distinguit et dicit, quod si suspensio fuerit lata per modum statuti ob crimen futurum, vel etiam praeteritum, sed habens tractum successivum, tunc transgrediens *verius* incurrit irregularitatem. Secus si suspensio sit lata *ab homine* per sententiam, ob meram punitionem criminis omnino praeteriti, quia talis suspensio habet rationem meae poenae, non censurae.

Quaeritur 2. An Episcopus suspensus a Pontificalibus, incurrat irregularitatem si Pontificalia exercet?

R. Negant Sylv. etc. Affirmant vero *probabilius Nav. etc.* Si vero Episcopus suspensus a Pontificalibus, Missam celebrat solemniter in apparatu Pontificali, peccat mortaliter, sed *probabilius* non incurrit irregularitatem. - 314.

§. II. - *De Suspensione in particulari.*

Suspensiones aliae sunt *juris*, aliae *ab homine.* Suspensiones *juris* communiores sunt sequentes :

I. *Contra Clericos.* 1. In Clericos recipientes Ordines sacros ab alieno, vel a proprio in aliena Dioecesi, vel sine aetate legitima, aut dimissoriis, aut titulo, vel extra tempora, aut non servatis interstitiis (*Vide Tract. de Ordin., n.* 796), per saltum, vel in censura, vel denique post matrimonium ratum : qui omnes suspensi sunt ab executione Ordinum, nisi fecerint absque dolo, et si Ordine utantur fiunt irregulares. 2. In excommunicantem, suspendentem aut interdicentem sine scriptura, et causae expressione, et est suspensus per mensem ab ingressu Ecclesiae, nisi sit Praelatus regularis. 3. In Clericos scienter eligentes Episcopum, vel Parochum indignum ; et hi suspenduntur a Beneficiis biennio. 4. In Ordinantem et Ordinatum simoniace, et hic est suspensus ab Ordinibus. 5. In Parochos jungentes sponsos alterius Parochiae sine licentia. 6. In gravantes alienis debitis Ecclesias sibi commissas. 7. In occupantes bona, vel census Ecclesiae, Beneficii, vel alterius pii loci. 8. In sodomiam exercentes, simoniacos, provocantes ad duellum, vel acceptantes, raptores, vel praebentes auxilium. 9. In disputantes in alterutram partem in coetu virorum, ac mulierum de immaculata Conceptione B. Virginis. 10. In visitantes, si accipiant pecuniam, vel munera : qui si sint Episcopi, suspensi sunt ab ingressu Ecclesiae; si inferiores Episcopo, ab officio, et Beneficio usquendum restituant duplum. 11. In judicem Ecclesiasticum, non Episcopum, qui facit injuriam contra justitiam et conscientiam parti litiganti. 12. In negantes absolutionem renuenti complicem manifestare : hi subjacent suspensioni ferendae sententiae. 13. In latinos celebrantes ritu graeco, et in graecos ritu latino. - 318.

II. *Contra Religiosos.* 1. In apostatas recipientes Ordines in apostasia. 2. In admittentes ad professionem ante annum probationis peractum. 3. In non utentes habitu, et vestitu modo sibi praescripto. 4. In introducentes mulieres in monasteria. - 319.

III. *Contra Episcopos.* 1. In Episcopum Ordinantem non subditum, et ille suspensus est Pontificalibus per annum : Ordinans vero invitum, suspen-

sus est per annum a celebratione Pontificalium. 2. In admittentem resignationes contra formam praescriptam. 3. In intrantem monasteria monialium sine necessitate. 320. Praeter has suspensiones juris, aliae sunt *ab homine*, quae si sint graves, requirunt culpam mortalem, v. g. ut quis suspendatur ab omnibus actibus sui officii.

Quaeritur 1. An ob peccatum veniale possit ferri suspensio?

R. Affirmant Nav. etc. Sed *verius* et *communissime negant Suar.etc.*, si suspensio sit major, nempe ab omni usu officii et Beneficii, vel ab aliquo eorum per notabile tempus, tunc enim requiritur mortale, quia poena debet cum culpa proportionari; unde esset nulla suspensio, si ob peccatum veniale imponeretur. Secus vero, si suspensio esset partialis, nempe tantum ab officio, vel a Beneficio, et ad breve tempus; vel si suspensio sit ferendae sententiae, ut dicunt *Sanch. etc.*; nam contra, si sit latae sententiae, vel sit indicta a jure, taliter ut incurratur sine alia monitione, non incurritur nisi ob mortale peccatum. - 321.

Quaeritur 2. Quis possit absolvere a suspensione?

R. Habens Episcopalem auctoritatem potest absolvere a suspensione non reservata: et communiter Religiosi ex privilegiis possunt absolvere ab omni suspensione *juris*, si Sedi Apostolicae specialiter reservata non sit. Imo etiam ab hac, si proveniat ex delicto occulto et non deducto ad forum contentiosum. Si suspensio sit imposita ad tempus, vel conditionate, v. g. *donec*, vel *nisi restituas*, tunc, termino transacto, de se tollitur suspensio sine absolutione. Si vero sit imposita absolute, quisque Confessarius potest eam absolvere, nisi sit reservata, vel nisi requirat satisfactionem partis. - 322.

ARTICULUS III.

De Degradatione et Depositione.

Subjici solent suspensioni depositio et degradatio, etsi censura non sint, ob similitudinem quam habent cum suspensione, cum utraque sit ab Ecclesiastico Ordine, aut Beneficio. Differunt autem a suspensione, quod illae auferant ipsum jus radicale, et titulum Beneficii, idque in perpetuum; suspensio non item. Porro depositio generice accepta, alia est *verbalis*, quae absolute depositio dicitur; *alia realis*, quae dici solet degradatio. - 323.

1. Degradatio est privatio executionis officiorum et Beneficiorum simpliciter in toto et absque spe restitutionis, facta cum certa solemnitate, et privatione privilegii Clericalis tam Canonis quam fori, ita ut saeculari Curiae subdatur. Dixi, *executionis*, quia Ordo ipse non potest tolli. Interim degradatus tenetur ad votum castitatis si fuit in Sacris, et invalide matrimonium contraheret, atque valide consecraret hostiam. Insuper tenetur ad horas, nisi has forte poena ad quam damnatus v. g. triremes, vel aliud impediat. - 324.

2. Depositio *verbalis* est similis privatio, sed sine solemnitate dicta, et relicto utroque privilegio Canonis et fori.

Unde:

1. Clerici possunt degradari a suo Episcopo, sed non ab inferioribus illo: deponi tamen possunt ab eodem per Vicarium. - 326.

2. Depositio fieri potest in casibus a jure expressis, et delictis: non tamen nisi gravioribus, arbitrio judicis; et notat *Laym.* crimen debere esse enorme, id est unum ex maximis.

3. Degradatio similiter fieri potest in casibus tantum gravissimis, quales sunt v. g. crimen haeresis manifestum; falsificatio litterarum Apostoli-

carum, sodomia frequentata, gravis calumnia proprio Episcopo irrogata.

1. Cum degradato solus Papa dispensare potest, sed cum deposito etiam Episcopus, si crimen sit minus adulterio. - 327.

ARTICULUS IV.

De interdicto et cessatione a divinis.

§. I. *De Interdicto.*

Interdictum est *censura Ecclesiastica prohibens divinorum officiorum, Sacramentorum aliquorum, et Ecclesiasticae sepulturae usum,* quatenus talis est. Quod addo, quia excommunicatio eodem privat, quatenus est communicatio cum fidelibus, suspensio vero proprie non illum usum, sed exercitium potestatis Ecclesiastice impedit. - 328.

Interdictum dividitur 1. In *locale,* quod immediate locum afficit; in *personale,* quod immediate personas afficit; et in *mixtum*, quod immediate afficit locum et ejus incolas. Differt autem locale a personali, quod in illo participatio sacrorum officiorum tum indigenis, tum alienigenis non absolute, sed in loco tantum interdicto; in hoc vero certis personis, aut Communitati prohibeatur absolute, et in omni loco. 2. Interdictum tam *locale,* quam *personale* subdivitur in *generale*, et *particulare. Generale* est, quo locus generalis, v. g. Collegium etc., interdicitur. *Particulare,* quo locus aut persona particularis aut particulares indicuntur. - 329.

Nota. Ab interdicto *personali generali* eximuntur 1. Episcopi. 2. Infantes et amentes doli incapaces; privantur tamen Ecclesiastica sepultura. 3. Innocentes, statim ac alibi domicilium collocant. 4. Externi, etsi per multum tempus inter illos cives habitent. - 331.

Quaeritur 1. Quinam sint effectus interdicti?

R. Effectus interdicti sunt sequentes: 1. Prohibitio divinorum Officiorum. 333.- 2. Prohibitio administrationis Sacramentorum, exceptis Baptismo, Confirmatione, et Poenitentia. 334.- 3. Prohibitio sepulturae Ecclesiasticae, etiam respectu infantium et amentium. Excipe tamen Clericos, qui in interdicto locali, si nominatim interdicti non sunt, nec interdictum violarunt, possunt cum silentio sepeliri. 335. - 4. Clerici violantes interdictum peccant mortaliter; sicut etiam Religiosi utriusque sexus, qui insuper excommunicantur de facto. Laici vero peccant quidem, si contra interdictum personale recipiant Sacramenta; si vero tantum violent locale v. g. audiendo divina Officia, *probabilius* est tantum esse veniale, dummodo ipsi personaliter interdicti non sint. 5. Clerici exercentes Ordinem Sacrum, si sint specialiter interdicti, vel in loco specialiter interdicto, vel in loco generaliter interdicto januis apertis, peccant graviter et incurrunt irregularitatem. 6. Admittentes laicos interdictos ad Officia divina interdicuntur ipso facto ab ingressu Ecclesiae, id est, non ad orandum private in ipsa, sed ad exercendos ibi Ordines sacros. - 336.

Nota. Clerici et Religiosi, quando ipsi interdicti non sunt, possunt ac debent, ut ante, missas divinaque Officia celebrare, sed januis clausis, non pulsatis campanis, submissa voce, et exclusis interdictis, modo sint denuntiati; qui si nolint exire, et Canon Missae incoeptus non sit, cessandum a celebratione, aliter celebrans incurreret irregularitatem. Hoc tamen procedit si celebretur in loco interdicto, quia ibi non censetur data facultas celebrandi, nisi exclusis etc. Secus vero si celebratio fiat in loco non interdicto. Unde si interdictus nequeat expelli,

non tenetur celebrans cessare, quia id nullibi praecipitur, sicut praecipitur de excommunicatis vitandis. Permittitur tamen ut in festis Natalis Domini, Paschae, Pentecostes, Assumptionis B. Mariae, et per octavam Corporis Christi divina officia cantentur solemniter, admissis etiam interdictis, dummodo qui causam dederunt interdicto altari non appropinquent, nec veniant ad Offertorium, vel Communionem. - 333.

Quaeritur 2. Quis ferre possit censuram interdicti?

R. Interdicere possunt idem qui excommunicare, et suspendere. Et quidem, ut determinata persona interdicatur, videtur requiri culpa mortalis ejusdem personae. Interdictum enim *personale particulare* nequit imponi pro culpa aliena. Interdictum autem ad breve tempus, in ordine ad unum vel alterum affectum potest incurri etiam ob peccatum veniale. Ut autem feratur interdictum *locale* vel *generale* in Communitatem, requiritur peccatum valde grave cum contumacia commissum a Capite, vel praecipuis membris, licet reliqui culpa vacent. - 337.

Quaeritur 3. Quis possit tollere interdictum?

R. 1. Interdicta localia et personalia generalia, quae jure communi sunt imposita, nec reservata, possunt tolli ab Episcopo, vel alio habente jurisdictionem in Communitatem interdictam, non tamen a Religiosis privilegiatis, quia locus et Communitas foro Poenitentiae non subjiciuntur. Interdicta generalia lata *ab homine* non possunt tolli, nisi ab eo qui tulit, vel a Papa. 338. - 2. Ab interdicto juris personalis particularis, si reservatum non est quivis approbatus potest absolvere. Denique, per privilegium absolvendi ab omnibus censuris, non intelligitur potestas tollendi interdictum locale, aut personale Communitatis. - 399.

§. II. - *De cessatione a Divinis.*

Cessatio a divinis est *prohibitio Clericis facta, ut abstineant ab officiis divinis et Ecclesiastica sepultura.* Putant *Suar. etc.* posse Episcopum unum effectum prohibere, et non alterum.

Haec cessatio distinguitur ab interdicto, et non est censura, imponiturque in signum moeroris, vel ad reparationem gravissimae injuriae Deo irrogatae, afficitque omnes qui sunt in loco illo ubi imponitur.

Quaeritur. 1. An hac cessatione indicta, clerici gaudeant privilegio eis concesso tempore interdicti?

R. Negant communius Salm.: quia cessatio est novum gravamen ultra interdictum. Potest tamen cessatio suspendi per aliquot dies solemnes. Sacramenta vero concessa tempore interdicti, ut supra, conceduntur etiam tempore cessationis.

Quaeritur 2. A quo imponi possit cessatio a divinis?

R. Imponi potest ab iisdem, qui possunt ferre censuras, praecedentibus monitionibus. - 340.

TRACTATUS XXVII.

DE IRREGULARITATIBUS

In genere et in specie.

CAPUT I.

DE IRREGULARITATE IN GENERE.

De Irregularitatis natura. Divisione. Effectibus.

I. Irregularitas est *impedimentum Canonicum, susceptionem Ordinum Sacrorum, et susceptorum usum impediens.* Unde, sequitur non esse censuram, sed *communius* et *probabilius* inhabilitatem.

II. Dividitur irregularitas 1. in eam quae est *ex delicto*, et in eam quae est *ex defectu*. 2. In *totalem*, seu proprie dictam, quae omni Ordine suscipiendo, et suscepti exercitio privat, v. g. quae ex homicidio; et in *partialem*, quae aliquo tantum Ordinis ministerio privat, vel solo ascensu ad Ordinem superiorem, v.g. quae ex oculis vel palma. Sacerdos enim his carens inhabilis est ad Missam, non tamen ad Confessiones audiendas; et Diaconus sinistro oculo carens inhabilis est ad Sacerdotium, in suo tamen Ordine ministrare potest. - 341.

III. Effectus irregularitatis sunt sequentes: 1. Inhabilitare ad Ordines suscipiendos, etiam primam Tonsuram, *ut communiter* docent *Suar. etc.* 2. Impedire exercitium Ordinum susceptorum. Unde Sacerdos irregularis, etsi valide, illicite tamen absolvit. 3. Quod collatio Beneficii, ad cujus functiones inhabilis est, facta irregulari, invalida sit, secundum *sententiam communiorem et probabiliorem*. 4. Quod graviter peccant, qui in irregularitate exercent actum Ordinis, aut suscipit, licet Ordines ei collati sint validi. Et sic etiam peccat graviter irregularis suscipiens primam Tonsuram, sicut Episcopus qui eam illi confert.

Nota. Irregularitas nullo modo privat iis actionibus quae non requirunt exercitium Ordinis, et quas etiam laici exercere possunt, ut recipere Sacramenta, et Officia canere, sicut et conferre Beneficia, quia haec spectant ad exercitium jurisdictionis, non Ordinis; item, Matrimonio assistere, vel licentiam assistenti alteri praebere, dispensare in votis, absolvere a censuris, dare facultatem audiendi Confessiones. - 342.

Quaeritur 1. Quomodo incurratur irregularitas?

R. Cum irregularitas *ab homine* non feratur, nulla incurritur, nisi in jure expressa habeatur. Hujus autem juris nomine veniunt tantum decreta Pontificis, sive Concilii a Papa approbati, non autem aliorum, nec venit consuetudo. Hinc infertur, ad incurrendam irregularitatem non valere argumentum a simili, nec a majori ad minus, ut docuit *Pal., etc.* - 344.

Quaeritur 2. Utrum in dubio an quis irregularitatem contraxerit, debeat ut irregularem se gerere?

R. 1. Si dubium sit ex scrupulis ortum aut ex levibus rationibus, illud nihili faciendum est. 2. Si dubium sit positivum, ante diligentiam ad veritatem inquirendam, quisque debet se gerere ut irregularem, nisi gravis necessitas urgeat, nempe si occasio occurrat recipiendi Ordines, aut Beneficium. Post vero sufficientem diligentiam, is bene potest se habere ut non irregularem, probabili opinioni acquiescens. 3. Si vero dubium sit negativum, et *juris*, nempe si dubitatur an irregularitas sit a jure assignata, an non, pro aliquo actu, tunc nemo tenetur se gerere ut irregularem in foro conscientiae, nec in externo ut talis damnandus est; tum quia in dubio nemo suo jure damnandus est, tum quia cum dubitatur de lege, lex non obligat, saltem quia tunc non est sufficienter promulgata. Ita *communiter* DD. 346. - 4. Si dubium sit negativum et *facti*, nempe, si dubitatur an quis crimen patraverit, *prima sententia affirmat. Secunda* vero *communis* et *verior negat.* Ratio I, quia odia sunt restringenda, et nemo in dubio est damnandus. Ratio II, quia irregularitas non incurritur nisi in jure exprimatur; in jure autem solus homicida dicitur censendus esse irregularis in dubio homicidii, non alius delinquens. Vide n. 349. - 347.

Quaeritur 3. Quomodo tollatur irregularitas?

R. Irregularitas non tollitur per ab-

solutionem, sed per dispensationem, hac vel simili forma : *Dispenso tecum in irregularitate, quam vel quas ob hanc vel illam causam incurristi.* Et si quidem dispensans intendat tollere omnes, idque possit, omnes tollit; sin minus, eam tantum tollit quam potest et vult.

Nota. 1. Si dispensatur a Papa super aliqua irregularitate sine justa causa, dispensatio erit valida, quamvis non licita; si vero dispensatur ab inferiore, erit et amplius nulla. 2. Si quis plures irregularitates contraxerit ejusdem speciei, *Sanch. etc.* docent sufficere, si dicat tantum se irregularem esse ob talem culpam. 3. Si Praelatus admittat ad Ordinem, quem scit esse irregularem, censetur cum eo dispensare - 353.

CAPUT II.

DE IRREGULARITATE IN SPECIE, NEMPE EX DELICTO, ET EX DEFECTU.

ARTICULUS I.

De Irregalaritate *ex Delicto.*

Ut incurratur irregularitas *ex delicto*, requiritur actus externus, consummatus et mortalis, ut habet *communis.* - 348.

Quaeritur 1. An incurratur irregularitas ob crimen externum et consummatum, sed prorsus occultum, ita ut a solo delinquente notitia haberi possit?

R. Adsunt tres sententiae. *Prima universe negat*, quia non datur irregularitas nisi in jure sit expressa; in jure autem nullibi fit mentio de irregularitate ob crimen omnino occultum. *Secunda sententia* excipit tantum homicidium. *Tertia sententia verior universe affirmat* non solum quoad homicidium, sed etiam quoad alia crimina. Ratio, quia Ecclesia crimina reservando, etiam occultissima reservat, modo sint externa. Quod autem de facto irregularitatem imposuerit delictis quomodocumque occultis patet ex C. 6. *Liceat*, ubi Concilium facultatem praebens Episcopis absolvendi ab irregularitatibus, et censuris occultis, nominat sub unico vocabulo *occultis* haeresim, homicidium et alia crimina. - 349.

Quaeritur 2. An ad incurrendam irregularitatem *ex delicto*, requiratur scientia legis Ecclesiae prohibentis?

R. Prima sententia universe negat. Secunda vero *communissima* et *probabilior affirmat.* Et hanc tenent *S.Antonin., Bon. etc.* Idem dicendum putant *Pal. etc.* de eo qui committit homicidium, ignorando legem Ecclesiae illud vetantem vel in rixa ad legem non advertendo. Attamen docent incurrere *Suar. etc.;* nam, ideo imposita est irregularitas homicidio, quia est actio lenitati contraria, quae valde dedecet altaris Ministrum. Haec secunda sententia videtur *valde probabilis* et tenenda; sed primam non audeo reprobare, cum hujusmodi irregularitas in casu praefato non habeatur omnino expressa in jure. - 350.

Quaeritur 3. An ad incurrendam irregularitatem *ex delicto*, requiratur etiam scientia poenae, id est, irregularitatis?

R. Prima sententia negat. Ratio, quia irregularitas est inhabilitas seu poena mere positiva propter maculam culpae, ob quam Ecclesia reddit delinquentem inhabilem ad altaris ministerium; ergo sufficit quod talis poena sit imposita a lege actui vetito. Haec sententia est quidem *valde probabilis.* Sed *secunda affirmans etiam probabilis* videtur. Ratio, quia irregularitas ex delicto censetur vera poena imposita in vindictam criminis; et requiritur scientia poenae, quando illa est extraordinaria et exorbitans, ita ut secundum rei naturam ne in confuso quidem possit praevideri; et h...

jusmodi utique est poena irregularitatis.- 351.

Quaeritur 4. Quae sint irregularitates ex delicto ?

R. Irregularitates *ex delicto* sunt sequentes :

1. Ob iteratum Baptismum serio et scienter ; estque irregularis tam baptizans quam baptizatus ; etsi in rebaptizante irregularitas tantum sit partialis, ne Clericus ad altiorem Ordinem possit ascendere ; attamen *probabilius* est quod non incurratur irregularitas per rebaptizationem occultam non solemnem, ut tenent *Salm. etc.* - 356.

2. Ob violationem censurae, v. g. si ea innodatus actum aliquem Ordinis solemniter exerceat, nisi invincibilis ignorantia excuset.- 357.

Nota 1. Qui celebrat innodatus excommunicatione minori, non incurrit irregularitatem. Imo nec irretitus excommunicatione majori, si exerceat actum Ordinum minorum adhuc solemniter et ex officio. Nec si exerceat actum Ordinum majorum, sed non solemniter, id est, Diaconatus sine stola, Subdiaconatus sine manipulo ; cum tales actus sic exerceri possint etiam a Cantoribus. Nec qui canit solemniter officium, nisi sit hebdomadarius Capituli ; solemniter dicendo Orationem cum *Dominus vobiscum*, quia tale ministerium ex consuetudine a Sacerdotibus, aut Diaconis exercetur. Nec qui concionem habet, quia hoc munus de licentia Episcopi potest exerceri etiam a non constituto in Sacris, cum sit actus jurisdictionis, non Ordinis. Nec qui exercet actum non Ordinis, sed jurisdictionis, scilicet, si Episcopus excommunicet, si Parochus assistat Matrimonio.- 2. Ad incurrendam hanc irregularitatem requiritur ut censuratus scienter actum Ordinis exerceat, quia illa tantum ob contemptum censurarum imposita est. Episcopus vel alius Sacerdos censuratus cogens alium ad celebrandum coram se, fit irregularis. Ab hac autem irregularitate tantum Pontifex potest absolvere, vel Episcopus si sit occulta, et Praelati Regulares cum suis Religiosis, etiamsi publica ; imo etiam cum saecularibus, ex privil. *Martini V.* 3. Si quis celebret in Ecclesia polluta non fit irregularis ; fit vero qui celebrat scienter in loco interdicto, quia jam violat censuras per exercitium Ordinis. 4. Qui ordinatur ab Episcopo suspenso, interdicto, haeretico, schismatico, aut simoniaco, fit irregularis.- 358.

3. Ob peccatum, quo Clericus serio et scienter actum Ordinis Sacri, quem non habet, solemniter exercet.

Nota 1. *Probabilius* est quod laicus exercens actum Ordinis, quem non habet, non incurrat irregularitatem, juxta dicta de Bapt. n. 116.- 2. Qui est ligatus duplici censura, et exercet actum Ordinis Sacri, etsi non incurrat duplicem irregularitatem, incurrit tamen unam duplici aequivalentem ; unde in petitione dispensationis id exprimere debet. Sacerdos autem simplex excipiendo confessiones, non incurrit irregularitatem, quia hic revera exercet actum Ordinis quem jam habet, licet careat jurisdictione ; unde peccat, sed non incurrit irregularitatem.- 359.

4. Ob delictum, quo quis male suscepit Ordines, v. g. in excommunicatione, suspensione, vel ab Episcopo non habente jurisdictionem ; vel qui Ordinem suscipit sine approbatione Episcopi ; vel qui sine ejus dispensatione eodem die recipit plures Ordines, quorum unus sacer est ; vel qui post Matrimonium contractum ante consummationem Ordinem Sacrum recipit renitente uxore. Quoad vero eos, qui vel per saltum, vel ante legitimam aetatem, vel sine dimissoriis, vel extra tempora Ordineu suscipiunt, suspensionem quidem incurrunt Papae reser.

vatam : sed *communius* et *valde probabiliter* non incurrunt irregularitatem, vide *Tract.* de Ordine, *n.*799.-360. In hac autem irregularitate nequit dispensare Episcopus, si crimen est publicum, et ipse ante ordinationem praeceperit sub poena excommunicationis, ut mos est, neminem furtive accedere. *Salm.* dicunt Regulares posse dispensare etiam cum saecularibus, sicut in aliis irregularitatibus occultis, ita etiam in hac ex privil. *Sixti IV*- 361.

5. Propter enormia crimina, si sint notoria et publica, v. g. quae a jure habent annexam infamiam, ut adulterium, raptus, vel ad illum cooperatio, incestus, perjurium in judicio, homicidium, simonia, sodomia, crimen laesae majestatis, proditio, rapina, lenocinium, exercitium usurarum, invasio Cardinalium, vel Episcoporum. Item duellum, paratio armorum contra parentes, etc. Item exercitium histrionis cum turpibus repraesentationibus, ita ut non fiat sine peccato mortali ; non autem macellarii, carnificis, lictoris et similis generis, cum haec officia bene exerceri possint sine peccato.

Nota 1. Haec irregularitas potest etiam incurri ob infamiam adhuc alienam, prout incurrunt filii eorum qui damnati sunt ob delictum laesae majestatis ; item filii nati ex matre meretrici, ita filii haereticorum, et etiam nepotes per viam masculinam ab iis descendentes, modo tamen sit notorium parentes fuisse haereticos, et in haeresi decessisse. Ut autem omnes hi irregularitatem incurrant, opus est ut nati sint post delictum. Ita *Sanchez etc.* - 363. 2. Haec infamia atque irregularitas, si sit *facti*, tollitur vel per Baptismum, vel per notoriam facti emendationem, sine dispensatione, modo emendatio universim loquendo, saltem per triennium perseveret. Si vero sit *juris*, non tollitur nisi per dispensationem. 3. Episcopus non potest dispensare ut infamis infamia *facti* ad Sacros Ordines ascendat : potest tamen ut in susceptis ministret, si crimina sint minora adulterio, et reus egerit Poenitentiam. Si vero infamia sit per sententiam judicis, potest ab illo irregularitas tolli per aliam sententiam, qua reo fama restituatur. Irregularitas ob crimen parentum, vel ob officium infame tollitur per ingressum in Religionem. Testantur autem *Bordon etc.* Regulares ex privilegio *Pii IV* et *Pii V* posse dispensare cum suis subditis in hac irregularitate, sive contracta ante ingressum in Religionem, sive post : item, sive infamia fuerit *juris*, sive *facti*, nulla excepta. - 364.

6. Ex injusta mutilatione, vel homicidio, etiam indirecte tantum voluntario, extenditurque ad omnes qui ad alterutrum, sive in bello injusto, sive extra illud injuste concurrunt, consulendo, mandando. Mutilatio autem hic intelligitur, quando a corpore separatur membrum aliquod principale, quod officium per se distinctum habet, v. g. pes, manus etc.-365.

Unde :

1. Incurrunt irregularitatem omnes qui propria actione hominem occidunt, licet ante mortem homicidas poeniteat facti. *Secus* si mors non sequatur, licet lethaliter vulneraverint.- 368. Qui dubitat an patraverit homicidium, debet se habere irregularem, si certus sit de homicidio, et dubitet tantum an ipse sua actione fuerit causa illius. Secus si dubitet de ipso homicidio an fuerit secutum vel non.

Nota. Dubitans de homicidio, judicandus est irregularis, quoad duos dumtaxat effectus, scilicet *abstinendi a celebratione*, et *quaerendi dispensationem*, ut jura loquuntur. Ex quo infertur hanc sanctionem vale-

re tantum pro clericis, non autem pro laicis, cum homicidium magis dedeceat statum clericorum, quam laicorum.-347.

2. Non incurrit irregularitatem mandans, vel consulens, si non influxerit in homicidium, nimirum si constet homicidium ex alia causa accidisse, vel si ipsemet hoc asserat, sitque fide dignus; nam alias non est credendus. In dubio an mandatum vel consilium fuerit causa efficax homicidii, mandans vel consulens censendus est irregularis juxta *sententiam communiorem*, licet *contraria non sit improbabilis*-371.

3. *Recte*, et *communiter* censetur irregularis, qui movet homicidam jam determinatum ad occisionem, ut citius eam exequatur, *communiter* et *recte* censetur irregularis, cum sit directe causa illius homicidii.-372.

4. Consiliator homicidii, qui ante executionem consilium revocat, excusatur ab irregularitate, si consilium fuerit dumtaxat falsum, vel datum auctoritativo modo. *Secus*, si consulens insinuaverit motivum, vel modum occidendi, tunc enim *probabilius* incurrit irregularitatem, quia motivum aut modus semper influere pergunt.-373.

5. Incurrunt irregularitatem omnes qui voluntarie cooperantur ad homicidium, vel ut illud celerius, audacius, aut securius fiat. Hinc fiunt irregulares 1. omnes, qui ad homicidium se excitant, quamvis unus solus occidat. 2. Omnes qui praeliantur in bello injusto, si aliquis in eo occidatur, etiamsi hoc non intendant, tunc enim saltem incurrunt irregularitatem homicidii casualis. 3. Omnes qui ministrant arma aut pecuniam ad homicidium, aut bellum injustum patrandum. 4. Omnes qui injuste accusant aut testificantur, aut judicant ut homo occidatur. 5. Omnes qui associant occisorem, animum augendo.-374.

6. Non est irregularis qui ratihabet homicidium suo nomine patratum. Nec ille qui valens impedire homicidium, culpabiliter non impedit, si ex charitate teneatur tantum impedire; si vero teneatur ex justitia ratione pacti vel officii, *communius* et *probabile* est quod fit tunc irregularis; licet contrarium *non minus probabile* mihi videatur.-376.

7. Incurritur irregularitas etiam ab eo qui periculum mortis praevidet ex aliqua sua actione, et negligit culpabiliter illud praecavere. Dico *culpabiliter*, nam ad incurrendam irregularitatem ex delicto, requiritur culpa lata, quae peccatum mortale supponit.

8. Quando plures non ex consilio, sed ex rixa unum percutiunt, et unus lethale vulnus infligit, ex quo moritur, si constet quis hoc fecerit, hunc solum fieri irregularem docent *Suarez*, *etc.*

9. Non fit irregularis, qui dat operam rei licitae, et debitam adhibet diligentiam ne homicidium sequatur, licet mors sequatur. Secus vero si omitteret sufficientem diligentiam; seu si adsit negligentia, quae ad mortale peccatum pertingat. 383. Unde, qui infirmo, bona fide, dat aliquid, v. gr. cibum vel potum, vel eum movet, vel de lecto in lectum transfert, aut aliud circa eum operatur, ex quo mors, vel ejus acceleratio praeter intentionem sequatur, non fit irregularis, nisi interveniat lata culpa.-383.

10. Nec fit irregularis Sacerdos, si aegrotus decedat dum curat eum revolvi ad inungendum.-L. 6. n. 725. Nec si jubeat fieri abscissionem membri praescriptam a medico, modo ipse non exequatur; imo multum *probabiliter Conc.* eximit ab irregularitate qui adjuveret chirurgum congrue mutilantem aegrotum.-382.

11. Non fit irregularis magister qui discipulum moderate verberat, nec pater si filium etc., si casu ex percussione mors sequatur, nisi graviter excederet.

12. Non fit irrugularis qui equitando in equo feroci puerum occidit. Sed fit irregularis qui feram sive canem ferocem negligenter tenens, causa est ex sua incuria, quod hominem occiderit.

13. Non fit irregularis, qui reficiendo tectum, tegulas et lapides mittit, praemonens transeuntes ut se caveant; secus, si non moneat.

14. Non fit irregularis medicus, si casu infirmus ex pharmaco praestito decedat, sine gravi medici negligentia; et hoc adhuc, si sit Clericus aut Monachus, modo 1. sit peritus; nam alias non effugeret irregularitatem, si temere vel contra praeceptum medici praeberet remedium, ex quo mors aut ejus notabilis acceleratio eveniret. Modo 2. Clericus medeatur sine incisione, vel adustione, alioquin, cum id expresse vetitur Clericis in Sacris, et Monachis, sub poena irregularitatis, jam fiunt irregulares, si ex tali incisione, vel adustione, mors sequatur; secus, si eveniret aliunde, nempe ex vi ipsius morbi vel ex alia causa. Si tamen, alius peritus absit, bene poterit tunc Clericus aut Monachus sine peccato, et consequenter sine periculo irregularitatis incisionem, aut adustionem adhibere.-384.

15. Si quis vero dat operam rei illicitae, et ex ea mors alterius sequatur, *communis* est *sententia*, quod si opera illa non est illicita, quia periculosa, sed ex alia causa, peccat quidem, sed non incurrit irregularitatem, modo sufficientem diligentiam adhibuerit ad mortem vitandum. Ratio, quia tale homicidium tunc non esset illi voluntarium, neque directe cum non sit intentum, neque in directe in sua causa, cum talis actio non sit per se periculosa.-386.

16. Qui dat operam rei illicitae, et opus sit ita periculosum, ut ex eo frequenter mors sequatur, *probabilius* incurrit irregularitatem, quamvis omnis adhibeatur diligentia ne mors sequatur, quia cum opus sit de se pericolosum proxime, nulla diligentia potest non periculosum fieri. Secus, si opus raro sit mortis inductivum, et debita diligentia apponatur ne mors eveniat, quia tunc homicidium non est voluntarium neque in se, neque in causa; cum enim opus non sit proxime periculosum, posita diligentia, satis excusatur a malitia homicidii.-387.

17. Qui alterum occidit ad necessariam sui defensionem cum moderamine inculpatae tutelae, non incurrit irregularitatem. Secus si cum culpa gravi moderamen excedit. Sic excusatur etiam ab irregularitate qui occidit injustum invasorem alterius innocentis.

18. Si quis alterum provocat verbis aut facto, praevidens se facillime aggrediendum, fit irregularis si postmodum ob sui defensionem aggressorem occidit, quia tunc dat operam rei illicitae proxime periculosae; secus vero si non praevidet.

19. Si quis accedendo ad uxorem alterius, maritum aggressorem occidit, fit irregularis, si praeviderit proximum periculum invasionis.-388.

20. Occidens alterum ob defensionem libertatis, honoris, pudicitiae, vel bonorum temporalium cum moderamine inculpatae tutelae, *communius* et *probabilius* non fit irregularis.-389.

21. *Probabilius* dicunt *Pal. etc.*, non incurrere irregularitatem, qui amputaret auriculam, quia ea ablata non tollitur omne officium audiendi; nec qui dentes evelleret, quia non sunt membra, sed instrumenta maxillarum ad cibos mandendos; et tanto minus

qui capillos, aut barbam abscinderet. Item, nec qui aufert digitum alteri.-379.

22. Qui abscindit testiculos alterius, *probabilius* fit irregularis, quia testiculi jam propriam operationem habent, nempe efformandi semen aptum ad generandum; intellige id tamen si abscissio injuste fit. Secus vero si unus tantum testiculus auferatur, quia unus non habet officium ab altero diversum, cum uterque ad eamdem operationem concurrant.

23. Fit irregularis, qui mulieri unam mamillam abscindit, quia unaquaeque mamilla proprium officium habet.

24. *Valde probabiliter* fit irregularis qui alterius membrum debilitat, ita ut eum reddat ineptum ad officium suum, quia tale membrum licet secundum apparentiam non sit mutilatum, reipsa tamen ablatum censetur, cum non sit amplius animatum. E converso, *probabiliter* dicunt *Salm.*, non esse irregularem, qui tale membrum omnino siccatum abscinderet; quia talis non esset mutilatio formalis.-380.

25. Nec fit irregularis, qui excaecavit hominem solo visu privando, non autem oculum extrahendo.-382.

26. Qui alterum mutilat ad necessariam sui defensionem, cum moderamine inculpatae tutelae, non incurrit hanc irregularitatem.-388.

Nota. Quod dictum est de irregularitate ob homicidium, dicitur etiam de irregularitate ob mutilationem voluntariam, sive casualem.-366.

Excipe tamen, quod dubitans de mutilatione, non est habendus ut irregularis, sicut habendus dubitans de homicidio, quia id tantum de homicidio statutum est.-347.

Quaeritur 5. Quomodo tollatur irregularitas propter mutilationem contracta?

R. Tollitur per dispensationem Episcopi, si sit occulta, ex facultate *Tridentini.*-381.

Quaeritur 6. Quomodo tollatur irregularitas propter homicidium contracta?

R. Tollitur per Baptismum vel per dispensationem Pontificis.-390.

Quaeritur 7. An Episcopi possint in hac irregularitate dispensare?

R. Si homicidium fuit voluntarium nullo modo possunt Episcopi, etiamsi illud fuerit occultum. Excipitur solus casus quo vergeret periculum animae, aut alia gravissima causa urgeret, et non pateret aditus ad Papam. 391. Si vero homicidium fuerit casuale, *valde probabile est* posse Episcopos dispensare in irregularitate ex eo contracta, quando crimen fuit occultum.-393,

Quaeritur 8. An reputetur casuale homicidium in repentina rixa patratum?

R. Prima sententia affirmat. Secunda vero probabilior negat; quia qui in rixa occidit, jam sua voluntate, et ex proposito occidit.-394.

Nota 1. *Valde* tamen *probabile* est quod si quis incurrat irregularitatem ob homicidium occultum pro defensione propria, possit ab Episcopo dispensari, quando excesserit moderamen inculpatae tutelae; quia cum tale homicidium non fiat ex voluntate absoluta occidendi, non potest dici absolute voluntarium. 395.-2. Praelati autem regulares possunt dispensare cum suis subditis ab irregularitate proveniente ex homicidio occulto casuali et ab aliis irregularitatibus occultis, ex privil. *S. Pii V;* sed censeo non posse dispensare quando homicidium est publicum, aut voluntarium. Quoad saeculares vero possunt Confessarii regulares eos dispensare in omni irregularitate, in qua possunt Episcopi cum subditis suis, ex privil. *Sixti IV.* Hinc, bene possunt dispensare cum laicis in irregularitate contracta ob mu-

tilationem, vel ob homicidium casuale occultum, prout possunt Episcopi cum suis, et in aliis occultis, in quibus potest Episcopus, ut videtur infra *quaest.* 9.-396.

Quaeritur 9. Quis possit dispensare in aliis irregularitatibus provenientibus ex delicto?

R. Etsi haec dispensatio ad Pontificem spectet, ex jure tamen novo *Tridentini*, ubi est receptum, potest Episcopus dispensare modo delictum non fuerit ad forum contentiosum deductum.-393

ARTICULUS II.

De irregularitate *ex Defectu.*

Irregularitates *ex defectu* sunt sequentes; 1. Ex defectu animae. 397.-2. Ex defectu corporis. 403.-3. Ex defectu natalium.-4. Ex defectu aetatis. 434.-5. Ex defectu Sacramenti, nempe ex bigamia. 436.-6. Ex infamia sive juris, sive facti. 454.-7. Ex defectu libertatis. 455-8. Ex defectu lenitatis.-457.

§. I.-*De irregularitate ex defectu* animae.

Ex defectu *animae* irregulares sunt:

1. *Amentes.* 397. Loquendo de amentibus, distinguendum: si tali defectu laborans jam ordinatus est, tunc, omnino cessante defectu per diuturnum tempus, ex judicio Episcopi vel Praelati si est Regularis, poterit in Ordine suscepto ministrare. Ita *Nav. etc.* Si vero non est ordinatus, nunquam poterit Ordines suscipere, si amentia ortum habuerit ex causa permanente et habituali, fundata in laesione organorum vel humorum, quia ita laborantes facile relabuntur in eumdem morbum. Unde, sufficit semel insanisse, quia talis raro praesumitur perfecte sanus; secus tamen si amentia provenerit ex accidente, puta ex vi febris, volneris, irae, aut alterius passionis transeuntis, et postea vere cesset. Ita *Suar. etc.*-398.

2. *Epileptici et daemoniaci.* Idem quod dictum est de amentibus, dicitur de epilepticis, sive lunaticis, et daemoniacis; nam, si morbus antecedat Ordinationem, sunt hi perpetuo irregulares. Ita *Suar. etc.*, ex *C. communiter.* Dicunt autem *Cabass. etc*, quod si quis ante pubertatem hoc morbo affectus fuerit, et postea perfecte liberetur, non censetur irregularis, quia, ut ait *Hipocrates*, epilepsia saepe in pubertate curatur; secus, si morbus accidat post pubertatem, et praesertim post vigesimum quintum annum. Si vero tali morbo laborans jam ordinatus sit, ex *C. communiter* habetur, quod si per annum sit liber sive a morbo sive a daemonis vexatione, judicio Episcopi potest ad Ordinis suscepti administrationem admitti. Imo, licet non omnino sit liber, si tamen raro, id est semel in mense cadat nec spumet, poterit privatim celebrare, adjuncto Sacerdote jejuno, qui Missam perficiat adveniente morbo. Ita *communiter Suar. etc.*-399.

3. *Illiterati*, qui non habent doctrinam necessariam pro Ordinibus. Vide *Tract. de Ordine n.* 791 et 792, *etc.* Haec irregularitas cessat, cessante ignorantia.-401.

4. *Neophyti*, seu recenter conversi, usquedum judicio Episcopi sufficienter instructi sint. Putat *Tol.* post decennium neophytum non esse amplius irregularem; imo, antea, si Episcopus judicet illum bene moribus profecisse.-402.

Caeterum, in hac irregularitate propter defectum animae, durante defectu, nec etiam Papa dispensare potest, quia illo laborantes sunt de jure divino inhabiles tam ad suscipiendum, quam ad exercendum Ordinem. Cessante vero defectu in amentibus, epi-

lepticis, daemoniacis, si cesset ante Ordinationem, non possunt in eo dispensare Episcopi; quia nulla Episcopis conceditur dispensatio in irregularitatibus provenientibus ex defectu nisi in duobus casibus, scilicet 1. ut possint dispensare natalia illegitimorum ad solos Ordines minores, et ad simplex Beneficium; et 2. idem posse cum bigamo ex consuetudine docent *S. Thom. etc.* Caeterum *Fagnan. etc.*, dicunt posse Episcopos dispensare in omnibus irregularitatibus dubiis. Ad tollendam igitur irregularitatem certo contractam ex defectu animae, requiritur dispensatio Pontificis. Praelati tamen Regulares bene possunt dispensare cum suis subditis tali defectu laborantibus, ut ad Ordines sacros promoveantur, etiamsi quis passus fuerit permanentem amentiam, si ex judicio medicorum vere cessaverit illius periculum, quia Regularibus ex privilegio concessum est dispensare cum suis in omnibus irregularitatibus, exceptis aliquibus, ut diximus n. 396, inter quas non est haec.-400.

§. II.-*De irregularitate ex defectu* corporis.

Ex duplici capite incurritur irregularitas ex vitio corporis, vel quia impedit congruum exercitium Ordinis, vel quia affert notabilem indecentiam aut horrorem. Ita *communiter* DD.

I. Ob impedimentum exercitii ordinis irregulares sunt sequentes.

1. *Caecus*, qui omnino visu caret. *Nota* 1. Si sit jam Sacerdos, et constet non posse errare, tunc poterit obtinere dispensationem a Pontifice, vide *Tract. de Euch. n.* 390. 2. Si desit alicui tantum visus oculi dextri, imo, si oculus dexter sit aptus ad Canonem legendum sine magna deformitate, cui facillime occurri potest per accomodationem Missalis, illud in medium afferendo, non erit irregularis. 3. Si quis non sit omnino caecus, sed ita caecutiens, ut non possit legere in Missali, hic est irregularis ad Ordines suscipiendos. Utrum ad eos exercendos? Vide *Tract. de Euch. n.* 390. 4. Non est irregularis, qui est debilis visu, ita ut indigeat perspicillis, vel qui ex obliquo intuetur.-494.

2. *Surdus*, qui ex utraque aure penitus non audit, quia talis Sacerdos cum non possit audire vocem ministri, nequit sine indecentia celebrare. Concedunt vero *Bon. etc.*, quod si surditas superveniat Sacerdotio suscepto, non interdicatur Sacerdoti celebratio. *Communiter* autem docent DD. surdastrum, sive difficulter audientem minime esse irregularem.-405.

3. *Mutus*, qui non possit loqui, aut verba integra proferre, ita ut nullam possit vocem pronuntiare quin aliquid omittat, vel nisi cum magna difficultate, et idem dicit *Holz.* de eo qui loquelam penitus praecipitem habet. Blaesi vero sive balbutientes, aut carentes dentibus, non sunt irregulares, etiamsi cum aliqua difficultate verba proferant, nisi afferant causam risus, aut contemptus.-406.

4. *Claudus*, qui sine baculo nequit ire ad altare. Hoc tamen intelligitur, si sine baculo nequit sustineri in altari. Caeterum, claudus qui non indiget baculo, minime est irregularis. Sicut nec etiam qui habet crura distorta, quia talis defectus veste talari facile tegi potest; secus, si in hoc magna adesset deformitas. Si quis vero est instructus pede ligneo, quia habet pedem mutilum, vel aridum, hic est irregularis, eo quod celebrare cum pede ligneo magnam habet indecentiam. Dicit tamen *Tamb.*, quod si talis defectus sit modicus, et aliquo modo indecentia reparari valeat, permitti posset celebratio, et in dubio standum judicio Episcopi.-407.

5. Qui caret manu, aut digitis om-

nibus, aut pollice. Idem dicunt *Tamb. etc.*, de eo qui caret indice, vel parte pollicis, aut indicis, vel qui habet eos tam debiles, ut nequeat hostiam elevare, aut frangere, secus si quis careat ungue pollicis, vel indicis. Si quis autem jam fuerit ordinatus, et habet pollicem impeditum, in casu necessitatis *probabiliter* posset Eucharistiam ministrare posterioribus digitis, ut diximus in *Tract. de Euch. n.* 244, ubi tamen *probabilius* tenuimus non licere. Si quis caret tribus posterioribus digitis, etiam est irregularis. Si vero caret uno tantum digito minori, non est irregularis, et idem sentit *Tourn.* si caret duobus. Nec pariter est irregularis qui habet sex digitos, modo sextus digitus usum aliorum non impediat. Sextus autem ille digitus bene potest abscindi sine periculo irregularitatis, si possit fieri sine periculo vitae. Notat autem *Tourn.*, quod si quis careat indice, poterit obtinere dispensationem. - 408.

6. Laborans febri continua, non autem quartana, aut levi, aut qui patitur gravem dolorem capitis. Hoc tamen intelligendum de eo, qui non posset celebrare ob talem morbum sine proximo periculo deficiendi, vel notabiliter errandi; nam, optimam in hoc tradit regulam *Laym.* quemcumque morbum non inducere irregularitatem, nisi vel exercitium Ordinis impediat, vel notabile scandalum sive indecentiam afferat. Item, irregularis est, qui laborat paralysi; sed *Conc.*, bene ait id intelligi tantum de eo, qui manus ita tremulas habet, ut sit periculum effundendi calicem. Item, qui tantam patitur tussim, ut sit periculum in suscipienda Eucharistia. Item abstemius, qui vinum nequit sumere nisi cum periculo evomendi; hic enim esset irregularis de jure divino; nec enim Papa dispensare potest ut Sacrum celebretur in una sola specie, ut diximus in *Tract. de Euch. n.* 196.-409.

II. Ob vitium corporis magnam afferens deformitatem, sive horrorem, irregulares sunt sequentes:

1. Si quibus deest aliquod membrum, nempe qui carent naso, vel habent nimis deformem, nempe valde distortum, aut valde demissum aut promissum. Item, si alicui est erutus oculus, sive dexter, sive sinister. *Probabiliter* vero dicunt *Sylv.* hunc non esse irregularem, si deformitas illa reparari possit per oculum vitreum. Sic pariter etiam est irregularis, qui caret auriculis, nisi talis defectus capillis aut aliter tegatur. - 410.

2. Leprosi; attamen si abesset scandalum, ut in loco privato, bene hic posset celebrare. Sic pariter sunt irregulares qui habent labia corrosa, vel abscissa ad instar leporis. Idem dicunt *Tourn. etc.*, de eo qui laborat morbo Gallico, qui foris appareat; aut qui habet faciem ex alio morbo valde maculatam. - 411.

3. Monstruosi, nempe qui gibbam habent valde enormem, nimirum, si gibbositas vel sit conjuncta cum nimia deformitate, vel debilitate, prout si nequeat recto capite stare. Item, pigmaei, sive nani, nempe ita breves statura ut ad risum moveant, praesertim si habeant caput valde ingens; vel illi qui ita statura parvi sint, ut brachia extendere non possint, quatenus necesse est ad altaris ministerium. Item, aethiopes, qui apud nos risum afferrent. Color autem subfuscus, sive rubeus non nocet altari. Item hermaphroditi, etiamsi in eis praevaleat sexus virilis. Dicunt tamen *Tol etc.* quod hic defectus tunc pariat irregularitatem quando est notus, non vero quando est occultus. - 412.

Nota. 1. Si aliquis ex praefatis defectibus corporis superveniat Ordinibus jam susceptis, Sacerdos non impeditur ab actibus illius Ordinis, quos

potest exercere sine incongruitate et indecentia, ita ut Sacerdos caecus aut claudus bene possit excipere Confessiones, canere Evangelium etc. 2. Si vero talis defectus ante Ordines adveniat, absolute inducit irregularitatem, non solum ad illum Ordinem cujus exercitium impedit, sed ad omnes alios. 413 - 3. In hac autem irregularitate proveniente ex defectu solus Papa potest dispensare. Praelati autem regulares bene etiam possunt dispensare in hujusmodi irregularitate, non autem Episcopi, ut diximus *n.* 400, qui tantum in dubio an defectus corporis notabiliter impediat exercitium Ordinis, vel an magnam afferat indecentiam possunt declarare, sive judicare. Item *valde probabiliter* dicunt *Bus. etc.* Praelatos regulares posse etiam de hoc judicare respectu ad suos subditos; quia habent respectu ad suos jurisdictionem Episcopalem. 414.-4. Quae dicta sunt spectant ad eos qui laborant aliquo corporis defectu sine propria culpa; si vero defectus advenit ex eorum culpa, puta si quis membrum, vel ejus partem sibi amputaret ex prava intentione, ipsi fiunt irregulares, etiamsi defectus non impediat exercitium Ordinis, nec deformitatem afferat; quia irregularitas haec imposita est in poenam saevitiei in semetipsum, ad hanc tamen irregularitatem incurrendam requiritur culpa gravis; alias tanta poena non haberet debitam cum culpa proportionem. Recte tamen ait *Tamb.* quod Episcopus poterit cum illo dispensare, si crimen sit occultum, adhuc si defectus membri sit patens; nam Concilium universe concedit Episcopis facultatem dispensandi in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus.-415.

Quaeritur quid dicendum de Eunucho?

R. Qui est Eunuchus propter abscissionem virilium, aut testiculorum, factam a medicis causa morbi, vel ante usum rationis, vel propter injuriam alterius, hic non est irregularis, ut *communiter Salm.* E converso, si ex ira, aut zelo indiscreto servandae castitatis abscindit sibi virilia aut testiculos, certe fit irregularis. Et idem *communiter* docent DD. de eo qui propter eadem motiva permittit ab alio amputari. - 416. Praeterea dicunt *Pal. etc.* quod si quis amputet sibi testiculos, vel amputari sibi faciat ob vocem conservandam, non fit irregularis; cum id non faciat ex indignatione, aut zelo indiscreto castitatis, ut requiritur ad hanc irregularitatem incurrendam; tanto magis quod textus praefati tantum loquantur de amputante sibi virilia, non autem testiculos. 418. Item, recte ait *Tamb.*, quod si quis attentet se occidere, aut mutilare, non est irregularis. Dicit tamen, quod si quis attenteret publice se occidere, contraheret irregularitatem ob infamiam. - 419.

§. III. - *De irregularitate ex defectu* natalium.

Irregulares sunt ob defectum *natalium* omnes illegitimi, eo quod ratione originis reputentur viles, et hoc etiamsi sint occulti, ut *communiter* docent *Bon. etc.* - 420.

Tales autem communi jure legitimantur 1. Per subsequens Matrimonium inter eorum parentes, modo hi tempore conceptionis potuerint valide contrahere. 421. - 2. Per professionem Religiosam, quamvis ad dignitates in Religione promoveri non possint sine dispensatione. - 426. - 3. Per dispensationem Pontificiam. - 427.

Unde:

1. *Valde probabiliter* dicunt *Sanch. etc.* sufficere ad legitimandam prolem, et eam reddendam immunem a defectu natalium, quod Matrimonium fieri potuerit tempore nativitatis. - 422.

2. Filii nati ex matrimonio irrito ob aliquod impedimentum occultum, putato tamen valido, saltem ab uno sponsorum, censentur legitimi. - 424.

3. Filii nati ex matrimonio clandestino, id est, sine denuntiationibus, ac sine licentia Episcopi inito, etsi coram Parocho, et testibus, reputantur illegitimi, etiamsi parentes in bona fide propter ignorantiam contraxerint. - 425.

4. Papa non solum potest illegitimis dispensationem concedere, sed etiam legitimationem, quae irregularitatem aufert quoad omnes effectus. - 427.

5. Episcopus vero potest cum illegitimo dispensare tantum ad Ordines minores, et ad Beneficium simplex, non vero ad Beneficium curatum. - 428.

6. Episcopus non potest dispensare ad recipiendum canonicatum in Cathedralibus. Ita *probabilius Pal. etc.* - 429.

7. Episcopus non potest dispensare in hac irregularitate cum illegitimo occulto; ita *verius Laym. etc.* - 430.

8. An Episcopus possit dispensare cum illegitimo occulto, quoad ministrandum in Ordinibus majoribus susceptis? *Prima sententia affirmat absolute*, si initiatus bona fide Ordinem susceperit. *Secunda* vero universe *negat.* - 431.

9. Filii expositi, quorum parentes ignorantur non censendi sunt illegitimi, et irregulares. Haec est *probabilior* sententia. Ratio, quia ad hanc irregularitatem incurrendam requiritur ut quis sit certus de sua illegitimitate; sed expositi sunt dubie illegitimi, cum multoties parentes etiam conjugati propter inopiam filios exponant. Saltem dicendum quod hujusmodi irregularitas in exposito non sit sufficienter expressa in jure - 432.

Nota. Principes saeculares non possunt legitimare, nisi tantum in Ordine ad officia saecularia, et haereditates. - 433.

§. IV. - *De irregularitate ex defectu*, aetatis.

De irregularitate ex hoc defectu, vide dicta *in Tract. de Sacramento Ordinis*, *n.* 799.

§. V. - *De irregularitate ex defectu* Sacramenti *nempe ex bigamia.*

Bigamia triplex est, *vera*, *interpretativa* et *similitudinaria* 1. Bigamia *vera* est, quando quis cum duabus successive verum contraxit Matrimonium, debet tamen utrumque Matrimonium esse consummatum juxta dicta *in Tract. de Matrimonio*, *n.* 1075; quia alias conjux non dicitur cum pluribus carnem suam dividere, nisi per copulam consummatam, cum de duabus una fit caro. - 436. 2. Bigamia *interpretativa* contrahitur ab eo qui juris interpretatione, sive fictione quadam, censetur duas habuisse uxores, quamvis revera non habuerit. 437. 3. Bigamia *similitudinaria* est illa, quae contrahitur ex attentatione Matrimonii, quamvis invalidi cum corrupta, vel virgine post votum solemne emissum in religione approbata, vel post susceptionem Sacri Ordinis. Hujusmodi enim nubentes similes sunt contrahentibus duplex Matrimonium, quatenus post connubium spirituale cum Christo initum, ab eo recedentes, attentant Matrimonium contrahere. Ita *communiter* DD., dummodo tale Matrimonium sit consummatum, ut adhuc *communiter* DD. docent. - 448.

Quaeritur 1. Quot modis contingat bigamia interpretativa?

R. Contingit quadruplici modo: 1. Quando quis ducit viduam jam cognitam, etiamsi ducat invalide. Dicitur *cognitam*; nam secus esset si primus vir eam non cognoverit. 437. - 2. Quando quis ducit mulierem corruptam ab alio. Secus, si quis duceret

mulierem a se prius corruptam. 438.- 3. Quando quis cognoscit uxorem, postquam illa adulterium commiserit; quia vir cognoscens uxorem ab alio cognitam, censetur ac si corruptam duxisset. 441.-4. Quando quis duo contrahiter consummat Matrimonia, unum validum, alterum invalidum. - 444.

Unde:

1. Fit irregularis qui ducit corruptam, credens bona fide virginem, ita *communiter* et *verius D. Thom. etc.;* quia irregularitas haec non est ex delicto, sed ex defectu significationis unionis Christi cum Ecclesia, unica ejus sponsa : unde bona fides non impedit ut caro viri non dividatur cum corrupta, licet virgo credatur. - 439.

2. Fit irregularis qui cum corrupta invalide contrahit ob aliquod impedimentum dirimens. - 440.

3. Vir cognoscens uxorem ab alio cognitam, fit irregularis etsi adulterium fuerit occultum. Ita *Tourn.*, licet mulier fuerit vi oppressa, propter defectum significationis. - 441.

4. Fit irregularis qui ignorans adulterium uxoris illam cognoscit. Ita *communiter* et *verius Pal. etc.*, propter defectum significationis, qui culpam non requirit. -443.

5. Fit irregularis qui duo Matrimonia contraxit, ambo invalida. Ita *probabilius D. Thom. etc.;* et *communissime*, quia solus affectus intentionis irregularitatem inducit. - 445.

6. Incurrit irregularitatem qui contrahit duo Matrimonia nulla, licet in bona fide. Ita *communius* et *probabilius Sylv. etc.* - 446.

7. Incurrit irregularitatem qui ficte contraxit secundum Matrimonium, licet tantum ad copulam extorquendam. Ita *probabilius Suar. etc.;* quia sufficit affectus ad duo Matrimonia exterius ineunda. - 447.

Quaeritur 2. Quis possit in illa irregularitate dispensare ?

R. Papa in illa potest dispensare, Episcopus autem, si bigamia fuerit vera, aut interpretativa, minime potest in ea dispensare, neque ad Ordines Sacros suscipiendos, neque ad ministrandum in susceptis, neque ad Beneficia ipsis annexa recipienda. - 451.

Quaeritur 3. An possit Episcopus dispensare cum bigamo quoad Ordines minores, et Beneficia simplicia suscipienda ?

R. Affirmant D. Thom. etc. Sed *verius negant Suar. etc.*, ex *Trid.* - 452.

Nota. Praelati regulares, ex privil. *Sixti IV*, possunt dispensare cum suis subditis in omni bigamia. - 453.

§. VI. - *De irregularitate orta ex* infamia.

Haec irregularitas oritur ex infamia, sive *juris;* quae vel ex delicto proprio, vel ex vili conditione personae nascitur; sive *facti*, modo crimen publicum sit : ex occulto enim non oritur, si homicidium et censurae violationem excipias.

Porro infamia ob crimen notorium, vel per sententiam judicis contracta, non tollitur nisi per dispensationem Principis, cujus auctoritate contracta fuit. Infamia *facti*, etiam orta ex enormi crimine, et digna depositione, tollitur per publicam et constantem vitae emendationem : vide dicta ex n. 362, etc. ; irregularitas enim ob infamiam ex defectu, et ex delicto in idem coincidunt. - 454.

§. VII. - *De irregularitate orta ex defectu* libertatis.

Ex defectu libertatis irregulares sunt sequentes :

1. Omnes servi proprie dicti, et secundum *Laym.* etiam originarii, donec consequantur plenam libertatem. - 455.

2. Conjugati, nisi uxores consentiant et castitatem voveant. Vide in *Tract. de Sacram. Ordinis n.* 812.

3. Curiales, id est, Curiae saeculari obligati, facto juramento, vel stipendio, ut judices, advocati, etc. quamdiu talia officia habent; nisi habeant specialem dispensationem Papae pro illis Officiis, vel nisi consuetudo, sciente Papa, id permittat.

4. Milites, saltem quamdiu juramento tenentur. Item, thesaurarii, et depositarii publici, et qui Remp. administrant. Item, apparitores et similes, qui saeva aut turpia exercuerunt, vel in causa sanguinis ministrarunt. - 456.

§. VIII. - *De irregularitate orta ex defectu* lenitatis.

Irregularitas ex defectu *lenitatis* provenit ex licita mutilatione, vel homicidio in bello justo, vel judicio. Quod ideo statuit Ecclesia, quia Sacerdos gerit personam Christi, qui utpote lenissimus neminem unquam laesit. Ad hanc autem requiritur ut occisio, aut mutilatio de facto sequatur. Unde, non sufficit voluntas, nec vulneratio gravis. - 457.

Unde: 1. Non fit irregularis, qui mutilat vel occidit in defensionem inculpatam honoris, vitae, castitatis, vel etiam proximi. - 458.

2. Non fit irregularis, qui occidit in bello justo defensivo. Secus in bello justo offensivo, nisi alii occidant.

3. Si in bello injusto unus moriatur omnes sunt irregulares.

4. Clericus modo fuerit in Sacris, aut beneficiatus, et etiam in conflictu bombas emiserit, est irregularis si militat, etiamsi juret se ne unum quidem laesisse. - 450.

5. Qui hortatur ad occidendum in genere, etiamsi bellum sit offensivum, modo justum, non est irregularis. - 460.

6. In judicio justo irregulares fiunt qui ad mortem vel mutilationem cooperantur active, et efficaciter et proxime, per actionem ex natura sua ad id ordinatam.

Dicitur 1. *cooperantur*, ut judex ferens sententiam, ejusque assessores, notarius eam scribens, ministri, exequentes, testes voluntarii, qui ultro se offerunt, licet protestentur; advocati, procuratores, accusatores, nisi coacti sint ad eum tuendum, accusator criminis capitalis vindictam petens criminalem. Et si iste erit Clericus Beneficiatus aut in Sacris, praeter irregularitatem, peccat mortaliter, etc. Transcribens vero sententiam non incurrit. Imo *Natalis Alexand. etc.*, idem tenent de scribente. - 461. Nec erit irregularis qui accusat reum solummodo ut sibi compensentur damna, semper adhibita protestatione se nolle poenam sanguinis; et hoc tam in causa propria, quam in causa cognatorum usque ad quartum gradum, aut domesticorum, aut propriae Ecclesiae. - 468.

Dicitur 2. *active*, id est ex parte occidentium; quia non fit irregularis, qui se tantum habet passive, et ex parte ejus qui occiditur, ut Confessarius hortans ad fatendum veritatem, vel ad acquiescendum sententiae justae, quam non potest differre nisi appellatione injusta. - 462.

Dicitur 3. *efficaciter*, quia adjuvans, v. g. ferens ligna, ut comburatur ante jam soffocatus, non fit irregularis, nec assistens supplicio, si sua praesentia in illud non influat. Nec obstat textus *in cap.* vetans Clericis interesse hujusmodi suppliciis, quia hic Canon vel est abrogatus, vel tantum venialiter obligat. Imo *Nav., etc.* censent minime in hoc peccare Clericos in Minoribus. - 463.

Dicitur 4. *proxime;* quia, qui remote tantum cooperantur, non fiunt irregulares, ut qui gladios faciunt, aut vendunt, item legislator leges capitales condens; concionator in genere

dicens puniendos esse malefactores; Confessarius interrogatus de reo, an mortem mereatur, si respondeat judicem sine acceptione personarum fungi debere suo munere, quia hi omnes sunt tantum causa remota. Essent autem causa proxima, ideoque irregulares, si quid facerent, aut dicerent in particulari, ex quo mors alicujus sequeretur, aut etiam acceleraretur, v. g. si quis efficaciter urgeret reum, ut scalam ascenderet vel ad hoc illum juvaret. 464. Possunt autem subinde etiam proxime cooperantes excusari ab irregularitate. v. g. ex indeliberatione, vel ex cooperatione valde exigua. Imo, *Suarez. etc. valde probabiliter* censent ex homicidio neminem fieri irregularem, nisi concurrat ut publicus minister justitiae sive ad causae probationem, sive executionem, vel ut privatus injuste, et cum peccato. - 465.

Dicitur 6. *per actionem ex natura sua etc.*, id est, quae per se sit causa talis effectus: quia effectus per accidens non imputatur danti operam rei licitae. Hinc non fiunt irregulares judices Ecclesiastici degradatum tradentes brachio saeculari; nec Clerici accusantes aliquem in causa criminali: modo expresse protestentur se non intendere ut puniatur poena sanguinis, sed tantum ut sibi, vel suis satisfiat vel impediantur mala sibi, aut aliis imminentia. - 466.

Quaeritur. An Episcopi possint dispensare in hac irregularitate, si fuerit occulta?

R. Affirmant Diana etc., quia *Tridentinum* concedit eis dispensare in omnibus irregularitatibus, excepto homicidio voluntario. Sed *verius Bon. etc.* omnino dicunt esse *negandum*, quia Concilium ibi clare loquitur tantum de irregularitatibus provenientibus ex delicto. Praelati autem Regulares bene possunt cum suis subditis dispensare in hac irregularitate, sive occulta, sive publica, quia Regulares concessionem universe habent dispensandi in omnibus irregularitatibus, excepto homicidio voluntario juxta limitationem datam *n.* 396. - 469.

LAUS

Jesu nostro Redemptori et Mariae Immaculatae nostrae Reginae et Matri.

APPENDIX I.

CIRCA USURAM.

Neminem latet ad Sacram Poenitentiariam ex bulla Bened. XIV *Pastor Bonus* ann. 1744. pertinere cum consilio DD., et Theologorum suorum declarare omnia dubia in materia peccatorum, seu forum poenitentiale, quomodolibet concernentia, hinc merito viri docti, et pii ad eamdem pro resolutione dubiorum, quae modo circa usuram enata sunt, recurrerunt.

En ergo S. Poen. decreta circa usuram.

QUAESITUM I.

Cujusdam Professoris Theologiae Moralis ad S. Poenitentiariam circa mutuum.

Sunt quidam Presbyteri, qui contendunt licitum esse percipere actuarium quinque pro centum solius vi legis Principis absque alio titulo vel damni emergentis vel lucri cessantis: quia inquiunt, lex Principis est titulus legitimus, cum transferat dominium auctarii, sicut transfert dominium in praescriptione, et sic prorsus annichilant legem divinam et ecclesiasticam, quae usuras prohibent.

Cum haec ita se habeant, Orator existimans nullo pacto esse licitum recedere a doctrina Benedicti XIV, denegat absolutionem sacramentalem Presbyteris, qui contendunt legem Principis esse titulum sufficientem percipiendi aliquid ultra sortem absque titulo vel lucri cessantis vel damni emergentis.

Quare Orator humiliter supplicat ut sequentia dubia solvantur.

1. Utrum possit in conscentia denegare absolutionem presbyteris praefatis.

2. Utrum debeat.

Sacra Poenitentiaria diligenter ac mature perpensis dubiis propositis, respondendum censuit Presbyteros de quibus agitur, non esse inquietandos (*a*) quousque Sancta Sedes definitivam decisionem emiserit, cui parati sint se subjicere, ideoque nihil obstare eorum absolutioni in Sacramento Poenitentiae.

Datum Romae in Poenitentiaria, die 16 Septembris 1830.

E. DE GREGORIO P. M.

F. FRICCA S. P. Secretarius.

QUAESITUM II.

Episcopi Niciensis ad S. Poenitentiariam circa mutuum.

Quidem attendentes ad illa verba *bona fide*, apposita in responso Eminentissimi Poenitentiarii Majoris ad Illustrissimum et Reverendissimum Episcopum Vivariensem, die 7. Martii 1835 intendunt, juxta normam a S. Poenitentiaria Confessariis pluries proposi tam, illos tantum Sacramentaliter absolvi posse, nullo imposito restitutionis onere, qui lucrum enuntiatum *bona fide* percepissent. Alii e contra asserunt etiam illos, qui dubia, vel mala fide dictum lucrum percepissent, absolvi posse, nullo imposito restitutio

(*a*) *Quae verba* non esse inquietandos, *significant*, *ut censet* S. Ligorius *non meram tolerantiam, sed positivam permissionem. Vide Theolog. Moral.* S. A. M. de Ligorio, *lib.* 3. *n.* 765., *ubi de* Declaratione *S. C. ad Missionarios apud Sinenses.*

nis onere, dummodo parati sint stare mandatis S. Sedis, et ajunt hanc clausulam *bona fide* non respicere onus restitutionis, quam Confessarii impertiri nequeunt poenitentibus in mala fide constitutis, nisi prius de parato in mala fide poeniteant..... cumque hinc et inde sint viri summae pietatis, et non spernendae auctoritatis, hinc ut animarum quieti in re tam frequenti et seria provideatur, perhumillime petitur an poenitentes, qui moderatum lucrum, solo legis titulo ex mutuo, dubia, vel mala fide perceperunt, absolvi sacramentaliter possint, nullo imposito restitutionis onere, dummodo de patrato, ob dubiam vel malam fidem, peccato sincere doleant, et filiali obedientia parati sint stare mandatis S. Sedis.

Niceae, 9 Septembris 1837.

Subscriptus † Dominus Episc. Niceensis.

Feria 4. die 17 Januarii 1838.

In Congregatione Generali Sanctae Romanae, et Universalis Inquisitionis, habita in Conventu Sanctae Mariae supra Minervam, coram Eminentissimis et Reverendissimis DD. S. R. E. Cardinalibus, contra haereticam pravitatem generalibus inquisitoribus, proposito supradicto dubio, iidem Eminentissimi et Reverendissimi DD. dixerunt: *affirmative*, dummodo parati sint stare mandatis S. Sedis.

Angelus Argenti S. Rom. et Univ. Inquis. Notarius.

Loco † Sigilli.

Extractum ex Diurnis Gallice dictis *l'Ami de la Religion.* n. 2964.

Sed quod ad rem magis facit est judicium SS. Pii PP. VIII; licet non sit ex Cathedra locutus. En quaesita, et responsum.

I. Episcopus Rhedonensis in Gallia exponit S. Congreg. Inquisit. non eamdem esse Confessariorum suae Dioecesis sententiam de lucro percepto ex pecunia negotiatoribus mutuo data, ut ea ditescant.

De sensu Epistolae Encyclicae *Vix pervenit* acriter disputatur. Ex utraque parte momenta afferuntur ad tuendam eam, quam quisque amplexus est sententiam, tali lucro faventem, aut contrariam. Inde querelae, dissentiones, denegatio Sacramentorum plerisque negotiatoribus isti ditescendi modo inhaerentibns, et innumera damna animarum.

Ut animarum damnis occurrant, nonnulli Confessarii mediam inter utramque sententiam viam se posse tenere arbitrantur. Si quis ipsos consulat de istiusmodi lucro, illum ab eo deterrere conantur. Si poenitens perseveret in consilio pecuniam mutuo dandi negotiatoribus, et objiciat sententiam tali mutuo faventem multos habere patronos, et insuper non fuisse damnatam a S. Sede non semel de ea re consulta, tunc isti Confessarii exigunt, ut poenitens promittat se filiali obedientia obtemperaturum judicio Summi Pontificis, si intercedat, qualecumque sit: nec, hac promissione obtenta, absolutionem denegant, quamvis probabiliorem credant opinionem contrariam tali mutuo. Si poenitens non confiteatur de lucro ex pecunia sic mutuo data, et videatur in bona fide, isti Confessarii, etiamsi aliunde noverint ab eo perceptum esse, aut etiam nunc percipi istiusmodi lucrum, cum absolvunt, nulla ea de re interrogatione facta, quando timent, ne poenitens admonitus restituere, aut a tali lucro abstinere recuset.

Inquirit ergo dictus Episc. Rhedonensis

I. Utrum possit horum posteriorum Confessariorum agendi rationem probare

II. Utrum alios Confessarios rigidiores ipsum adeuntes consulendi causa possit hortari, ut istorum agendi rationem sequantur donec S. Sedes expressum de ea quaestione judicium ferat.

Feria 4. die 18. Augusti 1830.

SS. Dominus Noster, Dominus Pius Divina Providentia PP. VIII, in solita audientia R. P. D. Assessori S. Officii impertita, audita relatione superiorum dubiorum una cum voto Eminentissimorum DD. Cardinalium Inquisitorum Generalium, respondit.

Ad I. Non esse inquietandos.

Ad II. Provisum in primo.

Angelus Argenti S. Rom. et Univ. Inquis. Notarius.

II. Beatissime Pater

Pervenit ad me judicium S. Pii PP. VIII. sub data die 18 Augusti 1830 ad postulata Ep. Rhedonensis super agendi ratione Confessariorum erga poenitentes, qui inter disceptationes Theologorum circa mutuum expositas in supplici libello, mediam se posse sequi viam arbitrantur.

Idem judicium loquitur de voto Eminentiss. Cardinalium Inquisitorum General. et rescripto subjiciuntur responsa data ab iisdem eadem die ad diversa dubia relativa ad opinionem eorum, qui contendunt legem Principis solam esse titulum sufficientem aliquid percipiendi ultra sortem in mutuo.

Ex isto judicio, et istis responsis datis nova exorta sunt dubia, novae disceptationes, nova quaesita, nam dictum judicium in pluribus Dioecesibus divulgatum est, et haec est occasio talium disceptationum.

In exposito Episcopi Rhedonensis nulla fit mentio dicti tituli, quem volunt quidam Theologi reperiri, in lege Principis, sed unica de mutuo dato negotiatoribus, et de sensu Encyclicae *Vix pervenit* circa tale mutuum negotiatoribus factum.

Unde alii dicunt, judicium SS. Pontificis Pii VIII. in se solo attendendum esse, et separatim a responsis datis ab Em. Cardinalibus. Ita ut sensus istius judicii sit: sententiam faventem mutuo facto negotiatoribus non fuisse damnatam a S. Sede, ea de re non semel consulta, ideoque si poenitentes promittant se filiali obedientia obsecuturos judicio SS. Pontificis, si intercedat, non esse inquietandos Confessarios, qui ipsis absolutionem non denegant. Qui sic judicium SS. Pontificis interpretantur, aures avertunt a littera Encyclica Bened. XIV. ut 1 et 2 de Synodo Dioeces. ejusdem Pontificis, ad quam plures responsiones S. Sedis remittunt, ab Instructione data P. Carolo Felici 17 April. 1749 et a diversis responsis datis a S. Sede Apostolica.

Alii e contra non concipientes, qua via praefatum judicium conciliari possit cum dictis decisionibus Bened. XIV et aliorum SS. Pontificum circa mutuum negotiatoribus factum, si sic seorsim attendatur, putant dictum judicium non sic esse intelligendum, sed conjunctim cum responsis datis ab Em. Cardinalibus, ad quae remittere videtur SS. Pontifex, qui dicit in proœmio judicii: « *Audita relatione superiorum dubiorum, una cum voto Em. DD. Cardinalium* » et judicium esse referendum ad dubia de titulo legis Principis, qui titulus damnatus non fuit a S. Sede.

Sed oritur nova difficultas circa sensum responsionum S. Officii. Eminentissimi enim Cardinales loquuntur de lege Principis sine addito, non verba facientes de conditione, quam in medium proferunt patroni tituli ex tali lege desumpti ad percipiendum interesse, nempe quod Princeps lege sua declaret non quidem licitum esse in

mutuo percepire usuras (quae juri naturali, et divino sunt prohibitae), sed ex causa publica, et in quibusdam circumstantiis concedere jus ad moderatas praestationes a subditis suis exigendas, ita ut tunc transferant dominium sicut per legem praescriptionis.

Punctum istud magni momenti est in Galliis, ubi lex Civilis omnino silet de dato jure ad percipiendas usuras, et potius supponit mutuantem ad lucrum jus certum habere. Motivum illius legis, a Gubernii illius temporis Legislatoribus expositum erat, quod Gubernii Consultores interesse consideraverant, ut justam compensationem beneficiorum, quae eventura erant mutuanti ex usu pecuniae mutuatae, si eum usum sibi retinuisset. In discussione legis haec insuper habuit tribunatus Orator: « Legitimitas stipulationis lucri in mutuo pluries agitata, » et tam impolitice proscripta propter » aequivocationem verborum, amplius » dubia non erit. Apud omnes certum » est pecuniam esse signum valoris, » omnesque consentiunt valorem locari posse, et nolunt, nec possunt » convenire, signum valoris pariter » posse locari.» Legis Gallicanae haec sunt verba: « Licitum est stipulari interesse pro solo mutuo, sive pecu» niae, sive aliarum rerum mobilium.»

Porro si legislatores Gallicani habuerunt lucrum in mutuo perceptum vel ut justam compensationem beneficiorum, quae mutuanti evenire poterant ex usu pecuniae sibi retentae, vel ut praetium locationis signi valoris, quod juxta illos locari poterat; si lex simplicem permissionem stipulandi lucrum in mutuo concedat, certum videtur, legem civilem in Galliis noluisse transferre dominium hujus lucri, et aliud acquisitum mutuanti supposuisse. Unde si alii dicant responsionem Em. Cardinalium applicandam esse legi Gallicanae prout est in Codice Civili, alii illud negant propter motiva allata.

Itaque quaeritur I. An praefatum judicium S. Pontificis intelligendum sit, ut verba ipsius sonant, et separatim a titulo legis Principis, de quo Em. Cardinales loquuntur in his responsis, ita ut unice agatur de mutuo negotiatoribus facto.

II. An titulus ex lege Principis, de quo Em. Cardinales, sic intelligendus sit, ut sufficiat legem Principis declarare licitum esse cuique convenire de lucro ex solo mutuo facto, sicut fit in Codice Civili Francorum, quin dicat se concedere jus tale lucrum percipiendi.

Ad pedes S. V. enixe provolutus, suppliciter, et cum filiali affectu orat pro resolutione humillimus, nec non obsequentissimus servus

P. Fr. Episcopus Vivariensis.

Feria 4 die 31 Augusti 1831.

In Congreg. generali S. Officii, habita in Conventu S. Mariae supra Minervam, coram Em.et Reverendis. DD. S.R.E. Cardinalibus contra haereticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus, propositis superioribus precibus R.P.D. Episcopi Vivariensis, iidem Em. et Rev. DD., praehabitis DD. Consultorum suffragiis, dixerunt:

Provisum in decretis fer. 4. 18. Augusti 1830. atque dentur decreta.

Eadem die, et feria SS. D. N. Gregorius Div. Provid. PP. XVI. in audientia R. P. D. Assessoris S. Officii resolutionem ab Em. captam approbavit.

—

APPENDIX II.

DE BULLA CRUCIATAE.

Cum in nostro regno habeatur bulla S. Cruciatae, et per eam plura privilegia, ideo de his aliquid ex *Vella* exponere, operae praetium esse duximus.

I. Igitur privilegium est, ut Confessarii ex juxta causa dispensare possint commutando vota quaecumque, etiam reservata, emissa a poenitentibus, habentibus hanc bullam, exceptis tantum, ex declaratione Em. Commissarii Zurolo, votis solemnibus castitatis, et religionis. Ideoque intelligendum de omnibus votis emissis sive ante sive post bullae concessionem. - §. 2. quaer 1. 2. et 6.

Nota 1. Haec facultas, cum detur Confessariis, extra Poenitentiae Sacramentum exerceri nequit, sed tantum intra. Ita ex declaret. cit. Em. - §. 3. quaer. 1. - 2. Recepta bulla, et contributa eleemosyna, non statim quis absolutus manet a voto per dispensationem in eadem bulla concessam, sed a suo Confessario absolvi debet; haec enim dispensatio concessa est in forma commissoria. - Imo poenitens a peccatis absolutus non idcirco est a voto dispensatus, sed a Confessario dispensari debet. - quaer. 2. - 3. Per facultatem Cruciatae, vel Jubilaei Confessarius commutare potest vota in opera, quae postea declarabit, sic enim commutat tempore habili, et jurisdictionis: recipiendo enim poenitentis postulationem jam causam inchoat, potestatem acceptat, et quodammodo commutationem concedit; est contra *Sanchez etc.* per hanc commutationem non cessat prioris voti obligatio, secus enim vovens maneret absque ulla obligatione, sed solum cessat, quando aliud pium opus Confessarius praescripserit. - Item licet osset optimum, ut vota realia dispensando commutentur in alia realia, et personalia in alia personalia, et ita servata proportione in votis mixtis, tamen id non exigitur ex natura rei, et quando non ita sit praescriptum vel per legem, vel per delegatam potestatem. - quaer. 3. et 4. et § 2. quaer. 7. - 4. Completo termino annuae durationis bullae Cruciatae, Confessarius nequit commutare vota emissa ante, vel intra illud tempus, si tempore idoneo nulla fuerit commutatio petita. - Quaestio vero est inter DD., an transacto Jubilaeo commutari possint vota, quae intra illud non fuerunt commutata. §. 3. quaer. 5. - 5. Vota etiam reservata, intra tempus durationis bullae commutari possunt toties quoties fuerint emissa, quaer. 6. - 6. Haec facultas per bullam concessa extenditur etiam ad juramenta pia, quae scilicet in solius Dei honorem cedunt, quia haec habentur tamquam vota. Est vero DD. litigium an hoc idem dici possit de votis juramento firmatis. - quaer. 7. et 8. - 7. Juramenta non intuitu pietatis, nec Deo facta, et ab homine per metum gravem, et injustum extorta, *juxta aliquos* in virtute bullae commutando dispensari possunt, quia qui potest majus potest et minus, sed *juxta alios* non possunt, quia bulla Cruciatae concedit hoc tantum quoad vota, et haec nullam voti rationem induunt, sed tantum merae promissionis humanae. - quaer. 9. - 8. Bened. XIV. in occasione Jubilaei anni S. decrevit, ne commutarentur vota, in quibus agitur de praejudicio tertii, vota simplicia, perseverantiae seu alia emitti solita in aliqua Congregat. vel Communitate, et vota obligatoria a tertio acceptata, et demum vota poe-

nalia praeservativa a peccatis, nisi quoad haec ultima aliquae circumstantiae adsint, quae commutando votum aeque a peccato committendo removeant. §. 2. quaer. 16. Hinc si votum emissum in commodum tertii sit pure, et nude Deo factum, dispensari poterit, cum sic nullum jus tertius acquisivisset, secus vero si promissio facta sit Deo, et homini, et hic promissionem acceptasset. §. 3. quaer. 30.- 9. Per bullam Cruciatae, ut Jubilaei dispensari possunt vota reservata, et Pontificia auctoritate commutata in aliud opus pium non reservatum, quia sic non est amplius reservatum. quaer. 2.

II. Privilegium est, ut habens bullam Cruciatae eligere possit Confessarium, qui eum bis in vita, semel in mortem absolvere possit ab omnibus casibus S. Sedi reservatis.

Nota 1. Confessarius hic debet esse ab Ordinario approbatus, et quidem ab Ordinario illius loci, in quo fit Confessio. Imo Confessarius approbatus ad certum locum, tempus, ac personas eligi nequit extra dictum locum, tempus, ab aliis personis extra designatis, quia Cruciatae bulla non continet privilegium contra formam Trid. quoad approbationem Confessariorum. §. 4. quaer. 1. 2. et 3.- 2. Parochus ratione solius beneficii approbatus in Confessarium eligi potest ex privilegio bullae tam Cruciatae, quam Jubilaei ab omnibus suis ovibus non solum intra Paroeciam, sed etiam ubique locorum, nulla etiam petita, vel obtenta Episcopi loci approbatione. Secus vero si beneficium Parochiale dimisisset, aut eodem fuisset per sententiam privatus, aut si fuisset suspensus vel ab officio, vel etiam a sola jurisdictione quaer. 5.- 3. Sacerdos pro Monialibus non approbatus a Monialibus eligi nequit. quaer. 6.- 4. A poenitente eligi potest Confessarius censura irretitus, aut irregularis, dummodo non sit jurisdictione privatus, imo etiam id licite fiet, si adsit aliqua juxta causa Confessarium hunc eligendi. quaer. 7.- 5. Facultas haec per bullam Cruciatae concessam eligendi Confessarium, qui eum a reservatis absolvat, suffragari nequit regularibus ex Constit. Bened. XIV, *Indulta Apost. etc.* Bene tamen suffragari potest bulla Jubilaei. Item suffragari nequit bullae Cruciatae, vel Jubilaei pro complice in peccato turpi, nam ex Constit. dicti Bened XIV, *Sacramentum Poenitentiae*, Confessarius complex relate ad complicem omni jurisdictione caret, excepto mortis articulo. quaer. 8. et 9.- 6. Haec facultas absolvendi a casibus Sedi Apostolicae reservatis complectitur etiam facultatem ab iisdem absolvendi, quando censuram habeant annexam eidem Apostolicae Sedi reservatam, quia, exceptis duobus, Apostolica Sedes casus sibi reservat tantum ratione censurae. §. ult. quaer. 1.- 7. Confessarius virtute bullae Cruciatae absolvere potest et a sex casibus Clementis VIII, qui dici solent « extra Urbem, et intra Italiam » excepto casu excommunicationis per simoniam realem contractae in Ordinum susceptione. Ita ex declaratione Commissarii Zurolo. quaer. 17. Item ex dicta declaratione absolvere potest a peccato falsae denuntiationis apud Judices Ecclesiasticos de sollicitatione innoxii Sacerdotis, sive id fiat per se, sive mandando, consulendo, etc. quaer. 18. et 19. Item potest absolvere sive Moniales violantes clausuram per egressum a Monasterii septis, sive qui praetextu facultatum ingredi Monasteria Monialium ausus est contra legem clausurae, sive demum feminas ingredientes Religiosorum Monasteria, etiamsi in hisce supradictis casibus clusura violata sit ad malum finem. §. ult. in addit. quaer. 3. Item ab excommunicatione, in quam inciderunt Carbonarii, vel alii ejusdem furfuris

descripti in Constit. Pii VII, *Ecclesiam a J. C.* 13. Sept. 1821. Ita ex declarat. S.Poenitent. ann. 1822. dummodo tamen haeresim non sint professi. §. ult. cit. in addit. in fin. Demum potest absolvere a censura suspensionis, et interdicti, si hae censurae habeant annexa peccata, quae per absolutionem remittantur, secus vero si hae censurae relaxari nequeant, nisi per dispensationem, quia bulla Cruciatae tantum continet facultatem absolvendi a casibus Apostolicae Sedi reservatis, sive sine, sive cum censura. Hinc Confessarius privilegio bullae Cruciatae absolvere potest a suspensione, in quam incurrunt Clerici suscipientes Ordines ante legitimam aetatem, vel sine litteris dimissoriis, vel extra tempora, aut recipientes duos Ordines sacros eodem die, aut aliquem minorem cum Subdiaconatu, et tandem recipientes Ordines vel sine justo, vel ficto titulo. Haec tamen intelliguntur quando delinquit contra jus commune, non vero quando etiam contra jus peculiare alicujus Dioecesis, in hoc enim casu absolvi nequit absque Ordinarii illius Dioecesis facultate. Si vero suspensio sit lata in perpetuum, vel ad certum tempus, virtute bullae Cruciatae, a Confessariis remitti nequit. Idem dic, si nulla additio exprimatur in jure, sed ex circumstantiis colligantur fore perpetua, uti suspensio, in quam incidit Clericus, qui scienter Sacros Ordines suscepisset ab Episcopo, qui jam dignitati Episcopali renuntiasset. §. ult. in addit. quaer. 5.- 8. Confessarius, etiam virtute bullae Cruciatae, ex declarat. Em. Zurolo, absolvere nequit 1. Ab haeresi formali, et externa licet occulta, §. ult. in addit. quaer. 1, sed potest fautores, et receptores haereticorum, item legentes, et retinentes eorum libros, dummodo ipsi non se aliquo errore intellectus inquinaverint, idest dummodo eorum erroribus non adhaeserint. §. ult quaer. 7.- 2. Nequit tollere inhabilitatem, quam Confessarius, ad absolvendum suum complicem in peccato turpi contra 6. Decal. praeceptum, incurrit : nam quoad hoc adest privilegiis bullae Jubilaei, et Cruciatae specialis derogatio ex Constit. Bened. XIV. *Sacramentum Poenitentiae* cit. Ast ut Confessarius suum complicem absolvere nequeat, requiritur ut peccatum turpe a Confessario admissum sit grave, externum et in suo genere perfectum, et ut complex sit formalis, nempe socius in crimine. quaer. 22. et in addit. quaer. 1. - 4. Nequit absolvere ab excomm. contracta a Confessario suum complicem in peccato turpi absolvente. - 4. Neque a casu simoniae realis in ordine admissae tam ex parte promoventis, quam promoti. - 5. Demum ab iis casibus Papalibus, in quibus habeatur privilegii bullae Cruciatae expressa denegatio per verba « Non obstantibus privilegiis bullae Cruciatae.« §. ult. in addit. quaer. 1. cit. - 9. Ante impletum onus denuntiationis absolvi nequit excomm. contracta ob illius commissionem ; quia est contumax, bene vero post impletum tale onus. Imo *ex S. Ligor.* potest tunc a quocumque Confessario absolvi etiam absque hac bulla, quia non est amplius reservata. §. ult. quaer. 7. et 11.- 10. Quidquid sit in Regnis Hispaniae, imo et in nostro Regno trans Pharum, citra Pharum tamen ex declarat. Em. Zurolo, etiam virtute bullae Cruciatae, absolvi nequeunt casus, quos Neapolitani dicere solent «*Ab Episcopis*» *seu* « *a nobis reservat.*» absque eorum licentia, bene vero casus, qui dicuntur « *Nobis.*» quaer. 2.- 11. Per bullam Cruciatae nulla conceditur facultas quoad irregularitates. quaer. 26. - 12. Facultas haec absolvendi a censuris exerceri nequit extra Sacramentum Poeniten-

tiae, uti patet ex natura concessionis et ex declaratione Bened. XIV facta Poenitentiariis occasione Jubilaei.quaer.3.- 13. Verba haec « *bis in vitae decursu, atque in mortis articulo valeant seligere sibi Confessarios etc.*» ex declaratione Em. Zurolo ita intelliguntur, scil. quod possit bis in quolibet anno, in quo accipit bullam, et ea durante, absolvi a casibus S. Sedi reservatis, et sic in quolibet sequenti anno accipiendo bullam, dummodo id non fiat in confidentiam bullae, ideoque in vitae bullae decursu, non autem in vitae temporalis accipientis. Item quod accipiens bullam, possit in anno perdurationis bullae ab iisdem casibus absolvi toties quoties inciderit in articulum, vel mortis periculum. Per hanc bullam hoc est quod conceditur peculiariter, quod Confessarius in mortis articulo absolvendo eum, qui habet bullam, non teneatur eidem onus imponere, ut se Papae praesentet, si convaluerit, neque poenitens ad id obligatur, quia virtute bullae poenitens a Confessario ita absolvitur ac si a Superiore absolveretur, et Confessarius a poenitente electus ipsum absolvere potest quocumque Superiore, etiam Papa, praesente. quaer. 4. et 5.- 14. Confessarius, qui virtute bullae poenitentem absolvit a reservatis Papae, debet 1. exigere satisfactionem partis laesae, si damnum alicui sit illatum et poenitens satisfacere possit, si vero satisfacere nequeat, debet exigere cautionem pignorativam, aut fidejussoriam, aut saltem juratoriam, et 2. si agatur de crimine enormi, ut de publica Clerici percussione, crimine incendii, etc., juramentum obtemperandi mandatis Ecclesiae, scilicet ne in posterum in idem crimen relabatur. Ast hoc juramentum exigi debet tantum a puberibus, non vero ab impuberibus, etiamsi absolutionis beneficium post pubertatem adeptam tantum exquirant. Ast si Confessarius poenitentem absolveret non satisfacta parte, vel non praestito juramento de satisfaciendo etc., et poenitens bona fide procederet, licet Confessarius peccasset, absolutio a censuris valeret, quia haec non est conditio apposita, sine qua non, sed praeceptum Confessario impositum. quaer. 8. et 9.- 15. Haec absolutio a censuris concessa virtute bullae Cruciatae valet tantum pro foro conscientiae, non vero pro foro exteriori, et contentioso, etiamsi parti laesae sit satisfactum. Patet ex bulla Urbani VIII, *In specula militantis Ecclesiae.* quaer. 12.- 16. Licet per invalidam confessionem, bona fide factam, tempore Jubilaei, non auferatur reservatio peccati in ea confessione detecti, et idcirco Confessarius, nullius privilegii ope munitus, non possit postea eum absolvere, quia Pontifex facultatem hanc tribuit, ut fidelis Jubilaeum lucretur, tamen per hujusmodi invalidam confessionem factam virtute bullae Cruciatae, reservatio tollitur, quia jam habetur praesentatio facta apud superiorem, vel delegatum. Utrum vero hoc idem dicendum sit quoad confessionem sacrilegam, quaestio est. quaer. 15.- 17. Per confessionem factam tempore Jubilaei, aut intra annum durationis bullae Cruciatae, si contigerit oblivio inculpata alicujus criminis Papae reservati cum censura annexa, aut sine ea, per omnes Theologos tollitur reservatio, et poenitens, quando recordatur peccati sic obliti, absolvi potest a quocumque Confessario, dummodo tamen poenitens habuerit intentionem, saltem virtualem, gaudendi privilegiis bullae sive Jubilaei, sive Cruciatae. Si vero oblivio contigerit ex poenitentis culpa, scil. ex emissione diligentis examinis etc., tunc juxta *S. Ligor., Pontas etc.* reservatio non tollitur. quaer. 16.

III. Privilegium est, ut in Ecclesia-

sticis jejuniis comedi possint ova, et lacticinia.

Nota I. Haec concessio, sive privilegium comprehendit omnes, et singulos Christi fideles utriusque sexus, commorantes in nostro Siciliae regno. Olim Regulares utriusque sexus hoc privilegio non gaudebant, sed nunc et ad istos est extensum a Leone XII sua concessione anni 1827. 14 Augusti. Excipitur tamen pro Archiepiscopis, Episcopis, et aliis inferioribus, Praelatis, necnon pro Presbyteris saecularibus, et ex ultima supramemorata concessione Leonis XII. pro Regularibus utriusque sexus hebdomada major, quibus diebus eis non licet, vi hujus concessionis, edere lacticinia, et ova. Parte 3. §. unic. quaer. 5. et 6.-2. Unde vero major haec hebdomada excepta pro Presbyteris, etc. incipienda sit, num a Dominica Palmarum, num vero a feria 2. in sequenti, non constat. Sed contra alios probabilius incipit a Dominica Palmarum.quaer. 11.-3. Nomine Regularium, quibus excepta est hebdomada major, veniunt omnes ii, qui in Religione a Sede Apostolica approbata, et coram legitimo Praelato, tria vota substantialia, licet simplicia, emiserunt, scilicet etiam laici professi, et moniales professae, non vero Novitii. quaer. 12.-4. Qui jejunium vovit animo abstinendi etiam a lacticiniis, si non sit dispensatus, minime potest vesci ovis, et lacticiniis. Idem dic de eo, cui a Confessario jejunium, abstinendo etiam a lacticiniis, in satisfactionem peccatorum fuisset imperatum. Ast si non constet de mente voventis, aut Confessarii litigium est inter DD. an lacticiniis vesci possit. Aliqui negant, quia tale jejunium promissum, aut impositum impleri debet secundum consuetudinem jejunii ab Ecclesia praescripti, abstinendo scilicet non solum a carne, verum etiam ab omnibus, quae sementivam originem habent a carne. Alii e contra affirmant tum quia « *semper in dubiis, quod minus est* » *sequimur* » tum quia, excepta quadragesima, in aliis jejunii diebus, de jure communi non adest obligatio abstinendi a lacticiniis. Quaer. 16.-5. Quidquid sit de illa quaestione, scilicet utrum dispensati ad carnes ratione privilegii a bulla Cruciatae diversi, sint exempti a Benedictina lege de epulis non miscendis, v. g. an ab hec lege sint exemptae copiae militares Hispanae, necne: loquendo tamen de copiis nostris Neapolitanis, certum est ex ipso diplomate, quod dispensationem ipsis concedit ad carnes, non posse epulas permiscere. Quaerit. 9.-6. Hoc praeceptum de non permiscendis epulis obligat etiam in diebus Dominicis Quadragesimae. Quaer. 9. Item obligat in aliis diebus jejunii per annum, non vero diebus Veneris, et Saturni, si in eis nulla adsit jejunii obligatio: Pontifex enim sic praecepit « epulae interdictae cum licitis non permisceantur, et fiat unica comestio. » Ergo intellexit hoc praeceptum de epulis non permiscendis adesse tantum diebus jejunii, non vero aliis diebus. Non desunt tamen DD. qui contrarium teneant. Quaer. 16.-7. Ii, quibus concessum est diebus jejunii vesci ovis,etc., possunt etiam per bullam nostrae Cruciatae ad condiendas dapes uti larido, et adipe suis, sive, uti vocant, axungia, ut patet ex bulla Italice scripta, non vero adipibus, et sagimine aliorum animalium, v. g. vervecis, juvenci, etc. Imo ex declaratione Em. Zurolo pro condiendis epulis est etiam permissum laridulum. Nunc vero ex declarat. Em. Caracciolo an. 1836. licet uti sagimine juvenci, vulgo rognonata, per modum condimenti. Et haec concessio quoad laridum, et adipem suis intelligitur etiam pro aliis diebus totius anni, scilicet pro omnibus die.

bus Veneris, et Saturni. Quaeritur 7.-8. Ii, quibus ex bullae nostrae privilegio concessum est vesci lacticiniis, possunt una cum istis comedere pisces, aliosque esuriales cibos. Constat ex cit. Encycl. Bened. XIV ad Archiepisc. Compostellae, *Si Fraternitas tua.* Quaer. 8.-9. Ova, etc. concessa per Cruciatae bullam diebus jejuniorum adhiberi nequeunt in collatiuncula vespertina, quia privilegium vescendi ovis, etc. concessum est sub Conditione « *servatis in singulis feriis jejunii legibus, et unica tantum comestione in die.* » Patet etiam ex cit. Encycl. ex verbis Clementis XIII, et ex declaratione Em. Zurolo. Quaer. 10. Attamen, qui sunt dispensati a jejunio Ecclesiastico, aut ratione aetatis, aut ratione laboris, ex alia declarat. Em. citati, possunt virtute bullae qualibet hora diei adhibere lacticinia, ova, laridum, etc. Et Dominicis diebus hoc idem permittitur etiam illis, qui adstricti sunt ad legem jejunii. Novae annotationes 1.

Sunt et alia privilegia concessa iis, qui Cruciatae bullam accipiunt, uti lucratio plurium Indulgentiarum, applicabilium etiam pro animabus Purgatorii, etc. Sed de his vide *La Croix*, de bulla Cruciatae, et alios DD.

Cum vero haec privilegia concedantur tantum iis, qui habent bullam Cruciatae, hinc 1. ad perfruendum privilegiis hujus bullae non sufficit habere intentionem eam accipiendi, seu conferendi eleemosynam, sed requiritur factum ipsum, tamquam conditio sine qua non, ut patet ex verbis bullae « *Dummodo aliquam eleemosynam.* »-2. Non tamen est necesse, ut bulla haec recipiatur, aut retineatur, sed sufficit ad perfruendum privilegiis, ut eleemosyna sit collata apud depositarium. Hinc si quis putans bona fide recipere bullam, et collata eleemosyna reciperet aliquam aliam chartam, posset uti privilegiis bullae, et cognito errore non est obligatus accipere aliam bullam. Parte 1. quaer. 1.-3. Bulla accepta pro uno, qui ea non indiget, potest applicari alteri, nam bulla ante acceptationem illius, pro quo est accepta, manet in pendenti, ideoque potest alteri applicari. Quaeritur. 2.-4. Bulla accepta pro absente eidem prodest, dummodo sit inter confinia nostri Regni. At ut perfruatur privilegiis, non sufficit sola moralis praesumptio, quod ab alio pro ipso sit accepta, v. gr. quia parentes, amici etc. solebant quotannis pro ipso accipere, sed de hoc debet esse saltem moraliter certus. Quaeritur 3.-5. Praedicta bulla prodest etiam exteris hominibus apud nos commorantibus, aut huc accedentibus, uti patet ex ipsis verbis bullae. Quaer. 4.-6. Bulla hic accepta prodest etiam iis, qui a Regno nostro exeunt, excepto tamen privilegio vescendi ovis, et lacticiniis, et utendi adipe pro condiendis dapibus. Patet ex verbis bullae. Quaeritur 5.-7. Etiam excommunicati possunt frui privilegiis bullae, excepto privilegio indulgentiarum, dummodo tamen non sint haeretici, aut schismatici. Quaeritur 6.-8. Qui ex confidentia bullae reservata committunt, non fruuntur privilegio bullae, ut ab iisdem absolvi possint per Confessarium ab ipsis electum, ut luculenter constat ex ipsis bullae verbis. Porro ex confidentia bullae peccare est quando confidentia in bullam inducit ad perpetrandum peccatum, quod alias non committeretur. At si quis confidentia bullae ductus vota emitteret, non idcirco privatus existit privilegio, ut votum illud possit sibi dispensari, nam bulla unum excipit, non vero hoc alterum. Quaer. 7.-9. Bulla Cruciatae juxta probabiliorem DD. sententiam non censetur revocata, aut suspensa per bullam Jubilaei, nec privilegia bul-

lae expirant morte Pontificis, quia gratia facta per mortem concedentis, etiam re integra, non expirat. Quaeritur 8. et 9.-10. Tempus durationis pro recipientibus est annus integer, computandus a die promulgationis bullae usque ad aliam novam promulgationem, quae fit singulis annis die Dominica Septuagesimae, ideoque computantur juxta annum Ecclesiasticum, non vero Civilem. Quod si contigeret bullam non esse amplius promulgandam, tunc annus durationis esset solaris seu naturalis. Quaer. 10.-11. Num privilegia bullae sint stricte, vel late interpretanda, litigant DD. Aliqui affirmant esse late interpretanda, quia sunt favores. Alii negant, quia Bened. XIV in sua Encycl. ad Archiep. Compostellae sic ait «*tenorem bullae Cruciatae stricte, et considerate esse perpendendum.*» *Quaer.* 11.-12. Em. Ruffo anno 1816. declaravit, *che il possidente ricco, il quale vivesse anche colla sua industria, e fatica, debba prendere tante bolle di grana* 26 1*l*2, *quanti sono gl' individui di sua famiglia; il possidente poi non ricco, e che vive insieme col suo soldo debba prendere una bolla di grana* 26 1*l*4 *per se, ed un' altra simile per la moglie se ha portati fondi in dote, e tante bolle minori, quanti sono i figli.* Vedi Novae additiones quaer. 3.-13. ex eadem declaratione. *Quando il solo capo di famiglia, non possidente, lucra pel mantenimento dell' intiera famiglia, e gli altri lucrano niente, può prendere una sola bolla comune per se, e per tutta la famiglia, ma se alcun individuo di essa anche lucra, e vivono insieme, chi lucra deve prendere la bolla minore per se, ed il capo la prenderà comune per se, e pel rimanente della famiglia.* Quaeritur. 4.-14. *Le famiglie nobili, ed insieme ricche devono prendere tante bolle di grana* 52 1*l*2, *quanti sono gl' individui che la compongono. Le famiglie poi nobili, ma che si trovano in anguste circostanze, possono prendere una pel capo di casa titolato, un' altra per la moglie, che ha portati fondi dotali, e la terza per tutti i figli, purchè questi vivono* de comuni mensa, *e tutte e tre queste bolle debbono essere di grana* 52 1*l*2 *l' una. Se poi detti figli abbiano avuto il loro assegnamento, o alcun d' essi l' abbia avuto, allora costui dovrà prendere la sua bolla di grana* 52 1*l*2 *particolarmente per se.* Declarat. Em. Ruffo, quaer. 6.-15. Tandem ex eadem declaratione: *le Religiose nobili, che hanno livello particolare devono prendere la bolla di grana* 26 1*l*4 *per ciascuna. Quelle poi, che non hanno affatto livello, e ricevono tutto dalla Comunità, si possono considerare come povere, e così prendere la bolla minore pei poveri di grana* 13. Quaer. 5.

Denique Em. Caracciolo suis editis declarationibus ad art. IV. instructionum pro bulla Cruciatae statuit 1. *I nobili, ed i Prelati anche minori daranno la limosina di grana* 52 1*l*2, *le famiglie nobili, e ricche prendano la bolla di grana* 52 1*l*2 *per ciascuno individuo. Se sono in anguste circostanze, se ne prenda una per il capo di casa titolato, un'altra per la moglie, che ha dote di fondi sieno rustici sieno urbani, o capitali, o partite di annue entrate; la terza per l' intiera famiglia, purchè vivono* de comuni mensa. *Se poi i figli, o alcuno di essi abbia ricevuto assegnamento particolare, deve prendere la stessa bolla di grana* 52 1*l*2 *per se particolarmente.*

2. *Le religiose nobili, che hanno livello particolare, ancorchè abbiano la sola menza comune a peso della comunità, prendano per ciascuna di*

esse la bolla di grana 26 1*l*4*: chi poi riceve tutto dalla comunità, prenda quella di grana* 13*; purchè però la stessa comunità non se ne interessi. Lo stesso deve valere per i religiosi professi non nobili dell'uno e l' altro sesso. I religiosi laici prenderanno la bolla di grana* 13*. A quelli religiosi però dell'uno e l'altro sesso, ch'è dovuta la bolla di grana* 26 1*l*4*. si distribuirà la bolla* Sacerdote.

3. *I benestanti, seu possidenti ricchi prendano la bolla di gr.* 26 1*l*4*, una per se, una per la moglie, e tante altre quanti sono i figli, di maniera che se tutta la famiglia fosse di otto, o dieci individui, otto, o dieci bolle di grana* 26 1*l*4 *devono prendere. Per i ricchi, ancorchè non possidenti, deve valere la stessa regola; se i figli però fossero più di quattro, e di piccola età, basta per essi prendere una bolla di grana* 13 *per ciascuno; purchè però alcuno di essi non lucri, poichè in tal caso deve prendere per se la bolla di grana* 26 1*l*4*. Per i possidenti non ricchi si prende una bolla di grana* 26 1*l*4 *per se, ed un' altra per l' intera famiglia.*

4. *I professori, i negozianti, gl'impiegati, gli Ecclesiastici, tutti in somma, che non vivono alla giornata, prenderanno la bolla di grana* 26 1*l*4*. Però se solo il capo di famiglia lucra, e nessun' altro della famiglia, o pure lucrasse uno dei figli, e questo lucro servisse unito a quello del padre per sostentamento dell'intiera famiglia, basta prendere una bolla di grana* 26 1*l*4 *per tutti; ancorchè per accidente alcuno dei figli fosse fuori casa a tempo breve, pure gode della medesima bolla.*

5. *Se è Sacerdote quello che è alla testa di una famiglia, che alimenta a peso suo, oltre la bolla* Sacerdote*, che deve prender per se,* n^{e} *prenda un' altra di grana* 26 1*l*4 *per detta famiglia.*

6. *Chiunque vive d'industria giornaliera, come l'uomo di campagna, di marina, il venditore di piazza, il garzone artista, il servidor di livrea, il facchino ed ogni altro, che non è in istato di prender la bolla di grana* 26 1*l*4*, prenderà quella di grana* 13*. Se alcuno però di essi abbia famiglia, prenda per tutti una bolla di grana* 26 1*l*4*, ancorchè i figli lucrassero in comune col padre: purchè alcuno di essi non vivesse con economia separata, poichè in tal caso dovrebbe regolarsi come si è detto di sopra. Nel caso poi che solo il capo di famiglia lucrasse, ed il lucro appena fosse sufficiente per il sostentamento della famiglia, basta prendere per tutti una sola bolla di grana* 13*, giacchè in tanta angustia è meglio prender questa, che non prenderne alcuna affatto.*

7. *Per la gente di servizio prenda il padrone tante bolle di grana* 13*. quanti essi sono, purchè convivono con esso, da valere durante il loro servizio, in modo che se escano dal servizio, vale per chi entra in loro vece; purchè però il padrone non desse a ciascuno di essi un salario mensile sufficiente a provvedersi a proprie spese di detta bolla.*

Occorrendo dubbio o nell' esposte classificazioni, o in altro qualunque caso, restano ampiamente facoltati gli Ordinarii de' luoghi a decidere in favore de' loro diocesani secondo le regole di cristiana prudenza per la tranquiltità delle coscienze dei fedeli, estendendosi tale facoltà anche ai Parrochi in favore de' loro figliani quando il caso non patisse dilazione e non offrisse facile l'accesso all' ordinario; non esclusi i Parrochi di questa Città di Napoli.

INDEX ALPHABETICUS

(NOTA. Numeris designantur paginae compendii.)

A

Abbas et *abbatissa*. An possit irritare vota monialium. 137. Quid si vota sint facta cum suo consensu. 352. An possit libere administrare bona monasterii 340. An possit praecipere et obligare, 352. An dispensare in regulis *ibid.* An in votis novitiarum 253. An in jejuniis et officio divino *ibid.* et 354. De electione Abbatissae 353. An Abbas habens quasi jurisdictionem Episcopalem possit absolvere suos subditos saeculares a Papalibus occultis 551. An conferre tonsuram iisdem, aut alienis. 603. An Novitiis. *ibid.* An religiosis non subditis. 604. Poenae ordinantium et ordinatorum *ibid.*

Ablutio. An licet omittere vinum in secunda oblutione 487. An possit dari viaticum cum ablutione 462.

Abortus. An liceat procurare abortum 178. An liceat matri sumere medicinam ad fetum expellendum, vide. *summ. ibid.* Quibus poenis procurantes abortum 180. An praegnantes incurrant has 181. An poenae in dubio de foetus animatione incurrantur *ibid.* Quis possit has poenas relaxare 180. An Episcopi possint, etc. *ibid.* An etiam Mendicantes *ibid.* Abortivi an baptizandi 424.

Absens. An absolutio absenti dari possit 491. An a censuris 611.

Absolutio. Confessarius plures absolvens quot peccata committat 65. De forma absolutionis. Vide *summ.* 490. Quae praesentia poenitentis 491. Absolutio sub conditione, vide *summar. ibid.*. Ignorantes mysteria an possint absolvi 77. An sit obligatio absolvendi moribundum cum periculo vitae 84. An debitor ante restitutionem absolvendus sit 280. An absolvendus moribundus, quoties praestat signa doloris. Vide *summar.* 508. An absolvendi versantes in occasione proxima 568. Quando concubinarius 571. Quando habituatus et recidivus 572. Quaenam certitudo dispositionis poenitentis ut absolvi possit 574. An possit differri absolutio sine causa *ibid.* An expediat *ibid.* Quis possit absolvere in articulo mortis 538. Absolutio complicis in peccato turpi 527. An liceat absolvere cum jurisdictione dubia, probabili 541. De absolutione a censuris 691. Quomodo danda vide *summ.* 697. An excommunicatus possit absolvi a culpis priusquam absolvatur a censuris 700.

Abstinentia vide *Jejunium*.

Acceptatio. An leges justas teneatur acceptare communitas, vide *summar.* 30. An donatio valeat ante acceptationem, vide *summ.* 293.

Accessio. Quid per accessionem 242.

Accusator. De officio accusatoris, vide *summ.* 387. Quando fit irregularis 731.

Acedia quid sit et quae filiae 75.

Acolythatus Ordo, quid, 598. et 599.

Actus humani. De natura, ac multiplici actuum humanorum divisione. 1. De natura et divisione voluntarii. 2. De natura et divisione involuntarii. 3. De violentia. 4. De metu *ibid.* De concupiscentia. 5. De ignorantia *ibid.* De libertate actuum humanorum. 7. De bonitate et malitia actuum hum. 8. De principiis moralitatis *ibid.* De indifferentia

actum hum. 10. Tenemur saltem mane offerre actiones Deo *ibid.* An lex actus internos praecipere possit 34. Uno actu diversis praeceptis satisfieri potest 38. Item eodem tempore diversis actibus duplici praecepto *ibid.* Actus interni quomodo interrumpantur 61. Quomodo actus externi 62. An actus interni violent sanctitatem loci 110.

Actus. Actus fidei quando eliciendi, vide *summ.* 78. Actus item spei 82. Actus charitatis 83. Actus charitatis erga proximum quando eliciendi 85. An actus fidei et spei expliciti sint necessarii in Sacramento poenitentiae. 496.

Additio. Addere aliqua in missa 488.

Adjuratio. Quid et quotuplex 128. Quando licita, vide *summ. ibid.*

Adolescens excusatur a jejunio 231.

Advena. Vide *Peregrinus.*

Advertentia ad peccatum mortale. 54.

Adulterium. An adultera possit negare aequivoce viro suum adulterium 128. Adulterium quid sit. 191. Ad quid tenentur adulteri 264. An adultera teneatur se prodere 265. An spurius teneatur credere matri *ibid.* An adulteri, si exponant prolem hospitali, teneantur ad restitutionem *ibid.* Adulter dubitans an proles sit sua, vide *summ.* 266. Impedimentum ob crimen adulterii 653. An uxor adulterans possit expelli a viro 682. De divortio ob adulterium 681. Adulterii crimen ad dirimendum matrimonium 655.

Advocatus an excusatur a jejunio 233. De officio advocati, vide *summarium* 384.

Ædificatio. Quid per aedificationem 243.

Ægrotus, vide infirmus.

Æquivocatio, vide *amphibologia.*

Ætas puerorum ad praeceptorum obligationem 34. Quaenam aetas ad suscipiendos Ordines vide *summ.* 608. De impedimento aetatis 658. De irregularitate ex defectu aetatis 730.

Affinitas. An incestus cum consanguinea differat specie, etc. 192. An sodomia inter consanguineos, aut affines, addat speciem incestus 199. De impedimento affinitatis 658.

Aggressor, vide *Occisor.* De occisione injusti aggressoris vitae, honoris, pudicitiae bonorum fortunae, vide *summ.* 175. et seq.

Aleae. De ludo alearum, vide *Summarium* 337. Quid Clericis 377. Religiosis 350.

Alienigenae, an ligentur censuris 686. *Vide peregrinus.*

Alimenta. Parentes tenentur alimenta praestare filiis 163. Etiam spuriis *ibid.* et an possint uxor et alii accipere alimenta a debitis gravato 283.

Alluvio. Quid per alluvionem 241.

Altare. Indulgentia altaris privilegiati 474. Quando altare execratur. 480. An Reliquiae sint necessariae 481. An si frangatur sigillum *ibid.* Requiritur ad missam altare consecratum 483. Sumere paramenta ex altari 482. Altare privilegiatum 474.

Ambitio quid sit 69.

Amens an sit sub lege et an ei carnes ministrari possint 35. An Eucharistia ei danda 456. Amentes bene baptizantur, confirmantur, ordinantur 412. Amentes et ebrii, qui ante habuerunt intentionem *ibid.* An amenti danda Extrema Unctio 595. An amenti debitum conjugale 642. Amentes sunt irregulares 726.

Amor incoatus an necessarius in attritione. 496.

Amphibologia. Quotuplex, et an licita, vide *summ.* 126.

Animalia. An liceat occidere in festo 151. Quorum animalium carnes vetitae in jejunio 222.

Animae dispositiones ad Eucharistiam 456.

Quomodo Confessario agendum cum

animabus spiritualibus 579. Cum devotis. 576. Irregularitas ex defectu animae 726.
Antichriseos contractus. 343.
Apostasia quid 82. De Religiosis ejectis et fugitivis 359.
Appellatio an et quando licita 396.
Applicatio missae cujus sit 473. De obligatione Parochorum applicandi missam *ibid.* Quando debeat fieri applicatio *ibid.* An valeat applicatio habitualis *ibid.* An in confuso *ibid.* An applicatio conditionata *ibid.* Quid in Missa Defunctorum 474. De altari privilegiato *ibid.*
Approbatio quid sit, vide *summ.* 526. An tempore paschali cuique approbato possint fideles confiteri 540. An approbatus possit absolvere complicem 527.
Arrha, quid, quando data est 323.
Ars. Artes prohibitae Clericis 376. Qui causa artis exercendae est in occasione peccati 568. Artes excusantes a jejunio 236. et seq.
Artifex dives an excusetur a jejunio, vide *summ.* 235.
Aspectus obscoeni, vide *summ.* 188. in Ecclesia 194. Aspectus turpes inter conjuges 636.
Assecuratio, quid sit 342.
Attentio. Quae attentio in audienda missa vide *summ.* 156. Quae in recitatione Officii 369 et 374. In Ministro Sacramentorum 400.
Attritio quid sit 494. An sufficiat in Sacramento Poenit. vide *summarium* 496.
Avaritia quid sit et quae ejus filiae 69. et seq.
Auditor. An audire liceat comoedias. 190. Audire detractionem, vide *summar.* 214. De obligatione audiendi missam 154. Officium recitans an debeat se audire 371. Celebrans non se audiens in missa 488. An audiens legere librum haereticum incurrat excommunicationem 711.
Auriga an possit vehere meretricem 100.
Aurora. An liceat missam ante auroram celebrare, vide *summ.* 474.
Avus an irritare possit vota filiorum 136.

B

Baptismus. De ejus natura 415. De ejus materia remota et proxima 416. De ejus forma 420. De ejus effectibus 421. De ejus Ministro *ibid.* De ejus subjecto 423. De ejus caeremoniis 427. De patrinis 428.
Barbitonsor, an excusetur in die festo 150. An a jejunio 232.
Bellum. De bello, vide *summ.* 183. Quae licita in bello justo 184. Quando represalia licita, et ad quem pertineant bona hostibus erepta 185. Praeliantes quando fiunt irregulares 732.
Benedictio confirmatis in fine an sit necessaria 436. Quis potest benedicere vestes Sacras 485. Quando benedictio nuptiarum prohibetur 645. An liceat consummare Matrimonium ante benedictionem 646.
Beneficium. Vide *Simonia*, *Bonum.* An beneficiarii teneantur ad restitutionem, vide *summ.* 241. De natura et divisione beneficiorum 360. De intentione ad beneficium accipiendum 362. De residentia *ibid.* De modis beneficia amittendi 363. De pensione 364. Titulus beneficii 611.
Bestialitas quid sit, vide *summ.* 200. Si ob bestialitatem liceat facere divortium 680.
Bigamia inducit irregularitatem, vide *summ.* 730.
Blasphemia quid sit, et quando, etc. vide *summ.* 118.
Bona fides, vide *Fides, praescriptio, possessor.*
Bonum. An liceat occidere furem rei fortunae 176. Quid clerici circa bona Ecclesiastica 240. Quomodo restituenda bona spiritualia 266. An bona dimittenda ob charitatem 95.

Bona incerta an danda pauperibus, vide *summ.* 275. Bona filiorum 237. Bona uxorum 238. Bona clericorum 240. Cessio bonorum 284. Bona inventa 278. Bona mobilia praescribuntur 244. Immobilia *ibid.* Ecclesiastica *ibid.*

Breviarium quid, qui caret Breviario et nihil scit memoriter 367. Quo Breviario uti oportet 369.

Bulla nostrae Cruciatae 738.

C

Caeremoniae in Sacramentis 411. Caeremoniae Baptismi 427. Confirmationis 435. Missae, vide *Rubricae.*

Calix. Quando execratur 480. An si pereat inauratio *ibid.* Si de novo inauratur *ibid.* An liceat uti unquam inaurato 481. An si cuppa separetur *ibid.* An maneat benedictus, si in non benedicto sacrificatur 485.

Cambium. Quid et quotuplex, et an liceat 333.

Candelae. Candela accensa duplex, ex cera, requiritur ad missam 484. An liceat celebrare sine vel cum candelis ex sebo, vel oleo 484. An cum quatuor *ibid.*

Canon. In canone missae mortale est omittere 488. In canone verba alte proferens *ibid.*

Canonicus an excusatur a choro 365. Omittens officium quid tenetur restituere 265. Canonici debent canere vel psallere in choro 371.

Cantores. An excusantur a jejunio 233.

Cappellanus si celebret in alia Ecclesia, vel altari, etc. 472. Cappellanus Episcopi, Monialium an possit permutare officium 370. An possit celebrare per alium retento superfluo stipendii 470. An Cappellanus Monialium possit dicere missas Sanctorum 483.

Capitale, vide *Sors.*

Capitulum. An possit ferre leges 26. Quid capitulum circa litteras dimissorias 606. An possit dare licentiam alieno Episcopo exercendi Pontificalia, et ordinandi *ibid.* A quibus censuris absolvere potest 691.

Captivus. An possit fugere 184. Auferre bona 203.

Carcerati. An excusantur omittendo missam 158. An juramento redeundi ad carcerem obliget 124. An liceat reis fugere 395. An liceat eos juvare, etc. 896. Coram quo Parocho contrahere debeant 662.

Carnes. An liceat famulo praebere carnes 99. An liceat item cauponibus *ibid.* De abstinentia a carnibus, vide *Jejunium.* An liceat Carthusianis in mortis periculo vesci carnibus 173. Quorum animalium carnes vetitae 222. An liceat carnes non salubres manducare in jejunio 223. Quibus pueris carnes dari possint *ib.* An dispensati ad carnes, possint vesci piscibus *ibid.* Quae parva materia in usu carnium 227.

Carthusianus. An ei liceat carnes non vesci cum periculo vitae 173.

Castitas. Votum castitatis, vide *votum.* De oblig. relig. vi voti castitatis 350. Si conjuges mutuo consensu voveant castitatem 138. An possit occidi invasor castitatis 177. An stuprator habens votum castitatis teneatur ducere violatam 263. Religiosus Sacerdos laedens castitatem quot sacrilegia committat 193.

Castrare. An liceat pueros castrare 174.

Casus reservati. De natura reservationis, vide *summ.* 543. De potestate reservandi, vide *summ.* 544. De potestate absolvendi a reservatis, vide *summ.* 545. Quid de casu reservato in jubilaeo 524. Vide *Episcopus. Regulares.*

Caupo. An possit vendere vinum inebriandis, carnes comesturis in die vetito 99, et 227.

Causa. Quid, vota irritare sine cau-

sa 139. Causae sufficientes ad dispensationem 143. Causae excusantes ab operibus prohibitis in die festo 149. Ab auditione missae 159. Causae excusantes a jejunio 229. Causae exhaeredandi 164 et 306. Causae excusantes a recitatione Horarum 366. Intervertendi ordinem 372. Excusantes a restitutione 283. A residentia 363. Ad absolvendum sub conditione 493. Ad revocandam donationem 294. Causae nubendi sine consensu parentum 617. Causae dispensandi in denuntiationibus 650. Causae ut dispensetur in impedimentis dirimentibus 673. Causae censurae 687. Quae causa pro ingressus licentia in Monasteriis 708.

Celebrans, Celebrans in mortali quot peccata committit 404. Si inter celebrandum recordetur mortalis 458. Non esse jejunus 462. An non jejunus possit perficere *ibid.* Celebrans sine ministro 483. Quando et quoties celebrandum. 404. Quo loco celebrandum 476. Requisita ad celebrandum 471. Vide *Sacerdos.*

Censurae. De censura in genere seu de natura et divisione censurae 683. De auctore censurae 685. De subjecto censurae *ibid.* De absolutione a censuris 691. De censuris in specie, seu de excommunicatione majori et minori 697. De suspensione in genere 714. De suspensione in particulari 715. De degradatione et depositione 716. De interdicto 717. De cessatione a Divinis 718.

Census. Quid sit, et quando licitus 332. De censu vitalitio 333.

Cessatio. De cessatione dispensationis 44. De cessatione legis 46. De cessatione obligationis juramenti 124. De cessatione obligationis voti 135. An cessante causa, dispensatio cesset 670. Cessatio a Divinis 718.

Cessio. An excusaris a restitutione, si cedas bonis 284.

Charitas. Lex potest impleri sine charitate 73. Charitas erga Deum quid sit, et quomodo, quando, et quoties nos obliget 83. De charitate erga proximum, vide *summ.* 84. De dilectione inimicorum 86. De eleemosyna 88. De scandalo 92. De cooperatione 98. Charitas confessarii erga poenitentes 553.

Charta. Vide *Ludus.*

Chirurgus. Excusantur chirurgi in die festi praeparantes 150. De eorum obligationibus 397. Si praevideat pollutionem medendo 197. Si jam lapsus fuerit 568.

Chocolates an frangant jejunium 225.

Chorea an sit licita 189.

Chorus. An peccet religiosus non recitans in choro 365. An peccent Praelati qui hoc ex negligentia permittunt *ibid.* An omissa ob functiones chori suppleri debeant *ibid.* An satisfaciant choro qui submisse recitant 371. An ordo in choro servandus 372. An Episcopus teneatur choro 365. Si recites in choro, an tenearis repetere quae non percipis 372. An surdus vel surdaster recitans in choro satisfaciat *ibid.*

Chrisma. Baptizans sine chrismatis unctione 427.

Ciborium. Vide *Pyxis.*

Cibus. An liceat dare cibos volenti frangere jejunium 101. Conficere ad delectationem die festi 151. Sumere cibum statim vel expuere statim post communionem 363

Cingulum quando execratur 480.

Circumstantia superveniens in juramento 124 in voto 136. In voto castitatis, aut religionis, aut solemni 352. Quae circumstantiae explicandae in confessione. Vide *summar.* 503.

Clandestinitas, de Matrimonio clandestino ob omissionem denuntiationum 660. Ob deficientiam Parochi et testium 663.

Claudus. An sit irregularis 727.
Clausura. Quale peccatum violare 707. Quoad observantiam clausurae Episcopi vitare debent, etc. 353. Episcopus circa clausuram 545. Excommunicatio papalis in violantes clausuram 709.
Clericus. An clerici concubinarii sint suspensi 192. Bestialitatem exercentes 200. Dominium clericorum 240. Quid circa bona ecclesiastica 241. An Clerici possint religionem ingredi 358. De Statu Clericorum 360. De Beneficiis ecclesiasticis 360. De Horis canonicis 364. De Habitu Clericorum 375. De Officiis, artibus, actionibus Clericis prohibitis 376. An neganda absolutio Clerico habituato ordinando 407. Clericus quid sit 598. Quando vitandi percussores Clericorum 698. Excommunicatio percussoris Clericorum 711. Clericus in sacris non potest mederi cum incisione et adustione 724. An peccent Clerici assistentes supplicio 732. Quid si se intromittant in causam sanguinis 733.
Codicillus. De requisitis ad codicillum 297.
Caecus. An sit irregularis 727.
Caelibatus. De Caelibatu. Vide *summar.* 610.
Coemeterium quando censeatur violatum 481.
Cogitatio. An cogitationes turpes violent sanctitatem loci 110 et 194.
Cognatio. An incestus inter cognatos spirituales sit diversae speciei 192. An bona relinquenda cognatis 305. De impedimento cognationis legalis, spiritualis, carnalis. Vide *summ.* 652. Vide *Consanguinei.* Arbor consanguinitatis 653.
Cohabitatio. An conjuges teneantur ad cohabitationem. Vide *summ.* 638. Uxor tenetur sequi virum 639.
Collatio bonorum inter fratres quomodo facienda. Vide *summ.* 309. Beneficium per collationem 360. Quid collatores *ibid.*
Collatiuncula quid sit, et in ea quid permittatur. 226. An pisces. *ibid.* Quaenam materia censeatur parva in violatione jejunii 227.
Collecta. Omittere collectam in Missa 487.
Color, vide *vestis.*
Commissarius. Quid possint excipere commissarii 387.
Commixtio. Quid per commixtionem 242. Si a jure rem cum suis accipias 249.
Commodatum quid sit 311.
Communicatio cum judaeis, prohibita 81. Cum excommunicato, vide *summ.* 698.
Communio. De usu quotidianae communionis 449. An possit dari in Missa *de Requiem* vide *summ.* 451 Quo loco facienda communio paschalis 454. An liceat communionem simulare 410. Quoties Parochus tenetur eam dare 448. Dispositiones animae ad communionem 456. Dispositiones corporis, seu jejunium et puritas corporalis 459. Communio in Oratoriis privatis 478. Communio an requiratur de necessitate medii 452. seq. Communio in periculo mortis 453 et 463. An tunc danda pueris 453 et 455. Communio puerorum in paschate. *ibid.* Quando danda amentibus, semifatuis, mutis et obsessis 455. seq. Accedens cum veniali habituali, actuali 459. An dubius de jejunio possit communicare 461. An danda communio peccatori occulto 406. An liceat copula die communionis 634. Quandonam excommunicatus privatur communione civili fidelium 701.
Commutatio. Qui commutare possunt juramentum 125. De commutatione voti, vide *summ.* 139. Utrum commutato voto reservato, materia subrogata sit reservata 144. Com

mutare poenitentiam quis possit 520.
Comoedia. Quid, componentes sive repraesentantes comoediam 189. An sit licita, vide *Summ. ibid.*
Compensatio. Qui accipit in compensationem 201. Conditiones comp. *ibid.* An famulus possit uti compensatione 166. Compensare famam cum fama 218. Cum pecuniis *ibid.*
Complex. An sit obligatio confitendi peccatum mortale, quod non potes explicari manifestatione complicis, vide *Summ.* 509. An liceat confessario exquirere nomen complicis 510. An possit approbatus absolvere complicem, vide *Summ.* 527. An reus teneatur complices revelare 394. An possit confessarius monere complicem 583.
Compositio super bona incerta 276.
Conceptio. Dissertatio super censuris circa immaculatam B. M. V. Conceptionem 713.
Concio. Tenemur audire concionem 153. Concionator an excusatur a jejunio 233. A recitatione officii 367. De obligatione Episcoporum et Parochorum concionandi 170. Concionator concionans in mortali 411.
Concubinatus quid sit 190. An et quando possit absolvi concubinarius, vide *Sum.* 571. Poenae concubinatorum 192.
Concupiscentia quid et quotuplex 5.
Concursus. Quando beneficia per concursum conferuntur, an teneatur ad restitutionem eligens dignum, omisso digniore 362.
Conditio. An possit dari Sacramentum sub conditione 403. Melior absolutio sub conditione 492. Melio est conditio possidentis 15. Vide *Possessor.* De impedimento conditionis 651. Conditiones ut quis possit censura ligari 686. Ut quis possit absolvere a censuris 691. Baptismus sub conditione 426.
Conductio, vide *Locatio.*
Confessarius successive plures absolvens 65. Probabiliter judicans poenitentem ignorare ea quae scire tenetur, debet eum interrogare 76. Quomodo agere debeat cum divinatoribus 108. Rem habens cum filia spirituali 193. Sedulo advertat opiniones severiores sequi debere in materia sexti praecepti. Vide notam *a.* 200. Excusatur a jejunio 233. A recitatione officii 367. Quomodo confessario agendum cum reo 396. Excipiens confessionem in mortali 405. Quid Confessario de usu quotidianae communionis 448. Quid circa examen poenitentis 503. An possit exquirere nomen complicis 510. Quando confessio invalida ex parte Confessoris 511. Apud quem confessarium iterandae confessiones. Vide *summ.* 513. De Confessarii muneribus ut patris 552. Ut medici 554. Ut doctoris 553. Ut judicis 560. An opinionibus rigidioribus, aut benignioribus uti debeat 562. Confessarius sollicitans, etc., absolvens complicem in peccato turpi 527. Confessarius Monialium 572. De modo agendi Confessarii cum versantibus in occasione peccati 566. Quomodo agere debeat cum habituatis et recidivis 572. Quomodo cum devotis et scrupulosis 576. Quomodo cum mulieribus *ibid.* Cum pueris et puellis 577. Cum rudibus 578. Cum mutis et surdis. *ibid.* et 584. Cum animabus spiritualibus. *ibid.* Cum infestatis a daemone 579. Cum reis et capite damnatis 580. Cum moribundis. 581. Quid Confessario circa sigillum, vide *summ. ibid.* Confessarius absolvens praetextu privilegiorum 553. Quod si poenitens sequatur opinionem contrariam 561. Quae certitudo ut poenitens absolvi possit 574. Prudentia circa interrogationes 557. Debet instruere, disponere *ibid.* An monere. 558. Quo-

modo reparare errores in Confessione 562. An teneantur audire poenitentes 565. Qualem poenitentiam imponere 516, et 555. An audire teneatur moribundum cum periculo vitae suae 565. An intelligere peccata 556. An esse praeditus scientia necessaria *ibid.* An possit absolvere cum jurisdictione dubia vel tantum probabili 541. An ex errore communi quod habeat jurisdictionem 540. An possit absolvere debitorem', etc. monere si prevideat 281. Praevidens pollutionem in se 197. Si jam lapsus fuerit 568. Confessarius a quibus censuris absolvere potest 691. *seq.* An possit aliquando dispensare in impedimentis 559.

Confessio. An iteranda, facta cum ignorantia 78. An praemittenda confessio mortalium in administratione omnium Sacramentorum 404. Ante communionem, vide *summ.* 456. An iteranda confessio ob defectum propositi expliciti 500. Quotuplex praeceptum confessionis vide *summ.* 501. An tempore paschali liceat confiteri cuique approbato 502 et 540. De integritate materiali confessionis, vide *summ.* 502. De integritate formali 506. De reliquis confessionis conditionibus 511. De confessione invalida et iteranda vide *summ. ib.* An per confessionem inculpabiliter invalidam tollatur reservatio 548. An per confessionem nullam *ibid.* Confessiones non sunt iterandae sine causa 515 et 561. De Sigillo Confessionis vide *summ.* 582. Confessio puerorum, puellarum 577. Scrupulosorum 576. Devotorum *ibid.* Mutorum, et surdorum 578. Moribundi 581. Rei capite damnati. 580. Obsessi et coeuntis cum daemone 579.

Confirmatio. De ejus natura, materia, forma, et effectibus 431. De ejus Ministro 433. Subjecto 434. De ejus necessitate 435. De ejus caeremoniis *ib.* An confirmatio suscipienda ante Ordinationem 605.

Confusio. Quid per confusionem 242.

Congressus inordinatus 194.

Conjugalis actus, vide *Debitum conjugale.*

Conjugatus an possit ordinari 611.

Conjunctus vide *Propinquus.*

Conjux. An conjugibus liceat delectari de copula in alterius absentia 60. De obligationibus conjugum 167. Vide *Uxor, Maritus.* Si habeat copulam, an possit communicare 464. Tactus et aspectus turpes inter conjuges 636. Tactus turpes cum seipso altero absente 638. Morose se delectans de copula habita vel habenda. *ibid.* et 60. An conjuges possint mutuo consensu invicem separari 639. Ad quid teneantur conjuges, vide *summ.* 628. An conjux asserens se ficte consensisse Matrimonio 630. *seq.* Si audiat impedimentum a fide non dignis *ibid.* An uterque conjux debeat esse conscius de nullitate matrimonii, ad illud revalidandum 676. Quando divortium eis licitum, vide *summ.* 678. Quando illicitum vide *summ. ib.* Apud quem conjugem filii educandi 683. An conjux innocens teneatur accipere alterum emendatum 681.

Consanguinei. An incestus cum consanguinea differat specie 192. An sodomia inter consanguineos addat speciem incestus 199. Ad quid tenetur deflorator si puella sit consanguinea 264. Vide *Cognatio.*

Consanguinitas, vide *Cognatio.*

Conscientia quid sit et quotuplex 11. Quid conscientia recta *ibid.* Quid conscientia erronea, vincibilis et invincibilis *ibid.* An invincibilis sequenda. *ibid.* An eam sequens mereatur. *ibid.* An detur circa principia juris naturae. *ibid.* An peccet desiderando, qui putat pravum desiderium non esse peccatum. *ibid.*

Quid conscientia perplexa. 12. Quid conscientia scrupulosa, et ejus signa *ib.* Quomodo se gerere debeat Confessarius erga scrupulosos. *ibid.* Varii scrupuli 13. De conscientia dubia 14. Quid sit dubium *ibid.* An liceat operari cum consc. practice dubia *ibid.* An liceat operari cum conscientia speculative dubia 15. Principia reflexa *ibid.* De conscientia probabili 17. Quae sit opinio tenuiter probabilis, etc. *ibid.* An illicitum sit sequi opinionem tenuiter probabilem, vide *summ. ib.*

Consecratio utriusque speciei, an necessaria 438. Quae conditiones ad validam materiae consecrationem 440. *seq.* Ad licitam 442. Verba alte proferens in consecratione 488. Plures consecrantes cum Episcopo in prima Missa 602.

Consensus quale ad peccatum mortale vide *summ.* 55. An qui negative se habet erga motum appetitus sensitivi vide *summ. ibid.* An possit res accipi aut retineri ex praesumpto consensu domini 286. Consensus ad Matrimonium 625. Ad dispensationem obtinendam non requiritur consensus ejus cui prodesse debet 674. Qui ficte contraxit Matrimonium an teneatur per verum consensum 676. Quot modis renovari potest consensus pro Matrimonio 677. An Papa possit dispensare in consensu pro reconvalidatione Matrimonii *ibid.*

Consentiens in damnum ad quid tenetur 267.

Consulens damnum ad quid tenetur 267. Ad quid in dubio an consilium 269. Dans consilium pro usuris, ad quid 319.

Consuetudinarii an sint absolvendi, vide *summ.* 572. Consuetudinarius blasphemus 119.

Consuetudo. De consuetudine, vide *summ.* 48. Consuetudo excusans ab operibus prohibitis 150.

Contemptus quando mortalis 67.

Contractus quid sit 287. Quot modis perficiuntur contractus *ibid.* Utrum contractus sine debitis solemnitatibus, sit validus 29, 287, et 297. An pacta turpla obligent 288. Si actio sit debita ex alia virtute 289. An dolus vel error *ibid.* An contractus per metum. 290. Quid triplex contractus et an licitus 341. An culpa theologica requiratur in contractibus 218. An in festis liceat contractus 149. Ubi facienda solutio, ex contractu debita 280.

Contritio quotuplex, vide *summ.* 494.

Contumelia quid sit, et quale peccatum, vide *summ.* 208. Quot peccata qui pluribus contumeliis aliquem afficit 64.

Cooperatio quotuplex, etc. vide *summar.* 98. De cooperatoribus, nempe mandante, consulente, consentiente, palpone, praebente recursum, participante, muto, non obstante, non manifestante 267. An omnes cooperantes ad homicidium fiunt irregulares 723.

Copula, an sit adulterium habita cum desponsata 192. An copula in Ecclesia sit sacrilegium 193. An impediat a communione 464. An illicita copula in diebus festivis, jejunii, aut rogationum 634. An ad contraendam affinitatem debeat esse consummata 660. An exprimenda copula incestuosa in petitione dispensationis 671. An copula sine semine sit sufficiens ad divortium 680.

Coquus. An liceat coquere die festi 151. An coquus excusetur a jejunio 232.

Corporale. Qui utitur corporalibus, et similibus valde immundis 111. Corporale execratur 480. An necessarium et an ex cannabe 481. Quot peccatum sine eo celebrare, aut cum immundo vel non benedicto 482. Ad quem pertineat lotio corporis.

lium, etc. *ibid.* Quibus liceat ea tangere 487.

Corporis dispositiones ad Eucharistiam 469. Irregularitas ex defectu corporis. Vide *summ.* 727.

Correctio fraterna quid sit, an et quando obliget, vide *summ.* 89. Quis ordo servandus in correctione 91. An correctio fraterna praecedere debeat denuntiationem, vide *summ.* 389. Correctio hadibenda a Confessario 555.

Crapula quando sit mortalis 72.

Creditum. An liceat carius vendere ad creditum 325. Quid si creditum sit periculosum 327. Si sit certum *ibid.*

Crimen. De impedimento criminis 654. Quando crimen dicatur occultum 551. Quando publicum 212. Vide *Detractio.* Quid, ut crimen dicatur non occultum 692.

Cruciatae nostrae Bulla 738.

Crucifixus qualis et an semper requiratur in Missa, et an omissio sit gravis 484. Debet prominere inter candelabra *ibid.* Si in altari est imago crucifixi *ibid.*

Crux an necessaria ad celebrationem Missae 484. An sit mortale sine ea celebrare *ibid.* An crux et imagines in altari debeant esse benedictae *ibid.*

Culpa. Ex qua culpa oriatur obligatio restitutionis, vide *summ.* 247. Quid sit culpa theologica et quae juridica. *ibid.*

Cultus disparitas. De impedimento disparitatis cultus 656. De Matrimonio cum haereticis 663.

Cultus superstitiosus Vide *Superstitio.* An precipiatur cultus interior in die festi 145.

Curator. An possit eleemosynam dare 89. An possit irritare vota minoris 137. De obligationibus curatorum 164. De tutela et curatela, vide *Summarium.* 343.

Curiositas. Quale peccatum tangere, vel aspicere partes inhonestas proprii corporis ex curiositate 187. Si corporis alieni *ibid.* Legere litteras alienas ex curiositate 220.

Currus. An diebus festis sit licitum ducere currus 147.

Custos. Custodientes domos, etc. excusantur a Missa 159.

D

Daemon. Quid, maledicere Daemoni 120. Assidua ejus nominatio *ibid.* Peccatum cum Daemone 200. Quaerere a Daemone manifestationem alicujus rei 129. Quomodo Confessarius agere debet cum infestatis a Daemone 579. Imprecari alicui Daemonem quid 25.

Daemoniacus. vide *Obsessus.*

Damnatus. Quomodo Confessario agendum cum reo et capite damnato 580.

Damnum et *damnificans.* De injusto damnificatore in bonis corporis per occisionem et mutilationem 257. Per stuprum sine, vel cum promissione matrimonii 260. Per adulterium 263. In bonis famae 264. In bonis spiritualibus 266.

Debitor an absolvendus, vide *summarium* 280. Quando excusatur a restitutione 283. et 285. An teneatur ad interesse 286. An praesumens remissionem excusetur *ibid.* An donans immemor debiti excusetur *ibid.* Si praesumat socium restituisse an excusetur 274.

Debitum conjugale reddens, an teneatur a Communione abstinere 464. Debitum conjugale quando licitum, vide *summ.* 628. Quando illicitum *ibid.* vide *summ.* Quando praeceptum 638.

Decisiones Rotae Romanae quomodo obligent 27.

Declarationes S. C. quomodo obligent. 27.

Defectus. An defectus naturales possint

manifestari sine mortali 211. An praelati defectus leves corrigere debeant 347. Defectus in confessione commissi 562. Defectus naturales an cadant sub sigillo 584. Defectus commissi in ordinatione 601. An laborans occulto defectu teneatur manifestare ante sponsalia, vel matrimonium 620. Ob quos defectus censurae sint invalidae, vel illicitae 690. Irregularitas ex defectu, vide *summarium* 726.

Deflorator, ad quid tenetur, vide *summ.* 260.

Defunctus. Officio defunctorum sub gravi satisfaciendum 369. An possit anticipari 373. An missa possit offerri pro defunctis 467. In die commemorationis, an missae applicatio sit ad libitum 473. Missae defunctorum quando licitae 488. Obligatus dicere de *Requiem*, si dicat aliam 489. Si differrat eam offerre 469.

Degradatio. Quid sit 716.

Delectatio. Tenemur positive delectationi resistere 55. Delectatio quid, et quotuplex, vide *summarium* 57. et 186. Delectatio morosa in conjuge de copula 639, et 57. De copula aliena 632. Delectatio de objecto malo, etc. vide *summ.* 58.

Delegatio. Delegatus nequit subdelegare 43. Quid de jurisdictione delegata 538. An episcopi possint delegare facultarem dispensandi in impedimento dirimente 669. An delegati possint ferre censuras 685.

Deliberatio ad votum requisita. Vide *summ.*130. Ad peccatum mortale 55.

Delictum. Irregularitas ex delicto. Vide *summ.* 720.

Delirium. An in delirio liceat communicare 453. An danda Extrema-Unctio delirantibus 595.

Dunudatio uberum, vide *Pectus.*

Denuntiatio quid, quotuplex, et quando facienda, vide *summ.* 387. De denuntiationibus requisitis ad matrimonium, vide *summ.* 647. et 648. An quis teneatur denuntiare impedimentum *ibid.*

Depositio. Quid sit 716.

Depositum quid sit, vide *summ.*311.

Desiderium quid sit, et quae ejus malitia, vide *summ.* 57. Desiderium Episcopatus, quid 610.

Desperatio. Quae peccata desperationis 83.

Detractio quid sit, vide *summ.* 211. Audiens detractionem 214. Detrahens alicui coram pluribus, vel in pluribus materiis 64. *et seq.*

Devotio. Quomodo agendum Confessario cum devotis 576.

Diaconatus. An diaconus possit dare baptisma 422. An Eucharist. administrare 447. An ministrans in mortali Eucharistiam, peccet 404. Diaconatus quid sit 598, et 599. An sit sacramentum 598. Diaconus ministrans in mortali 411.

Dies Dominicus. De quo jure observantia hujus diei 145, vide *festum* in quibus diebus debeant fieri denuntiationes 648.

Digitus. Qui laborat chiragra an dare possit Eucharistiam cum aliis digitis 450.

Dignus. Digniores eligendi ad beneficia 360.

Dilatio missarum, quae ut sit mortalis 469.

Dilectio inimicorum, vide *summ.* 86.

Dimissoriae. Litterae dimissoriae necessariae ad ordinationem, vide *summ.* 604.

Discipulus. De obligationibus discipulorum 172.

Disparitas conditionis an irritet sponsalia 621.

Dispensatio. De impedimento dispensationis vide *summ.* 40. De potestate dispensandi 42. De cessatione dispensationis vide *summ.* 44. Qui dispensare possunt a juramento 126. Qui dispensatione voti, vide *Sum-*

marium 140. De dispensatione ab operibus prohibitis 149. A jejunio 230. De dispensationibus S. Poenitentiariae 49. De dispensatione ab officio, 367. Ex dispensatione licet celebrare in loco decenti 476. An aliquid possit accipi pro Matrimonii dispensationibus 115. Quis dispensare potest in impedimento affinitatis 660. De Dispensationibus in impedimentis Matrimonii 668. An parochus vel Confessarius possit aliquando dispensare in impedimentis, aut saltem declarare 559. Quis dispensare potest in irregularitatibus. Vide *Tractatum de Irregularitatibus* 718.

Dispositio ad valide suscipienda Sacramenta, vide *summ.* 410. Ad licite suscipienda 413. Dispositio ad baptismum 427. Ad confirmationem 435. Ad Eucharistiam 456, et 459. Ad Poenitentiam 492. Ad Extremam-Unctionem 595. Ad Ordinem 604. Ad Matrimonium 627.

Dissertatio pro delectu opinionum 18. Super censuris circa immaculatam B. M. V. Conceptionem 713.

Distantia quae excusat ab audienda Missa 160.

Distillatio quid sit et an liceat 195.

Distinctio specifica peccatorum 60. Numerica 61.

Distractio. Remedia ad repellendas distractiones 375. Quale peccatum distractio in confectione Sacramenti 402. An repetenda verba consecrationis 445. Distractio in celebratione quale peccatum 488.

Dives an mutuando pauperi satisfaciat 89. An non subveniens pauperi teneatur ad restitutionem 203. An a jejunio dispensetur laborando 235.

Divinatio quid sit et quotuplex vide *summ.* 102. Confessario quid agendum cum divinatoribus, magis, etc. 107. *et seq.*

Divortium. De Divortio vide *summarium* 678.

Dolor. An ad singula peccata singuli actus doloris sint necessarii 495. An praecedere debeat confessionem vide *summ.* 497. Dolor qualis in confessione venialium vide *summ.* 498.

Dolus. Juramentum dolo extortum quid 125. Dolus circa contractum quid 289. Dolus circa sponsalia 614.

Domicilium, et *quasi domicilium* quando acquiruntur 34. Si sponsi habeant duo domicilia 614.

Dominium quid sit et quotuplex 237. De dominio filiorum *ibid.* Uxorum 239. Clericorum 240. De variis modis dominii acquirendi 241. De jure gentium 242. De praescriptione 243.

Dominus potest irritare vota famulorum 138. De obligationibus dominorum 165. Si dominus incertus, cui restituendum 275. Si dominus certus 276.

Domus. An liceat locare domum usurario, meretrici 100.

Donatio quid sit 292. Quinam inabiles ad donandum vide *summ. ibid.*

Dos si non fuit soluta, an teneatur vir alere uxorem 169. An fratres dotare debeant sorores 164. An defloretor teneatur ad nuptias 260. Si dos non sit soluta an possit vir expellere uxorem 639.

Dubitatio quid sit et an liceat 208.

Dubium. Quid sit dubium negativum et positivum 14. Vide *Conscientia.* In dubio melior est conditio possidentis 15. Regula ad cognoscendum quae pars possideat *ibid.* Quid in dubio de emissione voti *ibid.* Quid si de satisfactione voti *ibid.* Subditus in dubio an actio sit licita, tenetur ne obedire 16. Adolescens dubitans an expleverit annum 21, *ibi.* Dubitans an transierit hora mediae noctis possit vesci carnibus *ibid.* Dubitans de valore Matrimonii *ibid.* Dubitans an aliquid deglutiverit, vel deglutiverit post mediam noctem

ibid. Quid in dubio an lex existat, vide *summ.* 32. In dubio an casus indigeat dispensatione 44. In dubio de justitia belli, 183, 184. Quid restituere in dubio 250. Adulter in dubio an proles sit sua 266. In dubio an socius restituerit 274. In dubio an consilium, mandatum etc. fuerit causa damni 869. An suffragium fuerit causa 270. In dubio de justitia tributi 255. An liceat Sacramentum poenit. cum jurisdictione dubia administrare 541. In dubio an poenitens incurrerit casum reservatum, an simplex Confessarius possit absolvere 549. Peccata dubia an confitenda. Vide *Summ.* 504. Dubitans an peccaverit mortaliter, an possit communicare sine confessione 505. In dubio de impedimento an liceat Matrimonium contrahere vide *summ.* 628. In dubio an monitio sit profutura, an sit facienda 560. In dubio validitatis ordinationis, quid 602. Quid in dubio de impotentia ad Matrimonium. Vide *summarium* 666. In dubio an censura sit incursa, vel sit justa, quid 691. Quid in dubio de validitate baptismi 425. *seq.* Quid in dubio an contracta sit irregularitas 719. Quid dubitans de homicidio 722. Dubitans an officium omiserit 365. Dubitans an possit recitare partem *ibid.*

Duellum. De duello vide *sum.* 181. Poena duello inflictae 182. An provocans teneatur ad restitutionem si occidat 259.

Dux. De injustitiis ducum 183.

E

Ebrietas quid sit, et quotuplex, vide *summ.* 72. An ebrius legibus teneator 35. Ebrius qui antea habuit intentionem suscipiendi Sacramentum, quid 412. An ebrio debitum conjugale debeatur 642. An ei danda Extrema-Unctio 595.

Ecclesia. An copula in Ecclesia sit sacrilega 198. An tactus, verba, aspectus, cogitationes, etc. sint sacrilegia, vide *summ.* 194. An furtum in Ecclesia sit sacrilegium 110. Vetantur mercatus, etc. in Ecclesia 109. An liceat celebrare in Ecclesia violata, et quae poenae, vide *summ.* 478. Quando violatur, execratur, vide *summ.* 479. Quando licet extra Ecclesiam celebrare 476. Quae oratoria veniunt nomine Ecclesiae 477.

Effectus quid ut sit voluntarius 3. An in dubio praesumendus a causa naturali proveniens potius, quam a superstitione 106. De effectibus Sacramentorum 398. Baptismi 421. Confirmationis 432. Eucharistiae 445. Effectus sacrificii Missae 467. Extrema-Unctionis 592. Ordinis 597. Excommunicationis majoris 697. Excommunicationis minoris 714. Interdicti. 717. Irregularitatis 719.

Electio simoniaca ad praelaturas 715. Obbligatio eligendi digniores, vide *summ.* 360. Electio Abbatissae 353. Beneficia per electionem 360.

Electuaria an frangant jejunium 255.

Eleemosyna quando obligat, vide *summ.* 88. An uxor, curator, filius, famulus possint facere eleemosynam, vide *Uxor*, *Curator*, etc.

Emphyteusis quid sit 335.

Emptor rei furtivae ad quid teneatur 270. An emens mercem a defraudante gabellam teneatur 256. De emptione, vide *summ.* 321.

Epikeia quid sit et quando habeat locum 48.

Epileptici. Quando eis danda communio 456. Sunt irregulares 726.

Episcopus. An possit dispensare peregrinos 36. In quibus potest dispensare 42. An in lege superioris 43. An possit dare facultatem libros prohibitos legendi 53. An possit legere *ibid.* An tenetur in necessitate ex justitia ministrare Sacramenta 86. Tenetur corrigere 90. An possit

dispensare in poenis simoniae 117. Potest irritare vota 138. Potest dispensare in votis 141. An cum peregrinis 145. An possit dispensare a labore in festis 149. De obligationibus Episcoporum 170. An possit dispensare in jejunio 230. An ultimas voluntates mutare 301. Episcopus erga moniales quid 353. An possit religionem ingredi 358. Debet digniores ad beneficia promovere, vide *summ.* 361. An possit ab officio dispensare 367. An teneatur assistere choro 365. An possit aleis ludere 378. An possit transferri 361. Solus Episcopus est minister Confirmationis, vide *summ.* 433. An teneatur residere, et ministrare tempore pestis 448. Quoties tenetur celebrare 469. An possit minuere Missas 472. Moderari Officia 473. Quo loco possunt dare licentiam celebrandi 476. Quo loco possunt celebrare 477. An possint delegare facultatem benedicendi vestes sacras 485. Quid Episcopus circa clausuram 545. A quo Episcopo approbandi Confessarii 527. A quo regulares *ibid.* Episcopus debet concedere Confessarium extraordinarium monialibus 542. An Episcopi possint absolvere peregrinos in sua dioecesi versantes a casibus Papalibus, etc. 551. An possint absolvere a casibus occultis reservatis ab aliis Episcopis, etc. 552. Episcopus est minister Ordinis, vide *summ.* 602. Episcopatus quid sit, et an sit ordo distinctus 598. *seq.* Quomodo ordinatur Episcopus 601. Episcopus ordinans non vocatos ad sacros Ordines 610. An possit dispensare in voto castitatis conjuges, post, ante Matrimonium, vide *summ.* 646. Episcopus in mortali benedicens olea, consecrans vestes, templa 411. Confirmans non suos 433. *seq.* Negligens confirmare *ibid.* An possit conferre tonsuram in aliena dioecesi vide *summ.* 603. Episcopus an possit constituere impedimenta dirimentia 644. Quando possit vel teneatur dispensare in denuntiationibus 649. An possit dispensare aliquando in impedimentis dirimentibus vide *summar.* 668. An hanc facultatem delegare 669. An possit dispensare in impedimentis non dirimentibus *ibid.* An in impedimentis dubiis 630. Episcopus potest ferre censuras 685. A quibus censuris potest absolvere, vide *summ.* 692. Quid Episcopi in suspensione 715. An Episcopi dispensent in irregularitate ex homicidio voluntario 726. Ex delicto *ibid.* Ex defectu animae 726. Corporis 727. Natalium 729. Aetatis 730. Bigamiae *ibid.* Infamiae 731. Libertatis *ibid.* Lenitatis 732.

Epistolae. Pontificiae quomodo et quando obligent 26.

Error. Juramentum errore extortum 125. Votum errore emissum 131. Error circa contractum 289. Errans in officio an repetere teneatur 366. Errore communi stante an suppleat Ecclesia jurisdictionem 340. Error in administratione Sacramenti poenitentiae, vide *summ.* 562. De impedimento erroris 651.

Eucharistia. Tenetur Parochus ministrare Eucharistiam 448. Ministrans eam in mortali 404. Si communicet plures. *ibid.* De Eucharistiae natura et necessitate 436. *seq.* De ejus materia 438. Forma 443. Effectibus 445. Ministro 446. De potestate Eucharistiam ministrandi *ibid.* De requisitis ad licitam administrationem Eucharistiae 450. An asservanda cum lumine *ibid.* De obligatione Eucharistiam sumendi 452. De dispositionibus animae 456. De dispositionibus corporis, seu de jejunio et puritate corporali 459. An Eucharistia possit administrari in oratoriis privatis 478. De natura et virtute sanctae Missae

465. De obligatione celebrandi 468. De tempore celebrationis 469. De loco celebrationis 476. De requisitis ad missam 481. De rubricis missalis 486.

Eunuchus an sit irregularis 729.

Examen quale praerequiritur ad integritatem Confessionis, vide *summarium* 503. Quale ad ordinationem 607.

Excommunicatio. Excommunicati an excusantur ab auditione Missae 158. An excommunicatus possit communicare in necessitate, et etiam recipere Sacramentum Poenitentiae 546. Excommunicatio in non denuntiantes sollicitantes 529. An ab excommunicato liceat petere Sacramenta 414. An debitum conjugale cum excommunicato sit licitum 636. Contrahentes scienter cum impedimento consanguinitatis vel affinitatis incurrunt excommunicationem 660. Parochus excommunicatus, vitandus, irregularis, suspensus valide assistit Matrimonio 661. De excommunicatione majori 698. De ejus natura *ibid.* De ejus effectibus *ibid.* De excommunicationibus non reservatis ex jure antiquo 703. De excommunicationibus reservatis Episcopis 705. De excommunicationibus Papae reservatis extra bullam *Coenae* 706. De excommunicationibus Papae reservatis per bullam *Coenae* 710. Excommunicatio percussoris clericorum 711. Dissertatio super censuris circa immaculatam B. V. M. conceptionem 713. De excommunicatione minori *ibid.*

Execratio quid sit et quando fiat, vide *summ.* 479.

Executor. De executoribus Testamenti, vide *summ.* 303.

Exemptio. An conventus regularium sint exempti 36., et 687.

Exhaeredatio. An filius exhaeredari potest vide *summ.* 306.

Exorcistatus. Ordo, quid sit 598. et 599.

Expositus an sit baptizandus 426. An sit irregularis 730.

Extrema-Unctio. De hujus sacramenti natura, materia et forma 590. Effectibus 592. Ministro 593. Subjecto 594.

F

Fama. Vide *Detractio.* Quomodo restituenda fama 215 et 266.

Famulus an possit facere eleemosynam 89. An possit comitari herum ad lupanar, vide *summ.* 98. An ministrare carnes 99. Famulus interrogatus an possit aequivoce respondere 127. Excusantur famuli coacti ad laborandum 150. Excusantur a Missa 159. De obligationibus famulorum et de eorum injustitiis, et an possint uti compensatione, etc. vide *summ.* 165. Quid sentiendum de furtis famulorum 207. An famuli a domino debitis gravato possint accipere salarium 283. An cooperantes domini usuris, teneantur ad restitutionem 320. An debeatur pensio famulo qui aegrotavit 335. Commutans pecuniam domini 334. An famula peccans cum hero possit absolvi 571.

Fascinatio an detur 106.

Febris tertiana, vel quartana, an excuset ab officio 367. Laborans febri continua est irregularis 728.

Femina si sciat se turpiter concupisci, vide *summ.* 96. Ubera ostendens *ib.* An teneatur potius permittere se occidi quam violari 174. Vellicare manum feminae 186. Permittens se tangi 187. Vi oppressa an teneatur clamare *ibid.* Utens veste virili 188. Se ornans, et faciens fucans *ibid.* Coire cum femina mortua 199. Pollutio inter feminas *ibid.* An copula non concessa possit retinere 289. Femina respondens in missa 483. An possit expellere se-

men 179 ee 644. Quod si femina sit arcta 665. Mulier violans clausuram Religiosorum 712.

Festum. De obligatione festa celebrandi, vide *summ.* 145. De abstinentia ab operibus prohibitis, vide *summ.* 146. De causis excusantibus ab operibus prohibitis, vide *summ.* 149. De his quae praecipiuntur diebus festis vide *summ.* 153. De causis ab auditione sacri excusantibus 158. Peccans die festo 149. Quod tempus injunctum labori, constituat peccatum 152. An in diebus festis eliciendus actus contritionis 495. An copula conjugalis sit licita 634.

Feudus et *Feudatarius* quid 335.

Fidejusso quid sit 342.

Fides. In materia fidei et de necessitate medii, illicitum est sequi opinionem probabilem, vel probabiliorem 17. Quid sit fides 76. Quae explicite credenda necessitate *medii* 77. Quae necessitate *praecepti*, vide *summ. ibid.* De obligatione praecepti fidei vide *summ.* 78. De vitiis fidei oppositis 81. Si superveniat dubium nuptiis contractis in bona fide, vide *summ.* 630.

Filius an possit eleemosynam dare 89. Excusantur filii familias coacti ad laborandum 150. De obligationibus liberorum 161. De dominio filiorum 237. An filius notabilem summam expendens 162. Quid de furtis filiorum 207. An possit stipendium exigere a patre 239. An possit ingredi Religionem, vide *summ.* 356. An mutuum acceptum restituere teneatur 312. An restituendum lucratum a filio familias 336. Filius contrahens matrimonium vel sponsalia sine consensu parentum 616. Facto divortio, apud quem conjugum filii educandi 683.

Fines. Fine adaequato legis cessante, quid 46. Fines matrimonii 627.

Foetus, vide *abortus.* Quando foetus censetur animatus 180.

Forense. Opera forensia vetita in diebus festis 148.

Forma. De forma Sacramentorum, vide *summ.* 399. De forma baptismi 420. Confirmationis 432. Eucharistiae 443. Poenitentiae 490. Extremae-Unctionis 590. Ordinis 699. Matrimonii 624.

Formula ad impetrandam dispensationem in impedimento matrimonii 674. Ad exequendam dispensationem *ibid.*

Fornicatio. Quid et quo jure vetita 190. An cum sponsata sit adulterium 192. Quandonam sponsalia per fornicationem dissolvantur 619.

Fragmenta hostiarum an possint sumi post Missam 451.

Frater, an tenetur alimenta et dotem praestare sororibus 164. An bona sint relinquenda fratribus 305. *et seq.* An liceat deserere ad religionem ingrediendam 357. Collatio bonorum inter fratres 309.

Fructus praescribuntur 243 et 248. Fructus Missae 467. Cujus sit applicare fructus Missae 473. Beneficiarius an teneatur dare fructus superfluos 241.

Furiosus, vide *Amens.*

Fur et *Furtum* quando sacrilegium 110. An liceat occidere furem rei fortunae 176. Quid sit furtum 200. An aliquando sit licitum, vide *summ.* 201. De quantitate furti ad mortale peccatum 203. An caedentes ligna in sylva 204. An sic de agris quoad pascenda animalia 205. An liceat in vinea aliena uvas comedere *ibid.* Qui multa minuta furta committit, vide *summ. ibid.* Quid de furtis domesticorum, amicorum 207. De causis excusantibus a restitutione 283. De furtis Religiosorum 349. Mittens rem ablatam per virum fidelem 281. Quid si de re-

bus ablatis faciat dicere Missas pro anima domini 281. Consumens in extrema necessitate 202. Quot peccata qui centenis vicibus centum aureos furatur 206. An quis restituere teneatur, cum quocumque suo damno 276. Accipiens donum a fure impotente ad restituendum, vide plura 249. Famulus non impediens furta domini 166. Circumstantia aggravans in furto an explicanda 504.

G

Gabella. An fraudantes gabellam teneantur restituere, vide *summ.* 253. An pauperes teneantur ad gabellam 254. Quid in dubio de justitia tributi 255. An teneatur emens merces a defraudante gabellam 256. Quis possit tributa imponere *ibid.*

Generatio. An liceat aliquando impedire 644.

Gradus incestus an sint explicandi in confessione 192. Regulae ad cognoscendos gradus consanguinitatis 653. Gradus affinitatis 659. An possit reticeri gradus propinquior in petitione dispensationis 671.

Gravitas materiae, vide *Parvitas materiae.*

Gula. Quid sit et quae ejus filiae 72.

Guttae calici adhaerentes an consecrentur 442. An guttae aquae cum saliva mixtae frangant jejunium 460.

H

Habitus. De habitu clericorum 375. An clericus peccet qui habitum non portat *ibid.* Clericus habituatus, qui vult ordinari, an possit absolvi 407. Quomodo agendum Confessario cum habituatis et recidivis, vide *summar.* 572.

Haeres et *haereditas.* Haeres possessoris malae fidei, an possit praescribere 244. Quibus haeredibus homicida teneatur restituere 258. Qui haeres institui potest 303. Institui non potest 305. Divisio haeredum *ibid.* An cognatis relinquenda bona *ibid.* Quae bona relinquenda haeredibus necessariis 306. An filius exhaeredari possit *ibid. et seq.* An filii illegitimi aliquod jus habeant 308. Qui haeredes ab intestato 309. Quomodo facienda inter fratres collatio, vide *summ. ibid.* An sumptus a patre pro filii studio debeant in collatione *ibid.* An male expensa, mobilia, vestes, expensa nuptiarum *ibid.* Haeres usurarii, ad quid teneatur 320. An haeres capite damnati, teneatur restituere 258. Si testamento desint solemnitates a jure civili requisitae, ad quid tenetur haeres 297.

Haeresis et *Haereticus*, quamdiu judicat suam sectam esse credibiliorem, an possit credere, vide *summar.* 79. Quid sit haeresis vide *summ.* 82. An haeretici vitandi possint absolvere in articulo mortis 538. De Matrimoniis in partibus haereticorum 409 et 663. Episcopi an possint absolvere ab haeresi occulta 692. In irregularitate propter haeresim *ibid.* Quid si haereticus sit impeditus adire Romam vide *summ.* 693. Conditiones ad incurrendam excommunicationem latam contra haereticos 711.

Hasta. Venditio sub hasta, vide *summar.* 328.

Hermaphroditus. An valide contrahat Matrimonium 664.

Homicidium. Vide *Occisio.* De homicidio casuali 181. Impedimentum ob crimen homicidii. 654. Per quale homicidium polluatur Ecclesia 479. Irregularitas ex homicidio, vide *summ.* 720 et 722.

Homicida, vide *Occisor.*

Honestas. De impedimento honestatis 658.

Honor. An liceat occidere aggressorem honoris 176. Vide *Contumelia, Detractio.*

Hora refectionis in jejunio 223. Hora Matutini 373. Hora celebrandi 474. Hora communicandi 452.

Hora Canonica. De obligatione Horas canonicas recitandi 364. De gravitate obligationis officii recitandi 365. De causis a recitatione Horarum excusantibus 368. De modo Horas recitandi 368.

Horologium. An ad communionem accipiendam liceat sequi ultimum inter dissonantia 461.

Hospitale. Adulter exponens prolem hospitali 265.

Hostia fracta vel maculata, an liceat uti 440. Figura hostiae 439. An liceat uti hostia minori *ibid.* Quid si decidat hostia consecrata 451. Quid de fragmentis hostiarum *ibid.*

Hypotheca quid sit 343.

I

Jactantia de peccato commisso, quot peccata 60.

Idololatria quid sit et quotuplex 102.

Jejunium. De conditionibus jejunii et de ejus obligatione, vide *summ.* 221. An abstinendum ab ovis, lacticiniis *ibid.* Quid de larido 222. Quid licitum pauperibus *ibid.* Quorum animalium carnes vetitae. *ibid.* Antevertens horam meridianam, quid 223. An potus lactis, vini, etc., frangat 224. Quid de electuariis 225. Quid de collatiuncula 226. Quae materia parva in violatione jejunii 227. De causis a jejunio excusantibus 229. An teneatur sexagenarius jejunare 233. Dubitans an expleverit annum vigesimum primum 16. S. Congregationis responsa quaedam recentiora circa jejunium 228. De jejunio observando ante Eucharistiae susceptionem, vide *summarium* 459. An copula licita in diebus jejunii 634.

Ignorantia. Quotuplex 5. An adsit invincibilis circa praecepta naturae 6. Quando ignorantia excusat ab obligatione legis 38. Ignorantes reservationem, quid 543. Quid si quis non advertat 558. Ignorans votum castitatis in Ordinatione 611. An ignorantia excuset ad impedimento affinitatis 659. An a censura, vide *summarium* 689. An ab irregularitate 720.

Illiterati sunt irregulares 726.

Illegitimus. Vide *Spurius.*

Imagines in altari an debeant benedici 484. Vide *Pictura.*

Immemor debiti, donans, an solvatur a debito 286. Immemor voti poenitentiae, etc. si opera injuncta, vel promissa exequatur, satisfacit 37.

Impediens a consecutione alicujus boni ad quid teneatur 274.

Impedimentum excusans a lege an liceat ponere 30. Si omnia parata, et adest impedimentum Matrimonii, quid Parocho 558. An liceat contrahere cum dubio de impedimento, vide *summ.* 629. Impedimenta constituuntur ab Ecclesia 644. De impedimentis impedientibus, vide *summar.* 645. De impedimentis dirimentibus 650. De impedimento erroris *ibid.* Conditionis 651. Voti 652. Cognationis *ib.* Criminis 654. Disparitatis cultus 656. Vis *ibid.* Ordinis 657. Ligaminis *ibid.* Honestatis 658. Aetatis *ibid.* Affinitatis *ib.* Clandestinitatis 660. Impotentiae 663. Quando impedimentum potest dici occultum 675.

Impeditus adire superiorem, an possit confiteri reservata inferiori, vide *summ.* 546. An Episcopi possint absolvere a censuris bullae *Coenae* legitime impeditos Romam adire 693. Quinam dicantur legitime perpetuo impediti, vide *summ. ibid.*

Impoenitens. An ei danda Extrema-Unctio 595.

Impotentia excusat a lege 39. Impotentia excusans a Missa 158. A Jeju-

nio 229. Impotens restituere in uno genere 257. Impotens recitare officium 366. De impedimento impotentiae *ibid.* Vir, vel mulier impotentem se reddens 640.

Imprimentes libros haereticorum 53. Incurrunt excommunicationem 711.

Impubes. Vide *Puer.*

Inadvertentia. Vide *Advertentia.*

Incestus quid sit 191. An incestus cum consanguinea differat specie, vide *summ.* 192. An inter cognatos spirituales *ib.* Quid copula cum filia spirituali 193. An gradus incestus sint explicandi in confessione *ibid.* Si incestuosus petat, an conjux teneatur reddere 641. An ipse incestuosus teneatur reddere, licet non possit petere *ibid.*

Incisio. An femina arcta, vide *Femina.* Incisio prohibita Clericis et monachis 724.

Index librorum prohibitorum 52. An carens digito indice possit Eucharistiam ministrare 450. An celebrare et an sit irregularis 728.

Indignus. An indigno administranda sacramenta 405.

Indissolubilitas matrimonii, vide *summar.* 678.

Inductio ad peccatum, an sit circumstantia in confessione explicanda. 93.

Indulgentia altaris privilegiati 473. De indulgentiis in genere, vide *summar.* 520. De jubilaeo 523.

Indultum ova et lacticinia comedendi per bullam nostrae Cruciatae 742.

Infamia. Irregularitas ex infamia 722 et 731.

Infantes. Infantibus dantur carnes 34. Infantes infidelium an baptizare liceat 424. Vide *Pueri.*

Infidelitas. Infideles an obligentur ad leges Ecclesiae 34. Infidelitas quotuplex 81. An matrimonia infidelium sint dissolubilia 678. An si infidelis notit converti *ibid.* An lex de impedimentis dirimentibus obliget infideles 660.

Infirmitas. Infirmi an excusantur a missa 158. A jejunio 230. A choro 363. A recitatione officii 366. Quibus infirmis danda Extrema-Unctio, vide *summ.* 595. Viaticum 447, 453 et 462.

Ingressus. An per ingressum in religionem unius sponsi, solvantur sponsalia 620. Excommunicatio in cogentes mulieres ad ingrediendum monasterium vide, *summ.* 704. Vel impedientes eas velum accipere 705. A quo debeat concedi licentia ingrediendi monasteria monialium, vide *summ* 708. De ingressu medicorum, et aliorum officialium *ibid.* Confessariorum vide *summ.* 709.

Inhabilitas. Inhabiles ad donandum 292. An poenae inhabilitantes incurrantur ante sententiam 29.

Inimicus quomodo diligendus, vide *summ.* 86.

Injuria vide *Contumelia.*

Injustitia vide *Restitutio.* De injustitiis filiorum 161 *et seq.* Parentum 163. Tutorum et curatorum 164. Dominorum 165. Famulorum *ibid.* Conjugum 167. Ducum, militum 183.

Innocens. De occisione innocentis 178. An judex condemnare possit quem scit esse innocentem 382.

Inobedientia vide *Obedientia.*

Inquisitio quid et quotuplex 381.

Integritas confessionis materialis 502. Formalis, vide *summ.* 506.

Intentio. Ad impletionem legis non requiritur intentio vide *summ.* 37. De intentione ad votum, etc. 130. Ad beneficium accipiendum 362. In ministro sacramentorum, vide *summ.* 400. In suscipiente sacramentum 412.

Interdictum. An interdicti excusantur a missa 158. De interdicto vide *summar.* 717.

Interrogatio. Quomodo interrogandi

rustici 557. Prudentia et obligatio confessarii circa interrogationes *ibid.* Quid si confessarius sciat peccatum quod poenitens negat *ibid.* An liceat interrogare de complice 558.

Interpres. An ignorans idioma teneatur confiteri per interpretem 507. An interpres teneatur ad sigillum 581.

Interpretatio legis 46.

Interruptio. An liceat interrumpere officium 372. Missam 475.

Interstitia an servanda, vide *summar.* 604 et 605.

Invasor, vide *Occisio. Aggressor.*

Inventa bona cui restituenda 278.

Invidia quid sit et quae ejus filiae 71.

Ira quid sit et quae ejus filiae 74.

Irregularitas. An incurratur irregularitas in dubio an foetus sit vel non animatus 181. Quando ex homicidio casuali incurratur *ibid.* An diaconus, vel laicus baptizans incurrat 422. An incurrat irregularitatem qui ante legitimam aetatem suscipit sacerdotium 609. Vel suscipit cum excommunicatione prius contracta *ibid.* Parochus irregularis valide assistit matrimonio 661. De irregularitate in genere 718. De irregularitate ex delicto, vide *summ.* 721. Ex defectu animae 726. Corporis 727. Natalium 729. Ætatis 730. Sacramenti nempe ex bigamia *ibid.* Ex infamia sive juris sive facti 731. Libertatis *ibid.* Lenitatis 732.

Irritatio. De irritatione juramenti 125. Voti vide *summ.* 136.

Iter quale ad excusandum a Missa 159. A jejunio 232. An liceat itinerare in die festi 147.

Jubilaeum quid sit, vide *summ.* 523.

Judaeus. Quae communicatio cum judaeis sit interdicta 81.

Judex tenetur judicare juxta sententiam probabiliorem 18. De judice, vide *summ.* 380. Debet judicare secundum leges, vide *summ. ibid.* Quando judex legitime interrogat 391.

Judicium. Judicium requiritur in juramento 121. Quid sit judicium temerarium 208. De judicio forensi 380.

Juramentum. Licet tyranno juramentum praestare 100. An liceat petere a pejeraturo *ibid.* Quid est juramentum, et quotuplex, vide *summ.* 120. De requisitis ad licitum juramentum 121. De obligatione juramenti promissorii, vide *summ.* 122. De cessatione obligationis juramenti, vide *summ.* 124. Appendix de adjuratione 128.

Jurisdictio, quando est probabilis an suppleatur ab Ecclesia 18. Jurisdictio quid sit et quotuplex, vide *summ.* 529. *seqq.*

Jus quid sit et quotuplex 236. De jure gentium 242.

Jusculum ex herbis an liceat in coenula 227.

Justitia. Quid sit et quotuplex 236. Justitia requisita in juramento 121.

L

Labor. Quando laborantes in festis excusantur 151. An pro magno lucro liceat in festis laborare 152. An ob illud Missa possit omitti 161. Labor excusans a jejunio 232, et 235.

Lac. An sumptio lactis, jusculi et similium frangat jejunium 224.

Lactatio. An lactantes excusentur a jejunio 231. An lactatio impediat debitum conjugale 635.

Lacticinia. An in jejunio vetantur, vide *summ.* 221.

Laicus potest-ne ministrare Viaticum 447. An ministrans in mortali peccet 423. An solemniter baptizans contrahat irregularitatem 422. An possit tangere vasa sacra 485.

Laridum an sit licitum in jejunio 222.

Latinus si celebret in fermentato, quid 439. An, ad dandum Viaticum, possit celebrare in fermentato *ibid.*

Lectio turpis, quod peccatum 189. Lectores an a jejunio excusantur 233. Quod de lectione librorum prohibitorum vide *summ.* 46 et 52. Excommunicatio contra legentes libros haereticos 710.

Lectoratus ordo, quid sit 597 et 598.

Legatarius et *legatum*. An legatum relictum puellis, vide *summ.* 299. Quomodo distribuendum pauperibus 300. Quomodo legata incerta distribuenda 303. An legata pia debeantur, etsi ex testamento non solemni 299.

Legislator non tenetur suis legibus 35.

Legitima debita 310.

Legitimatio. Quis concedere potest legitimationem pro Ordinatione 730. Quot modis fiat legitimatio pro ordinatione *ibid.*

Legumina an in coenula sint licita 226.

Lenitas. De irregularitate ex defectu lenitatis 732.

Lepra an impediat usum matrimonii 631.

Leprosus An sit irregularis 728.

Lex quid et quotuplex 24. De potestate leges condendi, vide *summarium* 25. An decretalia, declarationes, decisiones, regulae cancellariae obligent 26. De obligatione legis, vide *summ.* 27. An lex pure poenalis obliget, vide *summ.* 28. An lex humana possit praecipere actus internos, aut occultos 34. An tenearis parere legi fundatae in falsa praesumptione *ibid.* An communitas teneatur acceptare leges 30. An promulganda est lex, vide *summ.* 31. De subjecto legis 34. An peregrini teneantur legibus locorum, etc., vide *summ.* 35. An possint dispensari ab Episcopo 36. De modo legem adimplendi 37. De causis excusantibus ab obligatione legis 38. De dispensatione legis 40. De cessatione legis 46. De interpretatione legis 47. De epikeia 48. De consuetudine *ibid.*

Libellaticus contractus, quid sit 335.

Libellus famosus quid sit 216.

Liber. An libri prohibiti possint legi cessante periculo 46. Appendix de prohibitione librorum 52. Qui est certus de nullo periculo 53. Legere libros turpes 189. Quis potest dare licentiam legendi 53. An Episcopi possint legere libros prohibitos *ibid.* Liber baptismi 428. Conditiones requisitae ad incurrendam excommunicationem latam in scienter retinentes, legentes, etc. libros haereticos 711.

Libertas. De irregularitate ex defectu libertatis 731.

Ligamen. De impedimento ligaminis. 657.

Litaniae an in diebus *S. Marci* sint de praecepto 371. An liceat eas anticipare 374.

Litterae. An eas liceat aperire et legere, vide *summ.* 220. Litterae dimissoriales 604.

Locatio et *locator*. An liceat locare domum meretrici, usurario. 100. De locatione, vide *summ.* 334.

Locus. Quo loco restitutio facienda 280. Qualis locus dicatur sacer 191. Quo loco sumenda Communio paschalis 454. De loco celebrationis missae 476.

Lotio manuum ante missam 488.

Lucrum. An excusat magnum lucrum a labore in festo 152. An omissio lucri excuset a sacro 161. Lucrum cessans, titulus mutui, vide *summar.* 314.

Luctus. Qui excusantur ratione luctus a missa 160.

Ludus quid sit, et an licitus, vide *sum.* 336. Quid liceat religiosis 350. Quid clericis 376. *et seq.* Vide *Aleae*.

Lumen. Quid Eucharistiam ministrare sine lumine 450. Quid Eucharistiam servare in tabernaculo sine lumine 451. An liceat celebrare sine lumine 481 et 484. An cum uno lu-

mine cereo *ibid.* An ex sebo, vel oleo *ibid.*

Lunatici, vide *Epileptici.*

Luxuria quid sit et quae ejus filiae 70, et 185. De peccatis luxuriae non consummatae 186. Consummatae intra naturam 190. Consummatae contra naturam 194. De congressu inordinato *ibid.* De mollitie *ibid.* De sodomia 198. De bestialitate 200.

M

Maceratio. An liceat vitam sibi minuere vigiliis, macerationibus 173.

Magia naturalis an sit licita 107.

Magister. De obligationibus magistrorum 172.

Maledictio. Maledicere creaturis, quid 119. Diabolo 120. Hominibus *ibid.*

Maleficium quid sit et quotuplex 107. Remedia contra maleficia *ibid.* Quomodo Confessarius se gerere debeat erga maleficos *ibid.*

Malum. An liceat suadere minus malum ad majus vitandum 74.

Mandans ad quid tenetur 267. An censura in mandantes incurratur, effectu non secuto 688. Quando mandans consulens homicidium fit irregularis 723.

Manifestans. Non manifestans ad quid tenetur 268.

Manuscripta an sint propria Religiosi 348.

Mappa linea triplex 981. An duae possint sufficere *ibid.* An debeat esse ex lino, an ex cannabe *ibid.* An benedicta *ibid.*

Maritus an possit irritare vota uxoris 137. An excusatur a jejunio 231. De ejus obligationibus, vide *Conjux.* De furto maritorium 207.

Martyrium, vide *summ.* 416.

Mas. Pollutio inter mares, quid 199.

Mater an possit irritare vota filiorum 137. Excusatur a missa 159. Tenetur alere filium 163. An ei liceat sumere medicamentum ad expellendum foetum 175. An tenuerat se prodere filio spurio 265. Mater adultera, ad quid tenetur, vide *Adulterium.* Quae ejus obligationes, vide *Conjux.*

Materia voti vide *summ.* 130. De materia Sacramentorum, vide *summarium* 399. De materia baptismi 416. Confirmationis 431. Eucharistiae 438. Poenitentiae 489. Extremae-Unctionis 590. Ordinis 599. Matrimonii 624.

Materiae parvitas non datur in re venerea 186. Quae materia parva in jejunii violatione 225. In omissione officii 365. Non datur in simonia 117. An in juramento promissorio 123. In labore diei festi 153. In auditione missae 155. In esu carnium, in die abstinentiae 227. In furto 203, et 204. In tentatione Dei interpretativa 108.

Matrimonium an liceat contrahere cum haeretica 82, et 409. Ad quid tenetur stuprator, qui ficte Matrimonium promisit 260. An Parochus possit assistere matrimonio publici peccatoris 408. De sponsalibus 613. An valida Matrimonia sine consensu parentum 616. An matrimonium subsequens dissolvat sponsalia antecedentia 621. De matrimonii natura, materia, forma, et ministro 624. Assistens in mortali 625. Contrahens cum excommunicato, vel peccatore 408. De matrimonii usu licito et debito 628. De impedimentis matrimonii 644. De impedimentis impedimentibus 645. De impedimentis dirimentibus 650. Matrimonium senum 658. Matrimonium in partibus haereticis 82, 409 et 663. De dispensationibus in impedimentis matrimonii 668. Formulae supplicationis 670. De revalidatione matrimonii 674. De divortio 678. Quid Confessarius, si cognoverit impedimentum, et omnia sint parata 559. Quando legitimantur filii per matrimonium 729.

Matutinum an possit separari a Lau-

dibus 371. An Nocturni ab invicem *ibid.* Qua hora Matutinum recitandum 373. Vide *Horae canonicae*, *Officium*. An Missa ante Matutinum possit celebrari 475.

Medicinam respuere in morbo levi, quale peccatum 109. An teneamur in morbo uti medicina extraordinaria, vel mediis nimis duris 173.

Medicus an tutiora remedia adhibere teneatur 18. De Obligationibus medicorum, vide *summ.* 397. Praevidens pollutionem 196. Quid si jam lapsus fuerit 568.

Membrum. Cui deest membrum est irregularis 728. Qui amputat membrum alicui fit irregularis 722.

Mendacium in confessione, quale peccatum 511.

Mendicantes, an a jejunio excusentur 231. An Confessarii Mendicantes a reservatis ab Episcopis absolvere queant 545. An possint dispensare conjuges a voto castitatis 646. An ab impedimento affinitatis 660. Vide *Regulares*.

Menstruum. Tempore menstrui an liceat conjugi communicare 465. An coire 635.

Mercator. An excusantur mercatores vendentes in festo 151. Vide *Venditio*, *Emptio*.

Mercatus. An sit liciti in festo 148.

Meretrix. An liceat locare domum meretrici 100. An permitti possint meretrices 191.

Meridies. An liceat celebrare post meridiem, et quando 474.

Merx ultronea decrescit valore 324. Si mox valore minuenda, quid 326.

Metus quid et quotuplex 4. An excusat a lege 39. Juramentum per metum extortum 125. Votum metu emissum 131. Contractus per metum extortus 290. An accipiens Ordines per metum teneatur Sponsalia per metum 615. Metus ad Matrimonium extorquendum, vide *summ.* 656. Qui metu contraxit Matrimonium 682. Qualis metus sufficiens pro divortio 683. An metus gravis excuset a censura 689.

Miles. De Injustitiis militum 184. An excusantur a jejunio 231. A quo absolvendi milites 543.

Minister Sacramentorum. De ejus intentione 400. De ejus attentione 402. De ejus probitate erga confectionem, et administrationem Sacramentorum 403. Erga eorum decorem 405. Erga alias functiones sacras 411. Quando obligatio ministrandi Sacramenta 409. An liceat petere Sacramentum a ministro indigno 414. De Ministro baptismi 421. Confirmationis 433. Eucharistiae 446. Minister requisitus ad Missam 481. Quale peccatum sine eo celebrare 483. An mulier possit respondere *ibid.* De Ministro Sacramenti Poenitentiae 525. De Ministro Extremae Unctionis 593. Ordinis 602. Matrimonii 624.

Minor an contrahere possit 344. Mutuum datum minori, quid 312.

Missa. Praecipitur auditio Missae, vide *summ.* 153. Qua attentione audienda 156. De causis ab auditione Missae excusantibus 158. Quae omissio gravis 154. An audienda in parochia 157. De natura et virtute sanctae Missae, vide *summ.* 465. De obligatione celebrandi 468. De tempore celebrationis 474. De loco celebrationis 476. De requisitis ad Missam 481. De Rubricis Missalis 486. Missae votivae quando licitae 488. Missae in ordinatione imposita 613. An percipi possit stipendium pro prima Missa *ibid.*

Missale an requiratur ad Missam 481. An liceat celebrare sine eo, et quo uti liceat 483.

Moatra quod sit, et an licitus 330.

Modus. De modo legem adimplendi 37. De modo restituendi 281. Beneficia amittendi 363. Horas recitandi 368. De modo agendi Confessarii cum in

occasione versantibus 566. Cum habituatis et recidivis 572. Cum scrupulosis et devotis 578. Cum mulieribus *ibid.* Cum pueris et puellis. 578. Cum rudibus 578. Cum mutis et surdis *ibid.* Cum animabus spiritualibus 579. Cum infestatis a daemone *ibid.* Cum reis et capite damnatis 580. Cum moribundis 581. Modus renovandi consensum pro matrimonio 677.

Molitor an possit diebus festis molere 147.

Mollities. Vide *Pollutio.*

Monachus. Vide *Religiosus.* Non potest mederi cum incisione et adustione 724.

Monasteria. Quo loco in paschate communicare liceat famulis monasteriorum 455. An monasteria sint loca exempta 36. et 687. Vide *Monialia. Clausura.* A quo debeat concedi licentia ingrediendi Monasteria monialium, vide *summ.* 708.

Moneta. Monetam adulterinam cambiens vel aliter, aut quid tenetur 334. Famulus cambiens monetam domini sui *ibid.*

Monialis. Vide *Religiosus.* Quibus moniales tenentur obedire, vide *summar.* 352. Electio Abbatissae 353. Privilegia Monialium 354. Vota Religiosorum quis irritare possit 137. Cui debeant confiteri moniales 542. An eis concedendus Confessarius extraordinarius *ibid.* ubi plura. An subjaceant casibus et censuris Ordinarii 545. An moniales aliquando incurrant excommunicationem papalem 710. vide *summ.*

Monitio. Quid, si poenitens sit in bona fide, et praevideat Confessarius monitionem restitutionis minime esse profuturam 281. et 558. vide *summar.* An facienda sit monitio in dubio an sit profutura 560. Monitio ut censura sit licita 690.

Monitorium. An teneamur denuntiare, quando per monitorium 389. Notanda circa excommunicationem latam 706.

Monopolium quid sit, et quot modis, vide *summ.* 330.

Monstra an sint baptizanda 424. Monstruosi sunt irregulares 728.

Montes pietatis quid, et an liciti 320.

Morbus. Vide *Infirmitas.* An liceat petere debitum a conjuge laborante morbo Gallico 643. Quid in febri, post balnea, post sectionem venae 631. An conjux teneatur reddere laboranti morbo contagioso 643.

Moribundus an possit absolvi toties quoties nova signa praestat doloris sacerdoti praesenti 508. An moribundum sensibus destitutum absolvere liceat, vide *summ.* 409. An haeretici vitandi possint in periculo mortis absolvere, vide *summ.* 538. Quomodo moribundo imponenda poenitentia 515. Indulgentiae pro moribundis 521. An danda Eucharistia pueris, amentibus, moribundis 455. An capite damnatis 453. An moribundus teneatur ad Contritionem 495. Quomodo Confessario agendum cum moribundis 581.

Motus. Qui positive non resistit motui appetitus sensitivi an peccet mortaliter 55. Quomodo reprimendi 56.

Mulier. Vide *Femina.*

Musici an satisfaciant Missae. 157.

Mutilatio. An liceat se mutilare 174. Ad quid tenetur mutilator 258. Mutilatio verborum in officio 368. Mutilare sacrificium Missae 476. Mutilare verba in Missa 487. Irregularitas ex mutilatione, vide *summ.* 722. et 728. Idem dicendum de irregularitate ob mutilationem voluntariam, sive casualem, ac de homicidio 725. Excipe tamen, etc. *ibid.* Mutilatus manu, aut digitis an irregularis 728.

Mutus ad quid tenetur non impediendo damnum 268. Eucharistia quando mutis danda 456. An teneatur confiteri per scripturam 508. Quomodo

debeat Confessarius se gerere cum mutis et surdis 578. Mutus an irregularis 727.

Mutuum an liceat petere ab usurario 100. An dare mutuum abusuro 101. Mutuum quid sit, vide *summar.* 312. Mutuum datum filiofamilias, Ecclesiae *ibid.* Mutuum quando reddendum 313. Quaesita circa mutuum 734.

Mysteria an credenda fide explicita 77. An sint repetendae confessiones ab eo qui ea recepit in ignorantia mysteriorum 78.

N

Natalia. De irregularitate ex defectu natalium 729.

Nativitate. Quid per nativitatem 242.

Necessitas. An teneamur succurrere proximo in extrema necessitate spirituali, vide *summ.* 85. In necessitate corporali, vide *summ.* 88. Necessitas excusans laborem in festo 150. Ob qualem necessitatem licet auferre alienum 201. An debitor in necessitate teneatur ad restitutionem 285. An liceat clericis negotiari in necessitate 378. An in necessitate parentum liceat filiis ingredi religionem 355. An idem de parentibus 357. An idem de fratribus *ibid.* Necessitas excusans pastores a residentia 363. Canonicos a choro *ib.* Necessitas Eucharistiae recipiendae 437. In necessitate sacramentum ministrare in mortali quid 404. An liceat in necessitate uti, in administratione Sacramentorum, opinione tenuiter probabili 409. Ubi ex necessitate liceat celebrare 476.

Negotiatio prohibita clericis, vide *summ.* 378. De filio negotiante cum patre 238.

Neophytus non potest ordinari 604. Est irregularis 726.

Nobilis vir, quem pudet mendicare, an possit aliena rapere 201.

Nocens. Vide *Innocens.*

Nocturni an possint separari ab invicem 372.

Nomen imponendum in baptismo 428. An in confirmatione possit mutari 436. An possit Confessarius nomen complicis exquirere 510.

Notarius. De ejus obligationibus 385.

Notorium crimen, quando sit 212.

Notorius. Vide *Occultus.*

Novitius. Abducens novitium a religione, ad quid teneatur 267. Abbatissa an irritare possit vota novitiarum 353. An novitii subjaceant reservationi Episcopi 544.

Nundinae. An sint licitae in festo 148.

Nuntius. An duplicatam mercedem accipere possit 335.

O

Obedientia. De obligatione Religiosorum vi voti obedientiae, vide *summar.* 350. De obedientia filiorum 162. An filius teneatur obedire patri praecipienti Matrimonium cum muliere a qua abhorret 617. Obedientia promissa Episcopo a Presbytero 612.

Objectum fidei 76. Spei 82. Charitatis 83. Ex diversitate objectorum multiplicantur peccata 64.

Obligatio. De obligatione legis 27. Juramenti promissorii 123. Voti 133. Festa celebrandi 145. Confirmationem recipiendi 435. Eucharistiam sumendi 437. Celebrandi 468. Peccata confitendi 501. Obligatio Sacerdotis audiendi confessiones 565. Obligatio recipiendi Extremam-Unctionem 596. Denuntiandi confessarios exquirentes nomen complicis 510. Denuntiandi sollicitantes 529.

Obreptio, et *Subreptio.* Quando petitio obreptitia, vel subreptitia 41.

Observantia vana. Vide *Vana observantia. Observantia Festorum*, vide *Festum.*

Obsessus. Eucharistia quando ei danda 456. Quomodo agendum Confes-

*

sario cum obsessis 579. *seq.* Obsessi sunt irregulares 726.

Obstetrix. Quid de baptizatis ab obstetricibus 426.

Occasio, quid et quotuplex 566. Qui sunt in occasione proxima 568. An eis danda absolutio *ibid.* vide *summ.*

Occisio. De occisione sui ipsius 172. Rei 175. Injusti aggressoris vitae, honoris, pudicitiae, bonorum fortunae *ibid.* et seq. Innocentis 178. An liceat occidere tyrannum 175. ad notam *a.* Ad quid tenetur occisor 258. De homicidio casuali 181. De duello *ibid.* De bello 183.

Occultus. Crimen quando occultum 551. Impedimentum quando occultum 675. Quando crimen non occultum 692. An Episcopus possit in irregularitatibus et suspensionibus occultis absolvere et dispensare 693. An cum occulto defectu liceat nubere 620.

Occupatio. Quid per occupationem 242.

Officium. Causae excusantes ab officio 366. An liceat mutare officium 370. An recitans debeat se audire 371. Quaenam causae interrumpendi officium 372. Ordinem intervertendi 373. An officium defunctorum possit pridie recitari *ibid.* Vide *Horae canonicae.* Officia prohibita Clericis 376. De officio ministri Sacr. Poenit. 553.

Omissio. Circa peccata omissionis quaedam adnotanda 56. Quid, ut omissio sit voluntaria 3. Quae omissio in audiendo sacro sit gravis, vide *summ.* 154. In Horis recitandis 366. An omissio lucri excuset a Missa 161. Omissio in Missa benedictionum, etc. quale peccatum. 486. Omittere partes Missae quale peccatum 487. In Canone etc. *ibid.*

Operarii quando excusantur a jejunio 231. *seq.*

Opinio. Quid est opinio probabilis 17. Quando licet sequi opinionem probabilem. Vide *summ. ibid.* Dissertatio pro delectu opinionum 18. An in conferendis Sacramentis uti liceat opinione probabili 409. An in susceptione *ibid.* An absolvendus poenitens, qui vult sequi opinionem contrariam illi, quam tenet Confessarius 561. An Confessarius uti debeat opinionibus rigidioribus, aut benignioribus 562. In materia sigilli, Confessario non licet uti opinionibus probabilibus 589.

Opus. Opera servilia prohibita in festo Vide *summ.* 147. Opera forensia, prohibita in festo 148. Opera excusantia a jejunio 231.

Oratio, quid sit, quomodo et quando obliget 101. Omittere orationes ante vel post Missam 486, induendo vestes sacras *ibid.*

Oratorium. Satisfaciunt tantum praecepto Missae in Oratorio privato domini domus, etc. *summ.* 157. In quibus Oratoriis possunt Episcopi dare licentiam celebrandi 477. An liceat ministrare Eucharistiam et poenitentiam in oratoriis privatis 478. Oratoria non benedicta an violantur *ibid.*

Ordinatio. De Sacramenti Ordinis natura et effectibus 597. De ejus materia et forma 599. De ministro 602. De subjecto 604. De requisitis in ordinando *ibid.* De obligatione ordinatorum in sacris 610.

Ordo. Quis ordo servandus in charitate 85. Inter proximos 84. In correctione fraterna 89. Quo ordine cooperatores restituere debent 273. In restitutione quis ordo 281. In recitatione officii 373. Ordo quid sit, et quotuplex. Vide *summ.* 597. et *Ordinatio.* Qui ordines sacros suscipit inscia vel invita sponsa 621. De impedimento Ordinis 657. An dirimat Matrimonium ex jure divino *ibid.*

Ornatus, an liceat vendere puellae ornatus, iis abusurae 100. Mulier

ornatum convenientem vel superfluum sumens *ibid.*

Os. Pollutio in ore 199. Pudenda in os uxoris. 637.

Oscilla. An liceat uti oscillis contra fascinationem 107.

Oscula obscoena, etc. 186. Inter sponsos 618.

Ostiariatus Ordo, qui sit 597. et 598.

Ova, vide *jejunium.*

P

Palla ex lino vel ex cannabe 481, Quod peccatum sine ea celebrare, aut cum non benedicta 482.

Palpo, ad quid tenetur 267.

Panis. An liceat coquere panem in festis 152. Panis et qualis, materia Eucharistiae 438, et *seq.*

Papa. De ejus Superioritate supra concilia 25. *seq.* In quibus potest dispensare 41. An vota religiosorum possit irritare 137. An possit dispensare in votis 141. An possit dispensare in labore in festis 149. An in votis solemnibus 144. An possit mutare ultimas voluntates 301. An possit dispensare a recitatione Horarum 367. An a jejunio 230. An Pontifex possit praebere simplici Sacerdoti facultatem ad conferendos Ordines 603. Quid Papa super impedimenta matrimonii 668. An possit dispensare a novo consensu 677. An a voto castitatis 652. Quid circa censuras 685. Circa irregularitatem ex delicto 725. Ex defectu animae 726. Corporis. 727. Natalium 730. Aetatis *ibid.* Bigamiae 731. Infamiae *ibid.* Libertatis *ibid.* Lenitatis 732. *seq.*

Parens, vide *Pater.*

Parochia. An sit obligatio audiendi missam in Parochia 157. Sumendi Eucharistiam in Parochia 455. In qua Parochia debeant fieri denuntiationes 647.

Parochus. Parochus potest dispensare in jejunio et observatione festorum 42. Tenetur ex justitia ministrare Sacramenta 86. Tenetur corrigere 90, et 171. Potest dispensare a labore in festo 150. De obligationibus Parochorum 170. Potest dispensare in jejunio 230. An Parochus possit ingredi religionem 358. Tenetur suas oves sicut parens liberos instruere 77. An possit assistere matrimonio peccatoris publici 408. An peccet assistens in mortali 411. Debet monere Patrinos 431. Peccat in Baptismo, etc. *ibid.* Quoties tenetur ministrare Eucharistiam 448. An tempore pestis teneatur administrare Eucharistiam et Poenitentiam, *ibid.* Quoties tenetur celebrare 468. Quibus diebus pro populo offerre 472. An Parochus prohibere quod subditi apud alios confiteantur 540. Qui veniat nomine *proprii Sacerdotis*, *ibid.* Quando teneatur audire Confessiones 565. Administrare Sacramentum Extremae Unctionis 594. An possit retinere domi Oleum Sacrum *ibid.* Parochus praevidens pollutionem in se 197. Si jam lapsus fuerit 568. Parochus assistens matrimonio, omissis denuntiationibus 647. Vide *summ.* An Parochus possit aliquando dispensare in denuntiationibus 650. Matrimonia coram Parocho. Vide *summ.* 660. Debet esse ita praesens 663. An requiratur ejus praesentia pro revalidando matrimonio 675. A quibus censuris absolvere potest 691. An aliquando possit dispensare in impedimentis aut saltem declarare 560.

Participans ad quid tenetur 268. Si participans in actione furti 271.

Partus. Ratione partus an excusentur mulieres a praecepto missae 160. An tempore partus liceat coire 636. An uxor, si in partu experta sit periculum mortis, vel filios parere mortuos 644.

Parvitas materiae, vide *Materiae parvitas*.

Paschale tempus. In quo loco liceat tempore paschali sumere communionem 454. A quo Sacerdote absolutionem 502.

Pastor, vide *Episcopus*, et *Parochus*.

Pátena necessaria ad missam 481.

Pater et *parens* potest irritare vota filiorum 136. An possit ingredi religionem 356. Avertens filios a religione *ibid.* De obligationibus parentum erga filios 161. An pater possit exhaeredare filium 306. Remissio patris occisi in praejudicium filiorum 257. Quid debeat filio spurio 308. Parentes baptizantes vel suscipientes filios, an contrahant impedimentum 429. An pater teneatur assignare patrimonium filio suo volenti sacerdotium suscipere 612. Parentes cóntrahentes sponsalia pro filiis 614. Impedientes nuptias 617.

Patrimonium Clerici an conferendum inter fratres 309. Titulus patrimonii 611. An pater teneatur patrimonium assignare filio volenti sacerdotium suscipere 612.

Patrinus baptismi, vide *summarium* 428. Confirmationis 435.

Pauper et *paupertas*. Excusantur pauperes laborantes in festo 150. An vir honoratus, quem pudet mendicare, possit aliena surripere 201. An pauper in extrema necessitate possit aliena rapere. *ibid.* Quid in jejunio licitum pauperibus 222. Excusantur a jejunio 231. Qui veniunt nomine *pauperum* 240. An pauperes teneantur ad vectigalia 254. Quomodo distribuenda legata pauperibus 299. De obligatione religiosi vi voti paupertatis, vide *summarium* 346. Titulus paupertatis necessarius ad Ordinationem 611.

Peccator. An ministranda Sacramenta peccatori, vide *summ.* 405. *seq.*

Peccatum. De natura peccati 66. Conditiones ad peccatum, vide *summarium ibid.* Quaenam media contra tentationes 56. De peccatis internis, vide *summ. ibid.* De distinctione peccatorum specifica 60. De distinctione numerica 61. De prima radice, seu multiplicitate *ibid.* Utrum malum propositum interrumpatur per communes interruptiones, ut per somnum, distractionem, comestionem, etc., vide *summ.* 62. De secunda radice, seu de diversitate 64. De peccato mortali et veniali, vide *summ.* 66. De peccatis capitalibus, vide *summar.* 68. Peccans die festi quid 111. Quot peccata negligens restituere 281. An sit obligatio confitendi peccata dubia, vide *summar.* 504. Quid intelligatur nomine *peccati turpis* 537. Quale peccatum communicare cum excommunicato non tolerato 702. Ob quale peccatum incurrantur censurae. 688. An aliquando permitti possit peccatum, sive ruina proximi 97.

Pectus. Mulier pectus ostendens 96. An sit mortale aspicere pectus feminae etc. 188..

Peculium. De peculio filiorum, vide *summ.* 237. An licitum sit religiosis habere 348. De peculio Clericorum 240.

Pecunia adulterina 334. Dans pecuniam usurario 319. Deponens apud usurarium *ibid.* Res empta pecunia aliena 322. Pecunia ad eleemosynas est justa causa ad dispensandum in impedimentis matrimonii, 670.

Pensio quid sit 364.

Perceptio. Quid per perceptionem 243.

Percussio. Excommunicatio percussoris Clericorum, vide *summ.* 711.

Peregrinus. An teneatur legibus, vide *summ.* 35. An possit dispensari ab Episcopo in votis, etc. 37. An teneatur audire missam 161. Ad jejunium 236. Ubi debeat recipere com-

munionem Paschalem 455. A quo possit absolvi tempore paschali 540. An discedens in aliam dioecesim, possit ibi absolvi a casibus reservatis, vide *summ.* 550. An vagi contrahere possunt coram quovis Parocho 661. Quid Peregrini 664. Quid alienigenae *ibid.* An Peregrini advenae ligentur censuris 686.

Perfectio. Religiosi tenentur tendere ad perfectionem, vide *summ.* 346.

Periculum. An in periculo mortis possint absolvere haeretici vitandi, etc. vide *summ.* 538. Periculum peccandi formale et materiale 566. Qui se exponit periculo tantum probabili peccandi mortaliter, quid 568. An absolvendus moribundus cum periculo propriae vitae 85. et 565. Periculum *sortis amittendae* 314.

Permutatio. An liceat permutare officium 370. Quid sit permutatio beneficii 364.

Perruca an in celebratione missae licita 486.

Pestis. Ad quid teneantur Sacerdotes tempore pestis 86. Ad quid Parochi 171. An teneantur ministrare Eucharistiam, poenitentiam, residere 448. An Episcopus teneatur residere, *ibid.* An liceat tunc dare Eucharistiam medio instrumento 450.

Pharmacopola. Excusantur pharmacopolae in die festi 150. De eorum obligationibus 397.

Phrenetico an danda sit Extrema-Unctio 559.

Pictura. Aspicere picturas obscoenas, quid 188.

Pileolo an liceat uti in missa 486.

Pignus quid sit 343.

Pingere an sit licitum diebus festis 147.

Pingere turpia, quid 97.

Piscari an sit licitum diebus festi 148.

Pisces. An dispensati ad carnes possint vesci piscibus in eadem refectione 223. An in collatiuncula 226.

Plantatio. Quid per plantationem 243.

Podagra laborans Sacerdos potest deferri ad altare 450.

Poena. De poenis simoniae addictis 115. Poenae usurariorum 320. Poenae inflictae contra transgressores praecepti Confessionis annuae 504. Communionis annuae 502. In procurantes abortum 180. Duello impositae 182. In concubinarios 192. In Clericos concubinarios *ibid.* Poenae sodomitarum 199. Poenae rebaptizantium 424. Poenae in sollicitantes 528. *seq.* Poenae contra Ordinatos ante aetatem, vel non servatis, etc. 609. Poenae criminis raptus 667. Poena communicationis cum vitando 702.

Poenitens interrogatus a Confessario potest jurare 127. Quando invalida Confessio ex parte poenitentis 513. An teneantur sequi opinionem Confessarii 561. Quae certitudo ut absolvi possit 574.

Poenitentia sacramentalis, vide *Satisfactio.*

Poenitentia. Sacramentum poenitentiae tenetur ministrare Parochus 170. An possit administrari domi, vel in oratoriis privatis 478. Materia et forma hujus Sacramenti, vide *summ.* 489. Absolutio sub conditione 492. An hoc Sacramentum possit esse validum et informe 498. De contritione 494. De proposito 499. De Confessione 501. De satisfactione 514. De indulgentiis 520. De jubilaeo 523. De Ministro Sacramenti poenit. 525. De Ministri potestate, seu de approbatione 526. De jurisdictione 529. De casibus reservatis 843. An excommunicatus possit recipere Sacramentum poenitentiae 700.

Poenitentiaria. Clausulae solitae apponi in dispensationibus a S. Poenitentiaria 672. In quibus impedimentis Sacra Poenitentiaria habeat facultatem dispensandi 673.

Poenitentiarii majores Cathedralium,

an possint absolvere a reservatis 545.
Pollutio quid sit, et an liceat, vide *summarium* 194. Pollutio in ore 199. Inter crura, etc. vide *Sodomia*. Inter mares *ibid.* Ex tactu pueri, vel feminae 195. An impediat a Communione 464. An liceat uxori se polluere 633. seq.
Pontifex, vide *Papa*.
Pontificalia. An capitulum, Sede vacante, possit dare licentiam alieno Episcopo exercendi Pontificalia 606.
Possessio necessaria ad praescribendum 248. Quando possidet lex 15.
Possessor bonae fidei 248. Dubiae fidei 250. Malae fidei 251.
Potus. An potus vini, cervisiae, chocolatis frangant jejunium 225.
Praeceptor. Vide *Magister*.
Praegnantes an excusantur a missa 160. An sibi procurantes abortum incurrant excommunicationem 181. An debitum conjugale licitum tempore praegnationis 634.
Praelatus in quibus possit dispensare 43. Tenetur corrigere 90. Potest irritare vota 137. Potest dispensare in votis 141. Potest dispensare in operibus prohibitis 149. Defectus leves corrigere negligens, quid 347. An inquirere mores subditorum teneatur 171. An possit benedicere vestes sacras. 485. Casus quos potest reservare 544. An praelatus habens jurisdictionem quasi episcopalem, habeat facultatem absolvendi peregrinos 551. An possit ferre censuras 685. A quibus absolvere potest 695. Quam facultatem habet circa casus reservatos erga suos subditos, vide *summ.* 696. An possit dispensare in irregularitate ex homicidio 726. An ex defectu animae 727. Corporis 729. Natalium 730. Ætatis 731. Bigamiae 730. Infamiae 731. Libertatis *ibid.* Lenitatis 732.
Praescriptio quid sit, et ejus conditiones, vide *summ.* 243. Lex praescribitur, etc. 31. An praescriptio circa onera missarum valeat 472.
Praesentatio. Beneficia acquiruntur per praesentationem, vide *summarium* 360.
Praesentia. In materia consecranda, qualis praesentia requiratur 442. Praesentia poenitentis quaenam ut absolvi possit 491. Quae praesentia Parochi et testium pro matrimonio 663.
Praesumptio. Lex fundata in falsa praesumptione, an obliget 33. Praesumptio quid sit 69. Peccata praesumptionis 83. Jurisdictio praesumpta 541.
Prandium an dividi possit in die jejunii, vide *summ.* 224.
Praecarium quid sit 311.
Presbyter. Vide *Sacerdos*. Presbyteratus quid sit 598.
Pretium rei quotuplex, vide *summar.* 323. Si vendatur ad creditum 324. Si pretium mox minuendum 325. An de vitio rei teneatur monere venditor *ibid.*
Princeps. Quid quoad bellum inferendum, vide *summ.* 183. Quid circa tributa 253.
Principia reflexa, ex quibus speculative dubius, potest practice recte agere 15.
Privilegium. Appendix de privilegiis 49. De privilegiis Religiosorum 354. Ubi ex privilegio liceat celebrare 477. Privilegium eligendi confessarium 542.
Privilegium bullae nostrae Cruciatae 738.
Probabilitas quid et quotuplex 17. An liceat administrare Sacramentum cum opinione probabili 409. An suscipere. *ibid.* An administrare Poenitentiam cum jurisdictione probabili 541. Si quis est in occasione probabili peccandi 85, et 568. In materia sigilli an liceat uti opinionibus probabilibus 589.

Probitas ministri erga confectionem et administrationem sacramentorum, vide *summ.* 403. Erga eorum decorem 405. Erga alias functiones sacras 411.

Proclamationes requisitae ad matrimonium 646. An tempore proclamationum puellae excusantur a missa 160. Vide *Denuntiatio.*

Procurator. De obligationibus procuratoris, vide *summ.* 385. De matrimonio per procuratorem 626.

Prodigalitas quid sit 70. Promissio prodiga an obliget 124, et 288.

Professio. Vota religiosorum per professionem extinguntur 137. De professione religiosa, vide *summ* 345. Professio religiosa solvit sponsalia 620. Solvit matrimonium ratum 678. Dirimit matrimonium subsequens 652. Illegitimi legitimantur pro Ordinatione per professionem religiosam 729.

Proles quando censeatur anima informata 180. Exponentes hospitalibus prolem 265. Si ob prolis multiplicitatem possit negari debitum 640. Si reddi cum damno prolis. 643.

Promissio prodiga an obliget 124. Qui per promissionem veram vel fictam matrimonii, copulam extorsit 262. Promittens prodige aliquid feminae 288. Quid sit promissio et quomodo obliget 291. Promissio gratuita dicendi missam an obliget 469. Promissio sacerdotis in Ordinatione 612.

Promissio sponsalitia, vide *summ.* 613. Promissio cum adulterio an inducant impedimentum 655.

Promulgatio an lex sit promulganda, vide *summ.* 31.

Pronuntiatio requisita in officio 368.

Propinquus. An relinquenda bona propinquis 305.

Propositum quid et quotuplex, vide *summ.* 499. Propositum differt a voto 131.

Prudentia. Quaenam prudentia requiritur in Confessario 556.

Pruritus. An liceat abigere pruritum 197.

Pubertas quando attingitur 136.

Publicus, vide *Occultus.*

Pudicitia. An liceat occidere invasorem pudicitiae 177.

Puella ad conspiciendum se praebens 96. Acceptans munera 100. An excusatur a missa 160. Non credendum puellis 197. ad notam *a.* Legatum puellae relictum, vide *summar.* 299. Permittens se tangi 187. An oppressa teneatur clamare *ibid.* An possit expellere semen 179. An neganda absolutio puellae et juveni qui se invisunt 567. Quomodo Confessarius cum puellis 577. Puellae quae degunt in conservatoriis, vel monasteriis contrahere debent coram Parocho 663.

Puer. Pueri ratione utentes tenentur ad praecepta 34, et 146. Viaticum pueris dandum 453, et 455. Quando pueri ad communionem tenentur *ib.* Quando ad confessionem 501. An possint absolvi in dubio de usu rationis 493. Quibus pueris carnes possint administrari 223. An licite confirmationem recipiant 434. Quomodo Confessario agendum cum pueris 577. An eis danda Extrema-Unctio 595. Si puer ordinetur ante usum rationis 611. Quomodo examinandi, absolvendi 577. De sponsalibus puerorum 614. De matrimonio puerorum 658.

Puerpera an excusantur a missa 160. A jejunio 231.

Pulvis sympaticus an liceat 106.

Pupillus quid sit, et quid possit 343.

Purificatorum lineum 481. An sit benedicendum 484.

Pyxis an debeat consecrari 485. Si pyxis vel ciborium sit extra corporale 444.

**

R

Radices restitutionis 246.
Rapina quid sit 200.
Raptus quid sit 190, et 667.
Rebaptizans quam poenam incurrat 424.
Recidivus. Quomodo Confessarius cum recidivis et habituatis, vide *summar.* 572.
Recursus. Praebens recursum ad quid tenetur 267.
Reductio missarum ad quem pertinet 472.
Referens. De obligationibus Referentis 385.
Regula. An teneatur ad regulam Religiosus 345, et vide *summ.* 348. Regula ad cognoscendum gradus consanguinitatis 653.
Regulares an possint ministrare Eucharistiam 447. An in Paschate 455. An absolvere a casibus reservatis ab Episcopis 546. Vide *Abbas*, *praelatus*, *religiosus.* An administrare Extremam-Unctionem 594. Regulares a quo Episcopo debeant ordinari 603. An in eis minor requiratur scientia 607. An possint ordinari extra tempora 608. An possint dispensare in voto castitatis ante matrimonium emisso ad petendum debitum 646. An ab impedimento affinitatis 660. An regulares possint dispensare in impedimentis non dirimentibus 669. An in voto castitatis ad contrahendum matrimonium, si magna urgeat necessitas 670. An regulares sint exempti a jurisdictione Episcopali 687. An possint absolvere saeculares a casibus papalibus 695. An possint absolvere a casibus ab Episcopis sibi specialiter reservatis, vide *summar.* 695. Quid in suspensione 716. Quid in irregularitatibus 726. *seq.*
Religio. Quid sit et ad quid obliget 101. De simonia pro ingressu Religionis 113. Poenae pro tali ingressu 114. Abducens novitium a religione 267. Negligentes ingredi religionem 358. Prohibentes ingredi religionem 704. *seq.*
Religiosus. De natura status religiosi, vide *summ.* 345. De his quae requiruntur ad valorem professionis religiosae 346. Religiosus injuste denegans suum suffragium *ibid.* De obligatione Religiosi vi suae professionis, vide *summ. ibid.* Ad quid tenetur qui vovit religionem, vide *summ.* 347. De oblig. relig. vi voti paupertatis, vide *summ.* 348. De oblig. relig. vi voti castitatis *ibid.* De oblig. relig. vi voti obedientiae, vide *summ.* 350. Appendix de electione Abbatissae 353. Appendix de privilegiis monialium et religiosorum 354. De his qui possunt vel tenentur ingredi religionem 355. De religiosis ejectis et fugitivis 359. An ejecti, etc. teneantur ad officium 365. An non recitans in choro satisfacit *ibid.* Venatio prohibita religiosis 378. Negotiatio *ibid.* Ludus 377. Cui debeant confiteri religiosi 541. An subjaceant reservationi Episcopi 544. An novitii *ibid.* An possint esse patrini 431.
Reliquiae. An sacrilegus qui furatur reliquiam 111. An reliquiae sint necessariae ad consecrationem altaris 480. An sit mortale furari partem reliquiae 205. An reliquiae ciborum in ore frangant jejunium naturale 459. Si reliquiae in altari removeantur 480.
Remedia ad repellendas distractiones 375. Adversus scrupulos 12. Adversus motus et tentationes carnales 56. Remedia generalia et particularia poenitentibus 554. *seq.* An ad servandam vitam teneamur uti remediis extraordinariis 173.
Remissio. Quis remittere potest juramentum 126. Remissio famae an licita 218.

Renuntiatio. De renuntiatione haereditatum vide *summ.* 301.

Reservatio casuum. Vide *Casus reservati.* Quae sunt vota reservata 142.

Residentia. Tenentur residere parochi 170. Residentia, vide *summurium* 362. Tenentur residere Episcopi 448.

Resignatio. An resignantes beneficia 361.

Responsa quaedam recentiora S. Congreg. circa jejunium 228. Circa usuram 734.

Restitutio. De restitutione pro simoniace acceptis 117. De natura, obligatione, et radicibus restitutionis 246. Ex quali culpa oriatur obligatio gravis restitutionis in delictis 247. De possessore bonae fidei 248. Dubiae fidei 250. Malae fidei 251. De injusto damnificatore in bonis corporis per occisionem vel mutilationem 257. De injusto damnificatore in bonis corporis per stuprum sine vel cum promissione Matrimonii 260. De injusto damnificatore in bonis corporis per adulterium 264. De injusto damnificatore in bonis famae 266. De injusto damnificatore in bonis spiritualibus *ibid.* De cooperatoribus 267. De impediente a consecutione alicujus boni 274. De his quibus restituendum est 275. Si dominus est incertus *ibid.* Si bona sint jam tradita pauperibus 276. Quid minutis furtis, etc. cui restituere debeat *ibid.* Si bona sunt certa *ibid.* Cum quali damno restituendum *ibid.* Cui thesauri 278. An inventa aliquis possit sibi retinere *ibid.* Ad quem pertinent quae venatione 279. De tempore, modo, loco et ordine restitutionis 280. Utrum absolvendus debitor *ibid.* Utrum monendus 281. Si res mittatur per Confessarium, et ista sibi retinet *ibid.* De Ordine restitutionis 283. De causis excusantibus a restitutione 283. Quando in necessitate excusaris a restitutione, vide *summ.* 284. An voluntate domini praesumpta possis retinere 286. An donans immemor debiti extinguat obligationem restituendi quod debet *ibid.* An Confessarius non monens poenitentem teneatur ad restitionem, vide *summ.* 563.

Restrictio quotuplex, et quae licita, vide *summ.* 126.

Revalidatio. De revalidatione Matrimonii vide *summ.* 675 Confessionis 511.

Revenditio quid sit et quomodo liceat 329.

Reviviscentia Sacramentorum 413.

Revocatio. An donatio possit revocari 294.

Reus non legitime interrogatus an teneatur fateri 127. De occisione rei 175. Quando morte plectitur, an haeres teneatur restituere 260. De reo, vide *summ.* 393. Quomodo Confessario agendum cum reo et capite damnatis 581.

Rogationes, vide *Litaniae.*

Rubrica Missalis, quomodo obligent vide *summ.* 486.

Rustici jurantes falsum, an sint monendi 122. Qui omiserunt confiteri species et numerum, an teneantur ad iterandas Confessiones 512. Quomodo Confessario agendum cum rudibus 588.

S

Sacerdos. An liceat petere Sacramenta a Sacerdote excommunicato 101. An Sacerdos relig. laedens castitatem duo sacrilegia committat 193. Sacerdos ubivis celebret praecepto Communionis Paschalis satisfacit 454. Quando Eucharistiam accipit more Laicorum, an stola 465. Quoties tenetur celebrare 468. Quoties si licet celebrare 475. An saepius in die *ibidem.* Sacerdos celebrans respondente muliere 483. Omittens benedictiones, etc. in Missa 486. Infra qua-

drantem absolvens Missam *ib.* Omittens partes Missae 487. Non recitans quae cantantur a choro in Missa solemni 488. Celebrans voluntarie distractus *ibid.* Ministrans in mortali Eucharistiam 404. Quot peccata celebrans in mortali committat *ib.* Sacerdos potest esse minister extraordinarius Confirmationis 433. An possit celebrare cum mortali sine Confessione 404. et 458. vide *summ.* An Sacerdos dives possit stipendium accipere 469. Diu differens celebrationem *ib.* Si Missam gratis promissam omittat *ibid.* An teneatur absolvere cum periculo vitae moribundum, et quae et quanta sit obligatio Sacerdotis audiendi poenitentes 565. An possit absolvere a venialibus 526. Sacerdos proprius quis sit 540. An quilibet Sacerdos possit administrare Extremam Unctionem 593. An assistens Matrimonio in mortali 404. Quando tenetur administrare Sacramenta 409. Assistens Matrimonio publici peccatoris 408. An Sacerdos possit fieri Religiosus, Episcopo contradicente 358. Ad quid tenetur vi obedientiae praestitae Episcopo 612. An Sacerdos simplex possit assistere Matrimonio 661. An absolvere a censuris 691. An a peccatis etiam reservatis in periculo mortis 538.

Sacramentum. In collatione Sacramentorum non licet uti opinione nec probabili, etc. 17 et 409. Sed an quando Ecclesia supplet. *ibid.* An idem dicendum de suscipiente *ibid.* Licet Sacramentum petere a Sacerdote excommunicato 101. De natura Sacramenti novae legis, vide *summar.* 398. De ministro Sacramentorum 400. An sub conditione, illa ministrare possit 402. De suscipiente Sacramentum 411. An excommunicatus valide ministret Sacramenta 700. An licite 701. An valide, licite recipiat *ibid.*

Sacrificium. Missa est Sacrificium; vide Missa et *summ.* 465. An possit offerri pro excommunicato 699.

Sacrilegium quid et quotuplex, vide *summ.* 109. et 191. An persona sacra rem habens cum alia sacrata 193. An Sacerdos religiosus duo committat Sacrilegia, peccans contra castitatem *ibid.*

Saga, vide *Striges.*

Salarium, vide *Stipendium.*

Sanitas. An cum periculo sanitatis liceat usus Matrimonii 631.

Sartor. Excusantur sartores a labore 151. An possint sibi retinere partem pretii 328. An a jejunio excusentur 232.

Satisfactio. De necessitate satisfactionis, vide *summ.* 514. De indulgentiis in genere, vide *summ.* 520. De Jubilaeo, vide *summ.* 523.

Scandalum quid et quotuplex, vide *summ.* 92. Praebens scandalum ad quid tenetur 267. An stuprator teneatur ducere cum scandalo propinquorum 262.

Schedula an possit dari non absoluto 582.

Scientia. Quenam requiratur in Confessario, ut absolvere possit 556. In ordinando 607.

Scrupulus. Vide *Conscientia scrupulosa* 12. De modo agendi Confessarii cum scrupulosis *ibid. et seq.*

Secretarius. De obligationibus Secretarii 385.

Secretum quid et quotuplex, vide *summ.* 218.

Semen corruptum expellere an liceat 196. An liceat conjugi cohibere seminationem 633. An liceat uxori se polluere retrahente se viro post seminationem *ibid.* An liceat petere vel reddere si vir velit seminare extra vas 642. An liceat puellae semen expellere 179.

Semifatuus. Eucharistia quando semifatuis danda 456. An ungi Extre-

ma - Unctione possint 595. Quando possunt absolvi 493.

Senex excusantur a jejunio, vide *summar.* 231. Senex non valens seminare intra vas 644.

Sententia. De sententia et poena, vide *summ.* 380.

Servilia opera quae sint 146.

Servitus. An irritet Matrimonium 651.

Servus captus in bello, an possit fugere 184.

Sigillum altaris si frangatur, quid 480. De Sigillo Confessionis, vide *summar.* 581.

Signa extraordinaria doloris ad absolutionem 573. Signa vocationis ad statum Ecclesiasticum 609.

Simonia quid et quotuplex, vide *summ.* 111. De variis simoniae casibus 112. De poenis simoniae addictis 115. De restitutione pro simoniace acceptis 117.

Simulatio an illicita sit 128. An liceat simulare administrationem Sacramenti 410. An receptionem *ibid.*

Situs in recitatione officii an servandus 375. Quomodo peccant conjuges situ innaturali coeuntes 632. An sic petenti alter teneatur reddere 642.

Societas. Quid sit contractus societatis, et quando licitus, vide *summarium* 339. Quid triplex contratus 341. Societas in pecoribus, vide *summ. ibid.*

Sodomia quid sit, vide *summ.* 198. An ob sodamiam liceat facere divortium 680.

Solemnitates. An contractus sine solemnitatibus sit nullus 29. 287. 297. Solemnitates in Matrimonio quando prohibitae 645.

Sollicitatio. Bullae contra sollicitantes, vide *summ.* 529.

Somnium. An liceat credere somniis 105.

Somnus. Pollutio in somno 198.

Sors. In contractu societatis quomodo sors 339.

Sortes divinatoriae an licitae 104. Sortes divisoriae *ibid.*

Species. Eucharistiae infra quantum temporis consummuntur 445. An utraque species requiratur ad sacrificium 438. et 466. An ex sumptione utriusque speciei habeatur plus gratiae 445.

Specificatione. Quid per specificationem 442.

Spes. Quid sit, et quando obliget, vide *summ.* 82.

Sponsalia. De natura sponsalium, vide *summ.* 613. De obligatione sponsalium, vide *summ.* 615. De dissolutione sponsalium, vide *summ.* 618.

Sponsio. Quid sit, et quando licita 336.

Sponsus. An sponsis liceat delectari 59. An sponsus possit nubere cum publice indigno vel excommunicato 408. Tactus pudici inter sponsos 618. An fornicatio sponsorum differat specie 619. Vide *sponsalia.* Si sponsi habeant duo domicilia 661.

Spurius. An teneatur credere matri 265. Quid possit petere a patre et matre 308. Si pater instituat haeredem amicum, ut bona reddat spurio *ibid.*

Stipendium. An sacerdotes divites possint pro missis stipendia accipere, vide *summ.* 468. Taxa stipendii, vide *summ.* 469. An famulus qui aegrotavit possit petere stipendium, vide *summ.* 166. An in die defunctorum possit recipi stipendium pro missa 473. An pro prima missa celebrata cum Episcopo 613.

Stola requiritur in sacerdote qui communicat more laici 465. Ministrare Eucharistiam sine stola, quid 450. Celebrare Missam 482.

Striges an exisiant 107.

Stuprum quid sit 190. Ad quid tenetur stuprator, vide *summ.* 260.

Subdelegatio. An delegatus possit subdelegare 43.

Subdiaconus ad qualem partem officii

teneatur 264. Subdiaconatus quid sit 598. et 599. An sit Sacramentum *ib.* Subdiaconus ministrans in mortali 411. An possit ordinari a simplici sacerdote 603. Vide *Ordinatio.*

Subjectum. De subjecto legis 34. De subjecto baptismi 423. Confirmationis 434. Eucharistiae 452. Extremae Unctionis 549. Ordinis 604. De subjecto censurae 686.

Subreptio et Obreptio. Quando petitio subreptitia, vel obreptitia 41.

Superbia quid sit et quae ejus filiae 68. *seq.*

Superior an possit irritare vota, vide *summ.* 137. et 138. An superior audiens detractionem, etc. teneatur ad restitutionem 214. An possit denegare facultatem absolvendi a reservatis 552.

Superstitio quid sit, et quotuplex 101.

Surdus. An satisfaciat officio, qui in choro suam tantum recitat partem 372. An excusatur a confessione 507. Si confessarius sit surdus, quid 512. Quomodo confessario agendum cum surdis 578. Si in decursu confessionis noverit poenitentem esse surdum 585. Surdus an sit irregularis 727.

Susceptio. De conditionibus, ut valide suscipiatur Sacramentum, vide *summar.* 411. Ut licite et cum fructu suscipiatur 413. vide *Eucharistia, Communio.* Suscipere Sacramenta cum opinione probabili 409.

Suspensio. De suspensione in genere, vide *summ.* 714. De suspensione in particulari, vide *summ.* 715.

Suspicio quid sit 208. An suspicio de adulterio sufficiat ad divortium 679.

Susurratio quid sit 71. An quis possit dissolvere amicitiam *ibid.*

Sutor. An excusetur a jejunio 232.

T

Tabacum. An frangat jejunium pulvis tabaci per nares 461. An fumus tabaci aut similis *ibid.* An qui folium tabaci vel aroma sumit ut dentibus conferat 461.

Tabelliones quando peccent 386.

Tactus obscoeni, vide *summ.* 187. In Ecclesia 194. Quibus licitum tangere vasa sacra 485. Vir habens solos tactus an teneatur ducere 262. Tactus pudici inter sponsos 618. Tactus et aspectus turpes cum seipso, altero conjuge absente 638. Tactus instrumentorum in Ordinatione 600.

Taxa stipendii pro Missa, vide *summar.* 469. Taxa in venditione an obliget 323.

Tempus. An sit objectum sacrilegii 111. Peccans die festi quid 149. Intra quod tempus restitutio facienda 280. Quod tempus injunctum labori constituat peccatum 152. Quantum tempus pro prandii interruptione 223. Pro prandio 224. A quo tempore obligatio recitationis Horarum incipiat 364. Quandonam incipit tempus Horarum 373. Quando tempus Paschale, vide *summ.* 453. 502. et 540. Quantum temporis possit differri missa celebranda 469. De tempore celebrationis Missae 474. An liceat confiteri cuique approbato, tempore Paschali 502. Tempus Ordinationum 607. Quod tempus impendendum in celebratione Missae 486. Tempore feriarum prohibentur solemnitates 645.

Tentatio. Quae remedia contra tentationes carnales 56. De tentatione Dei, vide *summ.* 108.

Testamentum. Quid et quotuplex, vide *summ.* 297. Quando nullum *ibid.* An sine solemnitatibus sit validum 29. 287. et 296. De renuntiatione haereditatum 301. De executoribus testamenti 303. De his qui testari et haeredes institui possunt 305. De divisione haeredum *ibid.* Quando testamentum infirmetur 307. An filii illegitimi possint succedere 308.

Testimoniales litteras potest conce-

dere Capitulum, sede vacante 606. Testimoniales ab Episcopo originis *ibid.*

Testis, non legitime interrogatus potest aequivoce respondere 127. De testibus, vide *summ.* 390. Quando quis excusatur a testimonio praestando 191. An testis peccat contra justitiam recusans testari, vide *summar. ibid.* Unus sufficit ad testificandum baptismum 426. Quid si testificentur impedimentum testes, vide *summ.* 649. Testes assistentes matrimonio 661. Debent esse ita praesentes 663. An necessarii pro revalidatione matrimonii 675. An credendum uni testi 298. et 265.

Thesaurus. Cui restituendus thesaurus et alia derelicta 278.

Titulus. Tituli exigendi ultra sortem 314. Titulus ad praescribendum 344. Titulus coloratus pro jurisdictione 540. De obligatione habendi titulum pro ordinatione, vide *summ.* 611.

Toleratus. An liceat toleratis cum aliis communicare 698. An liceat fidelibus cum tolerato communicare, vide *summ. ibid.*

Tonsura. Non deferentes tonsuram an peccent graviter 376. An confirmatio debeat suscipi ante susceptionem tonsurae 435. Tonsura quid sit 598. An possit conferri extra dioecesim 603. Qua die 608. Num ab Abbatibus 603. Obligatio deferendi tonsuram 576.

Tortura quando locum habere potest 381.

Torum. An possit fieri divortium quoad torum 679.

Traditio. Quid per traditionem 243.

Transcribere an sit licitum diebus festis 147.

Tributum. Vide *Gabella.*

Turcarum res surripere an liceat 203.

Tutor. An possit eleemosynam dare 89. De obligationibus tutorum 164. Potest irritare vota minoris 138. De tutela et curatela, vide *summ.* 343.

Tyrannus. Licet tyranno juramentum praestare 100. Leges tyranni an obligent 27. Non licet occidere tyrannum, vide notam *a* 175.

Vagi. Vide *Peregrinus.*

Valor sacrificii Missae, quis sit 468.

Vana gloria quid sit 69.

Vona observantia quid et quotuplex, vide *summ.* 105.

Vas. An vasa sacra possint converti in usum profanum 110. Quibus licitum ea tangere 485. Copulam incipere in vase praepostero 633. Senes non valentes intra vas seminare 644. Vir volens seminare extra vas 642.

Vectigal. Vide *Gabella.*

Venatio an sit licita diebus festis 148. Cui restituenda quae venatione juste prohibita capiuntur 279. Venatio prohibita Clericis et Religiosis 378.

Venditio. Vendens aleas, fucos, etc. an peccet 100. De venditione, vide *summ.* 321. Quod pretium rerum *ib.* An praemonere oporteat de vitio rei 325. Quando pro alio vendis an possis tibi retinere aliquid 327. De venditione sub hasta 328. De revenditione 329. De contractu *mohatra* 330. De monopolio, vide *summ. mar ibid.* Vendere in die festi, an liceat 148. et 151.

Venditrices quo pretio possint vendere 324. et 328.

Veniale. Accedens ad communionem cum veniali habituali, actuali, quid 459. Dolor de venialibus qualis requiratur 498. Si conjux petat cum veniali 640.

Verba turpia quale peccatum 188. In Ecclesia 194. Mutilatio verborum in officio 368. In Missa 487. Pronuntiatio verborum in Missa, canone, consecrationis *ibid.*

Verbera an causa divortii 683.

Veritas requisita in juramento 122.

Vestis. An liceat uti vestibus infide-

lium 80. An vestes sacrae possint converti in usum profanum 100. Excusantur pauperes reficientes vestes in festis 150. Excusantur a Missa non habentes vestes decentes 160. Mulier utens veste virili, quid 188. Vestes sacrae execrantur, quando 480. Vestes sacrae necessariae ad Missam, quae 481. An liceat aliquando celebrare sine his 482. Debent esse mundae *ibid.* An maneant benedictae, si quis his utatur non benedictis 485. An color vestium sit de praecepto *ibid.* Ministrans Eucharistiam sine vestibus 450. Extremam. Unctionem 594. An liceat vestes sumere ex altari 482.

Viaticum quis dare, et quibus dari possit et debeat, vide *summ.* 447. 452. et 462. *seq.*

Viator an excusetur a Missa 159. A jejunio 232.

Vicarius Generalis non potest dispensare potestate ordinaria 42. 230. An Vicarius Generalis habeat jurisdictionem ordinariam etiam in foro sacramentali, 536. An possit absolvere a papalibus occultis 552. An dispensare in denuntiationibus 650. An ferre censuras 685. An delegari ad casus papales occultos 696. et 545. Ad haeresim 694.

Vicarius Capitularis an possit absolvere occulta papalia 551. An possit dare dimissorias ad ordinationem 606.

Vidua excusatur a Missa 160. An liceat viduis delectari de copula praeterita 59.

Vinculum. An Matrimonium possit dissolvi quoad vinculum, vide *summar.* 678.

Vinum. An potus vini frangat jejunium 224. Vinum materiae Eucharistiae 438. Vinum ebriosis praebens 99. Vendere vinum mixtum cum aqua *ibid.*

Violatio. Vide *Femina, Stuprum, Jejunium, Secretum, Ecclesia, Sigillum, Censura.*

Violentia quid et quotuplex 4.

Vir. Vide *Maritus.* An vir possit se delectari de copula aliena ut se excitet 632. Quando teneatur petere 639. An vir, dote non soluta, expellere possit uxorem *ibid.* An eam alere teneatur 169. Sed si ipsa adulterium commisit *ibid.* Impotentem se reddens 640. An teneatur dimittere adulteram 680. An emendatam recipere 681. An facto divortio possit fieri Religiosus 682.

Virga bifurcata quid de ea 104.

Virgo. An teneatur virgo permittere potius se occidi, quam violari 174. Vide *Puella, Femina, Legatum.* Virgo violata, si renuat nubere, ad quid diflorator teneatur 263.

Vis. De impedimento vis 656. Vide *Metus.*

Vitalitius census 333.

Vitandus an possit absolvere moribundum 538. Parochus vitandus valide assistit Matrimonio 661. De excommunicato vitando. Vide *summ.* 698. Quando vitandi sint percussores Clericorum 698. Quale peccatum communicare cum excommunicato vitando 702.

Vitium. An venditor teneatur praemonere de vitio rei, et quotuplex vitium, vide *summ.* 325. Quando ob vitium corporis incurritur irregularitas 727.

Vocatio. Vocationem suam negligens quale peccatum 358. Signa vocationis ad statum ecclesiasticum 609. Vocatio necessaria ad Episcoporum et Parochorum officia 610.

Voluntas. An Papa, Episcopi possint mutare ultimas voluntates, vide *summ.* 301.

Voluptas. Sumere electuaria ob voluptatem in jejunio 225. Parare cibos in festis ob voluptatem 151. Comedere ob voluptatem 71. Copula conjugalis ob voluptatem 628.

Vomitus. An in periculo vomitus liceat communicare 453.
Votum quid et quotuplex 130. De conditionibus ad votum requisitis, vide *summ. ibid.* De materia voti 132. De voti obligatione, vide *summ.* 133. De cessatione obligationis voti ab intrinseco 135. De cessatione voti ab extrinseco, seu de irritatione 136. Commutatione 139. Dispensatione, vide *summ.* 140. Vota reservata 141. De votis religiosorum, vide *summar.* 348. Plura notanda praesertim circa moniales 352. An in dubio de voto teneamur implere 15. Quid si votum sit certum et impletio dubia *ibid.* An stuprator habens votum castitatis teneatur ducere violatam 263. An votum castitatis vel suscipiendi ordines solvat sponsalia 621. Votum habentes religionis quando excusentur 356. Suscipiens ordinem sacrum ignorando votum castitatis 611. Si petat conjux habens votum castitatis 641. In voto castitatis emisso post ante matrimonium, an Episcopus 646. An Mendicantes 647. De impedimento voti 652.
Vox. Qua voce celebranda Missa 488.

U

Usura quid sit et quotuplex, vide *summ.* 312. Tituli aliquid exigendi ultra sortem, vide *summ.* 314. Responsa quaedam recentiora S. Congregationis circa usuram 734.
Usurarius. An liceat locare domum usurario 100. Petere mutuum *ibid.* An usurarius acquirat dominium 319.
Usus. Quid sit usus rei 246. Usus matrimonii, vide *debitum conjugale.*
Ususfructus quid sit 246.
Utilitas ad publicam laetitiam excusans ad laborandum 149. Res utilis emptori nequit pluris vendi 323. Utilitas excusans Pastores a residentia 362.
Uxor an possit eleemosynas dare 88. et 89. ubi plura. An possit irritare vota viri 137. Excusantur uxores a labore in festo 151. Excusatur uxor a Missa 159. De obligationibus uxoris 167. Vide *Conjux*. An teneatur sequi virum in exilium 169. Quid de furtis uxoris 207. Excusatur a jejunio 231. De dominio uxorum 239. An teneatur solvere debita mariti 240. Utrum possit recipere alimenta a marito debitis gravato 283. An possit absolvi uxor quae est in occasione proxima peccandi cum viro suo 571. An uxor teneatur aliquando petere 639. An possit reddere viro volenti seminare extra vas 642. An possit pollui viro se retrahente 634. Si experta sit periculum mortis in partu, vel filios parere mortuos 644. Surgens aut mingens post copulam *ibid.* An teneatur sequi virum ad cohabitationem 639. Uxor metu gravi coacta, cognita a consanguineo viri, privetur jure petendi 659. An teneatur pati incisionem, si non sit apta 665. Uxor impotentem se reddens 640. An teneatur divortium facere a viro adultero 681. An emendatum recipere. *ibid.*

INDEX

CAPITUM ET ARTICULORUM

TRACT. I. *De Actibus humanis.*

CAP. I. De natura ac multiplici act. hum. divisione. *Pag.* 1
CAP. II. De voluntario et involuntario. 2
ART. I. De natura et divisione voluntarii et involuntarii. 3
ART. II. De oppositis voluntario, seu de causis, etc. 4
CAP. III. De libero. 7
CAP. IV. De bonitate et malitia act. hum. 8
ART. I. De bonitate et malitia act. humanorum. *ib.*
ART. II. De principiis moralitatis. *ib.*
CAP. V. De indifferentia act. hum. 10

TRACT. II. *De Conscientia.*

CAP. I. De conscientia recta et err. 11
CAP. II. De conscientia perplexa et scrupulosa. 12
CAP. III. De conscientia dubia. 14
CAP. IV. De conscientia probabili. 17
MORALE systema pro delectu opin. 18

TRACT. III. *De Legibus.*

CAP. I. De natura et divisione legis. 24
CAP. II. De auctore legis. 25
CAP. III. De obligatione legis. 27
CAP. IV. De subjecto legis. 34
CAP. V. De modo legem adimplen. 37
CAP. VI. De causis excusantibus ab obligatione legis. 38
ART. I. De ignorantia. *ib.*
ART. II. De metu. 39
ART. III. De impotentia. *ib.*
CAP. VII. De dispensatione legis. 40
ART. I. De natura et conditionibus dispensationis. *ib.*
ART. II. De potestate dispensandi. 42
ART. III. De cessatione dispensationis. *Pag.* 44
CAP. VIII. De cessatione et interpretatione legis. 46
ART. I. De cessatione legis *ib.*
ART. II. De interpretatione legis et epikeia. 47
CAP. IX. De consuetudine 48
APPENDIX I. De dispensationibus Sacrae Poenitentiariae. 49
APPENDIX II. De privilegiis *ib.*
APPENDIX III. De prohibitione librorum. 52

TRACT. IV. *De peccatis.*

CAP. I. De peccatis in genere. 53
ART. I. De natura peccati *ib.*
ART. II. De peccatis internis. 56
ART. III. De distinctione peccatorum specifica et numerica. 60
CAP. II. De peccatis in specie. 66
ART. I. De peccato mortali et veniali. *ib.*
ART. II. De peccatis capitalibus. 68

TRACT. V. *De virtutibus theologicis.*

CAP. I. De fide. 76
ART. I. De definitione fidei, et de his quae necessario etc. *ib.*
ART. II. De obligatione praecepti fidei. 78
ART. III. De infidelitate et vitiis fidei oppositis. 81
CAP. II. De spe. 82
CAP. III. De charitate erga Deum et proximum. 83
ART. I. De charitate erga Deum *ib.*
ART. II. De charitate erga proximum. 84

TRACT. VI. *De primo praecepto Decalogi.*

CAP. I. De superstitione 101

Art. i. De idololatria. *Pag.* 102
Art. ii. De divinatione *ib.*
Art. ii. De vana observantia. 105
Art. iv. De maleficio. 107
Cap. ii. De irreligiositate. 108
Art. i. De tentatione Dei. *ib.*
Art. ii. De sacrilegio. 109
Art. iii. De simonia. 111

Tract. vii. *De secundo praecepto Decalogi.*

Cap. i. De blasphemia. 118
Cap. ii. De juramento. 120
Art. i. De natura et divisione juramenti. *ib.*
Art. ii. De requisitis ad licitum juramentum. 121
Art. iii. De obligatione juramenti promissorii. 123
Art. iv. De cessatione obligationis juramenti. 124
Appendix i. De aequivocatione et restrictione mentali. 126
Appendix 2. De adjuratione. 128
Cap. iii. De voto. 130
Art. i. De natura et divisione voti. *ib.*
Art. ii. De conditionibus ad votum requisitis. *ib.*
Art. iii. De voti obligatione. 133
Art. iv. De cessatione obligationis voti. 135

Tract. viii. *De tertio praecepto Decalogi.*

Cap. i. De obligatione festa sanctificandi. 145
Cap. ii. De abstinentia ab operibus prohibitis. 146
Art. i. De operibus prohibitis. *ib.*
Art. ii. De causis excusantibus in operibus prohibitis. 149
Cap. iii. De his quae praecipiuntur diebus festis. 153
Art. i. De obligatione audiendi concionem et missam. *ib.*
Art. ii De causis ab auditione sacri excusantibus. 158

Tract. ix. *De quarto praecepto Decalogi..*

Cap. i. De obligationibus liberorum erga parentes. *Pag.* 161
Cap. ii. De obligation.bus parentum erga filios. 163
Cap. iii. De obligationibus tutorum et curatorum. 164
Cap. iv. De obligationibus dominorum. 165
Cap. v. De obligationibus famulorum. *ib.*
Cap. vi. De obligationibus conjugum. 167
Cap. vii. De obligationibus parochorum. 170
Cap. viii. De obligationibus praeceptorum et discipulorum. 172

Tract. x. *De quinto praecepto Decalogi.*

Cap. i. De occisione sui ipsius. 173
Cap. ii. De occisione Rei, etc. 175
Art. ii. De occisione injusti aggressoris. *ib.*
Art. iii. De occisione innocentis. 178
Art. iv. De homicidio casuali. 181
Cap. iii. De duello et bello. *ib.*
Art. i. De duello. *ib.*
Art. ii. De bello. 183

Tract. xi. *De sexto praecepto et nono Decalogi.*

Cap. i. De natura et divisione luxuriae. 185
Cap. ii. De peccatis luxuriae non consummatae. 186
Cap. iii. De peccatis luxuriae consummatae intra naturam. 190
Cap. iv. De peccatis luxuriae consummatae contra naturam. 194
Art. i. De congressu inordinato. *ib.*
Art. ii. De mollitie. *ib.*
Art. iii. De sodomia. 198
Art. iii. De bestialitate. 206

Tract. xii. *De septimo praecepto Decalogi.*

Cap. i. De natura furti. *Pag.* 200
Cap. ii. De quantitate furti ad mortale peccatum. 203

Tract. xiii. *De octavo praecepto Decalogi.*

Cap. i. De judicio temerario, suspicione et dubitatione. 208
Cap. ii. De contumelia. *ib.*
Cap. iii. De detractione. 211
Cap. iv. De secreto. 218

Tract. xiv. *De praeceptis Eccles.*

Cap. i. De conditionibus jejunii et de ejus obligatione. 221
Cap. ii. De causis a jejunio excusantibus. 229

Tract. xv. *De justitia.*

Pars. i. De justitia et jure 236
Cap. i. De dominio. 237
Art. i. De dominii definitione et divisione. *ib.*
Art. ii. De objecto dominii. *ib.*
Art. iii. De variis modis dominii acquirendi. 241
Cap. ii. De usufructu. 246
Pars. ii. De injustitia et restitutione. *ib.*
Cap. i. De natura, obligatione et radicibus restitutionis. *ib.*
Cap. ii. De his qui tenentur ad restitutionem. 248
Art. i. De possessore bonae fidei *ib.*
Art. ii. De possessore dubiae fidei. 250
Art. iii. De possessore malae fidei. 251
Art. iv. De injusto damnificatore in bonis corporis famae et animae. 257
Art. v. De Cooperatoribus. 267
Art. vi. De impediente a consecutione alicujus boni. 274
Cap. iii. De his quibus restituendum est. 275
Cap. iv. De tempore, modo, loco, et ordine restitutionis. *Pag.* 281
Art. i. De tempore, modo, et loco restitutionis. *ib.*
Art. ii. De ordine restitutionis. 282
Cap. v. De causis excusantibus a restitutione. 283

Tract. xvi. *De contractibus in genere et in specie.*

Cap. i. De contractibus in genere. 287
Cap. ii. De contractibus in specie. 291
Art. i. De promissione. *ib.*
Art. ii. De donatione. 292
Art. iii. De testamento. 297
Art. iv. De commodato, precario et deposito. 311
Art. v. De mutuo et usura. 312
Art. vi. De emptione et venditione in genere et in specie. 221
Art vii De censu. 332
Art viii. De cambio. 333
Art. ix. De locatione et conductione. 334
Art. x. De emphyteusi feudo et libello. 335
Art. xi. De sponsione et ludo. 336
Art. xii. De contractu societatis. 339
Art. xiii. De assecuratione et fidejussione. 342
Art. xiv. De pignore et hypotheca. 343
Art. xv. De et curatela *ib.*

Tract. xvii. *De praeceptis particularibus certo hominum statui propriis.*

Cap. i. De statu religioso. 345
Art. i. De natura status religiosi. *ib.*
Art. ii. De his quae requiruntur ad valorem professionis. 346
Art. iii. De obligatione religiosi. vi suae professionis. *ib.*
Art. iv. De oblig. religiosi vi votorum paupertatis, etc. 348
Appendix i. De electione Abbatissae. 353
Appendix ii. De privilegiis monialium et religiosorum. 354

Art. v. De his qui possunt vel tenentur ingredi religionem. *Pag.* 355
Art. vi. De religiosis ejectis et fugitivis 359
Cap. ii. De statu clericorum. 360
Art. i. De beneficiis ecclesiasticis. *ib.*
Art. ii. De horis canonicis. 364
Art. iii. De habitu clericorum. 375
Art. iv. De officiis, artibus, actionibus clericis prohibitis. 376
Cap. iii. De statu judicis. 380
Art. i. De judicio et judice. *ib.*
Art. ii. De inquisitione. 381
Art. iii. De tortura. *ib.*
Art. iv. De sententia et poena *ib.*
Cap. iv. De officio advocati. 384
Cap. v. De obligatione referentis, secretarii, notarii, et procuratoris. 385
Cap. vi. De officio accusatoris. 387
Cap vii. De testibus. 390
Cap. viii. De Reo. 393
Cap. ix. De obligatione medicorum, pharmacopolarum et chirurgorum. 397

Tract. xviii. *De Sacramentis in genere*

Cap. i. De natura sacramenti novae legis. 398
Cap. ii. De ministro sacramentorum. 400
Art. i. De intentione et attentione ministri. *ib.*
Art. ii. De probitate ministri. 403
Cap. iii. De suscipiente sacramentum. 411
Art. i. De conditionibus requis. ut validum suscipiantur sacramentum. *ib.*
Art. ii. De dispositionibus requis ut licite et cum fructu sacram. suscipiantur. 413
Cap. iv. De sacramentalibus et eorum fructu. 415

Tract. xix. *De sacramento baptismi.*

Cap. i. De baptismi natura. *ib.*
Cap. ii. De baptismi materia remota proxima. *Pag.* 416
Cap. iii. De forma baptismi. 420
Cap. iv. De effectibus baptismi. 421
Cap. v. De ministro baptismi. *ib.*
Cap. vi. De subjecto baptismi. 424
Cap. vii. De caeremoniis baptismi. 427
Cap. viii. De patrinis. 428

Tract. xx. *De sacramento confirmationis.*

Cap. i. De confirmationis natura, materia, forma et effectibus. 431
Cap. ii. De ministro et subiecto confirmationis. 433
Art. i. De ministro confirmationis. *ib.*
Art. ii. De subjecto confirmationis. 434
Cap. iii. De confirmationis necessitate et caeremoniis. 435
Art. i. De confirmationis necessitate. *ib.*
Art. ii. De caeremoniis confirmationis. *ib.*

Tract. xxi. *De Eucharistia.*

Cap. i. De eucharistia, ut est sacramentum. 436
Art. i. De eucharistiae natura. *ib.*
Art. ii. De materia eucharistiae. 438
Art. iii. De forma cons. eucharistiae. 442
Art. iv. De effectibus eucharistiae. 445
Art. v. De ministro eucharistiae. 446
Art. vi. De subjecto eucharistiae. 452
Cap. ii. De eucharistia, ut est sacrificium. 465
Art. i. De natura et virtute S. Missae. *ib.*
Art. ii. De obligatione celebrandi. 468
Art. iii. De tempore et loco celebrationis. 474
Art. iv. De requisitis ad Missam. 481
Art. v. De rubricis missalis. 486

TRACT. XXII. *De sacramento poenitentiae.*

CAP. I. De sacram. poenit. natura, materia et forma. *Pag.* 489
CAP. II. De contritione et proposito. 494
ART. I. De contritione. *ib.*
ART. II. De proposito. 499
CAP. III. De confessione. 500
ART. I. De praecepto confessionis. *ib.*
ART. II. De conditionibus in conf. requisitis. 501
ART. III. De confessione invalida et iteranda. *ib.*
CAP IV. De satisfactione. 514
APPENDIX De satisfactione per indulgentias. 520
ART. I. De indulgentia in genere. *ib.*
ART II. De indulgentia jubilaei. 523
CAP. V. De ministro sacramenti poenitentiae. 525
ART. I. De ministri potestate, seu etc. 526
ART. II. De officio ministri, seu de etc. 553
CAP, VI. De sigillo confessionis. 581

TRACT. XXIII. *De sacram. Extremae unctionis.*

CAP. I. De hujus sacramenti natura, materia et forma. 590
CAP. II. De effectibus hujus sacramenti. 592
CAP. III. De ministro hujus sacramenti 593
CAP. IV. De subjecto hujus sacramenti. 594

TRACT. XXIV. *De Sacramento Ordinis.*

CAP. I. De hujus sacramenti natura et effectibus. 597
CAP. II. De materia et forma Ordinis. 599
CAP III. De ministro Ordinis. 602
CAP. IV. De subjecto Ordinis. 604
ART. I. De requisitis in ordinando. *ib.*
ART. II. De obligationibus ordinatorum in sacris. *Pag.* 610

TRACT. XXV. *De sacramento Matrimonii.*

PARS. I. De sponsalibus. 613
CAP. I. De natura sponsalium. *ib.*
CAP. II. De obligatione sponsalium. 615
CAP. III. De dissolutione sponsalium. 618
PARS. II. De matrimonio. 624
CAP. I. De matrim. natura, materia forma, et ministro. *ib.*
CAP. II. De matrimonii usu licito et debito. 628
ART. I. De matrim. usu licito. *ib.*
ART. II. De matrim. usu debito. 638
CAP. III. De impedimentis matrimonii. 644
ART. I. De impedimentis impedientibus. 645
ART. II. De impedimentis dirimentibus. 650
CAP. IV. De dispensationibus in impedimentis matrimonii. 668
CAP. V. De revalidatione matrimonii. 675
CAP. VI. De divortio. 678

TRACT. XXVI. *De Censuris.*

CAP. I. De censuris in genere. 683
ART. I. De natura et divisione censurae. *ib.*
ART. II. De auctore et subjecto censurae. 685
ART. III. De absolutione a censuris. 691
CAP. II. De censuris in specie. 697
ART. I. De excommunicatione majori et minori. *ib.*
ART. II. De suspensione in genere et in particulari. 714
ART. III. De degradatione et depositione. 716
ART. IV. De interdicto et cessatione a divinis. 717

TRACT. XXVII. *De irregularitatibus.*

CAP I. De irregularitatibus in genere. *Pag.* 718
CAP. II. De irregularitatibus in specie. 720

ART. I. De irregularitatibus ex delicto. *Pag.* 720
ART. II. De irregularitatibus ex defectu. 726
APPENDIX I. Circa usuram. 734
APPENDIX. II. De bulla cruciatae. 738

REIMPRIMATUR — *Fr. Angelus Vincentius Modena O. P. S. P. A. M. Soc.*
REIMPRIMATUR — *Jo. Canali Patriarcha Constant. Vicesgerens.*

Acc 3171
240
N39
AUTHOR Neyraguet, P.
TITLE Compendium

GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
BERKELEY, CA 94709